Urràburu

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ

COSMOLOGIA

B103
I5
v.3

009713

1080014370

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ

QUAS ROMÆ

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

TRADIDERAT

P. JOANNES JOSEPHUS URRÁBURU S. J.

VOLUMEN TERTIUM

NATURALIS PHILOSOPHIÆ PRIMA PARS

COSMOLOGIA

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria y Tellez
46167

VALLISOLETI
TYPIS VIDUÆ AC FILIORUM A CUESTA

LUTETIÆ PARISIORUM
P. LETHIELLEUX
VIA DICTA CASSETE, 10

ROMÆ
F. MELANDRI
IN TIPOGRAPHIA
DE PROPAGANDA FIDE

1892

B103
I5
v.3



FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

INDEX

DISPUTATIONUM, CAPITUM ET ARTICULORUM.

PHILOSOPHIA NATURALIS.

PROŒMIUM.

Pag.

§ I. *Naturalis Philosophiæ notio et partitio.* 1
§ II. *Idealismus profligatur.* 12

COSMOLOGIA.

SEU

PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

LIBER I.

DISPUTATIO PRIMA.

DE CHARACTERIBUS MUNDI.

CAPUT I.

ATTRIBUTA ET ESSENTIALES MUNDI NOTÆ.

ART. I. Utrum mundus sit ens unum, simplex, mutabile, finitum, contingens et ab alio. 26
ART. II. De magnitudine mundi. 34
ART. III. An unicus vel multiplex sit mundus. 38
ART. IV. Utrum præter tellurem alii quoque planetæ ab entibus rationalibus incolantur. 46

009713

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT II.

De perfectione mundi.

Pag.

Art. I. An mundus hic sit perfectus. 51
Art. II. Utrum hic mundus sit omnium possibilium optimus. . . . 69
Art. III. Utrum mundus sit animatus. 78
Art. IV. An et quomodo mundus hic perpetuo mansurus sit. . . . 89

CAPUT III.

De pantheismo.

Art. I. Exponitur error Pantheismi. 96
Art. II. Refutatur Pantheismus generatim inspectus. 126
Art. III. Refutatur Pantheismus realis. 137
Art. IV. Expugnatur idealis Pantheismus. 145

DISPUTATIO SECUNDA.

DE ORIGINE MUNDI.

CAPUT I.

Causa mundi efficiens.

Art. I. Utrum mundus originem habere potuerit per meram evolutionem materiæ. 157
Art. II. Utrum mundus prodierit ex fortuito atomorum concursu. . . 160

CAPUT II.

Quomodo mundus a Deo effectus sit.

Art. I. Utrum Deus mundum condiderit ex aliqua prævie existente materia. 178
Art. II. Utrum creatio repugnet: ubi enucleatur ejusdem conceptus. 188
Art. III. In quo consistat actio creativa. 205
Art. IV. De ordine et processu creationis. 219
§ I. *Utrum omnia simul, an successive creaverit Deus.* . . . 220
§ II. *Qualis fuerit primus status materiæ informis.* 240

Pag.

§ III. *Utrum aquæ, an autem igni poliores partes tribuendæ sint in telluris formatione.* 248

CAPUT III.

De mundi ætate.

Art. I. Utrum necesse sit mundum æternum asserere. 250
Art. II. Utrum mundus creatus fuerit in tempore. 264
Art. III. An potuerit mundus ab æterno creari. 274

DISPUTATIO TERTIA.

DE CAUSA FINALI ET EXEMPLARI MUNDI.

CAPUT I.

De causa finali mundi.

Art. I. Utrum habeant entia mundana fines sibi præstitutos, ad quos tendant. 292
Art. II. Utrum detur aliquis finis ultimus mundi, et quis ille sit. . . 312
§ I. *Asseritur ultimus finis mundi.* 314
§ II. *Quisnam sit finis ultimus rerum creatarum.* 317

CAPUT II.

De causa exemplari mundi.

DISPUTATIO QUARTA.

DE LEGIBUS NATURÆ.

CAPUT I.

De legum naturæ ratione et attributis.

Art. I. Ratio et veritas legum naturæ. 361
Art. II. De legum naturæ constantia et necessitate. 370

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

§ I. *An leges naturæ sint universales et constantes.* 370
§ II. *An et quomodo sint necessariæ leges naturæ.* 375

CAPUT II.

DE MIRACULIS.

ART. I. Germana miraculi notio declaratur. 388
ART. II. De causa efficiente et finali miraculorum. 401
§ I. *Efficiens causa miraculorum.* 402
§ II. *Finis miraculorum.* 418
ART. III. Utrum miracula sint possibilia. 421
ART. IV. Utrum vera miracula discerni a naturalibus eventibus queant. 434

LIBER II.

DISPUTATIO PRIMA.

DE ESSENTIALI CORPORUM CONSTITUTIONE.

CAPUT I.

TOTIUS CONTROVERSIÆ JACIUNTUR FUNDAMENTA.

ART. I. Communia quædam capita doctrinæ recensentur. 450
ART. II. Utrum admittenda sint corpora specifice secundum ipsam substantiam distincta. 455
ART. III. Utrum veri nominis mutationes substantiales locum habeant, quotiescumque nova gignitur natura. 463
ART. IV. Utrum in corporibus compositis elementa formaliter perseverent, an vero solum virtualiter. 474
ART. V. Quænam fuerit mens S. Thomæ super elementorum in mixto existentia. 495

CAPUT II.

EXCLUDUNTUR FALSA SYSTEMATA.

ART. I. Exponitur atomismus. 513
ART. II. Judicium fertur de atomismo. 525

Pag.

ART. III. De dynamismo. 538
§ I. *Exponitur systema dynamicum.* 538
§ II. *Quid sit sentiendum de dynamismo.* 543

CAPUT III.

SENTENTIA SCHOLASTICORUM ELIGITUR.

ART. I. Exponitur systema hylomorphismi. 549
ART. II. Propugnatur Scholasticorum doctrina. 555
ART. III. Quid et qualis sit materia prima. 562
§ I. *Notio materiæ primæ.* 562
§ II. *Proprietates materiæ primæ.* 576
ART. IV. Quid et qualis sit forma substantialis. 589
ART. V. Solvuntur difficultates. 602
§ I. *Difficultates contra integrum systema.* 603
§ II. *Difficultates contra materiam primam.* 605
§ III. *Difficultates adversus formam substantialem.* 607
ART. VI. De unione materiæ ac formæ. 617
§ I. *Notio et divisiones unionis.* 617
§ II. *Explicatur unio materiæ et formæ.* 619
§ III. *In quo sita sit unio materiæ ac formæ.* 625
§ IV. *Resolvuntur quædam quæstiones unionem materiæ cum forma respicientes.* 636
ART. VII. De composito substantiali corporeo seu corpore naturali. . . 649

CAPUT IV.

DE NATURA PHYSICA DEQUE QUIBUSDAM NOTIONIBUS CUM NATURA RELATIONE CONNEXIS.

ART. I. Quid sit natura physica. 662
ART. II. Quænam habeant rationem naturæ physicæ. 672
ART. III. Comparatur ars cum natura, ubi inquiritur etiam, utrum ars possit efficere opera naturæ. 681
ART. IV. De naturali ejusque oppositis, ac præsertim de violento. . . 690

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISPUTATIO SECUNDA.

DE QUANTITATE CORPORUM.

CAPUT I.

EXPONITUR NATURA QUANTITATIS.

Pag.

ART. I. Quid et quotuplex sit quantitas et quænam ejusdem proprietates. 707
§ I. *Notio ac divisiones quantitatis.* 707
§ II. *Utrum numerus sit distincta species quantitatis.* 715
§ III. *Proprietates quantitatis.* 730
ART. II. Utrum quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia? 733
ART. III. In quo sita sit ratio primaria primusque formalis effectus quantitatis. 756
ART. IV. Utrum quantitas actu infinita esse queat. 784
§ I. *Excluditur possibilitas infiniti categorematici.* 787
§ II. *Solvuntur difficultates.* 794
§ III. *Utrum ex divina cognitione possibilium efficaciter enerventur argumenta, quibus excluditur infinitum actuale.* . . 802

CAPUT II.

DE CONTINUO.

ART. I. Notio et existentia veri continui permanentis. 815
ART. II. Utrum continuum componatur ex partibus quibusdam, quæ actu sint in eo, et realiter inter se distinguantur. . . . 840
§ I. *An et quomodo partes in continuo existant.* 842
§ II. *Quomodo uniantur partes integrantes in continuo.* . . . 858
ART. III. An et quomodo dentur in continuo indivisibilia, nempe puncta, lineæ ac superficies. 864
ART. IV. Utrum continuum ex solis indivisibilibus componatur, an vero ex partibus sine fine divisibilibus. 891

DISPUTATIO TERTIA.

DE QUIBUSDAM MINUS PROPRIIS CONTINUÆ QUANTITATIS SPECIEBUS.

CAPUT I.

DE LOCO.

ART. I. Ratio loci et spatii enucleatur; ubi aliquid etiam de vacuo. . 917
§ I. *Quid sit spatium.* 917

Pag.

§ II. *Quid sit locus.* 943
§ III. *Quid sit vacuum.* 953
ART. II. An et quomodo omnia entia sint in loco. 956
ART. III. An diversa corpora possint simul in eodem esse loco. . . . 964
Quæres, *quomodo se habeant duo corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.* 978
ART. IV. Utrum idem corpus possit replicari seu simul in pluribus locis adæquatis constitui. 979
Quæritur, *utrum corpus existens duplici in loco, debeat utrobique easdem affectiones et proprietates habere.* 995

CAPUT II.

DE MOTU.

ART. I. Enucleatur conceptus motus. 1001
§ I. *Declaratur aristotelica motus notio.* 1002
§ II. *Accuratior motus physici stricte sumpti explicatio.* . . . 1012
ART. II. An et quomodo motus distinguatur a mobili ac termino? . . 1016
ART. III. An et quomodo distinguantur motus, actio et passio. . . . 1021
ART. IV. Undenam unitatem ac diversitatem sive specificam sive numericam accipiat motus? 1026
§ I. *Unitas ac diversitas generica et specifica motus.* 1026
§ II. *Unitas numerica motus.* 1031
§ III. Quænam sint genera præcipua motus. 1034
ART. V. De successione et contrarietate motus. 1043
§ I. *An et quomodo successio conveniat motui.* 1043
§ II. *Undenam petenda contrarietas motuum.* 1049
ART. VI. De distinctione moventis ac mobilis, ubi in controversiam vocatur veritas illius effati: OMNE QUOD MOVETUR, AB ALIO MOVETUR. 1054
ART. VII. De motu locali, ubi inquiritur utrum ejus causa sit impetus mobili impressus. 1067

CAPUT III.

DE TEMPORE.

ART. I. Quid sit tempus. 1076
§ I. *Utrum tempus sit reale quiddam, et duratio successiva.* . . 1076
§ II. *Quotuplex sit tempus.* 1090
§ III. *Utrum tempus re differat a motu.* 1093
ART. II. Utrum tempus recte definiatur secundum Aristotelem: *Numerus motus secundum prius et posterius.* 1098

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

ART. III. An et quomodo res sint in tempore, et quarumnam durationum sit tempus mensura. 1109

DISPUTATIO QUARTA.

DE QUALITATIBUS ET ACTIVITATE CORPORUM.

CAPUT I.

REALITAS CORPOREARUM QUALITATUM ET ACTIVITATUM VINDICATA.

ART. I. Utrum qualitates et potentiæ corporeæ distinguantur ab actibus et motibus. 1119

ART. II. Utrum admittendæ sint qualitates corporeæ a substantia realiter distinctæ. 1135

ART. III. Quodnam sit subjectum qualitatum cæterorumque accidentium corporeorum. 1145

§ I. *Utrum omnia accidentia materiæ inhæreant tamquam subjecto sustentationis.* 1146

§ II. *Utrum quantitas sit proximum subjectum corporearum qualitatum.* 1158

CAPUT II.

DE VARIA CORPORUM ACTIVITATE.

ART. I. Utrum omnis corporum activitas ad purum motum localem, vel certe ad vim loco-motricem revocetur. 1163

ART. II. An et quomodo corpora producere possint non solum accidentia, sed etiam substantias corporeas. 1162

ART. III. Enodantur quædam dubia circa præcedentem materiam. . . 1213

§ I. *Utrum corruptio, quæ in generatione novæ substantiæ intervenit naturalis dicenda sit.* 1213

§ II. *Utrum corruptio fiat per veram efficientiam et actionem.* . 1214

§ III. *Utrum generatio unius et corruptio alterius habeant inter se aliquem ordinem prioris et posterioris.* 1218

§ IV. *Utrum in corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam.* 1223

ART. IV. An corporeæ substantiæ sola virtute accidentali suos producant effectus. 1230

ART. V. De variis modis, quibus res incipiunt, ac desinunt, ac de terminis magnitudinis et parvitatis. 1240

Pag.

§ I. *De modis, quibus res incipere ac desinere possunt.* . . . 1242

§ II. *De terminis magnitudinis et parvitatis rerum naturalium.* 1253

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM CORPOREIS QUALITATIBUS IN SPECIE.

ART. I. De corporum figura. 1259

ART. II. De attractione et gravitate. 1262

ART. III. De raritate ac densitate. 1284

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PHILOSOPHIA NATURALIS.

PROŒMIUM.

Ratio tractationis.

1. Absoluta Metaphysicæ generalis tractatione, applicandus jam animus est ad eas Philosophiæ realis partes pertractandas, quæ objecta magis determinata et specialia contemplantur. In his autem primus locus esse debet mundo huic corporeo. Quamvis enim longe præstent in perfectione corporibus spiritualia; non tamen idem est ordo tractationis et præstantiæ objectorum in scientiis, sed ea prius præmittenda sunt, quæ lucem reliquis afferant viamque complanent. Atqui Deum nonnisi ex rebus creatis cognoscimus, *invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (1): nec in spiritualium considerationem penetrare fas est, nisi per objecta corporea ad altiorum illarum subtiliorumque naturarum notitiam manu ducamur. Et sic ordo tractationis philosophicæ respondebit ordini, quo cognitionum series in homine et inchoatur, et evolvitur, ac perficitur.

§ I.—Naturalis Philosophiæ notio et partitio.

Quid naturalis Philosophia vel Cosmologia.

Scientia, quæ objecta corporea contemplatur, nomen habet *Philosophiæ naturalis*, quam recentiores passim *Cosmologiam*, quasi scientiam de mundo corporeo, dixere. Quæ notio ut melius percipiatur, notandum est multiplicem distingui a Philosophis mundum. Ut enim omittam nunc acceptiones

Mundi variæ acceptiones.

(1) S. Paul., *Rom.* c. 1, v. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illas vocabuli aut minus usitatas, aut metaphoricas, quibus significatur *mundus angelicus*, seu angelorum universitas, et *mundus archetypus* (1), idearum exemplarium in mente Dei relucens, et *mundus* seu cœtus pravorum hominum, qui divinæ legis præceptis bellum indixere, et *mundus* denique *parvus*, seu μικρόκοσμος, id est, homo, qui cum ex corpore coalescat et anima spirituali, rerum omnium in sua substantia videtur quamdam velut summam et compendium continere (2); tria præcipue significat *mundus*, primo universitatem rerum omnium, sive spiritualium sive corporearum, quæ dicitur mundus magnus, quæ fusissima est vocis hujus acceptio. Illa deinde strictissima est, qua per mundum designatur solus globus terraqueus; quo sensu Christus Dominus noster dixit in Evangelio: *In hoc mundo pressuram habebitis* (3), et: *Regnum meum non est de hoc mundo* (4), et: *Euntes ergo in mundum universum, prædicate omni creaturæ* (5). Tertio denique venit nomine mundi collectio corporum omnium, quæ in aspectum cadunt, et vocatur *mundus corporeus* (6). Corpora vero, ut norunt omnes, sunt entia quædam, quæ nos undique circumstant, in spatio posita, extensa, resistentia, quæque sensibus nostris mira phænomenorum varietate manifestantur ope sensibilium qualitatum. Ex his ergo aliisque acceptionibus, sola hæc ultima de *mundo corporeo* ad *Cosmologiæ ac naturalis Philosophiæ* tractationem spectat.

quæ extensa sit limitem habet. Quis corpus.

(1) Cfr. S. August. (lib. 1 *Retractat.*, cap. 3), Phil. apud Eussb. (*de Præpar. evangel.*, lib. 11, cap. 12), S. Anselm. (in cap. 11 *ad Hebræos*, in commentario verborum illorum: *Fide intelligimus aptata esse etc.*), Clement. Alexandr. (*Stromat.* lib. 6).

(2) Cfr. S. Gregor. M. (*Homil. 29 in Evang.*), Nazianz. (orat. 2 *de Pasch.*), aliique apud Conimbric., (*de Cœlo et Mundo*, lib. 1, cap. 1, quæst. 1, art. 2).

(3) *Joann.* cap. 16, v. 33.

(4) *Joann.* cap. 18, v. 36.

(5) *Marc.* cap. 16, v. 15.

(6) Hæ sunt præcipuæ *mundi* acceptiones inter Philosophos usitatæ. Nunc autem inter Astronomos est alia loquendi ratio, cum distinguunt *mundum* ab *Universo*: mundum enim intelligunt integrum aliquod systema solare, universum vero, complexum corporum omnium, quæ sub aspectum cadunt, nempe mundum in tertia acceptione. Vide cl. H. Faye, *Sur l' Origine du Monde*, chap. XI. pag. 176. Paris, 1885.

Definitio mundi.

Quare mundus, prout hic sumitur, definiri potest cum auctore libri *de Mundo* ad Alexandrum (1): *compages ex cœlo terraque coagmentata atque ex his naturis, quæ intra ea continentur*. Et sub se complectitur corpora omnia, quæ nos circumstant, patentque cœlestia ispatia ntuentibus. Corpora hæc alia sunt luminosa, alia opaca, omniaque intra imponderabilis materiæ, quam *ætherem* vocant, oceanum motus suos ordinatissimos habent. Luminosa corpora sunt sol et stellæ, a quibus illuminantur planetæ et cometæ. Sol cum planetis integrum systema constituit, in quo sol medium tenet, et circa ipsum tamquam circa centrum attractionis perenni circuitu planetæ feruntur, et circa ipsos planetas alii globi minores, quibus astronomi *satellitum* nomen fecere. Nomen vero mundi a munditie (2) et ornatu derivatum esse dicunt. Quod enim Græci post Pythagoram a singulari digestione ac decentissimo ordine κόσμον appellatum voluere, id Latini a perfecta absolutaque elegantia mundum dixerunt, teste Plinio (3). Si quis autem allatam mundi definitionem ideo reprehendat, quod, cum terra partem tantum exiguam mundani systematis constituat, speciatim nominanda esse non videatur; in memoriam revocet «descriptionem illam hominibus proponi, qui terram incolunt, quique proinde quantum supra se cœlum patere vident, tantum sub se terram extendi prospiciunt» (4). Eo vel magis, quod quæcumque de cœlestibus corporibus tradit naturalis Philosophia, et pauca sunt, et nonnisi per ordinem ad terram cognita; de terra vero ipsa fusam habet, eamque summi momenti, disputationem. Quare licet terra, comparata mole sua cum

(1) Cap. 2 initio. Utrum auctor hujus libri fuerit Aristoteles, vel alius, videri potest apud Conimbricens., *Physicor.*, quæst. prooem, 5, art. 4, *de distributione Philos.*, vers. fin.

(2) Aliam tamen præfert vocis originem S. Isidorus (*Etymologiar.* cap. 29) a *motu*, ut dictus fuerit *mundus* quasi perpetuo *movendus*.

(3) Lib. 2, cap. 4. Ita etiam referunt Galenus et Stobæus. Nihilominus Laertius (lib. 8, segm. 48), «non universam rerum omnium compagem, sed cœlum dumtaxat *mundi* nomine a Pythagora vocatum esse testatur», quemadmodum scribit Eduardus Corsinus in not. 2 ad lib. 2, cap. 1 Plutarchi *de Placitis Philosophor.*

(4) Tongiorgi, (*Cosmolog.*, lib. 2, cap. 1, art. 1, n. 242), Roselli (*Summ. Philos.*, tom. 3, Prolog., not. 2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

immensa magnitudine cœlorum aliorumque corporum in spatio fluitantium, et spectata ejusdem ab aliis astris, ac potissimum a sole, dependentia, exigua valde sit, ac velut arena maris; at vero ratione habita et præstantissimorum entium eam incolentium et copiæ rerum tractandarum, terra principem locum occupat in *Cosmologia*, ideoque jure nominanda est in ipsa mundi definitione.

Discrimen Cosmologiæ a cæteris disciplinis etiam naturalibus,

Cæterum agit *Cosmologia* de corporeo mundo secundum supremas atque universalissimas rationes, quin descendat ad singula rerum genera minutatim describenda, ideoque definitur: *scientia de mundo generatim inspecto*. Ex qua descriptione patet illico discrimen *Cosmologiæ* a reliquis omnibus scientiis, non solum a *Logica*, *morali Philosophia* et *Metaphysica*, quæ longe diversum objectum considerant, verum etiam a cæteris disciplinis naturalibus, quæ circa corpora versantur. Hæ namque, prætermissis rationibus et causis supremis atque altissimis, hærent in proximioribus.

et ab ipsa veterum Philosophia naturali.

Dixi a recentioribus vocari *Cosmologiam* partem illam Philosophiæ, quam prisci *naturalem Philosophiam* dixere. Est tamen inter utramque non nihil discriminis, nam veteres, ut fuse docuimus in *Logica*, multo plura revocarunt ad *naturalem Philosophiam*, quam ea, quæ nunc sub nomine *Cosmologiæ* tractant recentiores, nempe *Psychologiam* et *Anthropologiam*. Itaque si et veterum sapientium doctrinam et recentiorum denominationem retinere nobis placet, vel fusius extendendum est *Cosmologiæ* nomen, ut totius *naturalis Philosophiæ* ambitum complectatur, vel potius ad primam ejusdem partem contrahendum est, quæ in hoc nostro volumine pertractatur, in quo ea duntaxat inquirenda suscipimus, quæ corporibus omnibus, sive animatis sive inanimatis, communia sunt, atque adeo mundum corporeum generatim ac secundum universalissimas rationes consideratum respiciunt.

Hæc sola plures recentiores sub *Cosmologiæ* nomine docent, rejectis ad *Psychologiam* iis, quæ ad corpora viventia spectant; licet alii e converso in *Cosmologia* pertractent etiam multa, quæ vitam respiciunt, ac nominatim disputationem omnem de plantis atque animalibus, quasi non æquo jure *Psychologia* proprium sibi vindicet quidquid anima informatum est, sive ea sit rationalis, sive animalis sive pure vegetalis.

Varia nomina Philosophiæ naturalis.

Vocatur etiam *naturalis Philosophia* passim a Scholasticis *Physica et Physiologia* (1), *quasi sermo de natura*, mundus enim ipse designatur quoque nomine naturæ tamquam complexio corporum *natura* seu interno operationum principio præditorum; itemque simpliciter *Philosophia* (2). Neminem tamen latet, longe aliud a *naturali Philosophia* et *Cosmologia* nostris temporibus significari *Physices* ac *Physiologiæ* vocibus. Ex quo enim phænomena mundi adspectabilis tanto ardore coli cæperunt, scientiarum naturalium cultores singularum partium naturæ corporeæ accuratius ac minutius studium susceperunt; et prætermissa fere supremarum causarum inquisitione, in eo potissimum navarunt operam, ut iteratis experientiis exquisitissimisque observationibus vires atque externas corporum manifestationes investigarent, ac diligenter describerent, mutuas affinitates et habitudines detegerent, leges motuum operationumque perscrutarentur in singulis corporum generibus, rationes proprias ac peculiares indagarent, et sic plura in dies naturæ arcana secreta extorquerent, ac portentosa inventa ad usus vitæ varios applicarent: quo in studio usque adeo comparandarum cognitionum quæstionumque tractandarum seges excrevit, ut pluribus disciplinis uberrimam præberet materiam. Unde scientia illa, quæ *Physica* audit apud recentiores, solas contemplatur generales corporum proprietates ac phænomena et affectiones, quæ non implicant necessario substantialem mutationem; *Physiologia* vero phænomena vitæ et functiones organicas sibi vult reservatas; *Chimia* varietatem corporum simplicium et compositorum edocet, ac varias proportiones et leges, quibus corporum compositiones ac dissolutiones reguntur; *Astronomia* motus describit atque evolutiones astrorum cum suis legibus; *Mechanica* generales leges motus corporum et æquilibrii diversarum inter se virium investigat. His accedit

Physicæ scientiæ sub objecto naturalis Philosophiæ contento.

(1) Vide Conimbric. (in *Physic.* Procem. quæst. 1, art. 1 et 6; quæst. 2, art. 1 et 2; quæst. 3 art. 2 et 3; quæst. 4 art. 2 et 3 et alibi sæpe), Benedict. Pereira (*de Communibus omnium rerum naturalium principiis* lib. 1, cap. 9. et lib. 2 in procem.), Lossada (*Physic.* Procem. n. 2).

(2) Vide Suarez (disp. 1 *Metaphys.*, sect 2, n. 3), Complutenses (*Physic.*, disp. procem., quæst. 1, n. 10), Conimbric. (loc. cit.)

Historia, quam dicunt *naturalem*, *in Zoologiam*, *Botanicam*, *Mineralogiam*, *Geologiam* et *Palæontologiam*, velut in totidem majores partes, distributa, in quibus minutatim exponuntur quæcumque pertinent ad varias familias et genera animalium, plantarum, mineralium ac stratorum, quibus terra componitur, et exuviarum entium organicorum, quæ ex effosis terræ visceribus eruuntur. Quamquam dissimulandum non est plures harum disciplinarum, sive ob defectum evidentiæ ac certitudinis in suis pronuntiatis, sive ob modum, quo tractantur, nec nomen mereri, nec dignitatem scientiæ adhuc attigisse. Nulla vero est inter eas, ut nuper innui, quæ usque ad supremas causas assurgat in sua inquisitione; quia intimam corporum essentiam et proprietatum affectionumque, unde phænomena sensibilia procedunt, prout in seipsis sunt, exactam rationem, quæ sunt in scientia corporum supremæ causæ, aut negligunt penitus, aut saltem non pro dignitate pertractant. Quare cum Philosophiæ proprium sit res per causas altissimas ac supremas cognoscere, disciplinæ istæ, prout a suis cultoribus tractantur, utcumque magno in pretio habendæ sint, tamen cooptari inter partes Philosophiæ nequeunt.

At vero *Cosmologia vel naturalis Philosophia* in essentiis corporum ac proprietatibus, prout in seipsis sunt, cognoscendis versatur, quin tamen ulterius ad magis concretas ac determinatas controversias, quas aliæ scientiæ physicæ sibi vindicarunt, descendat. Quæ forte causa fuit, cur a recentioribus *Cosmologia* tamquam pars *Metaphysicæ* habeatur, quamquam immerito, nisi velimus nomen *Metaphysicæ* in alienum sensum detorquere. Quamobrem omnes illæ scientiæ, quæ de mundanis corporibus disputant, ita suis quæque confiniis continentur, ut ibi sistat *naturalis Philosophia*, unde cæteræ naturales disciplinæ ducunt initium, et eo pertingant istæ, quo illa in suis conclusionibus descendit, illa prorsus suum præbeat istis fundamentum, istæ vero complementum afferant plenioremque evolutionem, qua mundus corporeus non solum in generalibus atque altioribus rationibus, sed etiam in magis determinatis et propriis partium singularum sensuique propinquioribus cognoscatur.

Quo pacto se gerere invicem debeant Cosmologia et physicæ scientiæ.

Quamobrem si omnis scientia veritatem inquirit, et verum vero opponi nequit, nullum esse debet dissidium inter *Cosmologiam* ac cæteras disciplinas naturales; et sicut illa non potest harum certas experientias certaque pronuntiata respuere, ita has æquum est, rationabile illius jugum subire, nec illius conclusiones *ideo solum* detrectare, quia sensum aut experientiam effugiunt, imaginationi imperviæ sunt, quemadmodum insano profecto consilio fecere non pauci scientiarum naturalium cultores, qui turpissimo positivismi et materialismi luto immersi, alas ingenii explicare non valuerunt, ut per serena immaterialium rationum spatia libere volarent.

Ut ergo in modo loquendi confusionem vitemus et communem nostris temporibus servemus consuetudinem, scientiam illam partemque Philosophiæ, quæ circa mundum corporeum supremas causas investigat ac fere in essentiis corporum et generalioribus attributorum proprietatumque rationibus detegendis versatur, *naturalis Philosophiæ* nomine designabimus; nomina vero *Physices*, *Physiologiæ* ac reliqua cæteris disciplinis naturalibus, quæ partem aliquam latissimi objecti Philosophiæ naturalis magis evolvunt, et usque ad remotiores conclusiones perducunt, ex recepto more reservanda esse arbitramur.

Philosophiæ naturalis objectum.

2. Jam de subjecto vel objecto naturalis Philosophiæ multa disputarunt antiqui scriptores, inque varias iverе sententias, voce fortasse magis, quam re ipsa discrepantes. Variæ sententiæ

Alii enim arbitrati sunt objectum hujus scientiæ esse *ens mobile*. Ita S. Thomas (1), Conimbricenses (2), Complutenses (3), Rubius (4), aliique. Secunda est illorum sententia, qui objectum naturalis Philosophiæ dicunt esse *corpus mobile* seu naturale. Ita Albertus M., Ægidius Romanus, et Lincolniensis cum Avicenna et Algazele apud Rubium (5) et

(1) Lib. 1 *Physicor.* lect. 1 initio; Opusc. *de Natur. Gener.*, cap. 14; 6.ª *Metaphysicor.* lect. 1 paragr. *c.* Cfr. lib. 11 *Metaph.* lect. 4 fin.

(2) *Physicor.* quæst. 14 procem., art. 1.

(3) *Physic.* disp. 1 Procem. q. 1, n. 9.

(4) In Procem. *Physic.* paragr. *An subjectum Philos. natur. sit ens mobile.*

(5) Loc. cit.

Conimbricenses (1). Et ita etiam loquitur interdum S. Thomas (2); ac pro eadem stant Benedictus Pereira (3), Mastrius (4), Dupasquier (5), aliique. Alii volunt *substantiam naturalem*, non vero corpus aut ens mobile, esse naturalis Philosopiæ objectum. Ita Scotus et alii apud Complutenses (6).

Notanda ad quæstionis solutionem: primum.

Ut res hæc aliquo modo declaretur, nota primo duplex esse objectum scientiæ, materiale ac formale. Materiale est rES, quæ ab illa scientia consideratur; formale est ratio, secundum quam res a tali scientia consideratur. Et objectum naturalis Philosophiæ materiale procul dubio sunt mundana corpora, et controversia solum versatur circa formale objectum. Deinde *naturale*, prout hic sumitur, nam plures alios sensus habere potest, idem valet ac *habens in se principium motus et quietis*. Ubi nomine *motus* venit non præcise motus localis, sed quævis mutatio sensibilis, sive substantialis ille sit sive accidentalis: et similiter nomine *quietis* intelligitur conservatio formæ per motum acquisitæ. Aliis vocibus *naturale* hic sumitur pro habente in se principium mutationum sensibilium. Similiter notandum est *mobile* bifariam accipi posse: α) pro eo quod aptitudinem aut potentiam proximam habet ad motum talem, qualem modo descripsimus, quo sensu *mobile* exprimit accidens vel proprietatem mobilitatis: β) pro eo quod habet principium vel radicem primam, unde talis aptitudo profluit, et sic *mobile* indigitat ipsam substantiam, cui convenit mobilitas tamquam proprietas necessario dimanans. In hoc ergo loco vox *mobile* sumitur in secunda acceptione, unde nec angeli nec accidentia corporea sunt ens *mobile* in hoc sensu; illi quidem, quia non sunt obnoxii mutationibus sensibilibus, hæc vero, quia non sunt illarum principium primum ac radicale. Denique corpus etiam triplex solet distingui, *mathematicum*, *metaphysicum* et

alterum.

tertium.

quartum.

(1) Loc. cit.
(2) In Procem. lib. 1 de *Cæl. et Mund.*; *de Verit.* q. 14, a. 8 ad 16; 1 p. q. 84, art. 1 *Sed contra est.*
(3) *De Communib. rerum princip.*, lib. 2, cap. 3.
(4) *Physicor.*, quæst. procem. a. 1.
(5) *Physicor.*, disp. 1, q. 2.
(6) Loc. cit. *Physic.* disp. 1 procem. q. 1, n. 4.

physicum. Corpus mathematicum est corpus præcise spectatum prout *quantum*, id est prout trinam habens dimensionem, in longum, latum et profundum (1). Corpus metaphysicum est prima species subalterna substantiæ, constans ex ratione substantiæ tamquam genere proximo et ratione corporeitatis tamquam ex differentia. Corpus autem physicum aut naturale est corpus sensibilibus accidentibus præditum sensibilibusque mutationibus obnoxium, corpus videlicet tale, quale reperiri solet in rerum natura.

Declaratur status quæstionis circa objectum naturalis Philosophiæ.

Hisce præstitutis, certum est eamdem rem significari per has omnes voces *ens mobile*, *ens naturale*, *corpus mobile* vel *naturale*, *substantia mobilis*, et *substantia naturalis*, ita ut hæc omnia inter se reciprocentur seu dicantur ad convertentiam; ac proinde si de objecto formali naturalis Philosophiæ *secundum rem ipsam* loqui velimus, hujusmodi objectum est ens mobile vel naturale, et est substantia mobilis seu naturalis, itemque corpus naturale vel mobile: quia de mundanis corporibus agit non secundum rationes immateriales, quæ objectum constituunt Metaphysices, sed quatenus sunt mobilia seu naturalia, id est sensibilibus mutationibus obnoxia (2). Et controversia huc solum videtur reduci, utrum objectum Philosophiæ naturalis, quod revera et est ens mobile seu naturale, et substantia *mobilis* seu *naturalis*, itemque corpus naturale seu mobile, aptius et convenientius exprimatur per *ens mobile*, an per *substantiam mobilem*, an vero per *corpus mobile seu naturale*. Quare quæstionem hanc, utpote quæ potissimum est de nomine (3), nec profecto magni momenti, secundum placitum prioris substantiæ breviter cum Aquinate resolvimus hac innixi ratione, quam sic dilucide proponunt Complutenses: «Certissimum et indubitatum est objectum Philosophiæ (naturalis) debere esse aliquid, quod sit principium motus, possitque moveri (nimirum sensibiliter

resolvitur.

(1) *Scendum est... quod corpus, quod est magnitudo completa, dupliciter sumitur, scilicet mathematice, secundum quod consideratur in eo sola quantitas, et naturaliter, secundum quod consideratur in eo materia et forma. S. Thom.* 1. p., q. 7, a. 3.
(2) Vide Rubium, Tolet. Conimbricens. et Complutens. locis citatis.
(3) Tolet. *Physic.* (Prolegom., q. 2), Rub. (loc. cit.), Conimbricens. (*Physic.* quæst., procem. 4, a. 1), Complutens. (loc., cit.).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mutari); siquidem in hoc distinguitur Philosophia (naturalis) ab aliis scientiis, quod tractat de rebus, quæ sunt subjectæ motui et mutationi. Non est sufficienter manifestum, quod omne sic aptum moveri est corpus, quandoquidem id rationaliter potest in dubium revocari, et ideo tractatur et probatur in libris *Physicorum;* cum tamen sit satis perspicuum et indubitabile, omne quod sic movetur, debere saltem esse ens. Ergo pensatis omnibus, convenientius assignatur objectum Philosophiæ (naturalis) per ens mobile, quam per *corpus mobile*. Cumque etiam satis perspicuum non sit, naturam esse principium motus, et ideo de hoc agitur in quinto *Physicorum;* inde fit melius assignari objectum per ens mobile, quam per ens aut substantiam naturalem» (1).

Definitio Philosophiæ naturalis et partitio.

Quæ cum ita sint, *Philosophia naturalis* accuratius definiri potest *scientia de ente mobili* vel de *natura sensibili*.

5. Quod ad partitionem attinet, *naturalis Philosophia* dividenda est in duas majores partes: prima disputabit generatim de iis, quæ omni enti corporeo conveniunt, et vocari poterit *Cosmologia*, altera de corporibus viventibus, quæ iterum in varia genera dispescuntur, ac varias alias partes singillatim tractandas porrigunt, prout in *Psychologia* exponendum erit.

Libri Aristotelis de re physica.

Multos scripsit Aristoteles de re physica libros (2), qui partim supersunt, partim perierunt, iisque præclarissimis commentariis et quæstionibus illustrati sunt post S. Thomam, ut alios veteres omittam, a Card. Toleto, Antonio Rubio, Sylvestro Mauro, Conimbricensibus, Complutensibus atque aliis nobilissimis Philosophis.

Quæ adhuc extant Aristotelis hac de re scripta, sunt octo libri *Physicorum*, quatuor *de Cœlo et Mundo*, duo *de Generatione et corruptione*, quatuor *de Meteoris;* tres *de Anima; Parva naturalia*, sub quo titulo comprehenduntur opuscula varia, nimirum *de Sensu et sensato, de Memoria et reminiscentia, de Somno et Vigilia, de Somniis* ac *de Divinatione*

(1) Complutens., *Physic.*, disp. procem., q. 1, n. 10. Plura dabunt auctores citati.

(2) Vide de his Conimbricenses, (loc. cit., q. 5, procem. a. 4), Rubium, (loc. cit., et alios).

per somnium, de Incessu animalium, de Longitudine et brevitate vitæ, de Senectute et Juventute, de Vita et Morte; ac *de Respiratione*. Quibus omnibus accedunt *Historiæ de animalibus*, ac libri *de Partibus animalium* et *de animalium generatione*.

Cæterum opinio est Græcorum (Philosophi) interpretum, pervulgata illa quidem et probata omnibus prope melioris notæ scriptoribus, duo fuisse genera librorum Aristotelis: unum eorum quos ἐξωτερικους vocant, quales sunt historicæ, poëticæ ac rhetoricæ commentationes, demum ea, quæ leviter et populariter scripta sunt, nec ad tenue limata: alterum eorum quos appellant ἀκροαματικους, latine auscultatorios, diligentioris atque limatioris operæ, quibus gravior atque subtilior Philosophiæ doctrina continetur, quos ideo putant sic dictos esse, quia sint tam difficiles ad intelligendum, ut sine voce operaque magistri vix percipi et comprehendi possint... (1) Hanc de scriptorum Aristotelis divisione sententiam plurimi et clarissimi viri memoriæ prodiderunt: Galenus in Fragmento *de substantiis naturalium facultatum;* Plutarchus in *Vita Alexandri;* Cicero in lib. 5 *de Finibus;* Ammonius in *Logica;* simplicius in Prœmio *Physicæ;* Aulus Gellius lib. 20, cap. 4; Clemens Alexandrinus in lib. 5 *Stromat.;* et Alexander in primo *Topicorum* libro» (2).

Ordo tractationis.

4. Jam quo attinet ad ordinem tractationis in hac materia tenendum, prior hæc naturalis Philosophiæ pars duobus absolvetur libris, quorum alter mundanam rerum universitatem generatim considerabit, alter internas corporum causas et constitutiva principia proprietatesque persequetur. Prius autem hic prœmii loco ipsam mundi corporumque realitatem in tuto collocare oportet. Quamquam enim omnis scientia suum objectum supponat, nec probet illud (3) (quid enim disputari

(1) Hinc patet cur Aristoteles octo libros *Physicorum* inscripserit φυσικῆς ἀκροάσεως, *de Physica auscultatione*.

(2) Benedict. Pereira, *de communibus* etc., lib. 2, cap. 10, ubi quosdam alios præterea in eamdem sententiam refert scriptores. Cfr. Conimbric., (loc. cit., paragr. *Cur libri Physicorum...*), Tolet. (loc. cit., quæst. 2), Rub. (loc. cit.), Complutens. (loc. cit.), Lossada, (*Physic.* Prooem., n. 6.)

(3) Cfr. S. Thom., lib. 1.°, *Physicor.*, lect. 1, non procul ab initio. Cfr. item quæ in hanc rem scripta sunt in *Logica*, pag. 876 fin. et 879.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de eo potest, quod, utrum reale sit, an chimæricum, ignoratur?), verum quoniam non desunt, qui realitatem corporei mundi denegant, et omnia quæcumque manifestissime videmur sentire, mera nostræ mentis ludibria esse arbitrantur, unde illud consequens foret, naturalem Philosophiam vanarum umbrarum illusionumque contemplatricem fore; operæ pretium ducimus, ut in ipso limine hujus scientiæ realitatem corporum vindicemus, non quia necesse sit id demostrare, sed ut magis omnibus pateat, quam sint absurda et insana idealistarum commenta.

§ II.—IDEALISMUS PROFLIGATUR.

Describitur idealismus.

5. Corporum repræsentationes perpetuo menti obversari certissimum est ex conscientiæ testimonio, ex quo genus humanum invincibili persuasione ratum semper habuit objecta in hisce repræsentationibus relucentia esse realia entia extra nos posita, atque adeo corpora reapse existere. Solum a communi hac existimatione discedunt Idealistæ, qui quamvis fateantur quidem corporum species ac repræsentationes animo nostro insidere, eas tamen putant vanas esse imagines puraque ludibria et velut ægri somnia, quibus nihil extra nos reale ac solidum respondeat, vel id saltem in dubium vocari posse. Unde a quibusdam Idealistæ in dogmaticos et scepticos distinguuntur, prout vel inficiantur, vel dubiam solum habent, realitatem atque existentiam corporum.

Idealistæ dogmatici et scepticí.

Est ergo Idealismus eorum systema, qui negant, aut certe dubitant, quidpiam existere præter spiritus, ideoque repræsentationes corporum, quas mente gerimus, vanas esse imagines, quibus nullum reale objectum respondeat, quasi vita hæc nostra foret instar perpetui cujusdam ludi scænici. Nomen inde habuit, ut patet, quod qui sic sentiunt, non admittant nisi *ideas*, seu repræsentationes, quæ sint pure subjectivæ affectiones animi. Quare idealismus aliud revera non est, nisi pars quædam scepticismi, videlicet scepticismus ad corporeum entium genus circumscriptus.

Idealistæ antiqui.

Semina quædam Idealismi reperiri dicuntur apud priscos Philosophos in schola eleatica, quam Xenophanes Colophonius in Elea seu Velia, Magnæ Græciæ urbe fundaverat,

celebremque reddidere Parmenides ac Zeno eleatensis et Melissus samius. Hi nempe cum unam tantum esse oportere realitatem, immutabilem atque æternam constituissent, negarunt ullam dari productionem entium aut multiplicitatem realem, ideoque patentem hanc sensibus corporum varietatem ac multitudinem in numero merarum illusionum collocarunt (1).

Verum latius manavit recentioribus temporibus idealismi commentum, postquam Collier (2), ac potissimum Georgius Berkeley (3), optimam se omnium ad revincendum materialismum ingressuros esse viam existimavere, si omnem materiæ realem existentiam de medio tollerent. Nihil proinde, ajebant, existit in rerum natura præter spiritus, nec animus noster, cum corpora corporeasque affectiones sentire atque experiri sibi blanditur, aliud revera intuetur præter inanes corporum imagines seu *ideas;* nihil quippe a nobis cognoscitur, nisi propriæ ideæ seu perceptiones (4). Idem postea commentum tradiderunt absurdiusque effecere Pantheistæ transcendentales Fichte, Schelling, Hegel et alii, qui non corporum solum, sed vel aliorum etiam spirituum realem existentiam adorti sunt, quid quid cognoscimus aut cognoscere videmur, aliud non esse decernentes, quam partum figmentumque subjecti cogitantis. De quo delirio alibi dicendi locus opportunior aderit. Idealismum quoque profitentur alii non pauci scriptores, qui Emmanuelem Kantium magistrum ac ducem secuti, tot incredibilia portenta litteris mandarunt, ut A. Schopenhauer (5), F. A. Lange et cæteri, æqui non

recentiores.

(1) Apud Tennemann (*Manuale della Stor. della Filos.* t. 1, paragr. 97 seqq.), P. Jos. Fernandez Cuevas (*Hist. Phil.* lib. 1, dissert. 2, c. 1, art. 1, sect. 3), Cardin. Gonzalez, (*Historia de la Filosofia*, tom. 1, n. 40), Balmes (*Histor. de la Filos.* n. IX, X, XI).

(2) Scripsit Opus, cui titulus *Clavis universalis, or A new inquiry after beeng a demonstration of the non existence or impossibility*, London 1713.

(3) *Treatise on the principles of the human Kyowledge*, London 1710: itemque: *Three dialogues between Hylas and Philonous*. London 1713.

(4) Vide Card. Gonzalez, (*Historia*... tom. 3, n. 75, 77), Tennemam (Oper. cit. t. 2, paragr. 347), Balmes (*Historia*, n. XLIX).

(5) Hic nempe est unus ex primipilis inter impios illos rationalistas, quorum nomina et absurda commenta, delirantium plane dignissima, in cœlum attollere misera hæc ætas nostra nititur.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria y Tellez

cessant conclamare, mundum universum esse repræsentationem *a me* confectam seu affectionem *meæ organizationis*, itemque H. Lotze, qui soli microcosmo, i. e. homini veram tribuit realitatem. Quibus se adjungunt multi *Physiologorum recentiorum*, qui ex iis, quæ in sensationibus inveniuntur nervorum vibrationibus et undulis sive ætheris sive aeris concludunt, mundum universum nihil esse nisi affectiones aurium, digitorum, oculorum, quas occasione illarum undularum ipse conficiam. Ita inter alios E. H. Weber, etc.» (1). Denique inter idealistas jure numeraveris Mallebranchium, non quod realitatem existentiamque corporum inficiatus sit, sed quod illam sola divina revelatione certo nobis compertam esse docuerit (2).

Prima origo Idealismi in doctrina Cartesii, Lockii et Kantii.

Quæ cum ita sint, vides duo esse idealistarum genera: alii sunt *vulgares*, qui solam negant corporum existentiam, alii *transcendentales*, qui nullius alterius rei existentiam admittunt præterquam subjecti cogitantis. Cæterum si horum portentorum semina causasque inter recentiores scriptores indagare placuerit, ea ex doctrinis Cartesii, et Lockii, Kantiique sponte profluere haud absurde credideris. Si enim semel ponatur «nos sensibus *non attingere nisi nostras modificationes*», quemadmodum arbitrati sunt Lockius Cartesiusque, eripitur omne firmum fundamentum ad tuendam corporei mundi realitatem: undenam enim corporum haurit animus noster notitiam, nisi ex sensibus? (3). Kantius vero transcendentalis idealismi prima jecit fundamenta, quemadmodum exponemus, cum sermo erit de pantheismo.

Age vero, quoniam corporum repræsentationes experimur omnes intra nos; quicumque negant illorum realem existentiam, idoneam aliquam rationem sufficientem illius phænomeni assignent, necesse est. Et alii quidem repræsentationum

(1) Pesch, *Philos. naturalis*, n. 503.

(2) Vide Mallebranchii opus *Recherche de la Vérité*, lib. 1, chap. 10: et tom. 4, Eclarcis. 6; ac tom. 3 *de la Méthode*, p. 2, ch. 6. Eamdem cum Mallebranchii doctrinam tenuisse Michaelem Fordella scribit Tennemann Op. cit., t. 2, paragr. 339.

(3) De logico nexu inter doctrinam Cartesii et Lockii et idealismum ac scepticismum videri potest Dugald-Stewart, *Philosophical Essays*, cum agit de Systematis Lockii, Berkeley, Priestley, etc.

illarum, perpetuo nobis obversatium, causam in ipsa animi nostri naturali conformatione ac necessitate reposuerunt: ita Fichte illiusque adstipulatores. Alii rationem sufficientem repræsentationum corporearum ipsius cogitantis voluntati adscribunt: quæ videtur esse sententia Schopenhaueri. Berkeleyus demum auctorem hujusmodi repræsentationum fecit Deum, quem easdem mentibus nostris jugiter infundere atque imprimere autumavit. Unde illa alia manavit idealistarum divisio in *subjectivos* et *objectivos*. Idealismus objectivus corporearum repræsentationum auctorem facit Deum, subjectivus vero proprium cogitantis animum. Sed jam ad incredibilis hujus erroris confutationem veniamus.

Idealistæ subjectivi et objectivi

6. PROPOSITIO. **Idealismus absurdus est summeque perniciosus.**

Prima pars. *Idealismus est absurdus.*

Prob. 1.° Ex veracitate facultatum cognoscitivarum. Ostendimus enim illas per se veraces esse. Atqui facultates cognoscitivæ perpetuo nobis corporum realem existentiam ita renuntiant, ut impossibile sit hujusmodi persuasionem ab animis abjicere. Ergo...

Prob. 2.° Idem constat etiam ex alibi demonstrata Scepticismi absurditate: non solum, quia Idealismus pars quædam est universalis scepticismi, sed etiam quia quicumque Idealismum amplectatur, si logice procedere velit, universalem scepticismum admittat, necesse est.

Prob. 3.° Nihil est sine ratione sufficienti. At si corpora revera non existant, nec ad ea terminentur objective nostræ repræsentationes, nulla harum idonea ratio sufficiens assignari potest. Ergo..

Et re quidem vera, nisi ponatur repræsentationes corporeas esse objectivas imagines corporum realiter existentium, quænam, quæso, ratio existit, cur adsint intra nos hujusmodi repræsentationes? Internane animi constitutio et natura? An voluntas nostra? An vero causa efficiens aliqua externa, nempe Deus? Sic enim idealistæ comminiscuntur pro diversa uniuscujusque sententia. Atqui nihil horum apte ac rationabiliter dicitur. Et primo quidem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

A) *Non interna animi conformatio.* Nam α) animus certe noster simplex est et spiritualis, ut concedunt ultro idealistæ; secus enim jam darent corpora. Quomodo ergo ex sua natura determinatur, ad hujusmodi repræsentationes extensarum et corporearum rerum habendas, cum interea nec alios spiritus, immo ne se quidem ipsum prout in seipsis sunt, percipere possit, sed solum per ordinem ac respectum ad ea objecta, quæ pura figmenta dicuntur? Item quomodo animus in se simplicissimus vividissime persentiscit, intime sibi copulatam esse extensionem cum diversis membris ac partibus, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, et quaquaversus dispositis? Præterea nonne repugnans ac prœpostere constituta omnino censenda est illa natura intellectiva, quæ ex insita essentiæ suæ necessitate adigitur ad res chimæricas animo jugiter repræsentandas?

Dices. Deus quoque simplex ac spiritualis est, et nihilominus nequit non ex vi essentiæ suæ corpora repræsentare, ut nos ipsi, et Theologi communiter, fatemur.—Respondeo, mentem divinam, ex Theologorum doctrina, ideo repræsentare ex necessitate suæ essentiæ corpora, quia hæc realia sunt, et realiter existunt, aut certe possunt existere. Quod si corpora non existerent, non posset divinus intellectus illa, prout existentia, idealiter exprimere, sicut nunc illa perpetuo mente gerit animus noster. Itaque vis allati a nobis argumenti non est in eo, quod ens spirituale nequeat objecta corporea repræsentare, sed in eo quod repugnet naturam spiritualem ac simplicem ex interna sua constitutione ad objecta plane alterius essentiæ et conditionis, quæ nullibi existunt, nec possunt existere, repræsentanda determinari.

β) Præterea, si animus esset adæquata ratio sufficiens corporearum repræsentationum, deberent corpora intra nos ipsos apparere, sicut apparent objecta ipsa, quæ mens sibi procudit, aut olim sensibus percepta denuo memoria repetit. Itemque tamdiu deberent animo præsentia esse, quamdiu eadem permanet animi natura, nimirum semper. Atqui tamen contrarium accidit, et corpora extra nos apparent, et quidem nonnisi certis quæque locis, temporibus ac reliquis adjunctis. Ergo...

γ) Atque hinc e contrario aliud occurrit argumentum. Cum enim animus, utpote spiritualis, immutabilis sit in sua physica entitate, eadem semper deberet corporea objecta repræsentare, siquidem ex sola essentiæ suæ conditione ad corporeas repræsentationes habendas fecundaretur. Undenam ergo existit infinita hæc, quam experimur, varietas et perpetua diversarum repræsentationum successio? Ergo ipsa animi nostri constitutio non est adæquata ratio corporearum repræsentationum.

B) *Sed neque etiam voluntas nostra.* Nam α) Id est prorsus contra experientiam cujusque, siquidem sentimus nos non illas excitare, sed potius recipere.

β) Si ex voluntate nostra dependerent hujusmodi repræsentationes, possemus habere quas volumus, et quotiescumque volumus, et quamdiu volumus, et quomodo volumus, et pariter non habere, quas nolumus. Atqui e converso sæpenumero non habemus repræsentationes, quas maxime volumus, nec quomodo aut quamdiu volumus; et habemus, proh dolor! quas habere nollemus, et nullatenus declinare licet. Ergo...

γ) Voluntas nostra facultas cæca est, nec potest imperare intellectui repræsentationes illarum rerum, quas prius non cognoverimus. Quomodo ergo saltem repræsentationes prima vice habitæ tribui voluntati queunt?

δ) Certum est dari quasdam repræsentationes, quarum causa est voluntas per suum imperium, nimirum illæ, quæ olim habitæ, iterum pro libitu renovantur. Si ergo prorsus omnium repræsentationum causa foret voluntas, omnes profacto essent illis similes, quas per memoriam habemus, imperante voluntate. Atqui incredibiliter differunt: primo «intensitate impressionis et evidentia repræsentationis. An non toto cœlo differunt ea solis apparitio, quam voco visionem, et ea, qua noctu de eodem sole cogito?» **Secundo** «differunt ratione successionis ac dependentiæ. Nam si certi cujusplam objecti visionem experiri volo, non raro necesse est, ut determinatarum series visionum certo ordine illam præcedat, v. g. cum volo visionem Vaticani. Phænomenon autem revocatum excitatur a me, quin hæc omnia præcedant.» **Tertio** «differunt variabilitate: revocata enim representationum

phantasmata possunt ad libitum immutari; at cum de phænomeno visionis agitur, mutationes istæ sunt impossibiles» (1).

ε) «Idipsum tandem phænomenorum mira varietas, pulchritudo, nexus demonstrant. Si enim animus hæc omnia de suo producit, ipse solus erit tanti ordinis ac pulchritudinis auctor. Habet ergo in se mirabilem quamdam vim tum inveniendi, tum disponendi conceptus, quam perpetuo exercet, et quod mirabilius est, labore nullo. Sed 1.° sensus intimus testatur nullam a nobis poni actionem ordinatricem, cum phænomena ordinatissima contemplamur. 2.° Si mens tam facile vim hanc inveniendi ordinandique exercet nullo labore, conatu nullo, immo inscia manens actionis suæ, qui fit ut, cum vere vult, cum serio conatur hanc facultatem exercere, et aliquos conceptus vel phantasmata ordinare aggreditur, difficillime id præstet, ac sæpissime sine successu? Plane similis esset poetæ, qui stans pede in uno poemata pulcherrima nihil tale cogitans dictaret; qui contra ex animo cupiens aliquid pangere carminum, vix pancos versiculos magno cum conatu extundere posset, et quidem tales, qui semper spontaneis illis carminibus longe inferiores essent» (2). Denique

ζ) *Influxus vel actio divina nequit esse adæquata ratio sufficiens corporearum repræsentationum.* Etenim repugnat, ut Deus, qui est ipsa veritas et bonitas, in errorem invincibilem inducat naturam rationalem, quæ ad veritatem facta est, et veritatis possessione maxime perficitur. Atqui, si Deus, corporibus non existentibus, illorum in nobis repræsentationes, quales nunc nobis exhibentur, excitaret, induceret nos in errorem, eumque invincibilem. Ergo...

Major supponitur modo ex Theologia, et ultro conceditur ab adversariis, quos in hac parte argumentationis impugnamus.

Minor ergo probatur. *Et primo quidem induceret nos in errorem, nimirum in falsam persuasionem de corporum existentia.* Nam in nostra hypothesi Deus ipse α) infunderet menti

(1) Tongiorgi, *Logic.* n. 472. Fuse hæc persequitur Jacobus Balmes, *Filos. fundam.*, lib. 2, cap. 3, 4 et 5.

(2) Tongiorg., *Logica* n. 474.

repræsentationes objectorum conflictorum, quasi forent prorsus realia. β) Exhiberet perpetuo tamquam affectionum multarum causas vel occasiones (neque enim de hoc nunc disputandum est cum occasionalistis) vanas quasdam imagines, quæ nullo modo nos afficiunt. γ) Et consequenter induceret nos ad quædam appetenda vel timenda, custodienda vel fugienda, quæ nuspiam existunt nec possunt existere: eaque illusione per totam vitam deciperemur. Quo quid crudelius Deoque indignius fingi potest?

Hujusmodi porro error invincibilis foret: α) quia persuasio de corporum existentia, ne ad instans quidem deponi potest: β) ac taliis existit, qua majorem ne ipsa quidem realitatis experientia posset gignere. Unde γ) illam experimur omnes ineluctabiliter, velut quamdam naturæ necessitatem, ne ipsis quidem exceptis Idealistis (1). Quid enim? annon corpora existere credunt, cum forte insequentem canem vel feram belluam fugiunt, cum parentes aut amicos vel absentes desiderant, vel mortuos lugent, vel post diuturnam absentiam tandem præsentes amplectuntur, cum cibos quærunt, cum medicum in adversa valetudine vocant?

Sed satis jam de prima parte propositionis.

Secunda pars. *Idealismus est summe perniciosus.* In primis enim stare nequit Fides ac Religio christiana cum Idealismo. Sane si corpora non existunt, Christus Dominus non existit, aut certe non habuit verum corpus, nec humanam suscepit naturam, quæ animo constat et corpore, nec pro nobis natus, passus, crucifixus ac mortuus est, nec resurrexit tertia die, nec nos pretioso sanguine suo lavit a peccatis: nec fundavit Ecclesiam, aut saltem hæc visibilis non est, nec habet sacramenta, quæ sunt signa sensibilia, nec sacram hierarchiam variis instructam ordinibus hominum: quæ omnia sunt totidem hæreses dudum ab Ecclesia proscriptæ.

Præterea sacræ litteræ passim meminere cœlum, terram, sidera, solem, lunam, stellas, homines, animalia, plantas, diversaque cæterorum corporum genera, luctam inter carnem et spiritum, carnis mortificationem, mortem corporum ac dissolutionem, resurrectionem, et generationem etc. Unde

(1) Cfr. de hoc argumento Tong. *Logic.* n. 477.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in libro Sapientiæ (1) tamquam vani reprehenduntur *omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex... A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter* (2) *poterit creator horum videri. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (3). Qua doctrina nihil frequentius occurrit in libris Ss. Patrum.

Denique, si corpora non existunt, delenda sunt ex Decalogo, aut certe minime curanda, varia præcepta naturalia, et nominatim quartum, quintum, sextum, ac septimum, quæ realitatem corporum necessario subaudiunt.

Qualis asserenda sit dependentia corporearum repræsentationum a veris corporibus.

Quæ cum ita sint, facile intelligitur, corporeas repræsentationes *saltem logice* dependere a reali corporum existentia; quia nimirum nisi hæc vere existere dicamus, nulla suppetit logica et rationabilis explicatio, cur dentur in nobis hujusmodi repræsentationes. Verum est, quod non logice solum, sed *physice* quoque, prædictæ repræsentationes dependent a reali corporum existentia, quandoquidem, ut alibi demonstrabimus, signi illæ non possent in nobis, nisi corpora ipsa in organa sensoria agerent, speciem sensibilem imprimendo. Ab hac tamen quæstione, quæ ad tuendam realitatem corporei mundi necessaria non est, abstinendum nunc nobis est, cum disputamus contra Idealistas, ne difficultates augeamus. Cum præsertim non desint Philosophi, qui licet cum sanis omnibus hominibus corporum realitatem agnoscant, negant tamen ad ea percipienda necessariam esse ullam speciem sensibilem.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

7. Objic. 1.° Corporeæ repræsentationes nequeunt nos certos reddere de reali corporum existentia. Primo quia hujusmodi repræsentationes sunt modificationes subjectivæ animi nostri. Atqui ex modificationibus subjectivis nequit haberi notitia eorum, quæ extra nos geruntur. Ergo...

(1) *Sap.* cap. 13, v. 1-5.

(2) Ἀναλόγως, id est per proportionem et collatis inter se rerum rationibus.

(3) S. Paul. *ad Romanos*, cap. 1, v. 20.

Deinde, quia inter hujusmodi repræsentationes et corpora, nulla esse potest relatio aut proportio, cum sint diversissimæ naturæ. Ergo...

Resp. *neg.* assert. Ad primam probationem *dist.* Major. Hujusmodi repræsentationes sunt modificationes animi pure subjectivæ, *neg.*; sunt modificationes etiam *objectivæ* et *intentionales*, seu manifestativæ objecti alicujus, quæ nimirum dum subjectum afficiunt instar cæterorum accidentium, eidem objecti alicujus notitiam ingerunt, *conc.*

Et *Contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Ad alteram probationem pariter *distinguo* ant. Non est relatio saltem logicæ dependentiæ, *neg.*; physicæ, *transeat*, cum de hoc non sit præsens quæstio, ut modo notabamus. Cæterum negatur prorsus inter res diversæ naturæ nullam prorsus posse intercedere relationem proportionemve. Secus quomodo creaturæ ad Deum essentialiter referrentur? Itaque ut alia omittam, inter res etiam diversissimi ordinis potest esse relatio saltem causæ et effectus.

Objic. 2.° Non cognoscimus quomodo corpora possint agere in nos: immo impossibile videtur corpora in spiritum agere.

Resp. 1.°, *transeat* utrumque, quia sufficit nobis nunc tueri repræsentationes corporeas (sive procedant ex actione ipsorum corporum, sive secus), logice nos compellere ad asserendam corporibus realem existentiam.

Resp. 2.° *Nego* primam partem assertí; alteram *distinguo;* in spiritum separatum, *transeat;* in spiritum materiæ substantialiter unitum, *neg.* Cum enim spiritus noster vera sit forma substantialis materiæ constituens humanum compositum, nihil mirum si actiones corporeæ, quæ humanum corpus afficiunt, animum quoque tangant. Verum de his alibi.

Objic. 3.° Si ex testimonio sensuum liceret colligere veram corporum existentiam, id potissimum dicendum foret de propio corpore. Atqui nequimus de proprio corpore certi esse. Nam accidit non raro, ut cui brachium amputatum est aut crus, dolorem persentiscat in eo membro, quod jam non habet. Itemque existere homines, qui existiment se cornua habere, aut esse gallos, etc. Ita Mallebranche.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor., et ad probation. *neg.* conseq.

Exempla vero allata nihil conficiunt, utpote quæ ex evidenti fallacia imaginationis petuntur; de quibus in Logica dictum est (1), ubi etiam aliæ dificultates, quæ urgeri pro Idealismo possent, videantur.

Objic. 4.° Deus certe potest, corporibus non existentibus, ipse in nobis illorum repræsentationes producere. Nam quod pluries fecit, potest semper facere. Jam vero pluries tum in veteri, tum in novo Testamento Deus in humana mente excitavit hujusmodi repræsentationes, ut patet ex aparitionibus Angelorum etc. Ergo..

Resp. *dist.* antec. Si error detegi possit, et falsa persuasio corrigi, *trans.*; secus, *neg.*

Ad probat. *trans.* Major, *dist.* Minor. Pluries id fecit in aliquibus casibus peculiaribus, ex fine digno, iisque in adjunctis, in quibus error vitari posset, *conc.*; aliter, *neg.*

Et *nego* conseq.

Adde quod apparitiones Angelorum, ex Aquinatis et communissima Theologorum doctrina, factæ fuerint per *assumptionem* verorum corporum, quæ oculis intuentium viderentur (2), non vero per meram illusionem vel præstigia sensuum. Dicunt enim corpus aliquod quantum, figuratum ac sensibile suscepisse angelos, utique absque ulla unione substantiali, per quod repræsentarentur, et intra cujus limites essent vere præsentes: quamquam de natura ac specie et formatione talium corporum assumptorum plures sint sententiæ, nec sit facile aliquid certi definire. Qua de re videri possunt Suarezius (3), Molina (4), Valentia (5), Vazquez (6), Toletus (7), aliique. Jam vero si in prædictis apparitionibus

(1) In objectionibus contra facultatum cognocitivarum veracitatem.

(2) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 51, art. 2; *de Potent.*, quæst. 6, art. 7.

(3) *De Angelis* lib. 4, cap. 13, seqq.

(4) In 1.^{am} part., quæst. 51, art. 2, disp. 1, 2.

(5) In 1.^{am} part., disp. 4, quæst. 2, punct. 2.

(6) In 1.^{am} part., disp. 184.

(7) In 1.^{am} part., quæst. 51, art. 2.

verum corpus oculis ac sensibus spectandum est objectum, concidit omnino proposita difficultas.

Instabis. Atqui non repugnat Deum inducere in errorem invincibilem; et etiam, si repugnaret, error in casu præsenti circa corporum existentiam, non foret invincibilis. Probatur primum; quia etiam delirantes ac sommiantes habent sensibiles repræsentationes maxime evidentes, quarum objecta invincibili persuasione putant existere, cum tamen non existant. Quidni ergo Deus poterit simili modo inducere falsas persuasiones?

Alterum autem probatur, quia ratio suadet solum Deum esse auctorem corporearum repræsentationum in nobis. Siquidem recta ratio docet, Deum non facere per plura, quod fieri potest per pauciora. Sed potest Deus per se ipse sensiles repræsentationes gignere, quin ad hoc corpora creaverit. Ergo...

Resp. *neg.* instantiam quoad utramque partem.

Ad probationem primæ partis, *neg.* conseq. Nam præterquam quod indignum est ex tali hominum statu argumentum petere, disparitas duplex est: prima, quod deceptionem illam delirantium ac somniantium Deus ipse directe non quærat neque efficiat, sed tantum permittat sinendo causas naturales agere secundum ordinarium cursum in perturbatione phantasmatum atque imaginationis. In casu vero nostro Deus ipse per se ac directe esset auctor deceptionis, immittendo falsas repræsentationes. Altera est disparitas in eo, quod error delirantium et somniantium est invincibilis tantummodo per accidens; quia videlicet nequeunt in suum statum sufficienter reflectere. Si enim reflectere possent, intelligerent profecto se phantasmatum ludibrium esse.

Ad probationem secundæ partis, *neg.* assertum, et probationis Majorem *dist.* Si nullum habeat finem adhibendi plura, *conc.*; secus *neg.*

Minorem pariter *distinguo*: in aliis adjunctis, *trans.*: in iis adjunctis, cum error detegi nullo modo potest, prout jam fusius in demonstratione propositionis expositum est, *neg.* Id enim aperte foret contra divinam bonitatem veracitatemque.

Objic. 5.° Perperam recurritur ad veracitatem Dei, ut idealismus profligetur. Ergo saltem hujusmodi argumentum a nobis allatum nihil valet. Probatur antecedens, quia cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

existentia Dei ex existentia mundi colligatur in Theologia, si nunc ipsam corporum existentiam ex Deo divinisque attributis evincere volumus, in circulum vitiosum incidimus.

Resp. *neg.* assertum, ejusque probationem. Primo quia sufficit existentia nostri spiritus ad probandam existentiam divinam, quin recurratur præcise ad corporum existentiam. Ac deinde, quia argumentatio facta a nobis est contra eos, qui admittunt aliunde certo notam existentiam Dei. Nisi enim Berkeleyus pro certo supposuisset Deum existere; quomodo potuisset ad illius actionem confugere, ut corporearum repræsentationum sufficientem rationem afferret? (1).

Objic. 6.° Timeri potest adhuc, ne forte genius aliquis malignus nos decipiat, vanas rerum corporearum in nobis excitando.

Resp. *neg.* prorsus. Ad providentiam enim divinam spectat fallacias hujusmodi, quibus misere deciperetur humanum genus, impedire.

(1). Vide de his Tongiorgium, *Log.* n. 482 seq.; et recole quæ de veracitate sensuum in *Logica* disputata sunt.

COSMOLOGIA

SEU

PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ NATURALIS

LIB. I.^us

Mundus hic adspectabilis ingens quiddam totum est, compagem et congeriem exhibens plurium corporum ac naturarum, quæ cœlestibus spatiis continentur: in quo proinde et materia ipsa, ex qua ista rerum universitas existit, et compositio et ordinatio, unitatem quamdam mundo tribuens, considerari potest. Materia sunt corpora, quorum essentia et proprietates in altero libro accuratissime tractandæ sunt; in hoc autem libro cæteræ quæstiones agitandæ veniunt, quæ universitatem ipsam rerum ex variis corporibus conflatam respiciunt. Hic ergo primum mundi hujus lineamenta et characteres describere necesse est, ac mox originem causamque efficientem et finalem, et legum, quibus regitur, indolem et conditionem distinctis disputationibus singillatim investigare.

DISPUTATIO PRIMA

DE CHARACTERIBUS MUNDI.

Duo hic præcipue tractanda occurrunt, primo notæ ipsæ mundi essentiales et attributa stabilientur, deinde perfectio ejusdem vindicabitur contra impiorum hominum impetus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT I.

ATTRIBUTA ET ESSENTIALES MUNDI NOTÆ.

ARTICULUS I.

Utrum mundus sit ens unum, simplex, mutabile, finitum, contingens et ab alio.

Monismi variæ formæ.

8. Quamvis incredibile videatur fuisse homines, qui unicum ens agnoscerent in toto mundo, nihilominus ita sensisse feruntur inter veteres Xenophanes (1), Parmenides (2), et Melissus (3), aliique. Horum antiquatas merces novis fucatas coloribus tamquam ultimum scientiæ pronuntiatum proposuerunt recentiores *Monismi* atque *identitatis universalis* defensores, qui non esse contendunt ullam veram ac realem entium distinctionem in mundo, sed omnia esse unum simpliciter ens unamque substantiam; multiplicitatem autem, quam videre videmur, vel esse prorsus apparentem ac phænomenicam, vel, ut aliis placet, sitam in meris accidentibus unius illius substantiæ. Quare Monismus triplicem formam induere potest, *Pantheismi*, *Pampsychismi* seu *Panthelismi* vel *Idealismi*, et *Panhylismi*; prout statuat omnia esse Deum, vel multitudinem entium ad meras subjecti cogitantis imaginarias illusiones revocet, vel denique contendat omnia esse unicam materiam aut organismum, qui sese multifariam evolvat.

Nos vero, qui Idealismum nuper profligavimus, et Panthcismi mox, suoque in loco Materialismi confutationem

(1) Vide Ciceron. lib. 4 *Academ.* parag. XXXVII. n. 118; Euseb. lib. 14 *Præpar. Evang.* c. 14.

(2) Apud Laertium, lib. 9.

(3) Apud Arist. lib. 1 *Physicor.*, cap. 2; et *Metaphysicor.*, lib. 1, c. 5; S. Thom. 1.^a *Physicor.*, lect. 2, et *Metaphysicor.*, lib. 1, lect. 9. Vide P. Joseph. Fernandez Cuevas, *Histor. Philos.*, lib. 1, dissert. 2, c. 1, art. 1, sect. 3.

aggrediemur, breviter nunc Monismum generatim inspectum excludemus ostendendo in prima propositione mundum non esse ens simpliciter unum, deinceps alios mundi characteres in reliquis propositionibus exponemus.

9. PROPOSITIO 1.^a **Mundus non est ens simpliciter unum, sed multiplex; est tamen unum secundum quid.**

Mundus non est ens simpliciter unum.

Prima pars non multis eget, ut demonstretur: sufficit enim experientiam consulere. Profecto mundum esse ens multiplex, sive secundum genera et species, sive secundum individua, non minus evidenter renuntiant sensus, quam ipsam corporum realitatem, in præcedenti articulo vindicatam.

Et primo quidem multa profecto distinctaque dicenda sunt illa, quæ invicem separantur loco ac tempore, quorum alia ab aliis efficiuntur; quæ distinctum atque independentem habent ortum, evolutionem, interitum; quæ demum contradictoria simul suscipiunt realiter prædicata. Atqui innumera sunt in mundo hujusmodi entia, ut constat ex sensuum testimonio. Ergo... Alia nempe videmus viventia, alia non viventia; alia rationalia, alia irrationalia; alia magna, alia parva; alia quadrata, alia rotunda; alia sana, alia ægra, etc.

Accedat experientiæ internæ testimonium. Conscientia nimirum quemque docet se esse suppositum ab omnibus aliis prorsus distinctum: Conscientia detegit intra nos innumeras affectiones, quarum extra constituendus est vel terminus, vel causa in entibus prorsus a nobis distinctis: tales sunt sensationes doloris ex accepto vulnere, frigoris et caloris ex vicinitate certorum corporum, affectus amoris, odii, grati animi, reverentiæ, iræ, æmulationis etc. Denique conscientia testatur esse alios nobis similes, quibuscum colloquimur, qui sciunt, ac docent nos, quæ ignoramus, vel qui ignorant, quæ nos scimus etc. (1). Et idem etiam docet communis sententia generis humani, si Monistas excipias; immo ipsi etiam Monistæ factis ostendunt, se minime credere unitatem, quam scriptis prædicant. Confirmatur denique ex

(1) Balmes, *Filos. Fundam.*, lib. 9, cap. 16-17; *Filos. Elemental., Theologia*, c. 10, sect. 3, 4, 5.^a; Tong., *Theol.* n. 101-102.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

variis conceptibus, *numeri, ordinis, relationis, causæ* et *effectus* etc. (1).

Et hæc sola sufficiunt ad evertendum Monismum.

Verum non est minus evidens mundanorum corporum generica et specifica diversitas, si paululum attendatur varietas triplicis regni mineralium, vegetalium et animalium. Enimvero quis neget, modo non ignoret, aut voluntarie pervertat vocum significationem, hominem specie differre a cane et leone, genere a planta, lapide, metallis etc.? Tanta enim in his elucet operationum proprietatumque diversitas, ut cæcus sit vel amens, qui solam in eis distinctionem individualem agnoscat.

Et hæc fusius explicare, obscurare est.

In altera parte propositionis dicitur *mundum esse ens unum secundum quid*.

ad secundum quid.

Ut enim taceamus de unitate causæ efficientis et finis, ad quem omnia ordinantur; est mundus in primis ens unum: α) *unitate aggregationis et continuationis*, quia, ut docent Physici, tum aere, tum subtilissimo æthere mundana spatia replentur, eoque medio siderei globi, utcumque dissiti, possunt cum terra communicare, lucisque radios ad eamdem immittere. Deinde: β) *unitate logica* similitudinis, per quam multa conveniunt specie, plura genere, ac potissimum in genere supremo substantiæ, et omnia prorsus in ratione communissima entis. Tertio: γ) *unitate mutuæ causalitatis:* agunt enim invicem mundana corpora, ut cernere est passim in terrenis corporibus; in cœlestibus autem «luminosa centra planetis lucem et calorem affundunt, eosque in suis orbitis continent, varia siderea systemata se mutuo attrahunt» (2). Quarto: δ) *unitate compositionis et ordinis* præstantissimi, secundum quam omnia modo supra captum humanum mirabili conferunt ad cursum naturæ perpetuo, constanter atque immutabiliter exsequendum, quemadmodum fusius mox exponetur. Unde mundus universus rite comparatur immensæ machinæ innumeris partibus ita affabre instructæ, ut motus suos expeditissime atque ordinatissime peragat.

(1) Cfr. Balmes, ibid.

(2) Tong, *Cosmol.* n. 245. 3.°

10. PROPOSITIO 2.a **Mundus est ens compositum.**

Mundus est ens compositum.

1.° Quia est compages plurium rerum.

2.° Quia constat corporibus, quæ composita sunt: α) ex partibus tum integrantibus, ut patet experientia, tum essentialibus, ut inferius ostendetur: β) ex substantia et accidente: γ) ex esse et essentia: δ) ex ratione naturæ ac subsistentiæ: ε) ex genere ac differentia, ratione specifica et notis individuantibus. E quibus compositionibus aliæ sunt rationis dumtaxat, aliæ reales, quemadmodum alias dictum est.

11. PROPOSITIO 3.a **Mundus est ens mutabile.**

mutabile.

Etenim corpora omnia mundana perpetuis subjacent motibus ac mutationibus, sive quoad locum, sive quoad molem et varia accidentia, sive quoad ortum atque interitum, sive quoad physicam essentiam et proprietates. Respice regnum animale et vegetale cum suis generationibus et corruptionibus; respice regnum minerale cum suis transformationibus; respice motus astrorum, operaque naturæ, artis et humanæ industriæ.

12. PROPOSITIO 4.a **Mundus est ens finitum in suis perfectionibus.**

finitum in suis perfectionibus.

Nota in antecessum propositionem ideo limitari ad essentiam et perfectiones, quia mox specialis quæstio instituenda est de magnitudine atque extensione mundi.

Probatur 1.° Mundus est essentialiter corporum collectio. Atqui neque corpus ullum, neque quævis corporum collectio, quoad suam essentiam et perfectiones infinita esse potest. Nam corpus essentialiter excludit a sua entitate perfectiones spirituum proprias, easque nequit in se habere sive formaliter, sive eminenter, sive virtualiter. *Non formaliter*, quia secus non foret corpus, sed spiritus, vel spiritus simul et corpus; quod est contradictio in terminis. *Non eminenter*, quia corpora cedunt in excellentia spiritibus: *non denique virtualiter*, quatenus nempe virtutem habeat spiritum producendi, quia nulla causa virtute gaudet effectus se præstantiores gignendi. Quare corpus omne perfectionibus spirituum propriis careat, necesse est, ac proinde nequit esse infinitum.

Atque idem dic de quavis corporum collectione. Quæcumque enim corporum collectio semper corporea erit, cum mera collectio nequeat mutare naturam rerum ipsarum collectarum. Si ergo perfectiones spirituum alterius prorsus sunt ordinis, quæ nullo modo in corpore contineantur; impossibile est illas ex mera collectione corporum emergere. Quemadmodum nulla canum collectio dabit leonem, nec ulla leonum congeries efficiet hominem.

Prob. 2.° Præterea experientia cuivis compertum est, omnia, quæ nos undique circumstant, corpora valde limitatis prædita esse perfectionibus. Nam mineralia carent perfectione viventium; plantæ, animalium; animalia, hominis. Hominem vero non esse undequaque perfectum, sed miserum et innumeris expositum ærumnis, innumeris egentem rebus, sive ad cibum et potum, sive ad vestitum, sive ad sanitatem, doctrinam, recreationem animi, verbo ad vitam alendam et conservandam pertinentibus, quis est, quin videat?

Et hæc quidem de essentiali perfectione. De viribus autem ac proprietatibus, utpote quæ ad essentiæ mensuram accommodantur, patet idem esse dicendum.

13. PROPOSITIO 5.ª **Mundus est ens contingens.**

contingens.

Prob. 1.° Non datur medium inter ens necessarium et contingens. Atqui mundus non est ens necessarium. Ergo contingens. Non est necessarium, quia secus foret immutabile et infinitum: hæc enim connexa inter se esse, alibi probatur.

Prob. 2.° Inductione et experientia, quæ docet innumera corpora sic esse, ut possint non esse, nam et a non *esse* transeunt ad *esse*, ac vicissim ab *esse* ad non *esse*. Quod si id non cernimus in omnibus corporibus, satis nobis est, ut id observemus in præstantissimis entibus totius aspectabilis naturæ, qualia sunt corpora animata. Nam si animata corpora non attingunt summam illam perfectionem, quæ est necessitas in existendo, multo minus eam assequentur alia corpora inferioris conditionis.

Dices. Quando corpus aliquod transit ab *esse* ad non *esse* per corruptionem, semper aliquid remanet, itemque cum

corpus de novo generatur, materia est necessario præsupponenda. Ergo saltem materia corporum dici poterit necessaria in existendo.—**Respondeo**, materiam evidenter esse minoris perfectionis, quam corpora ex illa producta. Si ergo hæc non sunt necessaria in existendo, nec pariter illa necessaria erit. Sed de materia mundi inferius agendum est.

14. PROP. 6.ª **Mundus est ens ac alio et per participationem.**

ab alio, et per participationem.

Id sequitur tamquam corollarium ex præcedentibus assertionibus. Nam

1.° Ens contingens cum possit esse et non esse, non est ex se determinatum ad existendum. Quod autem ex se non est ad existendum determinatum, ab alio determinari debet, atque ab alio *esse* suum participare. Est ergo mundus ens per participationem et ab alio.

2.° Præterea non est medium inter ens a se et ens ab alio. Mundus autem non est ens a se, quia secus foret necessarium, infinitum et immutabile. Ergo est ens ab alio et per participationem.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

15. **Objic. 1.ª** Repugnat omnis entium multiplicitas, sed ens necessario est unum, ac proinde mundus est simpliciter unum. Et re quidem vera, quod est factum, principium habet. Ergo quod non est factum, principium non habet, ac proinde nec finem; ideoque ens necessario est infinitum et consequenter unum: quia si esset multa, jam esset aliquid extra infinitum.

Quod autem ens nequeat esse factum probatur. Quia si ens fieret, vel fieret ex ente, vel ex non ente. At ens nequit fieri ex ente, secus enim esset jam ens, antequam fieret: multo minus ex non ente, quia non ens est nihil, ex nihilo autem nihil fieri potest. Ea rationem Melissi pro Monismo (1).

(1) Apud Arist., lib. 1.° *Physicor.*, text. comm. 22, cap. 3. Cfr. S. Thom. ibid., lect. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Resp. *neg.* assertum.

Ad probationem, *neg.* primum consequens; 1.° quia vitiose colligitur, cum in bona consequentia nequeat argui a negatione vel destructione antecedentis ad destructionem consequentis. Sic perperam hoc modo colligeres: *Quod est animal, est vivens, vel corpus, vel substantia. Ergo quod non est animal non est vivens, aut non est corpus, neque est substantia.* 2.° Præterea constat falso inferri consequens illud ex antecedenti, ut manifestum est in divinis, nam Verbum, itemque Spiritus S., non est factum, et nihilominus principium habet.

Distinguo. Minor. subsumpt. Ens a se non est factum, *conc.*; ens quod non sit a se, *neg.* Et similiter *dist.* conseqens ex illa subsumpta deductum; ens a se, *trans.*; ens quod tale non sit, *neg.*

Ultimum autem quod infertur, ens nempe infinitum debere esse unum, *dist.*; debet esse unum in suo ordine, ita ut non sint plura entia quoad essentiam infinita, *conc.*: debet esse unicum in rerum natura, ita ut præter ipsum nequeani essé alia finita et ab eodem producta, *neg.*

Ad probationem autem Minoris subsumptæ, *conc.* Major. et *transm.* primum Minoris membrum, alterum, *neg.*, et *distinguo* rationem subjunctam. Nihil fit ex nihilo causæ efficientis, *conc.*; ex nihilo causæ materialis, *neg.* vel *subdist.*; per virtutem finitam, *conc.*; per virtutem infinitam, *neg.*

Verum hæc clariora fient ex dicendis inferius (1).

Objic. 2.° «Quidquid est præter ens, est non ens. Sed quod est non ens, est nihil. Ergo quidquid est præter ens est nihil. Sed ens est unum. Ergo quidquid est præter unum, est nihil. Ergo est tantum unum ens.» Hæc est ratio Parmenidis (2).

Resp. *dist.* Minor. subsumpt. Ens est unum analogice, *conc.*; est unum, genere, vel specie, vel numero, *neg.*

Argumentum ergo Parmenidis nutat ex duplici capite, primo quia supponit ens dici uno tantum modo, seu esse univocum, cum tamen sit analogum, et alio modo dicatur

(1) Vide S. Thom., lib. 1.° *Physicor.*, lect. 5.

(2) Apud S. Thom., lib. 1.° *Physicor.*, lect. 6, initio ex Arist. lib. 1.° *Metaph.* Cfr. S. Thom., lib. 1.° *Metaph.*, lect. 9.

de substantia et alio modo de accidente. Unde præter ens eo modo, quo substantia dicitur ens, potest dari ens, quod sit accidens, et non pure nihil. Præterea peccat argumentum, quia non recte concludit. Quod ut pateat, fiat simile argumentum in alia materia. Supponamus quæcumque in mundo sunt esse *alba*, et *album* dici univoce, non æquivoce. Tum si quis ita argueret. *Omne quod est præter album, est non album. Sed non album est nihil. Ergo omne quod est præter album, est nihil. Sed album est unum. Ergo omne quod est præter unum est nihil. Ergo datur unum tantum album;* male profecto colligeret. Quia cum dicitur: *Album est unum*, sensus est unumquodque alborum esse unum seu indivisum in se. Cum hoc tamen bene stat, posse esse plura individua subjecta alba, quorum singula sint unum in se (1).

Objic. 3.° In superioribus argumentis fit sæpe transitus a partibus ad totum. Id vero sophisma est. Nam optime fieri potest, prædicatum convenire partibus, quin conveniat toti. Sic ex. gr. pondus ingens ab uno homine attolli nequit; non ita, si plures homines conveniant. Quidni igitur de mundo idem dicatur, ejus partes esse mutabiles et finitas, et contingentes, ipsum tamen esse immutabilem et infinitum et necessarium? (2).

Resp. *neg.* Minor., et probation. *disting.* Id fieri potest, quando agitur de prædicato accidentali, aut cujus oppositum inchoative saltem convenit partibus, *conc.*: quando agitur de prædicato essentiali, aut cujus oppositum nullo modo convenit partibus, sed cum illis pugnat, *neg.* Et *neg. conseq.*

Vidistine unquam ex pluribus lapidibus collectis in unum fieri acervum auri, aut ex pluribus asinis resultare animal rationale? Cur hoc? Non ob aliud profecto, nisi quia collectio non mutat naturam rerum collectarum, res vero collectæ in adductis exemplis pugnant prorsus cum natura auri et animalis rationalis. Atqui non minus pugnat contingens cum necessario, aut finitum cum infinito, mutabile cum immutabili. Ergo impossibile est ex pluribus contingentibus existere

(1) Vide Arist. et S. Thom. 1.° *Physicor.*, lect. 6. Cfr. Bened. Pereira, *de Commun. rer. omn. principiis*, lib. 4, cap. 11 seq.; el. Pesch., *Philos. natur.*, lib. 1, disp. 4, sect. 2, n. 267 seqq.

(2) Apud el. P. Liberatore, *Cosmol.*, n. 20.

quidpiam necessarium, aut ex finitis infinitum, aut ex mutabilibus immutabile.

Objic. 4.^o «Infinitum dicitur id, extra quod nihil est. Atqui extra mundum nihil est, saltem realitatis corporeæ. Ergo quoad hunc saltem respectum, mundus dicit debet infinitus» (1).

Resp. *neg.* Major. Ille enim non est conceptus *infinili*, sed *totius*, ut jam notavimus in *Ontologia* (2).

ARTICULUS II.

De magnitudine mundi.

16. Quod Seleucus apud antiquos (3) censuerat circa mundanæ nobis magnitudinem, id Cartesio quoque et Cartesianis solet adscribi, videlicet mundi extensionem esse infinitam. Eademque videtur fuisse Leibnitzii sententia (4) et Mallebranchii (5). Adversus quos sit hæc

PROPOSITIO. **Ingens quidem est ac supra humanum captum posita extensionis mundanæ magnitudo, finita tamen dicenda est, quamquam nequeant a nobis limites ejus assignari.**

Ingens est mundanæ extensionis magnitudo

Prima pars per se patet, multoque melius percipietur, si molem ac mensuras quorumdam cœlestium corporum ex Astronomorum libris mutuemur. Globus hic terræ, qui

(1) Apud Liberatore ibid.

(2) Num. 101.

(3) Plutarc., *de Placit. Philos.*, lib. 2, c. 1.

(4) «*Absolument parlant, il paroit que Dieu peut faire l' Univers materiel fini en extension; mais le contraire paroit plus conforme à la sagesse.*» Leibnitz Op. t. 2, 1 p., p. 148.

(5) «*Nous disons donc hardiment que tout ce qu' il y a dans la nature, matiere, esprit, nombre, durée, est actuellement et positivement infini.*» Mallebranche, *Traite de l' infini créé*, pag. 51.—«*Les hommes de cette terre ne pouvant profiter que d' un espace fort borné de l' univers, il faut nécessairement qu' il y ait d' autres creatures intelligentes, qui profitent du reste: or le reste étant infini, il doit y avoir une infinité de terres parsemées dans l' univers, et dans chacune des hommes qui profitent de l' espace où il se rencontrent. Nous ne disons pas que le nombre des planètes est indefini, mais qu' il est infini.* Mallebranche, ib. p. 93.

figuram gerit ellipticam, radium medium habet sex mille ac tercentorum chilometrorum, peripheria vero ejus, versus polos ducta, quadraginta chilometrorum millia metitur; unde tota superficies 510 milliones chilometrorum quadratorum, et volumen 812 milliones chilometrorum cubicorum numerat. Atqui vix nuce grandiorem totam istam molem dixeris, si mundanæ extensionis amplitudini comparaveris. Enimvero respice, sis, spatia cœlestia, respice chorum innumerorum velut in immenso oceano fluitantium siderum. Sol distat a terra triginta et octo milliones (38.000.000) leucarum, et habet diametron centies ac duodecies diametro terræ majorem, moles autem decies centenis millibus et quadringentis mille vicibus (1.400.000) molem terræ superat. Amplissima sunt etiam quorumdam planetarum volumina. Diametros Neptuni et Urani quater, et Saturni novies, Jovis autem undecies major est terræ diametro: volumen Urani 75, Neptuni 85, Saturni vero 864, Jovis denique 1.390 vicibus terræ volumen exæquat, Porro distat Jupiter a sole quinquies plus, quam terra, novies Saturnus, decies ac novies Uranus, et Neptunus trigesies.

Quid vero dicam de stellis, quæ censentur esse totidem soles, qui, velut hic noster, suo fortasse stipantur satellitio planetarum? Sidus nomine Centaurus, quod omnium vicinissimum est terræ, sex trilliones leucarum abesse computatur, et lux ejus quatuor annorum spatio indiget, ut ad nos perveniat, cum tamen lux quatuor millionum et quingentarum (4.500.000) mille leucarum iter uno minuto vel sexagesima horæ parte conficiat. Sunt autem stellæ forte millies adhuc longinquiores. Sirius, ut unam tantum nominem, tam procul a nobis positus est, ut sol hic noster, si æque distaret, vix sensibilem præ se ferret diametron, lumenque emitteret longe minus splendens, quam sit lumen Sirii.

Jam si tam immania corpora tam parva nobis apparent, tantumque inter se interpositum spatium habeant, ut aliis propemodum infinitis continendis capax videatur; cogita, si potes, quanta sit amplitudo mundanæ molis, quanta immensitas longitudinis, latitudinis, altitudinis.

Secunda pars. Nihilominus tota hæc magnitudo, utcumque humanum captum superet, finita dicenda est, si quid

finita tamen dicenda est;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

valeant argumenta, quibus repugnantia infinitæ magnitudinis probari solet, et probabitur a nobis inferius (1). Neque vero dici potest indefinitam esse mundi magnitudinem. Nam ut scite observat Jacobus Balmes (2), extensio et moles, quæ actu in se tota existit, utcumque a nobis illius limites assignari nequeant, re tamen vera vel habet illos, vel non habet. At si limites habet, finita est; si vero non habet, infinita dicenda est, non vero indefinita.

Dices forte cum Cartesianis. Nulli possunt assignari mundo limites, ultra quos extensionem trine mensurabilem mens adhuc non concipiat. Atqui extensio corpus est, ac proinde aliquid ad mundum pertinens. Ergo quicumque mundo fines præfiniantur, ultra eos semper mundus protenditur: quare nulli sunt mundi limites (3).—**Verum respondeo**, *dist.* Major.: extensionem possibilem, *conc.*; actualem, *neg.*

Tum *neg.* Minor. et conseq. Certum enim est extensionem a corporea substantia distingui, quemadmodum suo loco ostendemus; extensio vero nulla realis est, ubi non est corpus. Extra mundana ergo corpora, nulla est amplius realis extensio. Quod vero possibilem extensionem concipere possimus adhuc ultra mundum, potius probat præsentem hanc mundi molem finitam esse. Quis enim possit concipere molem infinita majorem? Qui ergo ad probandam infinitatem mundanæ extensionis, vacua spatia obtrudunt ultra cœlestia corpora sine ullo limite sese protendentia, manifeste produnt se non recte sentire de spatii extensionisque natura.

Quicumque sequentia cœlos esse assignari jubet.

Tertia denique pars probatione non eget. Magnitudo enim mundi neque a priori determinari a nobis potest, neque a posteriori, cum nulla saltem hactenus suppetant media ad lustrandos mensurandosque tam latissimos fines.

(1) Non «defuerunt aliquot rerum naturalium periti (Herschel, Olbers, Mädler, Zöllner) qui hoc ipsum rationibus astronomicis vel opticis confirmare sunt conati.» Pesch. *Philos. natur.* lib. 3, disp. 1, n. 508. Adde P. Ignatium Charbonelle, *Les Confins de la Science et de la Philosophie*, paragr. V, pag. 172. Videri etiam potest S. Thom., 1. p., q. 7, a. 3; lib. 1.º *de Cœlo et Mundo*, lect. 9 seqq., cum Aristot., ibid.

(2) Balmes, *Filos. fundam.*, lib. 8, c. 13, n. 88.

(3) Ap. Tong., *Cosmol.*, n. 254.

Quid de figura mundi.

17. SCHOLION. Si jam quæras de figura mundi, in primis supponendum est mundum aliqua figura præditum esse; cum enim non sit extensione infinitus, magnitudinem terminatam, atque adeo figuram, habeat, necesse est. Quænam autem sit figura mundi, non convenit apud antiquos, nam *alii forma sphærica esse mundum dixerunt, alii varia et diversa* (1), et «quidam... cœlum in ovi figuram conformabant, alii testudini, alii pineæ nucis similem credebant: non defuere etiam, qui ei quamlibet figuram commode aptari posse contenderent», ut scribunt Conimbricenses (2). Has omnes non solum Philosophorum, sed Patrum quoque Ecclesiæ, sententias, singillatim relatas et expensas videre, si lubet, potes apud eosdem Conimbricenses, Petavium (3) et Salvatorem Roselli (4). Satis tamen communis videtur fuisse veterum sententia dicentium cum Aristotele (5) et S. Thoma (6) globosam esse figuram mundi (7). Rationes autem ad id probandum fere petebant vel ex cœli aspectu, vel ex natura et perfectione circularis figuræ. Inter recentiores aliquam ex figuris geometricis perfectis, formam nimirum getentibus vel sphæræ, vel sphæroidis, vel cylindri, vel cubi, vel coni, vel pyramidis, mundo asserendam esse probare a priori conatur Jacobus Balmes (8), illo innixus argumento, quod vacuum repugnet, nec ulla possit esse distantia inter res vacuo separatas. Hoc tamen argumentum præclari scriptoris in sequenti articulo nobis confutandum erit.

Dicendum ergo videtur, de figura mundi nihil certo definiri posse. Et ratio est, quia in primis cum terminos mundanæ machinæ nullus mortalium experiri potuerit, nec phænomena, quæ sensibus obversantur, ullam determinatam

(1) Theodoretus, *de curand. græc. affection.*, serm. 4.

(2) Conimbr., *de Cœlo et Mund.*, lib. 2, c. 4, q. unic., ar. 1.

(3) *De Opere sex dierum*, lib. 1, cap. 12.

(4) *Summ. Philos.*, tom. 3, q. 4, art. 2.

(5) *De Cœl. et Mund.*, lib. 2, c. 4.

(6) Ibid. lect. 5.

(7) Vide Conimbr. (loc. cit.), Rubium (*de Cœl. et Mund.*, lib. c. 5, q. 1), De Benedictis (tom. 3, lib. 5 *Physicor.*, q. 2, c. 3), Clavius (*de Sphæra*, c. 1), Sylvest. Mauri (*Quæstion. philos.*, lib. 3, q. 2 ad 5), Anton Mayr (*Philos. peripat.*, pars 3, n. 7) et alios.

(8) *Filos. fundam.*, lib. 3, c. 13, n. 87.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

figuram postulent, id certe a posteriori cognosci non potest. Sed neque a priori, quia rationes ex natura et perfectione mundi afferri solitæ, rem plane non evincunt. Verum hæc ad Astronomos spectant.

ARTICULUS III.

An unicus vel multiplex sit mundus.

Utrum de facto plures sint mundi.

Variæ sententiæ.

18. Quod attinet ad unitatem vel multiplicitatem mundi, duplex occurrit quæstio, altera de facto, altera de possibilitate. Et circa primum, plures, immo etiam infinitos, posuere mundos inter veteres Metrodorus (1), Xenophanes, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarchus, Diogenes Leucippus, Epicurus et Anaxarchus (2), quem, uti narrat Plutarchus (3), «cum Alexander Macedo de mundorum infinitate disserentem audivisset, illacrymasse fertur, rogantibusque amicis, num aliquid ei dignum lacrymis accidisset; an indignum est, inquit, nos flere, si cum infiniti mundi esse perhibeantur, nondum unius domini sumus?» Plures mundos etiam invexere Manichæi et Origenes (4). At vero Thales, Pythagoras, Parmenides, Anaxagoras, Melissus, Zeno Stoicorum Princeps, Plato et Aristoteles (5), aliique unum tantum esse mundum dixerunt; quorum postea sententia communiter percrebuit inter PP. Ecclesiæ ac Philosophos christianos.

An plures esse possint mundi.

Quod vero spectat ad possibilitatem, negasse censetur a pluribus Aristoteles possibiles esse multos mundos (6); e recentioribus autem idem docuit Cartesius (7) aliique.

(1) Metrodorus dixit «absurdum esse spicam unam in prædio magno, unumque mundum in infinito spatio productum esse.» Plutarch. *de Placit. Philosph.*, lib. 1, c. 5.

(2) Ex Augustino, Ambrosio, Theodoreto, Cicerone aliisque apud Conimbricenses (lib. 1 *de Cœlo et Mund.*, c. 8, q. 1, Rub. ibid. (c. 9, q. 1), Roselli (*Summ. Philos.*, tom. 2, q. 3, ar. 1).

(3) Lib. *de Tranquillit. animi*, apud Conimbric., loc. cit.

(4) Lib. 2.° *de Principiis* apud S. Hieron., lib. 1 *Contr. Rufin.*, et apud Fabricium *Bibliot. Græc.* lib. 1, c. 20, n. IX.

(5) Lib. 1 *de Cœl. et Mund.*, c. 8.

(6) Lib. I, *de Cœl. et Mund.*, c. 9. Cfr. ib. S. Thom., lect. 19.

(7) *De Princip.*, 3 p. parag. 21.

Notanda ad quæstionis solutionem

In hac controversia revocandum in memoriam est, hic nomine mundi venire compagem ac universitatem corporum, qualem in antecessum descripsimus, compagem nimirum corporum aliquo inter se ordine ac dependentia contentorum, quæque contiguitatem habeant, et invicem agant, atque influant, saltem ut videri sentirique possint (1). Neque enim alia de causa multiplicia hæc corpora cœlestia unum cum terra mundum efficiunt, nisi ob hanc externam unitatem aggregationis, ordinis, dependentiæ ac mutui influxus, qui in hoc saltem admittendus est, ut alia nunc omittantur, ut omnia hæc corpora lucem emittant, qua videri a nobis possint. Quare quæstio de pluralitate mundi intelligitur de pluralitate corporum vel collectionum corporum, quæ sint invicem *independentia*, perfecteque invicem separata vacuo, ut influere alia in alia non possent, neque alia ex loco aliorum videri. Secus enim non plures, sed unus mundus dicendus foret, sicut hic noster mundus. Quod si quis nomen mundi acciperet pro quovis *systemate sidereo*, seu complexu plurium siderum, in cujus centro stet medius sol, undique planetarum ac satellitum circa ipsum sese vertentium circumdatus choro; tunc non solum possunt esse, verum sunt etiam actu plures mundi ex gravissimorum Astronomorum sententia, docentium stellas fixas totidem esse soles ac centra hujusmodi systematum. Et fortasse hoc tantum voluere plures eorum, qui multos invexerunt mundos. Nos autem non accipimus hic mundum in hoc sensu.

19. PROPOSITIO 1.ª **Possibiles sunt alii mundi ab hoc nostro sive numerice sive specifice distincti, saltem successive.**

Possibiles sunt alii mundi sive numerice sive specifice ab hoc distincti, qui successive existant.

Ratio est, quia nulla in hoc cernitur repugnantia, sive ex parte Dei, sive ex parte ipsius mundi. Non ex parte Dei, quia cum sit omnipotens, quidquid in suis notis constitutivis repugnantiam non involvit, producere potest. Neque etiam ex parte mundi. Nam imprimis, quænam est implicantia in eo, quod Deus alterum mundum huic simillimum,

(1) Recole quæ diximus supra art. 1, in 2.ª parte propositionis primæ.

saltem hoc destructo, efficiat? Nam certe probari nequit hunc mundum esse unicum in sua specie. Ergo possibilis est alius mundus saltem numerice distinctus. Atqui eadem prorsus ratio est de alio specifice distincto. Nam nemo dixerit adesse in hoc mundo species omnes corporum possibiles, aut non posse has, quæ nunc sunt, alio modo et ordine disponi, aliisque legibus in suis motibus regi, aut omnia hæc corpora ita esse necessaria, ut sine illis constare nequeat mundus. Ergo dicendum omnino est, alios quoque mundos specifice distinctos possibiles esse. Idque perperam negavit inter Scholasticos unus Durandus, licet concesserit non repugnare alium numerice distinctum (1).

Verum hæc magis patebunt, cum sermo erit de perfectione mundi (2).

20. PROPOSITIO 2.ª **Possibiles sunt etiam plures mundi actu simul existentes.**

Utrumque qui mundos simul actu sint in rerum natura.

Non putes otiosam prorsus esse hanc propositionem. Possunt enim esse, qui quamvis concedant potuisse creari alios mundos, sive numerice sive specifice distinctos, negent tamen actu simul existere posse, invicem sejunctos atque independentes. Quam sententiam tum Jacobus Balmes, tum Cartesiani, si constare secum velint, teneant necesse est, quemadmodum paulo superius innuimus. Si enim repugnat vactum inter duo corpora interpositum, repugnabit quoque duos vel plures mundos perfecte separatos atque independentes existere: et si infinita est mundi extensio, non potest non spatia omnia possibilia et imaginaria occupare.

Probatur propositio. Etenim duplex obstare causa posset, quominus plures actu simul existerent mundi, extensio infinita et repugnantia vacui. Atqui nihil horum obstare potest.

Non infinita extensio; tum quia diximus jam extensionem hujus mundi finitam esse; tum quia licet foret infinita, quid vetat, quominus alii duo vel plures producerentur mundi,

(1) Apud P. Gabriel Vazquez in 1.^um p. quæst. 25, art. 6, disp. 107, c. 1, n. 3; c. 2, n. 4.

(2) Cfr. interea S. Thom. 1 p. q. 25, art. 5; *de Potent.*, q. 1, art. 5; 2.ª *Cont. Gent.* c. 26, 27; et Vazquez, loc. cit.; Valent. in 1.^um part. quæst 25, punct. 3. *Sequitur quarto.*

singuli finiti? Hoc modo si Deus, interjecto vacuo, separaret varia systemata solaria, quæ mundum hunc nostrum componunt, totidem mundi perfecte distincti atque independentes existerent, singuli omnino finiti.

Nulla est vacui repugnantia.

Neque etiam obstare potest repugnantia vacui, quæ nulla procul dubio est. Si enim ante rerum creationem perfectissimum fuit vacuum, quidni etiam post creationem?

Præterea, potest Deus medio vacuo perfecte separare corpora illa, quorum neutrum altero indiget ad sui conservationem. Atqui duo vel plures mundi, qui vel *separatim* vel *successive* possibiles concedantur, tales sunt, ut alter altero non egeat ad sui conservationem. Ergo quicumque concedat possibilitatem plurium mundorum seorsim existentium, debet etiam largiri possibilitatem simultaneæ illorum existentiæ.

Major videtur in terminis manifesta. Si enim alterum corpus altero non indigeat ad sui conservationem, cur nequeat existere ab illo sejunctum? Qua de causa Deus tenebitur opplere medium spatium?

Dices. Ea, inter quæ vacuum intercedit, nequeunt inter se distare, siquidem distantia ex suo conceptu postulat necessario medium aliquod reale inter extrema interjectum; vacuum autem cum sit purum nihil, medium hujusmodi esse nequit. Atqui, quæ inter se minime distant, immediate se contingant, oportet. Ergo ponere corpora, inter quæ vacuum interjaceat, quæque vere sejuncta sint, aliud revera non est, nisi contradictoria ponere (1).

At respondemus, *negando* Majorem, cujus probationem *distinguimus:* distantia ex suo conceptu postulat medium aliquod intercedens, quod vel sit realis extensio vel possibilis, *conc.:* quæ necessario debeat esse realis, *neg. Et contradistincta* Minore, *neg.* consequentiam.

Ratiocinatio clari Balmesii adeo est infirma, ut mirum videatur, quomodo hallucinari tantum ingenium potuerit. Distare enim est, abesse seu procul esse: unum autem procul est ab alio, si non est conjunctum vel contiguum illi. Non est autem conjunctum vel contiguum eo ipso, quod inter unum

(1) Ita Balmes, lib. 3 *Filos. fund.*, c. 7, n. 46, seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et alterum adsit actu medium, vel saltem *possit* esse absque ulla utriusque mutatione locali aliud corpus extensum. Quid enim? Si Deus aërem, qui cubiculum hoc opplet, in nihilum redigat, dices parietes ejus, utcumque immobiles in suo quisque loco permanserint, jam non distare, sed conjunctos esse, quia jam nullum actu medium corpus interest? Ergo distant certissime. Ergo ad hoc ut distent, non opus est, ut aliqua realis extensio media detur actu; sed sufficit, ut possit dari absque locali mutatione extremorum. Ac tanto major erit distantia, quanto majus sit intervallum illud, quod vel actu insit medium, vel certe possit inesse.

Nec dicas distantiam hujusmodi, quæ ex vacuo interjecto existit, esse pure negativam; in negativo autem dari non posse magis aut minus. —**Nam licet nequeat** in negativo dari magis et minus directe et absolute, potest indirecte ac per ordinem ad positivum, cujus carentiam importat. Et sic distantia vel separatio major et minor erit, prout major vel minor fuerit extensio media, vel actualis vel possibilis. Verum hæc perspicua sunt, nisi cavillari velimus.

21. **Objc. 1.°** Mundus conditus est ad exemplar divini archetypi seu mundi intelligibilis. Atqui exemplar hujusmodi unum est. Ergo cum Deus nihil efficere valeat, nisi suum exemplar intuendo, hoc vero non sit nisi unum, unicus est quoque mundus possibilis (1).

Resp. *conc.* Major., *dist.* Minor. Unicum est exemplar divinum subjective spectatum, quatenus identificatur cum ipsa divina essentia, *conc.*; objective spectatum, seu relate ad terminos ac modos imitabilitatis, qui ab intellectu divino in sua essentia deteguntur, *neg.* Nam infinitæ sunt rationes imitabilitatis essentiæ divinæ, utpote quæ infinite perfecta est, nec nunquam exhauriri potest per opera, quæ ad ejus imitationem fiant magis magisque perfecta.

Objc. 2.° Mundus est compages omnium corporum. Atqui repugnat esse quidpiam corporeum, præter omnium corporum compagem seu collectionem. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Mundus est compages corporum omnium, quæ unitate ordinis et mutui influxus continentur,

(1) Apud Conimbric. loc. cit. art. 1.

conc.; omnium absolute corporum *subdist.*; actu creatorum, *conc.*; quomodocumque creabilium, *neg.*

Contradist. Minor. Repugnat præter collectionem omnium corporum quomodolibet creatorum aut creabilium quidpiam esse corporeum, *conc.*; repugnat præter collectionem et compagem certorum corporum inter sese ordinatorum aliam quoque compagem esse aliorum corporum a prima sejunctam atque independentem, *neg.* Plura videri possunt apud Conimbricenses.

22. PROPOSITIO 3.ª **Ad factum quod spectat, unum tantum esse mundum probabilius videtur.**

De facto non est nisi unus tantum mundus.

Rationes naturales ad probandam unitatem actualem mundi plures congeruntur ab Aristotele (1) et Platone (2) aliisque. Verum eas nec demonstrativas esse, nec satis efficaces fatentur communissime auctores (3). Res enim hæc ejus est naturæ, quæ nec a priori nec a posteriori, præcisa divina revelatione, cognosci a nobis possit. Non a posteriori, quia si darentur plures mundi, deberent esse invicem independentes ac sejuncti; quare entia rationalia unius mundi neque ope experientiæ, nec per effectus venire in alterius notitiam possent. Non a priori. Quia, uti ostensum est, non repugnat plures esse mundos, ideoque num de facto plures dentur, pendet ex libero Dei beneplacito, quod scire nequimus, nisi adsit revelatio vel sufficiens traditio.

Jam quod ecclesiasticam doctrinam attinet, communis semper fuit sententia catholicorum, mundum de facto unum dumtaxat esse: eamque multi veteres scriptores ex pluribus sacrarum Litterarum testimoniis colligere nitebantur. Ut enim scriptum est apud Job (4): *Ipse* (Deus) *fines* **mundi** *intuetur*. Et alibi: **Mundum** *tradidit disputationi eorum* (5): et: *Eructabo abscondita a constitutione* **mundi** (6): et: **Mundus** *per*

(1) *De Cœl. et Mund.* lib. 1, c. 8. Vide ib. S. Thom. a lect. 16 ad 19.
(2) *In Timæo.*
(3) Conimbric. loc. cit. art. 2; Rub. loc. cit. q. 1; Rhodes, disp. 7, q. 4; Goudin. loc. cit.; Mastrius, loc. cit.
(4) *Job.* c. 28, v. 24.
(5) Eccl. cap. 3, v. 11.
(6) *Matt.* cap. 13, v. 35.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsum factus est (1). Item: *Elegit nos ante* **mundi** *constitutionem* (2). In quibus testimoniis semper ita sermo aptatur, quasi unus tantum mundus a Deo conditus fuerit, quemadmodum observat Angelicus (3). Crediderim tamen hæc loca sacrarum Litterarum non omnino necessario eam sibi vindicare interpretationem, sed posse suam veritatem retinere, si ad hunc mundum, quem nos incolimus, illa referantur, etiamsi alii quoque mundi creati a Deo fuissent.

Patres frequenter aut inter fabulas gentilium Philosophorum recensent, aut irridenl, aut etiam graviter reprehendunt doctrinam de pluralitate mundorum actu existentium (4). Immo vero S. Augustinus (5), S. Hieronymus (6) et S. Isidorus Hispalensis in hæresum numerum referunt eam doctrinam, quæ *dicit esse innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidam Philosophi gentium*.

Inter Scholasticos vero Gabriel Vazquez et Gregorius de Valentia ad fidem spectare docent assertionem de mundi unitate (7); Molina, Bañez, Suarez, Rubius et Georgius Rhodes temerarium fore credunt oppositum asserere (8), alii rem hanc tamquam certam et communem, aut etiam fidei disciplinæ consentaneam, proponunt (9).

(1) *Joann.* cap. 1, v. 10.

(2) *Ephes.* cap. 1, v. 4.

(3) S. Thom., 1 p., quæst. 47, art. 3.

(4) Vide Athenag. *(Legation. pro Christian.)*, Hermiam (in *Irrision. Gentil.* n. 10), Basil. *(Exæm.*, homil. 3, n. 3), Ambros. *(Exæm.* lib. 2, cap. 2, n. 3), S. Hieron. *(Apol. contr. Rufin.* lib. 1, n. 30), Lactant. *(de Ira Dei*, cap. 6), August. *(de Civit. Dei*, lib. 12, c. 5; lib. 18, c. 41), Joann. Chrysost. (Homil. 4 *in Genes.*), Theodoret. *(De mater. et mund.)*, Athanas. (Orat. *Contr. Gent.*, n. 39).

(5) Aug. Lib. *de Hæres.*, hæres. 77.

(6) S. Hier. *Apolog. contr. Rufin.*, lib. 2, n. 12.

(7) Vazquez (in 1.am p. q. 47, a. 3 in apposita nota), Valent. (in 1.am p. disp. 3, q. 4, punct. 3).

(8) Molina (in 1.am p. q. 47), Bañez (in 1.am p. q. 47, a. 3), Suar. (disp. *Met.* 29, sect. 2, n. 15), Rub. *(de Cœl. et Mund.*, lib 1, c. 9, q. 1. *Secundo dicendum)*, Rhodes *(Philos. Peripat.* lib. 2, disp. 7, q. 4, part. 3.

(9) Conimbric. (loc. cit. c. 8, q. unic. art. 2), Tanner *(Theol. schol.*, tom. 1, disp. 2), Goudin *(Philos. juxt inconcuss...* t. 2, sec. part. *Phys.* disp. unic. q. 1, a. 1), Maurius *(de Cœl. et Mund.*, disp. 1. n. 9), Dupasquier *(Summ. Philos.* t. 4, *de Mund.* dis. 1, q. 1), Lossada (t. 3, *synopsis tract. de Mundo*, c. 1), Card. Ptolomei *(Philos. ment. et sens. Physic. part.*, dissert. 1.a n. 1111), Mayr *(Philos. peripat.*, part. 3, n. 4), Salvat. Roselli *(Summ. Philos.* t. 3, q. 2, art. 1).

Existimo tamen Patres cum inter hæreses, retulerunt doctrinam de pluralitate mundorum, non doctrinam istam seorsim et in se respexisse, sed prout eam hæretici ac gentiles tradiderant, admixtam cum aliis erroribus, ac nominatim cum æternitate mundi, vel cum absurda fabula creationis per fortuitum atomorum concursum. Itaque jam plures catholici scriptores unicitatem mundi non tamquam doctrinam ad Fidem pertinentem, nec ut certam, sed solum ut probabilem tenent. Immo vero sunt, qui putent quæstionem hanc de unitate aut multiplicitate mundi, cum solum per divinam revelationem resolvi queat, revelatio autem penitus hac de re sileat, definiri a nobis cum certitudine non posse (1).

Quamquam autem res ista ad Fidem non pertineat, nihilominus probabilius mihi esse dixi, quod unus dumtaxat sit mundus. Et ratio est, quia multiplicanda non sunt entia, ubi nullum suppetit idoneum argumentum. Atqui nullum hic adest argumentum, immo vero ne indicium quidem plures mundos persuadens. Ergo melius neganda est mundorum pluralitas. Accedit, quod pro hac assertione militet frequentissima Patrum cohors et gravissimorum Doctorum, eamque suadeant non pauca sacrarum Litterarum testimonia, saltem si sumantur prout sonant.

Alias rationes congruentiæ, sicut etiam difficultates quædam videri possunt apud S. Thomam (2) cæterosque auctores.

(1) Vide v. g. cl. P. Pesch (*Philos. natural.*, n. 507), et P. Lahousse (*Cosmolog.*, n. 353). Cuevas *(Cosmol.* dissert. 1, c. 1, art. 1), Tongiorg *(Cosmol.*, n. 250).

(2) 1 p. q. 47, art. 3; *de Cœlo*, lib. 1, lect. 19. Cfr. Roselli *Summ. Philos.* t. 3, q. 2, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS IV.

Utrum præter tellurem alii quoque planetæ ab entibus rationalibus incolantur.

Sententia prima affirmans.

23. «Primus... visus est fuisse Orpheus, qui lunam et reliquas stellas credidit, perinde ac terram nostram, incoli et habitari», scribit Albertus Fabricius (1): eamdemque postea dicuntur secuti opinionem Xenophanes (2), Anaxagoras, Democritus, Leucippus, Epicurus aliique plures veteres Philosophi (3). Et post plura demum sæcula iterum prolata est in medium hæc doctrina a Nicolao Cusano, Jordano Bruno, Tycho-Brahe, Campanella, Galilæo, Gassendo, Cartesio, Keplero, Kirkero, Leibnitzio, Bouffonio, Newtono, Lockio, Bayle, Voltairio, Dideroto, Enciclopedistis, Laplace, Herschell, Kantio, Arago, aliisque scientiarum naturalium peritis (4), inter quos hac de re celeberrimum librum conscripsit Fontenellus (5). Mallebranchius autem usque adeo indulsit imaginationi, ut non solum dixerit planetas omnes ab hominibus incoli (6), sed etiam in singulis planetis Verbum divinum hypostatice unitum esse uni homini. Neque hoc satis habuit, sed addidit præterea in illis planetis, in quibus homo non peccavit, Verbum divinum natum fuisse modo reliquis hominibus communi (7). Quæ ideo commemoro, ut notum sit omnibus hujus viri ingenium (8).

(1) *Biblioth. Græc.* t. 1, lib. 1, c. 20, n. VIII.
(2) Apud Ciceron, *Academ.* lib. 2, c. XXXIX. n. 123.
(3) Ap. Fabric. ib. n. IX.
(4) Ap. Fab. ib.
(5) *Entretiens sur la Pluralité des Mondes.*
(6) *Traité de l'infini crée*, p. 93 apud Card. Gonzalez, *Historia* t. 3, pag. 76 in nota.
(7) «Nous inferons de tout cela, non seulement que le Verbe s'est incarné dans toutes les planetes, mais que dans celles ou le peché n'est point entré, il est né comme les autres hommes». Op. cit. p. 112 ap. Card. Gonzalez, ib. p. 77. Alios etiam hac in re divinando ficta pro veris vendere voluisse docet nos P. Anton. Mayr *Philos Peripat.* part. 3, n. 931.
(8) Nec solum Mallebranchius, sed alii quoque in hac re pœticæ fingendi virtuti laxarunt habenas. Inter quos Christianus Huyghens

Inter recentiores eamdem sententiam tamquam probabilem professus est cum aliis non paucis (1) clarissimus Astronomus P. Angelus Secchius (2). Alter vero Astronomus, Flammarion, non solum arbitratur alia corpora cœlestia incoli, sed anile prorsus et erroneum commentum inducit hominum ab uno in aliud sidus successive transmigrantium. Cæterum quod attinet naturam entium astra incolentium, alii putant illa ab angelis, alii a belluis, alia ab hominibus, diversum tamen a nostro organismum, prout locus domicilii postulat, habentibus (3).

Altera sententia.

At communissima veterum multorumque recentium opinio est, solam terram ab entibus rationalibus habitari.

Controversia hic ad fidem spectat.

Circa hanc controversiam, notandum ante omnia est, nullam harum sententiarum cum doctrina catholica pugnare, nullam cum eadem necessario connexam esse, verum utramlibet salva fide defendi posse (4). Etenim loca Scripturæ,

apud P. Antonium Mayr (*Philos. perip.* part. 3, n. 931), rempublicam in planetis describit florentissimam. Et Christianus Wolfius in suis *Elementis Astronomiæ* (Magdeburgi editis anno 1714), audaciter asserit, incolas Jovis esse majores hominibus terrestribus, et reipsa gigantes, similes Regi Basan Og (de quo *Deuteron.*, cap. 3, v. 2). Suinden. Anglus, cum videret solem, utpote incensissimum, esse hominum habitationi ineptum, in eo constituit infernum, in quo damnati pro suis criminibus puniantur. Alter Anglus Joannes Wilkins, pseudoepiscopus Cestriensis (in tract. 1 sui Op. *Mathem.* et *Philos.* Londini anno 1708 editi) non tantum supponit lunam incoli, sed etiam serio conatur modum invenire, quo iter illuc per aera institui possit. Vide *Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* (tom. 1 ann. 1708, Septemb. art. 136, paragr. *D'Angleterre*; et ann. 1711, tom. 4, Octob. art. 135 pag. 1803; et ann. 1738 tom. 4, Novemb. art. 53, pag. 804), apud Ant. Mayr (*Philos. perip.* part. 3, n. 4 et 931).

(1) Vide v. g. P. Tongior. (*Cosmol.* n. 251 seqq.), et P. Mendive (*Cosmol.* c. 1). Comes de Maistre, *Civilta Catholica* (serie XII, fasciculi 6, 7, 8, 9, ubi propugnatur probabilitas hujus doctrinæ). Gratry (*Sources de l'intersdulité*), Maret (in sua *Theodicea christiana*), Moigno (*Les Mondes*), Pingar (*Le dogme carcien et la pluralité des mondes habités*), Frayssinous et P. Felix (in suis *Conferentiis*) Perujo (*La Pluralidad de mundos habitados*, c. 13).
(2) Vide opus *Le Soleil*, t. II, lib. VIII, part. IV, p. 480, Paris 1877.
(3) Vide apud Perujo, Op. cit. cap. 15.
(4) P. Joan. Perrone (*Prælect. theol. De Deo creante* part. III, *de Homine*, c. 1, vers. fin. n. 290 in nota, ubi etiam idem censet

quæ ab uno Adam omne genus hominum ducere originem (1), et ab uno illo peccatum et mortem in mundum intrasse docent (2), aliave similia (3) continent, videntur haud violenter restringi posse ad homines terram hanc nostram incolentium. Similiter cum sacræ Litteræ testantur cœlestia corpora creata fuisse in *ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt* (4), vel *ut dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos: ut luceant in firmamento cœli et illuminent terram* (5) etc.: non loquuntur exclusive: nec etiamsi darentur vere planeticolæ, desinerent astra hos eosdem usus præstare hominibus, qui in terra vitam ducunt. Immo si alii quoque planetæ præter terram homini habitaculum præberent, majus profecto servitium et commodum generi humano sidera exhiberent, quam si solus globus terraqueus incolatur. Quæ vero Camillus Flammarion, aliique objiciunt, hypothesin entium rationalium astra incolentium cum dogmatis christianis pugnare contendentes, inania sunt, ac refutata videri possunt apud clarum Perujo (6).

subj. numero solidi argumenti adhuc in favorem planeticolarum adducitur esse.

Nihilominus existimo doctrinam planeticolarum nullo adhuc solido argumento probatam esse. Et re quidem vera primum argumentum, quod adducitur, derivatur ex analogiis, quæ adsunt inter terram et planetas. Etenim «eadem est planetarum ac terræ figura, idem est motus, tam rotationis circa proprium axem, quam translationis circa solem. Sunt etiam in planetis montes, valles ac maria; in nonnullis athmosphæræ quoque indicia deprehenduntur; cumque terra unum habeat satellitem, id est, lunam, quæ noctes illuminat, planetis a sole remotioribus non unus tantum, sed plures satellites attributi sunt. Nonne ex his omnibus sponte

Illmus. Frayssinous, *Conferences sur la Religion*, t. 2, conf. 2). Tong. *(Cosmol.* n. 253), P. Mendive *(La Religion católica vindicada* etc., c. 14, p. 253, 254, Madrid 1883). Maret *(Théodicée chretienne*, Quinzième leçon). Cfr. P. Felix (*Confer.* 3 in Quadrag. ann. 1867).

(1) Vide *Actus apostol.*, c. 17, v. 26. Cfr. S. August. *de Civit. Dei*, lib. 16, c. 8.

(2) S. Paul. epist. ad Rom., c. 5, v. 12.

(3) Cfr. *Psalm.* 113, v. 16; *S. Marc.* c. ult. 16, v. 15.

(4) *Deuter.* c. 4, v. 19.

(5) *Genes.* c. 1, v. 14, 16.

(6) *Pluralidad de mundos habitados*, cap. 17, 14.

videtur emergere conclusio: ergo et terra et planetæ ad eumdem finem conditi sunt?» (1).

Non ita profecto videtur haud vulgaris notæ astronomis, cum scribunt nulla indicia vitæ cerni in planetis (2). Immo vero saltem in multis vel ob nimium calorem, ut in Mercurio, vel ob nimium frigus ut in Saturno, Urano et Neptuno, vel ob alias peculiares conditiones, ut in Vespere et Jove, ex Astronomorum sententia impossibilis esset conservatio substantiarum viventium, quales in terra cernimus, ac potissimum hominis. Fingere autem viventia alterius naturæ, quæ apta forent ad vivendum in astris, est novam hypothesin ad fulciendam aliam hypothesin gratis fingere.

Alterum argumentum sic urgent planeticolarum assertores: «Quem in finem tot astra, quibus firmamentum scintillat, ex nihilo educta credamus, quorum plurima vix a paucis astronomis instrumentorum validissimorum ope

(1) Tong., *Cosmol.* n. 252, 1.°

(2) Audi cl. H. Faye sic loquentem: «Tous s'accordent à invoquer l'appui de la Science; ils invitent les astronomes à se prononcer en faveur de leur conception favorite, et s'indignent s'ils rencontrent chez eux des doutes ou des réserves. Certes, un astronome se gardera bien de dire que la Terre seule est habitée, il n'en sait absolument rien; mais si on le presse au sujet de la vie universelle, voici ce qu'il répondra: Regardez le ciel et dites vous bien que, de ces myriades d'astres que les lunettes vous y font voir, aucun n'est habité, puisqu'ils sont tous en état de pleine incandescence; aucun ne le sera jamais, parce qu'à l'époque de leur extinction alors qu'un être vivant pourrait mettre le pied sur leur croûte refroidie et solidifiée, il n'y aura pas, à cause de leur immense éloignement.»

«La vie, en effet, une vie largement développée ne peut naître que sur les planètes éteintes, invisibles, qui circulent peut-être autour de ces soleils. Or comment savoir si elles sont habitées? nous ne les voyons même pas. Quant aux planètes de notre propre monde, jamais nous y cherchons de traces, même indirectes, d'êtres vivants: elles son trop loin. Il n'y a dans le monde solaire qu'un seul astre, la Lune, sur le quel il y aurat chance de découvrir, non des habitants, il faudrait pour cela qu'ils fussent aussi grands que les pyramides d'Égypte, mais de simples indications de la vie. On les a longtemps cherchées, mais en vain: la Lune est un désert. Vous le voyez, avec les astronomes, les partisons de la vie universelle jouent de malheur... *(Sur l'Origen du Monde...* par. H. Faye, Seconde edition, Paris 1885, chap. XV, pag. 296).

deprehendi ac distingui possunt? Astra certe homini visibilia ad aliquos usus nobis opportuna accidunt. At quis credat nullum alium finem illis præstitutum esse, nisi ut menses annosque eorum ope distinguere possemus? Magna hæc est utilitas, sed nec necessarium erat in hunc finem tantam astrorum multitudinem condi, nec unicus iste finis tantæ molitionis censeri potest» (1).

Verum hæc etiam ratio non habet majorem firmitatem, cum tota innitatur in ignorantia finium, quos Creator habuere potuerit in condendis tot astris, nisi quædam alia præter terram habitationi hominum destinasset. Cum potissimum existant angeli, a quibus perfecte cognosci possunt, sicut etiam ab animis beatis astra omnia, quæ nos aut latent penitus, aut vix possunt ope telescopiorum detegi.

Sic demum argtuitur pro eadem sententia: «Tandem et sapientiam et bonitatem divinam decere videbatur, ut quoniam poterat, mundi spatia, qua late patent, intelligentibus creaturis repleret, quæ et beneficiis creationis uti possent, et rerum omnium Conditori laudis et amoris obsequia rerum omnium nomine deferrent» (2). Cum potissimum hanc terram nostram, quæ adeo vilis est, si aliis multis sideribus comparetur, sedem hominis constituerit.

At hæc ratio infirmior cæteris videtur; siquidem quid deceat divinam bonitatem et sapientiam, definire a priori non possumus, donec compertum habeamus gradum gloriæ suæ, quem Deus in condendo mundo sibi proposuit. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (3). An non potuit libere decernere, ut sola terra domicilium esset viventium, ac potissimum rationalium, et sic quantum ipsa cedit aliis astris in magnitudine molis, tantum præstaret perfectione incolarum?

Itaque opinio de planeticolis nec probari certo, nec efficaciter positivis argumentis reprobari potest (4). Dum

(1) Tongiorgi, loc. cit., n. 252, 2.°
(2) Tongiorgi, loc. cit., n. 252, 3.°
(3) *Roman.*, cap. 11, v. 34.
(4) Cfr. *Revue des questions scientifiques*, avril 1884; et Boiteux *Lettres a un materialiste*, Lettre 23, *Le dogme chretien n' est pas inconciliable avec l' idée de la pluralité des mondes.*

ergo solidiores non afferantur rationes, optandum foret, ne quidam scriptores quasi furore poëtico abrepti, multa facile fingerent de præstantia, virtutibus ac beata vita planeticolarum, quæ nullum reale fundamentum habent extra ipsorum imaginationem.

CAPUT II.

DE PERFECTIONE MUNDI.

Mundum perfectione consentanea suæ essentiæ gaudere nunc supponimus tamquam certum; et facile patet ex eo, quod sicut nihil potest existere sine sua essentia, ita etiam quidquid est, perfectionem, qua in gradu suæ essentiæ collocatur, nequit non possidere. Cum autem ostensum aliunde fuerit, non esse infinitam perfectionem mundi, operæ pretium est, ut eam aliquo modo definiamus et propius contemplemur.

ARTICULUS I.

An mundus hic sit perfectus.

Non defuerunt impii homines, qui Manichæorum vestigia secuti, omniaque sinistro oculo intuentes, mundum hunc imperfectum esse, turpem et inordinatum effutirent; unde illud inter alia gravissimum incommodum consequens esset, ut argumentum ad probandam existentiam Dei ex perfectione mundi communissime afferri solitum, non amplius subsisteret, aut certe multum infirmaretur.

24. Propositio. **Maxima est vereque mirabilis perfectio ac pulchritudo mundi in suo genere.**

Mirabilis perfectio et pulchritudo mundi innotescit

Probatur. Perfectio et pulchritudo complexionis alicujus ex tribus potissimum existit: α) ex perfectione ac pulchritudine membrorum: β) ex eorumdem varietate: γ) ex ordine aptaque compositione. Atqui tria hæc in mundi machina mirifice resplendent. Ergo...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deprehendi ac distingui possunt? Astra certe homini visibilia ad aliquos usus nobis opportuna accidunt. At quis credat nullum alium finem illis præstitutum esse, nisi ut menses annosque eorum ope distinguere possemus? Magna hæc est utilitas, sed nec necessarium erat in hunc finem tantam astrorum multitudinem condi, nec unicus iste finis tantæ molitionis censeri potest» (1).

Verum hæc etiam ratio non habet majorem firmitatem, cum tota innitatur in ignorantia finium, quos Creator habuere potuerit in condendis tot astris, nisi quædam alia præter terram habitationi hominum destinasset. Cum potissimum existant angeli, a quibus perfecte cognosci possunt, sicut etiam ab animis beatis astra omnia, quæ nos aut latent penitus, aut vix possunt ope telescopiorum detegi.

Sic demum argtuitur pro eadem sententia: «Tandem et sapientiam et bonitatem divinam decere videbatur, ut quoniam poterat, mundi spatia, qua late patent, intelligentibus creaturis repleret, quæ et beneficiis creationis uti possent, et rerum omnium Conditori laudis et amoris obsequia rerum omnium nomine deferrent» (2). Cum potissimum hanc terram nostram, quæ adeo vilis est, si aliis multis sideribus comparetur, sedem hominis constituerit.

At hæc ratio infirmior cæteris videtur; siquidem quid deceat divinam bonitatem et sapientiam, definire a priori non possumus, donec compertum habeamus gradum gloriæ suæ, quem Deus in condendo mundo sibi proposuit. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (3). An non potuit libere decernere, ut sola terra domicilium esset viventium, ac potissimum rationalium, et sic quantum ipsa cedit aliis astris in magnitudine molis, tantum præstaret perfectione incolarum?

Itaque opinio de planeticolis nec probari certo, nec efficaciter positivis argumentis reprobari potest (4). Dum

(1) Tongiorgi, loc. cit., n. 252, 2.°
(2) Tongiorgi, loc. cit., n. 252, 3.°
(3) *Roman.*, cap. 11, v. 34.
(4) Cfr. *Revue des questions scientifiques*, avril 1884; et Boiteux *Lettres a un materialiste*, Lettre 23, *Le dogme chretien n' est pas inconciliable avec l' idée de la pluralité des mondes.*

ergo solidiores non afferantur rationes, optandum foret, ne quidam scriptores quasi furore poëtico abrepti, multa facile fingerent de præstantia, virtutibus ac beata vita planeticolarum, quæ nullum reale fundamentum habent extra ipsorum imaginationem.

CAPUT II.

DE PERFECTIONE MUNDI.

Mundum perfectione consentanea suæ essentiæ gaudere nunc supponimus tamquam certum; et facile patet ex eo, quod sicut nihil potest existere sine sua essentia, ita etiam quidquid est, perfectionem, qua in gradu suæ essentiæ collocatur, nequit non possidere. Cum autem ostensum aliunde fuerit, non esse infinitam perfectionem mundi, operæ pretium est, ut eam aliquo modo definiamus et propius contemplemur.

ARTICULUS I.

An mundus hic sit perfectus.

Non defuerunt impii homines, qui Manichæorum vestigia secuti, omniaque sinistro oculo intuentes, mundum hunc imperfectum esse, turpem et inordinatum effutirent; unde illud inter alia gravissimum incommodum consequens esset, ut argumentum ad probandam existentiam Dei ex perfectione mundi communissime afferri solitum, non amplius subsisteret, aut certe multum infirmaretur.

24. Propositio. **Maxima est vereque mirabilis perfectio ac pulchritudo mundi in suo genere.**

Mirabilis perfectio et pulchritudo mundi innotescit

Probatur. Perfectio et pulchritudo complexionis alicujus ex tribus potissimum existit: α) ex perfectione ac pulchritudine membrorum: β) ex eorumdem varietate: γ) ex ordine aptaque compositione. Atqui tria hæc in mundi machina mirifice resplendent. Ergo...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. Min. (1) per partes α). *Mundus membris constat pulchris et perfectis.*

ex partium pulchritudine ac præstantia.

Etenim etsi non omnia æque perfecta sunt et pulchra, plurima tamen abundant, quæ sæpe nos incredibili voluptate perfundunt, atque in admirationem rapiunt. Respice cœlum innumeris sideribus ornatum; respice maria cum sua piscium innumera varietate, cum suis sinibus, insulis, fluctibus aquarum; respice aërem plenum volucribus, terramque montibus ac vallibus distinctam, fontibus et fluminibus irrigatam, metallis, ac gemmis locupletatam, stirpibus et floribus arboribusque consitam, frugibus refertan animantibus et hominibus decoratam. Hæc autem omnia suis quæque gaudent proprietatibus et virtutibus, ad operationes ac fines sibi præstitutos accommodatissimis. Unde nihil mirum, si semper conspectus naturæ pœtis cæterisque pulchritudinis exprimendæ magistris et animum inflammaverit, et exemplaria præbuerit præstantissimorum operum. Non est tamen mundi perfectio sita præcipue in partium singularum præstantia et pulchritudine; sed multo magis commendatur

ex earum varietate

β) *Ex varietate propemodum infinita entium.* Sane prostant in mundo in primis omnia entium genera, in decem prædicamentis comprehensa; in prædicamento vero substantiæ reperiuntur omnes diversi gradus essendi excogitabiles. Quædam enim tantummodo *sunt*, ut mineralia, cum tota varietate corporum simplicium et mixtorum; quædam *sunt* et *vivunt*, ut plantæ; quædam *sunt*, *vivunt* et *sentiunt* ut animalia; quædam *sunt*, *vivunt*, *sentiunt* et *intelligunt*, ut homo. Sub singulis autem horum modis et generibus essendi innumerarum recenseur varietas speciarum, velut totidem familiarum mundanæ

(1) De his fuse et eleganter scripserunt PP. Ecclesiæ. Vide inter alios Basil *(Hexaem.* Homil. 4, n. 6), Ambros. *(Hexaem*, lib. III, 5, 21), Cyprian. *(de Idol. vanit.)*, Lactant. *(Divinar.* inst., lib. 2, c. 8), Athanas *(Cont. Gent.* n. 34-39), Gregor. Nazianz. (Orat. 38, c. 6). Adde Tullium (lib. 2 de *Natur. deor.* c. 39), ubi pulcherrime et elegantissime rem hanc persequitur. Adde etiam P. Molina (in 1.am part. quæst. 2, art. 3, *Dicendum erat deinde)*, et P. Ludov. Granatens. (in *Symbolo Fidei)*, Card. Bellarmin. *(de Ascensione mentis in Deum)*, Conimbricens., *(Physicor.* lib. 2, cap. 7 et 8, quæst. 1), Segneri *(L' incredulo senza scusa)*, Bartoli, *(La ricreazione del savio)*, etc.

Reipublicæ, quarum descriptio pluribus conscribendis libris materiam suppeditavit scientiarum naturalium peritis. Quis denique enumerare valeat infinitam multitudinem individuorum, quæ in singulis speciebus alia aliis partim similia, partim dissimilia, cernuntur? Quod si mundo huic corporeo adjungas varietatem substantiarum angelicarum, et donorum supernaturalium, quæ docente Fide, rationalibus entibus ab æterno præparata, largiri liberalissime solet Creator in tempore; videbis divina et supra omnem captum mirabili perfectionis ac pulchritudinis luce fulgere Humanitatem Jesu-Christi Domini Nostri, Beatissimam Virginem Mariam, Angelorum choros, et sanctos homines Ecclesiam Dei illustrantes. Sed de his solum balbutire licet christianæ Philosophiæ.

et ordine.

Venio jam γ) *ad ordinem*, quæ nobilissima pars est pulchritudinis et perfectionis hujus mundi. Siquidem corpora, utcumque singillatim perfecta atque varia, solum præbent materiam, forma vero stat in aptissima dispositione et ordine. Ordo definitur a S. Augustino *parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio* (1); quæ tum obtinet, cum plura rite disponuntur, prout postulant eorum mutuæ relationes, secundum aliquam rationem in mente ordinantis relucentem: qua de re fusius in *Ontologia* diximus. Ordo, omissis nunc aliis divisionibus, duplex esse potest, *particularis* et *universalis*. Particularis consistit in apta dispositione omnium entium. Sic homo particulari ordine recte in se ordinatus est ex sua physica constitutione, quia membris ac facultatibus apte dispositis gaudet ad finem et conservationem suam; est autem moraliter ordinatus, quando actus suos exercet, ac disponit secundum officia sua erga Deum, erga alios, et erga seipsum. Et similiter integra societas ordinem universalem servat, quando varia entia, quibus constat, recte invicem disponuntur, et conspirant ad communem finem conservationis ac felicitatis. Unde patet posse ordinem aliquem esse simul particularem et universalem sub diverso respectu, quemadmodum complexio quævis, v. g. civitas, consideratur velut totum respectu partium suarum, singulorum civium, et velut pars respectu alterius majoris

(1) Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 13.

UNIVERSIDAD ANTONIO DE NEBRIJA
DIGITAL.NEBRIJA.ES

complexionis, puta provinciæ vel nationis, quam ipsa simul cum aliis constituit (1). Hisce præhabitis probandum est adesse in mundo mirificum ordinem, sive particularem, sive universalem.

sive particularis.

35. **Et primo quidem adest præstantissimus ordo particularis.** Sane omnia generatim corpora mundana suis prædita sunt proprietatibus aptisque mediis ad sua munera et officia obeunda, eaque constanter obeunt ad conservationem et bonum suæ speciei. Id quod inductione patebit, si præcipua corporum genera percurramus.

qualis splendet in aere.

Aeris plures sunt usus et officia. Servit enim respirationi ac nutritioni animalium et plantarum, sonis propagandis, avium volatui, continendæ evaporationi, beneficiis ventorum, roris et imbrium, combustioni, diffusioni lucis, etc. Ad hæc autem tam varia officia simul implenda, componitur aer ex oxygenio et azoto vel nitrogenio, vapore aqueo, acido carbonico aliisque corporibus, et habet convenientem densitatem, elasticitatem, expansibilitatem, gravitatem, diaphaneitatem. Nisi enim oxygenium contineret, sed azotum solum aut acidum carbonicum, nec respiratio nec combustio possibilis foret; et si solum contineret oxygenium, pulmones animalium nimis excitarentur, et respiratio difficilior evaderet; tria vero hæc ad respirationem et nutritionem viventium necessaria sunt. Sine elasticitate sonus nec gigni nec communicari posset, unde conticescerent voces hominum et volucrum, et tristissimo silentio cuncta replerentur. Sine expansibilitate, nec venti generarentur, nec applicari aer jam posset, ut nunc applicatur, ad impellendas naves et machinas cum tanto humanæ vitæ emolumento. Sine gravitate, aquæ maris fluminumque facilius, quam par esset in vapores solverentur, horumque crescente et quantitate et pondere in nubibus, nimis frequentes effusæque terram irrigarent pluviæ. Sine diaphaneitate lux solis et reliquorum siderum oculos vitamque nostram non exhilararet. Pulvisculi vero subtilissimi, qui potissimum in infimis stratis aeris hac illac dispersi reperiuntur, causa existunt irregularis reflexionis radiorum solarium, unde resultat *lux diffusa*, quæ ubique penetrans omnia

(1) Cfr. S. Thomas, 3.a lib. *Contr. Gentes*, c. 98 initio.

illuminat, et sine qua tenebris offusa jacerent omnia loca et objecta illa, quæ non accipiunt directos radios solis. Negari ergo nequit aerem convenientissime dispositum et ordinatum esse.

aqua.

Aqua est aliud elementum utilissimum, humorem præbens vitalem animantibus ac stirpibus, pisces sustentans, purgans sordes, ardorem temperans, cætera corpora dissolvens et alio convehens, aliaque servitia innumera exhibens, sive ad artes, sive ad industriam, sive ad domesticam æconomiam. His vero usibus aptissima redditur sua liquiditate, gravitate, fluiditate, frigiditate, copia et facilitate assumendi duos alios status, solidum nempe et aeriformem, cum aut in nivem, glaciem, grandinem contrahitur, aut in vapores transformatur.

terra.

Terra frugum fecunda parens, plantis succos nutritioni necessarios, pabula belluis præbet, homini cuncta fere, quibus sive ad victum, sive ad vestitum, sive ad cæteros vitæ usus opus habet, largissime suppeditat, nulli denique enti domicilium denegat. Hæc autem tam varia officia ut exequatur, solida est, nec prorsus dura, sed paululum mollis, montibus vallibusque ornata, atque innumeros sinu suo complexa thesauros aliorum corporum, unde et elementa combinationum natura, et materiam industria et ars humana ad sua opificia depromat.

plantis.

Quid ego persequar plantarum diversa genera, quæ tam scite sapienterque disposita habent organa, radices, folia, truncum, corticem et flores ad exercendas ordinatissime varias operationes nutritionis, augmentationis et generationis, quibus et seipsas conservent, et cibum animalibus parent, et speciei etiam conservationi provideant? Hæc, qui minutatim agnoscere cupiat, in libris de re botanica conscriptis reperiet passim materiam ingentis voluptatis nec minoris admirationis.

animantibus.

Prætereo etiam ac zoologis contemplandam relinquo infinitam animalium multitudinem, quæ tali varietate membrorum, potentiarum et instinctuum instruuntur, qualem et natura cujusque poscit, et finis singulis præstitutus; unde alia pernicitate præstant, alia volatu, alia viribus pollent, alia industria quadam et astutia, alia magnitudine commendantur, alia elegantia et venustate, alia solivagam degunt

003713

vitam, alia societatem ineunt, et rempublicam ordinatissimam pacatissimamque componunt. Omnia vero delicatissimo et vere mirabili corporis artificio et fabrica constant ad functiones vegetativas, sensitivas et locomotivas, in bonum suum suæque speciei, immo et in aliorum bonum exercendas.

Inimior:

De homine denique id solum dicere satis sit, non posse in corporeo mundo quidpiam excogitari nobilius aptiusque ad interminatam propemodum actionum varietatem explicandam; ipse enim est μικρόκοσμος, qui quidquid in reliqua corporea natura dispersum ac distributum cernimus, in se uno comprehendens, intelligentia sua ipsam naturam angelicam æmulatur, divinamque gerit animo impressam imaginem. Quæ cum ita sint, ille solus eximium ordinem particularem cernere in mundo valebit, qui aut oculis ad videndum, merite apta ad intelligendum careat.

sive universali, qualis cernitur,

Est etiam in mundo universalis ordo, non minori profecto admiratione dignus. Ordo autem hujusmodi spectari potest vel in habitudine partium universi ad invicem, vel in habitudine illarum respectu finis ultimi, docente Angelico: *Secundum Philosophum (11.° Metaphysicor., text. 52) bonum universi consistit in duplici ordine, scilicet in ordine partium universi ad invicem, et in ordine totius universi ad finem, qui est ipse Deus* (1). Quod ergo attinet ordinem mutuum mundanarum partium, principio converte aciem mentis ad integrum systema solare, in quo sol medium occupat, et circa ipsum perenni circuitu sese vertunt planetæ, cometæ variique asteroïdes, quorum plures suis etiam stipantur satellitibus. Immania hæc corpora in spatio suspensa a communi suo centro librantur in suis itineribus, tamque certis ac ratis temporibus suos quodque agunt dies et annos, ut jure dixeris ea circa solem perpetuas ordinatissimasque ducere choreas in laudem et gloriam Creatoris. Meminisse autem debes, ex probabili Astronomorum sententia, singulas stellas totidem esse soles, ac totidem proinde efficere planetaria systemata, huic nostro similia. Quin etiam hæc diversa systemata forte uni alicui centro communi subjici, ac subordinari in suis motibus, vel ex eo probabile redditur, quod sol hic noster cum

sive respectu diversarum partium inter se,

(1) S. Thom. 1.a, dist. 44, q. 1, art. 2.

toto suo planetarum comitatu feratur versus signum Herculis. Memineris etiam innumera hæc corpora cœlestia in longissimis itineribus suis ac præcipiti cursu numquam se invicem præpedire, nunquam inter se confligere, sed jam inde a plurimis sæculis tam æquabili passu procedere, ut liceat astronomis varias eclipses et apparitiones cometarum, conjunctiones et oppositiones, transitus per meridianum vel coram sole, aliaque phænomena, longe antea prævidere, definito etiam temporis momento, in quo evenire debent. Quis unquam vidit tot elementis consertam machinam, tam immensam, tam compositam in suis motibus, tam constantem?

Si jam a cœlestibus spatiis ad terram, quasi in domum nostram, descendamus, ibi haud minus mirabilem ordinem splendere deprehendemus. Jam a pluribus annorum millibus terra, licet diversissimis, immo et adversæ inter sese naturæ, entibus composita, pergit constantissime peragere cursum dierum et annorum, variarumque stationum perenniter sibi succedentium cum suis generationibus et corruptionibus. Hæc omnia ut sic ordinate procedant, varia entia in eo situ collocata sunt, iisque prædita proprietatibus, viribus et inclinationibus, ut mutuo se juvare possint, atque ad conservationem specierum in terra degentium mirifice concurrere. Etenim regnum minerale servit vegetali, quod non aliter sustentatur et vigescit, nisi corrogando sibi alimenta ex terra mediis radicibus per *absorptionem* humoris, et ex aëre per *respirationem:* quo pacto dum suæ nutritioni consulunt, semina quoque parant pro novis generationibus. Regnum animale durare nequit, nisi opem sibi conquirat tum ex regno minerali, tum etiam ex vegetali: immo sunt etiam animalia quæ aliorum animalium carnibus vescuntur. Denique tota reliqua natura corporea, sive mineralis, sive vegetalis, sive animalis victum, vestes, habitationem liberalissime suppeditat homini, et reliqua omnia, quibus eget ad animi recreationem, ad industriam et artes exercendas, et ad scientias comparandas: unde non solum physicam corporis vitam alat, sed etiam ad rationalem ac moralem perfectionem assequendam maximopere juvetur.

Vita autem corporea certum aliquem gradum caloris necessario postulat, ipsa testante experientia, nam nimio frigore

obrigescunt organa et germina vitæ, ac nimio ardore exuruntur. Huic necessitati abunde providit naturæ Creator, constituto ad proportionatam distantiam sole, ex quo tamquam ex inexhausto fonte perennia flumina lucis et caloris in terras derivantur. Tolle solem, et illico perit omnis camporum ornatus, omniaque tenebris ac morte sepulta remanebunt. Et sic tota terra ordinem suum universalem constanter conservat, invicem sese juvantibus diversorum generum corporibus, opitulante sole. Et quemadmodum non desunt in natura processus et media, quibus terra, mare, flumina, et aër jacturas suas reparent, ope nimirum generationum et corruptionum substantialium, per quas quæcumque illa coatulerant ex thesauris suis ad vitam alendam animatorum, iterum recipiunt, et quasi in communi deposito seponunt ad perpetuam conservationem specierum: ita pulcherrimo huic luminari solis suppetunt media, quibus immensam vim lucis et caloris jugiter alat, ut æquabiliter influxus suos spargere possit, vitamque et lætitiam terrestrium corporum sustentare. Qua de re consulendi sunt Astronomi scientiarumque physicarum cultores.

Denique huic ordini physico, quem hactenus descripsimus, alios varios adjungere homo potest instar complementi ope artis et scientiæ, applicando vires ac dispositiones naturales ad multiplices fines utiles humanæ Societatis. Quod vero numquam satis mireris, homini, qui rationi libertatis suæ omnem pessum dare ordinem potuisset, natura providentissime indidit modum, quo tantum malum arceretur. Est enim insitus animo hominibus amor erga parentes filios et propinquos; est sensus reverentiæ erga majores; est tendentia inclinatioque in bonum et in honestatem: est amor patriæ; est amor sui suæque incolumitatis, unde enascitur desiderium legum justarum et auctoritatis, ut paci et tranquillitati communi consulatur; sunt diversa ingenia, indoles, studia, quibus alii aliam vivendi rationem ineunt in commune bonum; sunt denique, ut alia omittam, infinitæ indigentiæ ac necessitates, quibus subvenire nequit homo, nisi ordinem naturalem ac civilem servando in communi consortio. Quibus præsidiis sin minus amoveantur penitus pericula perturbationum, ob nostram scilicet libertatem; at certe, quantum fieri potest, impediuntur.

Quamobrem verissimum est, quod Angelicus Doctor scriptum reliquit: *Universi... partes inveniuntur ad invicem ordinatæ esse, quasi partes animalis in toto, quæ sibi invicem deserviunt* (1). Quemadmodum enim organismus corporis viventis, ac potissimum animalium, ita conflatur ex diversis membris, ut omnia illa se mutuo juvent ad conservationem proprii individui et speciei; sic etiam mundus ex diversis corporibus constat mirifice inter sese colligatis et ad conservationem ordinis universalis conspirantibus.

Si jam ordinem totius universi ad suum finem ultimum considerare velimus, satis sit nunc id solummodo notare, aptissimum esse hunc mundum ad gloriam perfectionesque divinas, qui finis ultimus est totius creationis, ut mox dicemus, manifestandas. Nam mundus hic tam mirabili constantique ordine præditus auctorem prodit sapientissimum, potentissimum, providentissimum, cæterisque ornatum perfectionibus, quæ causam primam decent, quemadmodum in naturali Theologia fusius probandum erit, ut verissime scriptum ab Apostolo gentium sit. *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles* omnes impii homines, *quia cum cognovissent Deum* (vel certe

sive omnium respectu finis ultimi.

(1) 2.^a dist. 1, q. 1, a. 1.

Eamdem hanc doctrinam sic alibi pulchre eleganterque idem Angelicus evolvit: *Ex omnibus creaturis constituitur totum universum, sicut totum ex partibus. Si autem alicujus totius et partium ejus velimus finem assignare, inveniemus primo quidem quod singulæ partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum: secundo vero, quod pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum, et pulmo propter cor: tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam, partes enim sunt quasi materia totius: ulterius autem totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, puta ut fruatur Deo. Sic igitur et in partibus universi unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem: secundo autem creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturæ quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem: ulterius autem singulæ creaturæ sunt propter perfectionem totius universi: ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum sicut in finem, in quantum in eis divina bonitas repræsentatur ad gloriam Dei*, etc. S. Thom., 1 p., quæst. 65, art. 2, corp.

possent, si voluissent, cognoscere), *non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* (1).

Quæ cum ita sint, illud etiam perspicitur, quam vere dictum sit, Deum omnia *in mensura et numero et pondere disposuisse*, sicut habet liber Sapientiæ (2), vel *in modo, specie et ordine*, quemadmodum scribit S. Augustinus (3): quia omnibus suas naturas specificas immutabiliter fixas determinavit (*in numero* vel *specie*), assignatis propriis principiis ac modo efficientiæ (in *mensura* vel *modo*), et inclinationibus ac viribus ad certos fines et actiones tendentibus (in *pondere* et *ordine*) (4), ut stabiliter permaneat ordo mundanus. Quamobrem *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona* (5).

«Atque ita demum, ut Trismegistus in *Asclepio* ait, quasi harmonia quædam in mundo existit. Sicut enim in cantu ex diversarum vocum moderatione concentus quidam concors efficitur, sic mundi universitas ex rerum inæqualium ac dissimilium consensu et varietate concinit. Unde Pythagoras universum prædicabat ea ratione esse compositum, quam postea lyra est imitata: qua similitudine usus est etiam Philo Judæus (6). Divus vero Augustinus (7), mundum comparat carmini, quod syllabis longis ac brevibus concinne et numerose constat» (8).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

26. **Objic. 1.°** Stabilita propositio videtur aperte in primis contradicere sacris Litteris, in quibus legitur: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* (9).

(1) *Roman.* cap. 1, v. 20-21.
(2) *Sapient.* cap. 11, v. 21. Cfr. S. Aug. *de Genes. ad litt.* lib. 4, c. 3, apud S. Thom. 1 p., q. 5, a. 5, arg. 1.°
(3) Lib. *de Natur. boni*, c. 3. Cfr. *Enchirid.* cap. 10-11.
(4) Vide S. Thom. 1 p., q. 5, art. 5 in corp.
(5) *Genes.* c. 1, v. 10, 12, 18, 21, 25, 31.
(6) In lib. *de Cherub.*
(7) Epist. 5 et 28.
(8) Conimbric. *de Cœl. et Mund.*, lib. 1, c. 1, q. 1, a. 4.
(9) *Eccl.* c. 1, v. 2.

Resp. Hanc difficultatem, quam sibi objecerat S. Hieronymus in epistola ad Pammachium (1), sic ipse S. Doctor resolvit. *Quæ per se bona sunt, ut a bono Creatore condita, in comparatione meliorum vanitas appellantur; verbi gratia, lucerna lampadis comparatione pro nihilo est; lampas stellæ comparatione non lucet; stellam lunæ confer, cæca est; lunam soli junge, non rutilat; solem Christo confer, et tenebræ sunt.* **Ego sum,** *inquit*, **qui sum** (2). *Omnem igitur creaturam si Deo contuleris, non subsistit.*

Objic. 2.° Nihil defectuosum potest esse perfectum: bonum enim est ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu. Atqui plenus est hic mundus defectibus et imperfectionibus, quarum exempla suppetunt in monstris et in privationibus convenientis perfectionis, puta cæcitatis, surditatis etc. Ergo...

Resp. *dis.* Major. Nihil defectuosum potest esse absolute et undequaque perfectum, *conc.*; relative et in suo genere, *neg.*, vel *subdist.*; si defectus illi spectent ad illud ipsum genus, in quo aliquid dicitur perfectum, et insuper insint in eo per se, *conc.*; si insint per accidens et extra illud genus et ordinem, in quo dicitur perfectum, *neg.*

Contr. dist. Minor. Sunt defectus per se et circa ordinem universalem, *neg.*; per accidens et circa ordinem aliquem particularem, *conc.* Non enim contendimus res omnes mundanas esse æque perfectas, vel singulas in suo genere, et per se loquendo et quatenus ad universalem ordinem constituendum concurrunt, quemadmodum in probationibus declaratum est. Unde sequitur nec monstra nec privationes destruere perfectionem et ordinem universi, tum quia per accidens sunt in natura particulari speciei illius, in qua monstrum et privatio reperitur, tum etiam quia spectato universali ordine, potius pertinent ad conditionem propriam mundi, atque adeo ad ejusdem perfectionem intra genus suum. Nequeunt enim non evenire illa mala quandoque in mundo, si causæ omnes naturales sinantur agere secundum leges et inclinationes suas. Quamobrem ad recte judicandum

(Ordini mundani) nec monstra nec privationes contrariantur.

(1) S. Hier. epist. 48 (al 50), n. 14.
(2) *Exod.*, cap. 3, v. 14.

de defectibus hujusmodi, non tam respicienda est natura particularis, respectu cujus certe imperfectionem et malum important, quam complexus aliarum etiam causarum et naturarum, ex quarum interventu et concursu defectus illi prodierunt (1). Adde quod monstra, «licet alienam suæ speciei deformitatem habeant, faciunt tamen ad universitatis elegantiam, quatenus alia ex eorum collatione pulchriora apparent» (2), «eo modo quo gratiam lucis commendat obscuritas noctis, et umbræ atrique colores picturæ augent venustatem, dum eminentiora quæque distinguunt, et differentia colorum alterna vice sese excitante, opposita juxta se posita magis elucescunt» (3).

Instabis. Dato etiam hoc complexu causarum naturalium nunc existente, potuissent impediri hujusmodi monstra et privationes in alia providentia et æconomia, quam Deus libere potuisset adhibere in mundi gubernatione. Ergo nequit hic mundus dici perfectus etiam in suo genere.—**Resp.** *trans.* antec., *neg.* conseq. Nam licet in eo eventu major quædam perfectio accidentalis foret in mundo, non tamen substantialis. Ideoque jure dicitur mundus in suo genere simpliciter perfectus, etiam suppositis monstris ac privationibus.

Objic. 3.° Adsunt in mundo innumera scelera, quibus non solum deordinatur homo, quia deviat a suo fine, sed etiam reliqua natura, qua ille male utitur. Ergo imperfectus et summe in ordinatus dicendus est mundus, non autem perfectus et ordinatus.

Resp. *dist.* ant.: per scelera et peccata manifestatur inordinatio ex vitio ipsius naturæ, *neg.*; ex perversa voluntate hominis, *subdist.*; ita ut hæc ipsa inordinatio ingrediatur in alium ordinem universaliorem, *conc.*; secus *neg.* Nam

(1) Ad rem S. Augustinus: *Deus... Creator est omnium, qui ubi et quando quid oporteat, vel oportuerit, ipse novit sciens universitatis pulchritudinem, quam partium vel similitudine vel diversitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tamquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat, et quo referatur, ignorat.* (Lib. 16 *de Civit. Dei*, c. 8).

(2) Conimbric., *de Cœl. et Mund.*, lib. 1, c. 1, q. 1, art. 6.

(3) Conimbr., *Physicor.*, lib 2, c. 9, q. 6, a. 2 fin.

scribente Augustino (1) mala culpæ quantumlibet in se turpia sint et deformia, et secundum se præcise spectata, dedecoris notam mundo inurant; conferunt tamen ad mundi ornamentum, quatenus ex eorum comparatione virtutum splendor magis enitet et bona eminentius commendantur, ac magis placent; tum præsertim, quia, ut idem S. Doctor ait (2), Deus, quæ ipsius bonitas est et potentia, e malis bona elicit, dum mala recte ordinat, et peccati dedecus emendat pœna peccati. Quare multa impedirentur bona, si nullum malum a Deo permitteretur. Neque enim justitia vindicans et patientia sufferens laudaretur, si iniquitas non esset» (3).

Adde quod sic elucet libertas hominis; unde ad universalem ordinem spectat permissio peccati, si homo abuti libertate sua maluerit: ita tamen ut eo ipso justitiæ divinæ ordini subjiciatur, a qua meritam pœnam accipiet, quemadmodum bene agendo præmia amplissima merebitur. Quin etiam notandum est ex sententia S. Thomæ aliorumque, sine peccato cariturum fuisse mundum maxima sui perfectione ac decore, quia Verbum divinum non assumpsisset carnem, nec habitasset in nobis.

Dices. Ergo peccata necessaria sunt ad perfectionem universi.—**Resp.** *negando*, quia bona, quæ peccatum consequuntur, non ipsi peccato debentur, sed infinitæ Dei sapientiæ ac bonitati, quæ novit etiam ex malis bona elicere (4).

Objic. 4.° In hoc mundo quædam desiderantur, quæ fieri a Deo possent, et quædam redundant, quemadmodum objiciebant olim Manichæi. Sane quisnam est finis tot bestiolarum, quæ non solum nullam afferunt homini utilitatem, sed nocent etiam sæpe ac molestæ sunt? quisnam scopus venenorum? Præterea quorsum tot individua in singulis speciebus, quæ prorsus innecessaria sunt ad harum conservationem? Quorsum palpebræ in cæcigenis, aures in surdis etc.? Quorsum pluviæ in deserto decidentes, fulmen saxa perrumpens, arentes Lybiæ solitudines etc.?

(1) S. August., lib. 3 *de lib. Arbitr.*, cap 9.

(2) *Enchirid.* c. 11; et lib. 1 *de Ordin.*, c. 7. Cfr. alii AA. apud Conimbric. loc. mox citando.

(3) Conimbric., lib. 1 *de Cœl. et Mund.*, c. 1, q. 1, art. 6, ad 1.^um

(4) Cfr. Silvius in 1.^am p., q. 25, ar. 6, parag. *Quæri etiam potest...*

UNIVERSIDAD AVE MARÍA
UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIGITAL DE RECURSOS ACADÉMICOS

Resp. *dist.* antec. quod 1.um partem: quædam desiderantur ad finem atque ordinis mundani conservationem necessaria, *neg.*; quædam desiderantur, spectata possibilitate majoris perfectionis, quam accipere mundus a Deo absolute potuit, *conc.*

Distinguo etiam 2.um partem; quædam redundant, quatenus nullum finem habeant, et ad nullum usum servire possint, *neg.*; redundant, quatenus non omnino necessaria sint ad mundi conservationem, *trans.* «Nihil enim continet mundi universitas, quod non aliquid commodi et utilitatis pariat, aut parere saltem possit, si eo congrue et sapienter utamur, quantumlibet prima specie inutile aut omnino perniciosum videatur. In quam sententiam lege D. Augustinum (1), Ambrosium (2), Hieroymum (3), Lactantium (4), Theodoretum (5). Privatim vero quod ad animantes noxias attinet, docet Augustinus (6), eas quadrifariam homini commodas esse, videlicet, quia ipsum pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent» (7). Præterquam quod hæc et alia similia, docente eodem Augustino (8), vel eo nomine utilia sunt, quia nos commonefaciunt, ut vitam aliam meliorem, in qua securitas summa est, diligamus (9).

Idipsum fere dicitur de venenis, in quibus præterea inest sæpe vis ad medicandos morbos. «Illud etiam, quod de individuorum multitudine... objectum est, nihil efficit. Non enim natura ad eam tantum rationem singularia producit, ut

(1) Lib. 1 *de Genes. contra Manich.*, c. 16; et lib. 2 *de Civit. Dei*, c. 22.
(2) Lib. 3 *Hexaëm.*, c. 9.
(3) Lib. 2 *Contr. Jovinian.*
(4) Lib. 6 *Divinar. Institut.*, c. 4; et lib. *de Ira Dei*, c. 13.
(5) Quæst. 23 et 18 *in Genes.*
(6) Lib. 3 *de Genes. ad litter.*, c. 17.
(7) Conimbricenses, lib. 1 *de Cœl. et Mund.*, loc. cit., art. 6, ad 2um, ubi pro eadem doctrina laudantur S. Bonavent. 2.ª dist. 15, q. 1, n. 28, et Abulensis in cap. 2 *Genes.*, q. 30.
(8) Lib. 1 *de Genes. Contr. Manich.*, cap. 16.
(9) Vide Conimbric., lib. 2, *Physicor.*, cap. 8, 9, q. 1, art. 3 ad 3.um, ubi alii quoque PP. in hanc rem laudantur, nimirum Ss. Ambrosius, Hieronymus ac Damascenus.

species per ea conservet, sed ut eorum copia mundum locupletet; tametsi negandum non sit, rerum intereuntium individua ad universi perfectionem, saltem primariam, minime pertinere. Sicut enim, teste Avicenna (1), in ea nec primo nec per se natura fertur; ita nec illa ad primariam sui perfectionem deposcit, ut D. Thomas 2.° *Contra Gentes*, cap. 84 edocet» (2).

Ad postrema quoque exempla facilis est responsio. Si enim ex naturali concursu causarum naturalium impedimentum solummodo adfuit pro fabrica oculi vel tympani, palpebræ necessario erunt integræ, ut etiam auris, ex ipso naturæ ordine. Quod vero illæ, deficiente oculo ac tympano, ad finem suum inutiles sint, id omnino est per accidens. Itemque Deus non tenetur impedire naturalem cursum: unde si ex causis naturalibus densantur vapores aquæ in desertis vel efformatur electricitas super saxa; ibi decidant imbres ac fulmina, necesse est. Denique arentes Lybiæ solitudines possunt in primis hoc commodum præstare, ut dilatato præ caloris reflexione aëre, æquilibrium abrumpatur, et sic excitenter venti, quibus purgetur ipse aër; deinde juvant, id quod commune est creatis omnibus rebus, naturam rationalem ad cognoscendum et laudandum Deum. Neque vero quia nos ignoramus proximum finem et utilitatem alicujus rei, inordinatam illam aut superfluam existimare debemus, cum semper possimus hunc saltem remotiorem finem assignare. Eo vel magis quod resplendens in aliis rebus pulcherrimus ordo satis nobis persuadet, ordinem deesse non posse vel in minimis illis, quorum fines nondum assecuta est ignorantia et imbecillitas ingenii nostri.

Objic. 5.° Sunt in mundo innumera corpora, quæ brevi corrumpuntur et intereunt. Immo corpora omnia corruptibilia sunt, et sic perpetua inest ubique vicissitudo corruptionum. Id autem magnum videtur esse malum, cum corruptio cujusvis rei sit contra naturam.

Resp. *conc.* Major., *dist.* Min. Perpetua illa corruptionum vicissitudo est malum pro natura particulari, *conc.*; pro

(1) 1 *Suffic.*, cap. 1.
(2) Conimbric., *de Cœlo et Mund.*, loc. cit. ad 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

natura et ordine mundi universali, *neg.* Nam *quamvis corruptio alicujus rei in universo non sit ei conveniens, competit tamen perfectioni universi, quia per continuam generationem et corruptionem individuorum conservatur esse perpetuum in speciebus, in quibus per se consistit perfectio universi* (1); *quia perfectio universi attenditur essentialiter secundum diversitatem naturarum, quibus implentur diversi gradus bonitatis, et non secundum multiplicationem individuorum in una natura* (2).

Unde *corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cadit in bonum alterius, vel etiam totius universi; nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur multa bona deessent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum* (3). *Si ergo malum totaliter ab universitate rerum per divinam providentiam excluderetur, oporteret bonorum etiam multitudinem diminui* (4) Distinguendum ergo est inter perfectiones singularium partium singillatim sumptarum, et inter perfectionem universi, quæ tanto est major, quanto plura bona in eo sint vel possint esse, magisque possit divinam perfectionem et attributa manifestare.

Instabis. Sed nonne melius foret, si res omnes essent incorruptibiles?—**Resp.** cum S. Thoma (5), ipsis quidem naturis particularibus melius, mundo autem universo non melius, sed pejus fore, si solis incorruptibilibus constaret; nam tunc nullum esse posset corpus vivum et mixtum. Quare sicut sermo bene compositus pulchritudinem habet, quamvis in eo syllabæ omnesque soni quasi nascendo ac

(1) S. Thom., *de Verit.*, q. 5, a. 3 ad 2.um Cfr. ibid in corp.
(2) S. Thom., 1.ª dist. 44, q. 1, art. 2 ad 6.um
(3) S. Thom. 1 p., q. 22, a. 2, ad 1.um Cfr. 1 p., q. 49, art. 2.
(4) S. Thom., 3.º *Contr. Gent.*, cap. 71, *adhuc multa bona sunt*
(5) *De Veritat.*, quæst. 5, art. 3, ad 3.um; 1.º dist. 44, quæst. 1, art. 2, ad 5.um et 6.um.

moriendo transcurrunt, ita mundus et perfectionem et ordinem suum servare potest, licet corruptibilibus entibus constet, quæ perpetuo generationum et corruptionum fluxui subjaceant (1).

Objic. 6.º Nequit absolute perfectum dici id, quod non constat ex optimis partibus. Nam tale est totum, qualia sunt membra, ex quibus coalescit. Atqui in mundo non omnes partes optimæ, sed aliæ aliis meliores reperiuntur. Ergo... (2).

Resp. Cum S. Thoma sic egregie scribente: *Perfecta bonitas in rebus creatis non inveniretur, nisi esset ordo bonitatis in eis, ut scilicet quædam sint aliis meliora. Non enim implerentur omnes gradus possibiles bonitatis, neque etiam aliqua creatura Deo assimilaretur, quantum ad hoc quod alteri emineret. Tolleretur etiam summus decor a rebus, si ab eis ordo distinctorum et disparium tolleretur; et quod est amplius, tolleretur multitudo a rebus, inæqualitate bonitatis sublata, cum per differentias, quibus res ad invicem differant, unum altero melius existat; sicut animatum inanimato, rationale irrationali. Et sic si æqualitas omnimoda esset in rebus, non esset nisi unum bonum creatum: quod manifeste perfectioni derogat creaturæ. Gradus autem bonitatis superior est, ut aliquid sit bonum, quod non possit a bonitate deficere: inferior autem eo est, quod potest a bonitate deficere. Utrumque igitur gradum bonitatis perfectio universi requirit. Ad providentiam autem gubernantis pertinet perfectionem in rebus gubernatis conservare, non autem eam minuere. Igitur non pertinet ad divinam providentiam, ut omnino excludat in rebus potentiam deficiendi a bono, etc.* (3).

Instabis. Optimi est optima facere. Sed inter optima unum non est majus altero. Ergo Dei, qui est optimus, est omnia æqualia facere (4).—**Resp.** *Optimi agentis est producere totum effectum suum optimum; non tamen quod quamlibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam*

(1) Cfr. Conimbric. loc. cit. art. 7, ad 4.um.
(2) Apud Conimbric. loc. cit. art. 1, arg. 4.º et 5.º
(3) S. Thom. 3.º *Contr. Gent.* c. 71, *Amplius*. Cfr. ibid cap. 64, *Deinceps autem*; *de Potent.* q. 3, art. 16, vers. fin.; et 1 p., q. 48 a. 2, ad 3.um; 1.ª dist. 44, art. 2, ad 5.um; 1 p., q. 22, a. 2, ad 2.um.
(4) Apud S. Thom. 1 p., q. 47, a. 2, arg. 1.º.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

secundum proportionem ad totum. Tolleretur enim bonitas animalis, si quælibet pars ejus, oculi haberet dignitatem. Sic igitur Deus et totum universum constituit optimum secundum modum creaturæ, non autem singulas creaturas, sed unam alia meliorem. Et ideo de singulis creaturis dicitur (Gen. c. 1, v. 4): **Vidit Deus lucem, quod esset bona**, et *similiter de singulis. Sed de omnibus simul dicitur:* **Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona** (1).

Objic. 7.° Non raro contingunt in natura ingentes perturbationes ordinis in tempestatibus, terræ motibus, inundationibus, etc. Itemque identidem adsunt defectus solis et lunæ: quæ omnia deflexiones quædam videntur esse ab ordine mundano. Ergo vel reapse non adest ordo in mundo, vel certe constans non est.

Resp. *conc. ant., neg. conseq.* Etenim «ejusmodi naturæ excursiones, ut non absque Dei voluntate et administratione fiunt, ita nec sine ordine contingunt, etsi is interdum non appareat, ut docet S. Augustinus (2). Nimirum ipse ordo postulat, ut illa interdum accidant, sive ita ferente concursu naturalium causarum, quas sic divina sapientia disponit, et actus suos exequi sinit, sive Deo aliter, quam tum per naturam eventurum esset, fieri imperante. Quod vero ad planetarum eclipses attinet, nullus in ea re ordinis defectus notari potest, cum ex illorum in cœlestibus globis situ et rata motuum æquabilitate (quæ tam ad mundi ornatum, quam ad commoditates sublunarium rerum optime constituta sunt) ita evenire oporteat, definitis temporum intervallis. Addit quoque Damascenus (3), idcirco id divini artificis providentiam sanxisse, ut eorum confutaretur amentia, qui soli et lunæ divinos honores exhibent: cum palam sit non inesse numen iis, quæ mutationi obnoxia sunt, et interdum lucis penuria laborant, aut pulchritudinem suam conspicuam reddere non valent» (4).

(1) S. Thom. 1. p. q. 47, a. 2 ad 1.um.
(2) *De Trinit.* lib. 3, c. 2; *de Genes.* ad litter., lib. 5, c. 21.
(3) *De Ortodoxa Fide*, lib. 2, cap. 7.
(4) Conimbric., *Physicor.* lib. 2, c. 8 et 9, q. 1, art. 3 ad 2.

ARTICULUS II.

Utrum hic mundus sit omnium possibilium optimus.

27. Exclusa eorum sententia, qui mundi perfectionem plus æquo deprimunt, expendenda venit contraria opinio asserens mundum hunc esse omnium possibilium optimum. Ita existimavit inter alios Leibnitzius (1), Christianus Wolfius (2), Mallebranchius (3), Rosminius (4), aliique fautores Optimismi (5). Quibus multo ante præiverat Seneca (6) et Stoici (7), itemque Abælardus et Wicleffus (8). Et idem teneant, necesse est, Pantheistæ, et generatim quicumque Deum censeant necessario agere: ea quippe est conditio

Optimismi asseclores.

(1) *Princip. Philos.* parag. 55, et sæpe in *Theodic.* Et alibi (epist. 1 ad Bourquet) exponit idem Leibnitzius mentem suam hisce verbis: «Quand je dis qu'il y a une infinité de mondes possibles, j'entend que n'impliquent point de contradiction, comme on peut forger de romans, qui n'existent jamais, et qui sont pour tant possibles.» Nimirum licet sint possibiles absolute alii mundi, deest tamen ratio sufficiens eos producendi. Cfr. Roselli, *Summ. Philos.* t. 3, quæst. 1, art. 2.
(2) *Theol. Nat.* part. 1, c. 3, n. 325, 326, 328.
(3) In tract. *de Nat. et grat.*, discurs. 1, a n. 12; et *Entretiens sur la Metaph.*, 9.
(4) *Theodic.* n. 651; «Alla dimanda: perche (Iddio) volle crearc questo mondo, anziche un' altro, dee rispondersi: perche questo mondo era degno della somma bontà, come quello che col minimo mezzo produceva il massimo bene, e perciò fu il solo possibile.» Cfr. *Teosof.* vol. 1, n. 723.
(5) Apud Spagni, *De Mundo*, prop. 3.ª, sect. 2.
(6) *Quæ Deo faciendi mundum causa fuit? Bonus est, bono nulla cujusquam boni invidia est. Fecit itaque quam optimum potuit.* Senec. epist. 65.
(7) Quorum hæc in hanc rem fuit, teste Cicerone sententia: *Nihil omnium rerum melius esse mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius. Nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest.* Cicéron. lib. 2, *de Nat. deor.*
(8) De Abælardo vide S. Bernardum in tract. de illius erroribus; et Hugonem Victorinum, tom. 3, lib. 1, part. 2, c. 22. De Wicleffo vero confer Thomam Waldensem, *Doctr. Fid.* lib. 1, a. 1, cap. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

causarum necessario agentium, ut effectum producant quam perfectissimum possunt.

Alius quæstionis declaratur.

Ad clariorem rei expositionem nota propositam quæstionem bifariam intelligi posse: primo utrum hic præsens mundus majorem, quam nunc habeat, perfectionem assequi posset, an vero sit quam perfectissimus in sua specie. Et hoc modo propositam quæstionem Angelicus sic resolvit, mundum hunc perfici accidentaliter posse, non vero essentialiter; quia si quæ perfectio essentialis huic mundo adderetur, jam non esset idem omnino, qui nunc est, sed alius. Videatur S. Doctor (1), itemque Conimbricenses (2), Rubius (3), Toletus (4) et Sylvius (5). Verum non est hic sensus quæstionis, quæ agitur inter optimistas et reliquos philosophos, sed hic alius: utrum hic mundus sit omnium possibilium optimus, an vero possit a Deo fieri alius mundus melior ac perfectior. Et in hoc tantum sensu loquendum nobis est in præsentiarum.

At notandum adhuc est, dupliciter accipi posse, quod Deus faciat mundum perfectiorem, subjective seu ex parte operantis vel modi operandi, ita ut Deus perfectiori modo operaretur in alterius mundi molitione; et ex parte mundi ipsius ontologice considerati, ita ut Deus faciat alium mundum majori gradu perfectionis entitative prædituum (6). Et planum est, in controversiam minime nunc vocari, an mundus perfectior fieri possit perfectione se tenente ex parte operantis Dei; nam *Deus non potest facere melius, quam sicut facit, quia non potest facere ex majori sapientia et bonitate* (7). Siquidem, scribente Augustino, *Deus... ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis; quæ parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt* (8).

(1) 1.ª disp. 44, q. 1, art. 1, 2; 1 p., q. 25, art. 6.
(2) Lib. 1 *de Cœl. et Mund.* cap. 9, q. 2.
(3) *De Cœl. et Mund.* cap. 9, q. 4.
(4) In 1.^am p., quæst. 25, art. 6.
(5) Vide Sylvium *In* 1.^am *p.*, quæst. 25, art. 6, *Petes.*
(6) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 6 ad 1.^um; Conimbric. loc. cit., art. 2.
(7) S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 6, ad 1.^um
(8) *De Civit. Dei*, lib. 11, cap. 22.

Denique cum quæritur utrum alius mundus objective et ontologice perfectior et melior fieri a Deo possit, perfectio mundi vel sumitur absolute, prout nempe in se et entitative consideratur, vel relative, ratione habita ad finem, quem Deus in creando mundo intendit, obtinendi certum gradum gloriæ manifestationisque suæ perfectionis infinitæ. Hisce præhabitis, sit

28. PROPOSITIO 1.ª **Hic mundus non est absolute omnium possibilium optimus, sed possibiles sunt alii mundi perfectiores in linea entis.**

Ita S. Thomas (1), Conimbricenses (2), Rubius (3), Vazquez (4), Valentia (5) aliique communissime (6).

Mundus hic non est absolute optimus omnium;

Prob. 1.° a priori. Nam repugnat omnium possibilium perfectissimum ens. Ergo...

Prob. ant. Nam possibile est quiquid divinam bonitatem ac perfectionem participare potest. Atqui divina bonitas et perfectio, cum nullis circumscribatur limitibus, a nullo ente creato vel creabili participari plene potest, sed semper est magis magisque participabilis in infinitum. Ergo possibilia sine fine perfectiora et perfectiora dari possunt, quin unquam assignabilis sit omnium perfectissimum (7).

Prob. 2.° Si mundus hic foret omnium possibilium optimus, deberet in summo gradu manifestare divinas perfectiones. Secus enim si alius mundus in altiori gradu divinas perfectiones manifestaret, hoc perfectior foret. Atqui noster hic mundus, cum si finitus in perfectione, non manifestat profecto divinas perfectiones in eminentissimo omnium gradu. Ergo...

(1) 1.ª dist. 44, quæst. 1, art. 2; 1 p., quæst. 25, art. 6, ad 3.^um; *de Verit.* quæst. 20, a. 4.
(2) Lib. 1.ª *de Cœl. et Mund.* cap. 9, quæst. 3.
(3) Lib. 1.ª *de Cœl. et Mund.* cap. 9, q. 3.
(4) In 1.^am p., quæst. 25, a. 6, disp. 107, cap. 1.
(5) In 1.^am p., disp. 1, q. 25, punct. 3.
(6) Cfr. Cuevas, Op. cit., *Cosmolog.* a. n. 44; Roselli, *Summ. philos.* tom. 3, q. 3, a. 3; Spagni, *de Mundo*, prop. 3.
(7) Vide quæ in *Ontologia* scripta sunt de repugnantia creaturæ omnium possibilium perfectissimæ, num. 204.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 3.° In tantum hic mundus foret omnium optimus in quantum vel Deus careret virtute perfectiorem efficiendi, vel in quantum Deus teneatur ad optimum, ut vult Leibnitzius, et ratio sufficiens Deum ad aliquid efficiendum determinans sit major illius bonitas præ aliis. Atqui hoc postremum divinam evertit libertatem; primum autem omnipotentiam, ad cujus rationem pertinet, quolibet creato posse aliud perfectius et perfectius sine fine creare. Ergo...

Audiatur Angelicus Doctor: *Finis naturalis divinæ voluntatis est ejus bonitas, quam non velle non potest. Sed fini huic non commensurantur creaturæ, ita quod sine his divina bonitas manifestari non possit: quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur divina bonitas per has res, quæ nunc sunt, et per hunc rerum ordinem; ita potest manifestari per alias creaturas et alio modo ordinatas. Et ideo divina voluntas absque præjudicio bonitatis, justitiæ et sapientiæ, potest se extendere ad alia, quam quæ facit. Et in hoc fuerunt decepti errantes; existimaverunt enim, ordinem creaturarum esse quasi commensuratum divinæ bonitati, quasi absque eo esse non possit* (1).

Prob. 5.° Hic mundus potest esse perfectior et quoad quantitatem, et quoad numerum, et quoad perfectionem suarum partium. Ergo non est omnium possibilium optimus.

Prob. ant. per partes. *Quoad quantitatem.* Nam cur non homines, animantia, plantæ, corpora inorganica, sidera majorem habere possint magnitudinem, quam nunc habeant? *Quoad numerum* et *perfectionem* simili modo res patet. Dubium enim esse non debet, quin posset Deus novas rerum species addere huic mundo; et tunc mundus haberet majorem perfectionem saltem extensivam, quia constaret hisce entibus et aliis novis, quæ nunc non existunt. Posset etiam entibus mundanis nunc existentibus vel aliis ejusdem speciei, sed numero diversis, majorem perfectionem accidentalem conferre (2); et sic mundus foret perfectior etiam intensive.

(1) *De Potent.* q. 1, a. 5. Cfr. ibid. ad 14.^um

(2) Vide S. Thom., 1.^a dist. 44, q. 1, a. 2; *de Verit.*, q. 22, a. 4. in med. corp. Cfr. Valentia *In* 1.^am *p.*, disp. 1, q. 25, punct. 3; Sylv. *In* 1.^am *p.*, q. 25, a. 6.

Utrum si quæ mundi pars accidentarie perficeretur, deberent reliquæ omnes perfici.

29. **Quæri autem solet,** num partibus quibusdam mundi hujus ad majorem perfectionem accidentariam evectis, reliquæ in eodem relinqui possint, an vero omnes proportionaliter perficiendæ essent. Et multi arbitrantur omnes mundi partes secundum proportionem magis perfici oportere, ne secus dissonantia et inconcinnitas inter partes mundi consequatur, ordinisque proportio corrumpatur, *sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ melodia* (1). Quæ sententia est Angelici (2), Capreoli (3) Alexandri et Altisiodorensis (4). Durandus autem aliique apud Rubium (5), itemque Toletus (6), Vazquez (7) et Conimbricenses (8) existimant concentum et harmoniam mundi non consistere in indivisibili relate ad accidentia corporum mundanorum, quæ proinde si quoad essentiam remaneant immutata, ordinem adhuc inalteratum perstare posse, licet uno aut altero corpore perfectiori effecto, reliqua pristinam perfectionem retineant.

Ratio horum est, quia ordo mundanus præsertim coalescit ex essentiali bonitate ac perfectione diversorum entium, invicem proportionata, et ad finem communem aptissima. Dummodo ergo sarta tecta remaneat essentialis omnium rerum perfectio, licet accidentariæ inæqualiter varientur, ordo perturbari nequit; ideoque paritas nulla est inter mundanum ordinem relate ad perfectiones accidentarias et inter chordas citharæ.

«Quod ex eo confirmant, quia in statu hominis integro, tota natura humana multo excellentioribus, quam modo, non gratiæ tantum, sed naturæ etiam muneribus excellebat; et tamen cæteræ universi partes, ut cœlum, stellæ et elementa proportionaliter non erant meliora. Quare vel tunc non esset inter partes Universi proportio, atque ita non

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 25, a. 6 ad 3.^um

(2) Ibid.; et 1.^a dist. 44, q. 1, art. 2.

(3) 1.^o dist. 44, quæst. 1, art. 2.

(4) Apud Rubium. lib. 1.^o *de Cœl. et Mund.*, cap. 9, quæst. 4.

(5) Ibid.

(6) In 1.^am p., quæst. 25, art. 6, *Dub. III.*

(7) In 1.^am p., quæst. 25, art. 6, disp. 107, cap. 3.

(8) Lib. 1.^o *de Cœl. et Mund.*, cap. 9, q. 2, a. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuisset mundus a Deo harmonice constitutus, vel certe nunc haud bene sese habet, quia cum species una, eaque præstantissima, deterior effecta sit, cæteræ nihilominus priorem statum retinuere. Non igitur ad universi concentum requiritur, ut omnes ejus species perpetuo eamdem servent proportionem quoad perfectiones accidentarias: alioquin si una tantum species, quæ in aliqua mundi parte dumtaxat reperitur..., in melius aut deterius mutetur, quod non raro accidit (ut cum homines aliqui in bonam frugem se recipiunt, aut e converso ab honestate in improbitatem transeunt), oportebit reliquas similem cum ea mutationem subire: vel frequenter destruetur proportio bonitasque universi; quod est absurdum» (1). Adde «quod Christi Incarnatione mundi ordo melioratus est, et tamen perfectio unius partis fuit» (2).

Secunda hæc sententia probabilior videtur, licet quæstio non magni sit momenti, nec necessaria ad tuendam propositionem.

30. PROPOSITIO 2.ª **Mundus hic relative omnium optimus ac perfectissimus est.**

Mundus est optimus relative.

Et ratio est hæc, quia mundus hic certe omnium possibilium optimus est relative, si tam perfecte manifestet gradum illum gloriæ suæ, quem Deus in eo condendo intendit, ut nullus alius possit talem gradum gloriæ perfectius demonstrare. Atqui ita se res habet. Etenim si hic mundus non referret omnium perfectissime gradum gloriæ manifestationisque divinorum attributorum a Creatore intentum; id foret, vel quia nescivit Deus, aut non potuit in fabricando mundo gradum gloriæ a se præfinitum perfectissime et adamussim assequi. At primum horum infinitæ Dei sapientiæ, alterum derogat omnipotentiæ. Ergo... (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

31. **Objic. 1.º** Plures Patres videntur aperte contradicere stabilitæ a nobis doctrinæ. Sic Dionysius (4) illud Platonis

(1) Apud Conimbric., loc. cit.
(2) Tolet., loc. cit.
(3) Cfr. Cuevas, loc. cit., n. 50.
(4) *De Divin. Nomin.*, cap. 4.

usurpat: *Optimi est optima adducere.* Et S. Cyrillus Alexandrinus: *Omnia*, inquit, *Pater potest, et meliora semper vult* (1). Et S. Basilius: *Nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum est, aut tale, ut melius illo aliquid excogitare queamus* (2). Nec aliter S. Augustinus: *Justitia summi Dei factum est, ut non modo sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnino melius esse non possint* (3).

Resp. hæc et alia similia loca facile sic explicari posse, ut significent, quæ Deus facit, optima esse, non absolute, sed relative, vel etiam non objective, sed subjective.

Objic. 2.º «Effectus qui producitur a causa secundum totam suam potentiam, non potest ab ipsa melior fieri. Sed quamlibet creaturam Deus operatur tota sua potentia, quia per essentiam suam, quæ indivisibilis est. Ergo nullam rem meliorem potest facere, quam sit (4).

Resp. *quod quamvis Deus producat unumquodque creatum tota sua potentia infinita; non tamen sequitur quantitas bonitatis in effectu, nisi secundum voluntatem opificis, quæ se habet ut imperans ad opus, quod potentia exsequendo educit* (5).

Objic. 3.º «Universum includit omne bonum. Sed nihil potest esse omni bono melius. Ergo Deus non potuit universum melius facere» (6).

Resp. *dist.* ant.: continet omne bonum ex actu existentibus, *trans.*; continet omne bonum possibile, *neg.* (7).

Objic. 4.º «Secundum Dionysium (8), bonum et melius inveniuntur in rebus, secundum quod quædam participant plures de bonitatibus divinis, quam aliæ; sicut ea quæ vivunt, præferuntur existentibus tantum, et sic deinceps. Sed omnes perfectiones divinæ, creaturæ communicabiles, creaturis aliquibus communicatæ sunt. Ergo videtur quod universum melius esse non possit» (9).

(1) Lib. 2 *Thesaur.* cap. 1.
(2) *Homil.* 9 ex variis.
(3) *De Quantit. animæ*, cap. 33.
(4) Apud S. Thom., 1.ª dist. 44, q. 1, a. 1, arg. 3.º
(5) Vide S. Thom. ibid., ad 3.um
(6) Apud S. Thom. ib. art. 2, arg. 2.
(7) S. Thom. ibid., ad 2.um
(8) *De divin. Nominib.* c. 4.
(9) Apud S. Thom. ibid. arg. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* Min.: omnes perfectiones divinæ communicabiles creaturis, communicatæ sunt aliquo, modo *trans.*; secundum omnem modum, quo participari a creaturis possunt, *neg.* Etenim *participandi eamdem perfectionem diviuam sunt multi modi; sicut sapientiæ divinæ participatio est in intellectualibus substantiis aliter, et aliter in rationalibus, scilicet hominibus; et etiam usque ad bruta se extendit, quæ sensitivam cognitionem habent. Quamvis ergo omnes perfectiones forte creaturæ communicabiles sint creaturæ communicatæ, non tamen secundum omnem modum, quo possunt a creatura participari* (1).

Objic. 4.° «Quidquid facit Deus, si melius potest facere, quam facit, in hoc ipso non bene facit, quod optimum quidem non facit, quod facit. Melius enim faceret, si quod facit, melius faceret. Facere quippe et nolle melius facere, etiam bonum facientis, male est facere». Ita Abælardus apud Hugonem a S. Victore (2).

Resp. *neg.* ant. ejusque probationem primam: alteram *dist.* Facere, et nolle facere melius, male facere est, respectu illius, qui aut ex indigentia operatur, aut ad obtinendam aliquam sui perfectionem, *trans.*; si non sic operatur, *neg.* Mundum namque Deus libere voluit propter suam bonitatem communicandam in tali gradu et mensura, in qua gloriam suam manifestare voluit. Partes vero mundi has vel illas vult, prout postulat ordo et perfectio ejus. Vide S. Thomam (3).

Objic. 5.° «Bonitatis divinæ est, ut non solum se communicet, sed ordinatissime se communicet. Sic ergo ea, quæ fiunt a Deo, ordinate fiunt. Sed præter ordinem Deus facere non potest. Ergo non potest facere alia, quam quæ facit» (4).

Resp. *dist.* Minor. Deus non potest facere præter ordinem aliquem, *conc.*; præter hunc actualem, *neg.* Nam *divina bonitas potest se communicare ordinate, non solum isto modo, quo res operatur, sed multis aliis* (5).

(1) 1.a dist. 44, q. 1, a. 2, ad 3.um
(2) T. 3, lib. 1, p. 2, cap. 22.
(3) Lib. 1 *Contr. Gent.* c. 86.
(4) Apud S. Thom., *de Pot.* quæst. 1, art. 5, arg. 8.
(5) S. Thom. *de Pot.* quæst. 1, art. 5, ad 8.um

Objic. 6.° Ille est omnium optimus mundus, qui maxime placet Deo. Atque hic noster mundus maxime omnium placet Deo. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Ille est omnium optimus, qui et absolute et relative, relate nempe ad hunc finem et circumstantias, maxime placet, *conc.*; qui relative dumtaxat maxime placet, *subdist.*: est relative optimus, *conc.*; absolute, *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 7.° Si Deus non fecit mundum possibilium omnium optimum, vel fuit quia nescivit, vel quia non voluit, vel quia non potuit. Primum horum infinitæ sapientiæ, alterum bonitati, tertium repugnat potentiæ.

Resp. sufficientem rationem eam esse, quod Deus noluit meliorem mundum facere, neque id est contra Dei bonitatem. Docente namque Aquinate: *Finis naturalis divinæ voluntatis est ejus bonitas, quam non vellé non potest. Sed fini huic non commensurantur creaturæ, ita quod sine his divina bonitas manifestari non possit: quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur divina bonitas per has res, quæ nunc sunt, et per hunc rerum ordinem, ita potest manifestari per alias creaturas et alio modo ordinatas. Et ideo voluntas divina absque præjudicio bonitatis, justitiæ et sapientiæ potest se extendere ad alia, quam quæ facit.* (1). Cæterum Deus mundum optimum nec cognoscit, nec potest velle, nec facere, non ex defectu intelligentiæ, bonitatis vel potentiæ, sed quia mundus omnium possibilium optimus repugnat.

Objic. 8.° Deus nullam rationem habere potuit, ut mundum minus perfectum præ perfectiori crearet. Atqui Deus sine ratione sufficienti operari non potest. Ergo Deus non potuit non omnium optimum creare mundum.

Resp. *neg.* Major. Utrumque enim evidenti argumento probatur, et quod Deus ad optimum non teneatur, et quod sine ratione sufficiente operari non possit. Quamvis ergo nesciamus assignare rationem, cur Deus hunc præ alio mundum voluerit, eam profecto habuit justissimam sanctissimamque. Particularium vero, quæ sunt in mundo, rationes nos ipsi assignare possumus secundum fines proprios ac

(1) S. Thom., 1.° *Contr. Gent.*, cap. 86.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturas illorum. Id quod breviter innuit S. Thomas illis verbis: *Sic ergo procedere possumus in assignando divinæ voluntatis rationem: Deus vult hominem habere rationem ad hoc, ut homo sit. Vult autem hominem esse ad hoc, quod completio universi sit. Vult autem bonum universi esse ad hoc, quod habeat bonitatem ipsius* (1).

Objic. 9.° Cum Mallebranchio. Deus infinito amore prosequitur suam gloriam. Atqui non ita se res haberet, nisi vellet etiam perfectionem suam per mundi creationem in summo gradu manifestare. Ergo...

Resp. *dist.* Major.: infinito amore subjective, *conc.*; infinito amore objective, seu amore, qui manifestetur in summo gradu in ipso effectu, quem propter gloriam suam Deus facit, *neg.*

Et contradist. Minor, *neg.* conseq. Si objectio quidpiam valeret, probaret etiam absurdissime, Deum nihil finitum efficere posse, vel omnia quæcumque facit, eamdem perfectionem debere præ se ferre. Nam quidquid facit, propter gloriam suam facit, quam infinite amat, itemque ex eadem infinita virtute ac potentia; et ex eodem infinito amore gloriæ suæ producit magna et parva in infinita propemodum varietate perfectionis. Eodem ergo modo, quamvis Deus ex infinito amore gloriæ suæ mundum condiderit, non sequitur debuisse optimum omnium possibilium mundum efficere.

Objic. 10. Mundus a Deo conditus conformis est ideæ divinæ exemplari. Atqui hæc idea absolute perfectissima est. Ergo et mundus perfectissimus sit, oportet.

Resp. *dist.* pariter Minor.: perfectissima est subjective, *conc.*; objective, *neg.* Itaque ex hac quoque objectione idem absurdum consequitur, quod in præcedenti notavimus.

ARTICULUS III.

Utrum mundus sit animatus.

32. Ad perfectionem mundi cognoscendam proculdubio spectat controversia hæc, in qua quæritur de anima mundi: si enim mundus anima præditus est, tanto excellentiorem entitatem possidet, quanto præstant inanimatis entia animata.

(1) S. Thom., 1.a *Contr. Gent.*, cap. 86.

Status quæstionis.

Ut autem quæstio melius absque ulla ambiguitate solvatur, notare in antecessum oportet duplicis generis animam posse concipi, animam quæ sit forma informans, et animam quæ sit forma pure assistens. Forma informans dicitur ea, quæ materiam actuat, et cum eadem compositum unum constituit; et hujusmodi est anima in sensu proprio intellecta, ut suo loco probabitur. Forma pure assistens est forma, quæ non actuat subjectum vel materiam, nec physice cum illo unitur, sed tantum eidem adest ad munus aliquod exhibendum. Forma vero ejusmodi etiamsi foret substantia vivens, non posset dici proprie, et univoce anima, sed tantum æquivoce. Utrum ergo mundus anima præditus sit, posset absolute intelligi in utrolibet sensu vocis animæ. Nos autem hic quæstionem in primo et proprio sensu intelligimus; et investigamus, utrum cœlestia corpora vel cœlestes globi, quibus coalescit mundus, anima aliqua informentur, quæ sit principium vitæ reddens illum in omnibus suis partibus viventem. Non autem quærimus utrum astra suas habeant animas assistentes, quibus moveantur et regantur: id enim quærere perinde est, ac quærere, utrum cœlestibus globis assistant spiritus aliqui vel angeli, a quibus moveantur perpetuis suis ordinatissimisque motibus.

Sententia veterum.

Scholastici DD. affirmativam tenebant sententiam, quæ tamen nunc, progrediente scientia astronomica, penitus obsoleta videtur atque ab omnibus deserta. Non minus communiter regnavit apud veteres ethnicos persuasio de mundi anima: animata enim esse cœlestia corpora putarunt Chaldei, Persæ, et antiqui Græci ac Romani. Idemque sopinati sunt, Platone teste et defensore in *Cratylo* et *Epinomide*, omnes fere veteris Physiologiæ principes, tam græci, quam ægyptii: quorum alii mundum magnum quoddam animal esse, omnesque ejus partes una et eadem anima præditas esse putabant; alii singulis orbibus animas singulas attribuebant; alii etiam unicuique stellæ suam animam applicabant. Et ex his rursus quidam intelligentem dumtaxat, quidam altricem simul animam cœlesti mundo dederunt, ajentes ali sidera humoribus oceani in altum subductis» (1): quam doctrinam Cleanthes (2)

(1) Conimbric., *de Cœl. et Mund.* lib. 2, cap. 1, quæst. 1, art. 1.
(2) Vide Ciceron., *de Natur. deorum*, lib. 2; Plin., *Histor.*, lib. 2, cap. 8

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et Seneca (1) cæterique Stoici tenuisse feruntur. Denique adeo hæc opinio de mundo animato antiquorum animis insederat, ut Anaxagoras, referente Læertio (2) et D. Augustino (3), quod solem lapidem flagrantem, non vero animal neque Deum esse dixerit, impietatis apud Athenienses accersitus sit ac morte damnatus. Plato *hunc mundum animal* esse voluit, ut constat ex Timæo (4). Aristoteles etiam cœlum animatum esse scripsit (5), et multo ante etiam Thales Milesius ac Pythagoras. Quamquam putat S. Thomas Platonem et Aristotelem ita interpretandos esse, ut volucrint corpora cœlestia animata non animabus informantibus, sed assistentibus dumtaxat, per quas moverentur fere sicut mobile regitur a motore (6). Postea vero cœlos animatos fecere hebræus Philo (7), et Origenes (8), idemque videtur innuisse S. Hieronymus (9), quamvis illum benigne interpretari conentur Conimbricenses (10). Pro eadem denique sententia adducuntur ex Arabibus Avicenna, Algazel, Alpharabius, etc.

Quidam ethnici novum errorem addidere sententiæ de mundi animatione, dicentes Deum ipsum esse animam mundi, ut de Varrone testatur S. Augustinus (11), eidemque errori dicuntur adhæsisse Stoici. Accessit in ætate media

(1) *Natural. quæstion.* cap. 5.
(2) In ejus vita.
(3) *De Civit. Dei*, lib. 18, cap. 41. Cfr. S. Thom., *de Spirit. creat.*, art. 6; *Quodlib.* 12, art. 8.
(4) Vide Alcin., *de Doctrin. Plat.*, cap. 14.
(5) *De Cœl. et Mund.*, lib. 2, cap. 2, text. 13. Cfr. etiam S. Thom., lib. 2.° *Contr. Gent.*, cap. 10; *de Cœl. et Mund.*, lib. 2, lect. 3, lect. 13; quibus in locis S. Thomas probat ex Aristotele cœlos esse animatos anima intellectiva, non vero sensitiva vel vegetativa. Vide Roselli (*Summ. philos.*, tom. 3, q. 3, art. 3, n. 146, not. 3), ubi solvitur difficultas, quæ contra hanc Angelici interpretationem fieri potest ex ipso S. Doctore.
(6) Vide S. Thom., 1 p., q. 70, art. 3; *de Spirit. creat.*, art. 6.
(7) *De opificio sex dierum.*
(8) *Periarch.*, lib. 1, cap. 7.
(9) *In Ecclesiastem* cap. 1, v. 6 apud Conimbricens., *de Cœl. et Mund.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 1, art. 1, fin.
(10) Loc. cit. art. 4 fin.
(11) *De Civit. Dei*, lib. 7, cap. 5.

Petrus Abælardus qui, ut testatur S. Bernardus (1), Spiritum S. esse animam mundi autumavit: quam blasphemiam falsissime Moshemius (2) appinxit Ss. Gregorio Nazianzeno et Cyrillo Alexandrino (3). Eademque forte persuasio mentibus inhærens potuit esse causa Sabeismi, seu cultus astrorum et idolatriæ, quæ miserandum in modum apud ethnicas nationes regnavit.

Ut jam de christianis scriptoribus dicamus, inter Patres Ecclesiæ non semper videtur fuisse uniformis et constans de mundi animatione opinio. Nam præter S. Hieronymum, quem nuper laudavimus, S. Augustinus saltem diu dubius hæsit, ut ipsemet diserte fatetur non uno in loco (4). Postea autem quæ olim (5) scripserat circa sententiam de astris animatis, retractans, temere a se dicta pronuntiavit (6), vel metaphorice intelligi posse in sano sensu interpretatus est (7); quamquam in eo ipso opere (8) eam temeritatis suæ rationem reddat, quod nempe nullum sibi idoneum tunc suppetebat argumentum sive ad asserendam sive ad denegandam astris animam. Nihilominus talia in aliis operibus scripsit (9), ex quibus videtur colligi S. Doctorem in ea se tandem obfirmasse sententia, cœlos animæ ac sensus esse expertes, de quo antea addubitaverat (10). Apud cæteros autem Patres frequentissima fuit sententia negans mundi animationem: quam tenuerunt Lactantius (11), S. Basilius (12),

(1) Epistol. 190. Vide *Capitula Concil. Senonensis* ann. 1140, n. 3, apud Denzinger, n. 372.
(2) In not. 1.ª ad paragr. 36, c. 4, *Systematis intellectualis* Cudworthi.
(3) Apud Roselli, *Summ. philos.*, tom. 3, q. 3, art. 3.
(4) Vide *de Genes. ad litter.* lib. 2, cap. 18; *Enchirid.*, c. 58; *de Civit. Dei*, lib. 13, cap. 16.
(5) *De Immortalit. anim.*, cap. 15.
(6) Vide *Retract.*, lib. 1, cap. 5.
(7) *Retract.* lib. 2, cap. 7.
(8) *Retract.* lib. 1, cap. 11.
(9) Vide lib. *de duab. animab.*, cap. 2 et 4; *de Civit. Dei*, lib. 10, cap. 29; lib. ad Orosium, *Contr. Priscillianist.* et *Origenist.* cap. 8. Cfr. ib. cap. 9 et 11.
(10) Vide Petav., *de Opificio sex diorum*, lib. 1, cap. 12, a n. X.
(11) *Divinar. instit.* lib. 2, cap. 6.
(12) *Hexaem.*, homil. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Gregorius Nazianzenus (1), S. Ambrosius (2), S. Joannes Chrysostomus (3), S. Cyrillus Alexandrinus (4), S. Joannes Damascenus (5), Procopius (6), de quibus aliisque videri potest Petavius (7), atque ipsemet S. Hieronymus (8). Atque hæc demum doctrina communiter propugnata est a Scholasticis cum S. Bonaventura (9), Alberto, Alexandro Halensi, Ægidio, Durando, Ockam, Thoma de Argentina, Henrico, Gabriele Biele, Abulensi et Nicolao de Lyra (10), quos juniores alii Scholastici secuti sunt (11), paucissimis exceptis (12). Et hæc est etiam sententia S. Thomæ. Quamvis enim vel tamquam dubiam non uno in loco proponat quæstionem de cœlorum anima, vel etiam ex Aristotelis sententia putet cœlos esse animatos anima, non quidem sensitiva aut vegetativa, sed solum intellectiva (13): alibi tamen negat corpora cœlestia habere animas vel spiritus, quibus actuentur aut informentur, sed solum quibus regantur, sicut

(1) Orat. 38 et 42.
(2) *Hexaem.*, lib. 2, cap. 4.
(3) Homil. in *Psalm.* 4.
(4) Lib. 2 *Contr. Julian.*
(5) *De Orthod. Fid.*, lib. c. 6.
(6) In Commentar. ad *Genesim.*
(7) Oper. et loc. cit., n. V.
(8) *In Deuteron.*, cap. 31; in cap. 1 et 45 *Isaiæ;* itemque in epist. ad Pamachium et Avitum, in qua Originem ideo carpit, quia solem lunam et astra animata esse scripserit.
(9) 2.ª dist. 14, prim. part., art. 3, q. 2, et secund. part. in comment. paragr. *Fiant luminaria in firmam.*
(10) Apud Conimbric., *de Cœl. et Mund.*, lib. 2, c. 2, q. 1, art. 2, et Rub. ib. lib. 2, c. 1, q. 1.
(11) Vide Conimbric., loc. cit.; Rub. loc. cit.; Sylv. Mauri, *Quæst. Philos.*, lib. 5, q. 7; Barthol. Amicum, *de Cœl. et Mund.*, tract. 4, q. 4, dub. 2; Soarez Iusit. tract. *de Cœlo.* disp. 1, sect. 4, De Benedictis tom. 3, lib. 5 *Physicor.*, q. 3, cap. 5, Tanner Theol. tom. 1, disp. 6, *de creat. mund.*, q. 2, dub. 5, Mastrium *De Cœl. et Mund.*, disp. 2, q. 2, art. 2, n. 62; Lossada Synopsis tract. *de Mund. et cœl.*, cap. 2, n. 20; Goudin *Philos.*, tom. 2, secund. pars, q. 2, art. 1, parag. 1, etc.
(12) Apud Soarez Iusit. et Amici, loc. citatis.
(13) Vide 2.ª *Contr. Gent.*, c. 70 fin.; *Quodlib.* 12, art. 8; *de Cœl. et Mund.*, lib. 2, lect. 3, 13, 18; *de Potent.*, q. 6, art. 6; *de Anim.*, art. 8, ad 3.um, 4.um et 5.um

mobile regitur per motorem, atque adeo uniantur contactu dumtaxat virtutis (1). Sententia ergo S. Thomæ hac in re tandem alia non fuit a communissima illa veterum opinione astris spiritus quosdam seu angelos assistentes tribuentium, quibus illa in suis motibus regerentur. Quare etiam quandoque scripsit S. Thomas, aliique, animam mundi esse *æquivocam*, quia nempe, ut jam initio monuimus, spiritus dumtaxat assistens nequit proprie dici *anima*, utpote quæ importat essentialiter rationem formæ informantis.

et recentiorum quorumdam errores.

Et hæc quidem de veterum opinionibus. Absolutam jam ac pene rancidam opinionem de cœlestibus corporibus animatis renovarunt recentiores illi Monistæ, qui mundum una anima informari contendunt, ideoque totam rerum universitatem unum esse organismum docent (2). Leibnitius etiam omnia plena esse animarum existimavit, quemadmodum inferius dynamismum ejus describentes declarabimus. Nec ab eadem doctrina multum discrepant Antonius Günther, ac cæteri qui universam naturam esse viventem arbitrantur, ac demum illi qui cum Arthuro Schopenhauer mundum autumant cæca quædam volitione præditum, cui admixtam vult Eduardus Hartmann repræsentationem quamdam inconsciam (3). Lemairius etiam atomis, ex quarum mutua actione et conglobatione contendit prodiisse mundum, æternam quamdam ingenitam et spontaneam largitur scientiam, quæ vimet activitatem atomorum dirigat: idque probari manifeste contendit ex instinctu, quem in omnibus prorsus entibus eorumque operationibus perspici scribit (4). Contra quos omnes sit

33. PROPOSITIO. **Mundus anima præditus non est.**

Prob. 1.° Quia si mundus anima informaretur, quælibet ejus pars esset animata. Atqui non quælibet pars mundi

(1) 1 p., quæst. 70, art. 3; *de Spir. creat.*, art. 6; *de Potent.*, quæst. 6, art. 6, ad 10.um
(2) Vide Eduardum Hartmann, *Philos. des Unbewusten*, pag. 508 apud cl. P. Pesch., *Philos. natur.* n. 272, not.
(3) Vide cl. P. Pesch., op. cit., n. 107.
(4) Apud Petrum Larousse, *Grand Dictionaire universel du XIX.e siècle*, tom. 3, ad vocem *Cause*, paragr. *Cause première*, pag. 619, col. 1, Paris 1867.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

animata est, ut manifestum ac perspicuum est ex toto regno minerali telluris, quam incolimus; item ex Astronomorum observationibus, qui ope spectroscopii eadem corporum inanimatorum genera detexerunt in cœlestibus corporibus.

Prob. 2.º Anima non informat corpus, nisi ad exercendas operationes vitales, ideoque requirit in eo idonea organa. Atqui siderei globi carent organis. Ergo...

Prob. 3.º Argumento S. Thomæ. Anima non unitur corpori propter corpus, sed propter ipsam animam; non enim forma est propter materiam, sed e converso. Ergo si quæ anima inesset sidereis corporibus, ideo inesset iisdem unita, ut vitales operationes eliciendo suam perfectionem naturalem assequeretur. Atqui cœlestia corpora inepta sunt ad eliciendas operationes vitales. Ergo nullam animam cœlestibus corporibus inesse dicendum est.

Primum consequens constat satis per se, suoque in loco fusius probandum erit.

Minor vero subsumpta probatur. Quia vitales operationes, quæ ope corporis exercentur, aut sunt vegetativæ, aut sensitivæ, aut intellectivæ, aut loco motivæ. Jam vegetativæ operationes, quæ omnes ad nutritionem, augmentationem et generationem revocantur, in ipsis globis sidereis nullæ sunt, quemadmodum perspicienti liquet. Sensationis etiam nulla cernuntur indicia sive in terra sive in astris: immo vero manifesta sensationis impossibilitas ex eo colligitur, quod aptis illa careant organis. Sed neque ad intellectuales operationes eliciendas informare potest ulla anima cœlestia corpora, sicut informat anima rationalis corpus hominis. Anima enim bifariam concipi potest egere unione cum corpore ad intelligendum, vel ut per corpus tamquam per organum intellectionem exerceret, vel ut ope sensationum et phantasmatum, quæ solum in corpore haberi possunt, abstraheret species intelligibiles, sine quibus intelligere non potest, quemadmodum in *Psychologia* exponendum erit. Atqui nequit anima egere mundo ad intelligendum ullo ex istis modis. Non primo, qui absurdus est; intellectio namque non est organica operatio. Non secundo, quia ille supponit mundana corpora sentiendi virtute actuque gaudere, quod falsum esse vidimus. Ergo falso pariter fingitur animam aliquam

sidereis corporibus uniri ad intellectuales operationes eliciendas. Denique non potest dici anima aliqua informare mundum, ad motum localem efficiendum sive in seipsa sive in ipso mundo. Nam substantia spiritualis potest seipsam ab uno in alium locum movere; ut vero aliud corpus moveat substantia spiritualis, non requiritur unio substantialis vel informatio, sed sufficit contactus virtutis (1).

De impietate dicentium Deum esse mundi animam, nihil hic addemus, quia mox illam agentes de Pantheismo repellemus.

Objic. 1.º Quædam mundi partes animatæ sunt, nempe homo ac cætera viventia. Atqui repugnat partes habere, quod toti deest, alioqui totum partibus deterius foret. Ergo (2)...

Resp. Quando negamus mundum animatum esse, dupliciter intelligi mundus potest: primo quatenus complectitur omnia quotquot sunt mundana corpora, secundo quatenus mundi nomine veniant siderei globi, prout distincti a viventibus, quæ aliquem illorum, terram, certissime incolunt, alios vero possunt forte incolere. Si primo sensu intelligatur mundus, vis propositionis statutæ foret, mundum non animari totaliter, seu quoad omnes partes, ac nominatim quoad globos, qui domicilium sunt, aut forte possint esse, viventium. Objectio ergo tunc non est ad rem; ut autem quidpiam evinceret, deberet probare in toto vel complexu partium, non posse uni parti convenire, quod alteri non convenit: id quod absurdum plane est, multoque magis si partes illæ non efficiant aliquid per se unum. Si ergo mundus primo illo sensu accipiatur, constat partibus animatis et partibus non animatis; et adversariis incumbit onus probandi omnes partes esse animatas; nos enim contrarium ostendimus. Si autem nomen mundi in altero sensu intelligatur, neganda est major propositio argumenti, quod proinde nullam vim obtinet.

Objic. 2.º Cœli movent seipsos. Atqui motus ab intrinseco sui ipsius operatio vitalis est. Ergo cœli vivunt, atque adeo animas habent.

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 70, art. 3.
(2) Ita fere Stoici apud Lactant., *Divinar. Instit.*, lib. 2, cap. 6.

Resp. *neg.* Major. Cœli enim non movent seipsos, sed moventur motu extrinsecus impresso.

Objic. 3.° Est in mundanis corporibus mirus concentus et harmonia motuum, qui quamvis multiplices sint ac valde implicati, ordinatissime tamen et constantissime peraguntur, quemadmodum Astronomi nos docent. Atqui adest in hoc species quædam organismi perfectissimi, qui sine motore aliquo ac totius moderatore intelligi nequit. Ergo anima quædam hujusmodi organismi moderatrix asserenda est.

Resp. *conc.* Major; *dist.* Minor. Adest species quædam proprii organismi, qualis requiritur ad vitales operationes eliciendas, *neg.*; organismi improprii et metaphorici, qualis in machinis etiam cerni potest, *subdist.*; et hujusmodi organismus intelligi nequit sine externo aliquo motore vel moderatore, *conc.*; sine motore ac moderatore interno, qui sit forma informans et actuans ipsum organismum, *neg.*

Et simili pacto *dist.* conseq.

Quædam aliæ difficultates solutæ videri possunt apud S. Thomam (1), aliosque auctores.

Utrum sententia tribuenda autem animas fidei divinæ contraria sit.

34. SCHOLIUM. Quæres forte, quanta sit hujus propositionis certitudo. Jamdiu S. Hieronymus in epistola ad Pammachium et Avitum inter alias propositiones Origenis hanc numeraverat, quod Cœlos, solem, lunam, astra animata docuerit. SS. Irenæus (2), et Epiphanius (3), eamdem sententiam referunt inter Marcosiorum dogmata. Ex II.° etiam Concilio Constantinopolitano in hanc rem canon producitur continens anathematismum sextum desumptum ex epistola imperatoris Iustiniani ad Mennam Archiepiscopum, qui sic se habet: *Si quis dicit cœlum et solem et lunam et stellas et aquas, quæ super cœlos sunt, animatas et materiales esse quasdam virtutes; anathema sit* (4). Hunc et cæteros Iustiniani anathematismos refert Nicephorus (5), et ab ipsa synodo quinta pronuntiatos esse scribit. Alter est huic similis canon

(1) 1 p., quæst. 70, art. 3; et *de Spirit. creat.*, art. 6.
(2) Lib. 1 *contr. Hæreses.*
(3) Lib. 11 *Panarii.*
(4) Vide Labbe, *Collect. Concilior.*, tom. 5, p. 679.
(5) *Hist.* lib. 17, cap. 28. Cfr. cap. 27 fin.

ejusdem Concilii tertius contra Originem, prout apud cl. Denzinger prostat, in hæc verba conceptus: *Si quis dixerit solem et lunam et astra ipsa quoque, cum ex eadem rationalium unitate essent, ex conversione in pejus facta esse id quod sunt; anathema sit* (1). Qui canon videtur sumptus esse ex ejusdem Justini ad Constantinopolitanam Synodum Litteris (2). Nihilominus S. Thomas multo serius rem istam ad Fidem minime pertinere disertis verbis scripsit (3). S. Bonaventura autem *falsam* et *erroneam* appellat eamdem doctrinam (4); Capreolus et Gabriel et alii (5) judicant non esse Fidei consonam, Sotus vero contrariam Fidei (6); similiaque judicia reperiuntur in aliis gravibus auctoribus (7). Non pauci veterum noverant damnationem errorum Originianorum a Synodo quinta factam; nihilominus quidam non audebant dogma de cœlis animatis hæreseos nota inurere, quia non satis constabat, num decretum, quo illud damnabatur, editum ab illo Concilio fuisset (8). Denique Petavius quamvis de Concilii auctoritate ac judicio non posse dubitari arbitretur, idque tum ex Justini epistola et anathematismis ibidem expositis, tum ex Nicephori aliorumque testificatione satis constare; non tamen putat rem eousque certam atque compertam esse, ut pro hæretico, qui doctrinam de cœlorum animatione sectaretur, habendus videatur (9). Alii etiam postea eamdem doctrinam de cœlis animatis, tamquam certo falsam rejecerunt, quin tamen ulla censura theologica notarent (10). Et

(1) Apud Denzinger *Enchirid.* n. 189. Cfr. ib. n. 188, can. 2.
(2) Vide illas apud Labbe (ib. p. 679).
(3) Lib. 2.° *Contr. Gent.*, cap. 70 fin.
(4) 2.° dist. 14, prim. part., art. 1, q. 2.
(5) Apud Soarez Iusit. (loc. cit. paragr. 3, n. 104), Conimbric. et Rub. (loc. citatis).
(6) In lib. 8 *Physicor.* q. 3, vers fin.
(7) Cfr. Conimbric., Rub., Rhodes, Soarez Iusit., De Benedictis etc. in loc. cit.
(8) Ita v. g. Conimbric. (loc. cit., art. 2, fin.), Barth. Amici *(de Cœlo et Mund.* tract. 4, dub. 2, a. 5, n. 20).
(9) Hæreticam tamen habet (ib. n. 14) doctrinam opinantium terram omniaque in illa contenta, anima esse ac sensu prædita.
(10) Vide v. g. Goudin, Lossada, Mayr, Mastrium *(de Cœl. et Mund.*, disp. 2, n. 62), Pontium (tom. 2, disp. 22, q. 3), Frassen *(de Cœlo*, tract. 1, sect. 1, parag. 5).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fortasse hæc sit verior sententia. Nam sacrum Concilium, quod sibi propositum habuerat contra errores Origenis judicium ferre, dicendum est doctrinam de cœlorum anima ex sensu damnatam voluisse, quo ipse Origines tradiderat. Atqui Origenes cœlos non quomodolibet animatos voluit, sed animatos iis animabus, quæ cum initio mundi tamquam puri spiritus extra corpora creatæ fuissent, mox in pœnam nescio cujus peccati corporibus alligati fuissent (1). Sic enim Origenianum errorem refert ipsemet imperator Justinianus: «Dicunt enim (ut de multis pauca commemoremus) mentes (intelligentias vel spiritus) fuisse prorsus et numeri et nominis expertes: omniaque rationalia unum esse identitate substantiæ (nempe æqualis perfectionis) et operationis et virtute apud Deum Verbum per unitionem et cognitionem. Has vero mentes, ubi susceperint juxta uniuscujusque captum satietatem divinæ dilectionis et contemplationis, per mutationem ipsarum in deterius, vel crassiora vel tenuiora corpora induere et nomina sortiri, ac inde cœlestes et administras substitisse virtutes. Immo in solem et lunam et stellas, utpote quæ et ipsa in rationabilium unitate sint, ex mutatione in deterius facta, hoc esse cæpisse, quod sunt. Ea vero rationabilia, in quibus magis Dei amor refrixerit, ψυγας, hoc est animas nuncupari, et crassioribus, qualia nostra sunt corpora, immitti. Quæ autem ad extremum perversitatis venerint, ea frigidis ac caliginosis inseri corporibus, et dæmones fieri et nuncupari: ac proinde ex angelico quidem statu fieri animalem, ex animali vero dæmoniacum et humanum. Unam autem dumtaxat mentem, ex tota unitate rationalium imperturbatam pertitisse et immotam a dilectione divina et contemplatione, eamque fuisse Christum Regem, Deum et hominem» (2). Quæ doctrina continetur damnata in sex prioribus canonibus Constantinopolitani Concilii contra Origenem, prout continentur in *Enchiridio* clarissimi D. Denzinger. Plane autem patet doctrinam de astris animatis non esse per se connexam cum tam absurdis commentis.

(1) Cfr. Roselli, *Summ. philos.* t. 3, quæst. 3, art. 3, n. 154, not. c.
(2) Justinian. in epist. ad Synod. Constantinop., apud Labbe, loc. cit. p. 679.

ARTICULUS IV.

An et quomodo mundus hic perpetuo mansurus sit.

35. Ad complementum controversiæ circa mundi perfectionem, pauca quædam addere visum est de futuro mundi statu, quamquam paucissima sint, quæ de hac re naturale rationis lumen cognoscere valeat. Sententiæ veterum Philosophorum circa mundi durationem futuram videri possunt apud S. Thomam (1), aliosque auctores.

Itaque dicendum videtur *mundum hunc aliquo modo in perpetuum esse duraturum, non tamen in eo statu, quem nunc habet.*

Mundus hic aliquo modo in perpetuum duraturus est.

Prior pars certa est. Nam entia, quibus mundus coalescit, vel sunt incorruptibilia, vel corruptibilia. Si incorruptibilia, postulant semper manere, dummodo a Deo conserventur. Si autem corruptibilia sint, materia saltem prima, utpote quæ incorruptibilis est, ut inferius exponetur, exigit et ipsa semper durare: cum autem absque aliqua forma esse nequeat, non manebit ipsa sola, sed convenienti formæ substantialis actu informata et completa in ratione corporis naturalis. Ergo mundus hic ejus est naturæ, ut saltem aliquo modo semper durare debeat, nisi a Deo annihiletur. Cum vero annihilatio sit contra rerum naturas, philosophice certum est mundum hunc aliquo modo perpetuo duraturum esse; quamvis posset absolute loquendo a Deo, subtracta conservatione, in nihilum redigi.

Quod autem Deus de facto mundum non sit in nihilum redacturus, non potest per naturalem rationem cognosci; pendet enim id a libera voluntate Conditoris nostri. Nihilominus Fide divina certum est, quod Deus mundum in æternum sit conservaturus, quemadmodum colligi videtur ex quibusdam sacrarum Litterarum testimoniis, quale est illud: *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in*

(1) *De Cœl. et Mund.*, lib. 1, lect. 22. Cfr. Conimbric. *de Cœl. et Mund.*, lib. 1, cap. 12, q. 1, art. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

æternum (1); et alibi: *Creavit enim Deus, ut essent omnia* (2). Unde etiam scripsit S. Augustinus: *Nihil per divinam providentiam ad id, ut non sit, pervenire permittitur* (3). Vide fuse de his disputantem S. Thomam (4), et Suarezium (5).

non tamen in eo statu quem nunc habet.

Altera pars assertionis satis probabiliter suaderi potest ex Astronomorum doctrina, qui post multas observationes accuratissime factas ratum habent, solem paulisper ardoris sui jacturam facere: quare labentibus annis tempus adveniat, necesse est, cum penitus extinguatur, nec amplius calorem ac lumen suum quaquaversus diffundat. Sol ergo non potest in suo statu in æternum permanere. Hæc autem solis mutatio necessario importat mutationem planetarum; extincto quippe sole, omnia tenebris et luctu sepulta jacebunt, vitaque omnis terræ, quæ solari calore sustentatur, marcescet penitus, ac in tristissimam mortem convertetur. Quare quamvis pergere sine fine possint mundani globi in suis diversis motibus localibus, physicum tamen suum statum, quem nunc habent, conservare non poterunt (6).

(1) *Eccl.* cap. 3, v. 14.
(2) *Sapient.* cap. 1, v. 14.
(3) *De Morib. Manichæor.*, lib. 2, cap. 7.
(4) 1 p. quæst. 104, art. 4; *de Potent.* quæst. 5, art. 4.
(5) *De Mysteriis vitæ Christi*, disp. 59, sect. 2.
(6) Audiatur hac de re præclari Astronomi Faye sententia: «Voilà encore une notion toute moderne. Ce n' est pas que le système solaire doive se dissoudre, se disloquer, ou finir par s' englober tout entier dans la masse centrale. Laplace a montré que cet admirable mécanisme est fait pour durer indéfiniment. Toutes les conditions de stabilité mécanique s' y trouvent réunies, et n' oublions pas de rappeler, en passant, que ces conditions tiennent aux particularités propres au lambeau chaotique, d' où il est sorti. Mais le monde, pour durer, ne dépense pas d' énergie, tandis que le Soleil, pour briller, en dépense énormement; et comme sa provision est limitée, et ne saurait se renouveler, nous devons envisager, non comme prochaine assurément, mais comme inévitable, la mort de ce Soleil, en tant que soleil. Après avoir brillé d' un éclat égal pendant bien de milliers d' années encore, il finira par faiblir et s' éteindre comme une lampe dont l' huile s' est épuisée. D' ailleurs d' assez nombreux phénomènes célestes nous en avertissent: ce sont les étoiles dont la lumière vacille, celles qui s' éteignent périodiquement, du moins pour l' œil nu, comme o de la Baleine, et celles qui disparaissent d' une manière définitive.

Hæc, quæ ex Astronomorum doctrina deprompsimus, confirmantur a quibusdam Physicis ex illa lege, secundum quam energia omnis, quam dicunt cineticam, seu sensibilem et in motibus externis repositam, in hoc corporeo mundo convertitur in vibratoriam vel invisibilem, quæ motibus vibratoriis molecularum continetur; non tamen vicissim. Unde concludunt naturalium scientiarum cultores mundum hunc

C' est surtout en considérant cette phase finale qu' on se rendra bien compte du rôle encore que le soleil joue dans notre monde, en dehors des effets mécaniques de sa puissante attraction. Le Soleil actuel perd continuellement de sa chaleur; sa masse se condense et se contracte; sa fluidité actuelle doit aller en diminuant. Il arrivera un moment où la circulation, qui alimente la photosphère, et qui régularise sa radiation en y faisant participer l' énorme masse presque entière, sera gênée et commencera a se ralentir. Alors la radiation de lumière et de chaleur diminuera, la vie végétale et animale se resserrera de plus en plus vers l' équateur terrestre. Quand cette circulation aura cessé, la brillante photosphère sera remplacée par une croûte opaque et obscure qui supprimera immédiatement toute radiation lumineuse. Réduit désormais aux faibles radiations stellaires, notre globe sera envahi par le froid et les ténèbres de l' espace. Les mouvements continuels de l' atmosphère feront place à un calme complet. La circulation aéro-tellurique de l' eau qui vivifie tout aura disparu: les derniers nuages auront répandu sur la Terre leurs dernières pluies; les ruisseaux, les rivières cesseront de ramener à la mer les eaux que la radiation solaire lui enlevait incessamment. La mer elle-même, entièrement gelée, cessera d' obéir aux mouvements des marées. La Terre n' aura plus d' autre lumière propre que celle des étoiles filantes qui continueront à pénétrer dans l' atmosphère et à s' y enflammer. Peut-être les alternatives qu' on observe dans les étoiles, au commencement de leur phase d' extinction, se produiront-elles aussi dans le Soleil; peut-être un développement accidentel de chaleur, dû à quelque affaissement de la croûte solaire, rendra-t-il un instant à cet astre sa splendeur première; mais il ne tardera pas à s' affaiblir et à s' éteindre de nouveau comme les étoiles fameuses du *Cygne*, du *Serpentaire* et, dernièrement encore, de la *Couronne* boréale.

Quant au système lui-même, les planètes obscures et froides continueront à circuler autour du Soleil éteint. Sauf ses mouvements, représentants derniers du tourbillonnement primitif de la nébuleuse que rien saurait effacer, notre monde aura dépensé toute l' energie de position que la main de Dieu avait accumulée dans le chaos premier.

Sur l' Origine du Monde, etc., par H. Faye, chap 15, *Fin du monde actuel*.

nostrum lento quidem, sed perpetuo gradu, ad statum quemdam quietis ac mortis tendere (1).

Illa tamen certiora sunt, quæ Fide divina docemur hac super re. Nam humanæ generationes finem tandem habebunt, docente Christo Domino: *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei* (2). Et post annorum circulum, liberrimo Dei decreto definitum, Christus Dominus descendet de cœlo *judicare vivos et mortuos; ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum* (3). *Et tempus non erit amplius* (4).

Et hæc quidem de homine. Quod autem attinet reliqua mundana corpora, catholica traditio tenet in novissimis temporibus, post extremum judicium, orbem terræ cœlumque æreum immenso incendio conflagraturum esse, prout testantur apertissime plura sacrarum Litterarum loca, docentque sæpe Patres Ecclesiæ (5). Hæc tamen tanta clades non eo fine adveniet, ut corpora ipsa in nihilum vertantur, quemadmodum opinantur frequentissime Theologi, sed ut in melius commutentur insigni quadam naturæ innovatione pridem ab Isaia (6) et a S. Petro Apostolo (7) et a S. Joanne Evangelista (8) prædicta, et a multis Patribus postea

Orbis terræ futura conflagratio.

et innovatio.

(1) Vide Clausius apud *Revue des cours scientifiques*, février 1868; Charbonelle, *Confins de la science et de la philosophie*, chap. VI; Bersieci, *Principi fondamentali della Termodinamica*, cap. XIII.

Idem alii derivant ex actione aquarum terram paulisper erodentium atque in mare transvehentium: unde plurimis labentibus annis gurgites maris obstrui limo, necesse est, et aquas exundantes terram operire atque inhabitabilem reddere. Qua de re lege cl. A. de Lapparent., *Revue des Questions scientifiques*, Juillet 1891.

(2) *Matt.* cap. 22, v. 30.

(3) In *Symbolo Athanasiano*.

(4) *Apocal.* cap. 10, v. 6.

(5) Vide, ut alia nunc omittam, 2.am epist. S. Petri, cap. 3, v. 7, 10, 12: qua de re legi potest Suarez, tom. 3, *de Incarnat.*, seu *de Mysteriis Vitæ Christi*, disp. 57, sect. 1.

(6) Cap. 65, v. 17; cap. 66, v. 22.

(7) 2 *Petri*, cap. 3, v. 13.

(8) *Apocal.*, cap. 21, v. 1.

asserta (1). Cujus rei sic causam exponit S. Thomas: *Peracto finali judicio, natura humana totaliter in suo termino constituetur. Quia vero omnia corporalia facta sunt quodammodo propter hominem..., tunc etiam totius creaturæ corporeæ, conveniens est, ut status immutetur, ut congruat statui hominum, qui tunc erunt. Et quia tunc homines incorruptibiles erunt, a tota creatura corporali tolletur generationis et corruptionis status. Et hoc est quod dicit Apostolus* (2), *quod* **ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in liberationem gloriæ filiorum Dei, etc.** (3). Ex qua doctrina colligebant prisci Theologi post diem judicii nullam amplius fore super terram viventia de genere plantarum et animalium, tum quia hæc necessaria jam non erunt ad hominis vitam alendam sustentandamque, tum quia cessante generationum et corruptionum vicissitudine, donanda illa essent immortalitatis beneficio, quod non videtur hisce entibus congruere (4). Denique ut cætera omittamus, putant Theologi in illa naturæ innovatione excellentem quemdam claritatis splendorem esse accessurum, quo non quidem in sua specifica entitate res immutentur, sed insignioris pulchritudinis gratia aspergantur, scilicet ad recreandos beatorum hominum oculos. Rationem hujusce rei pulcherrimam et solidam reddit S. Thomas: *Omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur, unde et omnia dicuntur ei esse subjecta. Serviunt autem ei dupliciter: uno modo ad sustentationem vitæ corporalis; alio modo ad profectum divinæ cognitionis, in quantum homo per ea, quæ facta sunt, invisibilia Dei conspicit, ut dicitur Roman. cap. 1. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit, cum ejus corpus omnino incorruptibile sit futurum, virtute divina id faciente per animam, quam immediate id glorificat. Secundo*

(1) Vide illos apud Petavium (*de Opific. sex dier.*, lib. 1, cap. 12), Suarez (Op. cit., disp. 58), Lessium (*de Perfect. divin.*, lib. 13, cap. 23), Card. Mazzell. (*de Deo Creat.*, disp. 6, art. 12, *Scholion*).

(2) *Roman.*, cap. 8, v. 21.

(3) S. Thom. 4.° *Contr. Gent.* cap. 97. Cfr. *de Potent.* quæst. 5, art. 5 et 6.

(4) Est hæc communius fere omnium Scholasticorum jam inde a Magistro Sententiarum doctrina, paucis recentioribus exceptis apud cl. Katschthaler, *Theologia dogmatica catholica specialis...* lib. 4, num. 447 in nota, pag. 567. Ratisbonæ 1888.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem intellectivam; quia tali cognitione Deum sancti videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc visionem oculus carnis attingere non poterit. Et ideo ut ei solatium congruens sibi de visione divinitatis præbeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifeste indicia divinæ majestatis apparebunt, et præcipue in carne Christi; et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit, ut etiam alia corpora majorem influentiam a divina bonitate suscipiant; non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriæ perfectionem. Et hæc erit mundi innovatio: unde simul mundus innovabitur, et homo glorificabitur (1).

Ethnicorum fabellæ circa periodicas circa mundi instaurationes.

Cæterum hæc mundi renovatio apud ipsos ethnicos celebris olim fuit, «quorum tamen multi, inquit Roselli (2) invexere repetitas mundanas periodos sive renovationes, quæ ἀποκαταστάσεις dici solent. Vulgatum apud Stoicos erat illud Chrysippi (3): *Post mortem revolutis quibusdam temporibus, in eamdem nos restituendos esse formam;* illudque Senecæ (4): *Antiquus ordo renovabitur, omne ex integro animal generabitur; dabiturque terris homo nescius scelerum et melioribus auspiciis natus; sed illis quoque innocentia non durabit.* Stoicis superiores Empedocles et Heraclitus eamdem renovationem sive παλιγγενεσίαν adoptarunt. Præcipue vero hoc dogma Pythagoricis et Platonicis attribuitur (5). Ac Plato quidem (6) Platonicique (7) docebant omnia eadem numero esse reditura,

(1) S. Thom., 4.a dist. 48, quæst. 2, art. 1; et 3 p., Supplement. quæst. 91, art. 5. Cfr. Suarez, Op. cit., disp. 58.

(2) *Summ. Philos.*, tom. 3, quæst. 5, art. 3, n. 1165.

(3) Apud Lactant. *Divin. instit.*, lib. 7, c. 23.

(4) *Quæstion. natur.*, lib. 3, cap. ult.

(5) Origenes, lib. 5 *Contr. Celsum: Pythagoræ*, inquit, *Platonisque profugo, quamvis videantur incorruptibilem mundum asserere, in cognatas opiniones incidunt. Ajunt enim statis annorum periodis, stellas ad eamdem, quam olim habuerant, configurationem et inter se respectum recurrere; et inde in terra quoque eamdem rerum faciem consequi, qualis ante aliquot sæcula, sideribus simili modo dispositis fuerat.*

(6) In *Politico* et in *Timæo*, et in lib. 8 *de Republ.*

(7) Vide Plotin. *Ennead.* 5, lib. 7, cap. 3; et Chalcidium et Proclum in *Timæum*.

eodem *magno anno* (1) vertente: verbi gratia, ut S. Augustinus ait, *sicut in isto sæculo Plato Philosophus in urbe Atheniensi in ea schola, quæ Academia dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro sæcula, multum prolixis quidem intervallis, sed tamen certis, et idem Plato et eadem civitas, eademque schola, iidemque discipuli repetiti, et per innumerabilia deinde sæcula repetendi sint* (2). In eumdem errorem, cum nimium esset Platonicus, impegit Origenes (3), quamvis negaverit mundos illos futuros per omnia similes» (4).

Et hæc quidem ideo dicta sunt, quia in mediis ipsis ethnicorum fabellis videtur dignosci primitiva aliqua traditio circa mundi innovationem, quamvis erroribus turpata. Mundus ergo totus renovabitur, verum non sæpius per certas sæculorum periodos sine fine repetitas, sed semel post diem generalis judicii, nec in pristinum tunc statum terra ex immenso illo incendio reviviscet, sed in alium longe perfectiorem statum immutabitur (5). Nec terra solum, sed cœlum

Innovatio mundi semel fit.

(1) «De hoc anno Censorinus (*de die nat.*, cap. 18) ait: *Hunc annum magnum Aristarchus putavit esse annorum vertentium duum millium quadringentorum octoginta quatuor; Aretes Dyrrachinus quinque millium quingentorum quinquaginta duorum; Heraclitus et Linus decem millium octingentorum; Dion decem millium octingentorum octoginta quatuor; Orpheus centum millium viginti; Cassandrus tricies sexies centum millium; alii vero infinitum esse, nec unquam in se reverti existimarunt.* Vide Plutarch. (lib. 1 *de Placit. Philosoph.*, c. 32). Ficinus (in Platonis *Dialog.* 10 *de Republ.*) alios memorat, annum mundi magnum comprehendentes triginta sex annorum millibus, quibus stellæ fixæ suum peragunt ambitum». Roselli (*Summ. philos.*, tom. 3, quæst. 5, art. 3, pag. 103, not. 7. Matriti, 1787.

(2) S. August. *de Civit. Dei*, lib. 12, cap. 13.

(3) *Periarch.* sive *de Princip.*, lib. 3, cap. 5. Vide S. Hieron. epist. ad Avitum; et Huetium in *Origenian.*, lib. 11, cap. 2, quæst. 11.

(4) Origen. ibid., lib. 2, cap. 3. Cfr. Hieron. in eadem epistola.

(5) Ad rem cl. Katschthaler: «Uti Jungmann (*de Novissimis* pag. 288) scribit, duo intervenire in hac terræ instauratione Theologi advertunt: *primum* est oblatio omnium sordium, quæ sunt præter naturam elementorum. *Secundum* est additio aliquarum rerum vel qualitatum perficientium elementa. Quidquid igitur in elementis terræ superfluum est, et perfectioni noxium, partim conflagratione ignis exuri, partim vero impetu motus in inferum detrudi, non incongrue existimant; præterea vero addendam esse elementis eximiam

quoque æreum et ipsa etiam sidera aliquo modo innovabuntur accepto lucis incremento, quemadmodum ex Isaiæ cap. 30, versu 26 et Patribus colligunt Theologi. Verum hæc, quæ rationi impervia sunt, delibasse sufficiat, corrogata ex Theologorum doctrina. Qui plura cupiat, adeat S. Thomam (1). Videndus de hac re est P. Marcellinus Siurie Societate Jesu, qui præclarum opus *de Novissimis* scripsit (2)

CAPUT III.

DE PANTHEISMO.

Quamquam controversia hæc tractari nequeat, nisi quædam supponantur ad Theologiam spectantia, et ob eam rationem soleat a multis in ea Metaphysicæ parte tractari; nihilominus hic quoque haud inopportunum illam habere locum crediderim, non solum, quia pertinet quodammodo ad naturam mundi melius cognoscendam, verum etiam quia necessaria est ad hujus originem declarandam.

ARTICULUS I.

Exponitur error Pantheismi.

Quid pantheismus.

36. *Pantheismus*, quæ vox ab impio Tollando primum inventa dicitur, est eorum systema, qui mundum universum, atque adeo res omnes, unum cum Deo efficiunt, vel certe divina constare natura docent. Quare quascumque formas

quamdam claritatem et lucem proportionatam.» Joann. Katschthaler, Opere et loc. cit.

(1) *De Potent.*, quæst. 5, fere per totam; 4.a dist. 48, quæst. 2, per totam; 4.° *Contr. Gent.*, cap. ultim.; vel 3 p. *in Supplem.* quæst. 91. Cfr. Petav. et Less. (loc. cit.), Conimbric. *(de Cœl. et Mund.*, lib. 1, cap. 12, q. 1), Rub. (ibid. cap. 12, quæst. unic.), Barth. Amici *(de Cœl. et Mund.*, tract. 3, disp. 2), Pontius *(Physic.* disp. 21, quæst. ult.), ac præcipue P. Salvat. Roselli) Op. cit. tom. 3, q. 5, per totam).

(2) *Theologia scholastica de Novissimis* tract. 17. Valentiæ anno 1807.

induat, quibuscumque coloribus exponatur, id semper profitetur, unam esse substantiam eamque divinam, absolutam, æternam, necessariam, infinitam, quæ sit basis communis ac fundamentum omnium entium; res vero omnes, quæ in tanta varietate ac multiplicitate nobis apparent, non esse aliud nisi *emanationes*, vel *modos* et *affectiones* vel *formas, determinationes, phænomena, manifestationes*, et quasi diversos aspectus illius unicæ substantiæ, quæ aliter ab aliis vocatur, sive *Unum*, sive *Infinitum*, sive *Absolutum*, sive *Indeterminatum*, sive *Ego absolutum*, sive *Idea* etc. Unde etiam Pantheismus sæpe appellatur *Monismus* et *Identitatis universalis* doctrina, quamquam hæ voces per se latius pateant, quam Pantheismus (1).

Radix hujus erroris aperitur.

Et quamvis mirum videri soleat Philosophiæ tyronibus, qui animo nondum præjudiciis imbuto ad scholas accedunt, talia portenta venire in mentem hominum potuisse; nihilominus nisi vera germanaque notio creationis et productionis teneatur, vix queunt Pantheismi deliria vitari ab eo, qui nolit materiam aliquam improductam et æternam, unde res fiant, absurdissime adstruere. Pone enim nihil a nihilo fieri posse, pone productionem omnem non esse nisi vel puram evolutionem entis alicujus præexistentis, aut velut effluvium realitatis, quæ jam pridem in alterius sinu delituisset; et illico facile alterutrum sequetur, aut nec mundum nec aliud quidvis existere præter subjectum cogitans, cujus mera sit illusio totus hic mundus corporeus, aut omnem rerum varietatem ac multiplicitatem nihil esse præter formas diversas ac manifestationes unius alicujus realitatis, quæ sese diffundat magis ac magis per successivam suimet ipsius evolutionem. Quorum primum *idealis* seu *transcendentalis Pantheismi*, alterum *realis* generalem quamdam formulam exhibet. Et sic etiam nos docet Historia, in ea ætate et apud eos philosophos invaluisse Pantheismum, in quibus corruptæ perversæque fuerant notiones efficientiæ ac rerum productionis.

(1) Etenim facile patet identitatem rerum omnium et Monismum posse admitti etiam ab eo, qui *atheismi* aut *materialismi* nefandis inbuatur erroribus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pantheismus apud Indos.

Et primum quidem in India apparuit Pantheismus inter dogmata philosophiæ religiosæ sive brahmanicarum traditionum (1), quarum hæc est in rem nostram summa, Brahma esse omnia quæcumque sunt, et omnia esse Brahma, et præter Brahma nihil esse nisi illusionem (2). Ab initio enim, sic narrant, non existebat nisi solus Brahm, ens quoddam absolutum, infinitum, æternum in profundo sui *esse* continens intelligentiam seu spiritum divinum, *Brahma*, et materiam seu principium individuationis ac multiplicitatis, *Maya*; ita ut Brahma et Maya sint una et eadem substantia cum Brahm. Brahma excutiens sese e sopore, quo immersus erat, educit a propria substantia res omnes, quæ utcumque videantur multiplicia et diversa entia, re tamen vera non sunt nisi transformationes proprietatum *Mayæ* (3). Hæc porro entia sic a Brahma profecta, elapso aliquo tempore, in ipsum *esse* absolutum Brahm, unde prodierant, revertuntur, cum desinunt existere, quod cum fit, Brahm pristino sopore corripitur; donec, iterum atque iterum evigilante Brahma et vicissim sopito, novæ in orbem contingunt emanationes sive rerum productiones novique interitus seu reversiones in suum principium. Hinc res produci perinde est, ac Brahmam somnum excutere, res vero interire aliud non est, nisi Brahmam somno gravari (4).

(1) Duplicem plures distinguunt in India Philosophiam, alteram *religiosam*, alteram *rationalem*. Illa continetur potissimum in quatuor libris, quos *Vedas* dicunt, quosque ex popularibus traditionibus in unum collectis composuisse fertur Vyasa. Præter hosce quatuor Vedarum libros habent Indi alios quoque sacros, de quibus vide Cardinalem Gonzalez (*Historia*, t. 1, n. 5). Ex Vedarum excerptis confectus est liber, cui titulus *Oupnek'hat*, seu *Secretum tegendum*, quem ex versione persica latinum fecit, ineunte hoc sæculo, Anquetil-Duperron. Vide Cuevas (*Histor. Philos.*, lib. 1, dissert. 1, cap. 4). Card. Gonzalez (loc. cit.), Tennemann, (*Hist.*, tom. 1, paragr. 67). Philosophia vero rationalis apud Indos est opus rationis ac scientiæ inquisitionis, et dividitur in varias sectas, quarum non omnes traditionibus popularibus ac religiosis fidèles extiterunt. Vide Card. Gonzalez, loc. cit., paragr. 45.

(2) Vide locum *Bhagavat gita* apud Card. Gonzalez, *Hist.*, t. 1, paragr. 6, pag. 22 in nota (1), edit. Madrid, 1886.

(3) Card. Gonzalez, ib.

(4) Vide hæc totidem verbis expressa in libro *legum Manu* apud Card. Gonzalez, *Historia*, n. 6, p. 23.

Cæterum unum hoc *esse* absolutum, Brahm, dum res creat, vocatur *Brahma*, dum eas conservat, *Vischnu*, et dum easdem destruit, *Siva*, quæ est celebris Indorum Trinitas seu *Trimurti*, quamquam et Brahmma et Vischnu et Siva non sint nisi tria nomina unius ejusdemque substantiæ (1). Pantheismum etiam reddolent doctrinæ cosmogenicæ aliorum populorum orientalium, nominatim Sinensium et Ægyptiorum (2).

et aliis populis antiquis.

Inter Græcos, ut prætereamus tum Pythagoricos, quos quidam censent hac labe fuisse infectos, tum etiam veteres poetas ac mystagogos, Pantheismum professa est Schola eleatensis, ducibus Xenophane, Permenide, Melisso et Zenone (3). Eidemque postea adhæsere doctrinæ Stoici, quibus Deus est anima mundi (4), cum hoc intime instar formæ conjunctus, unamque constituens naturam corporeus et ipse, sive ignem esse volueris, sive subtilissimum ætherem, omnia permeans, omnia continens, omnia vivificans, omniumque perfectionum rerumque distinctionis causa existens et plasticum principium per fatalem quamdam evolutionem (5). Sententiam hanc Virgilius sic eleganter descripsit:

item apud Græcos.

Schola eleatensis et stoica.

(1) Quæ cum ita sint, recte quidem auctores Indorum Deum Brahm comparant aranææ telas ex suis visceribus educenti, vel bombyci serica fila evolventi; naturas vero e sinu Brahmæ effluentes conferunt cum scintillis ex immenso incendio erumpentibus, aut humoribus, spumis bullisque huc illuc ab oceano dispersis.

(2) Vide Card. Gonzalez (*Hist.*, t. 1, parag. 11, seqq. et parag. 15 et 18), Cuevas (*Hist.*, lib. 1, dissert. 1, cap. 3).

(3) Vide Aristot. (Lib. 1.° *Physicor.*, cap. 2, *Metaphisic.*, lib. 1, cap. 5; et in libro *de Melisso Xenophane et Gorgia*, quem inter fragmenta Græcorum Philosophorum edidit Parisiis Ambros. Firm. Didot, an. 1860), S. Thom. (1.° *Physicor.*, lect. 2; *Methaphys.*, lib. 1, lect. 1), Cuevas (*Hist.*, lib. 1, dissert. 2, c. 1, art. 1, sect. 3), Tennemann (t. 1, par. 98 seqq.).

(4) Idipsum docuisse Democritum testatur Plutarchus, *de Placit. Philosophor.*, lib. 1, cap. 7.

(5) Vide S. August. (*de Civit. Dei*, lib. 4, cap. 31; lib. 7, cap. 6), S. Hieron. (epist. 165 inter Augustinianas, n. 1), Lactant. (*Divinar. institut.*, lib. 7, cap. 7), Cuevas (*Histor.*, lib. 1, dissert. 2, cap. 1, art. 2, sect. 5), Card. Gonzalez (*Histor.*, tom. 1, paragr. 81), Tennemann (*Storia*, t. 1, paragr. 161), Andr. Spagni (*De Mundo*, prop. V, n. 244 seqq.).

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Esse quibus partem divinæ mentis et haustus
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum.
Hinc hominés, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenuem nascentem arcessere vitam (1).

Gnostici. Post exortum Evangelii lumen multi ex hæreticis Gnostics Priscillianistis (2), ac philosophi Neoplatonici Pantheismum docuerunt. Gnosticorum duplex fuit genus: alii enim duo principia ponebant, ut Saturninus et Basilides ac postea Manichæi; Valentinus vero, Carpocrates et Epiphanes unicum statuebant principium. Et Valentinus quidem, ut hunc unum nominem, cui plures alii adstipulati sunt, de natura rerum multa fabulose confinxit (3), *triginta Æonas, id est sæcula, asserens extitisse, quorum principium esse* profundum, βυθὸν, *et* silentium, σιγὴν, *quod profundum etiam patrem appellat* (4), *silentium autem matrem. Ex quibus duobus velut ex conjugio processisse perhibet intellectum*, νοῦν, *et veritatem*, ἀλήθειαν, *et protulisse in honorem Patris Æonas octo. De intellectu autem et veritate processisse verbum*, λογὸν, *et vitam*, ζωὴν, *et protulisse Æonas decem. Porro de Verbo et Vita processisse hominem*, ἄνθρωπον, *et Ecclesiam*, ἐκκλησίαν *et protulisse Æonas duodecim. Itaque octo et decem et duodecim fieri triginta Æonas, habentes, ut diximus, primum principium de profundo et silentio* (5). Et hi triginta Æones divinorum omnium plenitudinem, πλήρωμα, continent. Æonum vero ultima, sophia, Patrem cognoscendi vehementissimo desiderio incensa, materiam genuit, quæ vocatur *Achamoth*, eique Christus, ex *intellectu* et *veritate* genitus, formam indidit. Ac denique Achamath genuit *Demiurgum*, qui postea mundum corporeum ad similitudinem

Valentinus.

(1) Virgil., *Georgic.* lib. 4, a v. 921.
(2) Vide Menendez Pelayo, *Historia de los Heterodoxos españoles*, t. 1, c. 2, paragr. III.
(3) Secundum Hesiodi aliorumque Græcorum theogonias, ut fuse demonstrat S. Epiphanius *Adversus Hæreses*, lib. 1, Hæresi XXXI.
(4) Προπατορα itemque Πρόαρχην.
(5) S. August. lib. *de Hæresibus ad Qodvult Deum*, cap. 11. Cfr. S. Epiphan. loc. cit.

pleromatis conformavit (1). In quibus omnibus sive Æonum, sive aliarum rerum fabulosis ac ridiculis generationibus, facile pantheisticam emanationem agnosces (2).

Neoplatonici, Plotinus

Inter Neoplatonicos principem locum occupat Plotinus (3), qui cum Alexandriæ Ammonium Saccam audisset, Romam venit, ubi ad mortem usque magna discipulorum frequentia docuit. Rerum omnium principium ex Plotini somniis est *Unum*, quod «est tale, ut de ipso nihil prædicari queat, non ens, non essentia, non vita, propterea quod super hæc omnia sit» (4). «Sed... est prorsus *informe*, ab *intelligibili* etiam forma secretum. Unius namque natura, cum sit genitrix omnium, merito nullum existit illorum: igitur neque quid existit, neque quale, neque quantum. Præterea non est intellectus, non anima, non movetur, non quiescit, non est in loco, non est in tempore; sed ipsum secundum se uniforme μονοειδὲς, immo vero *informe*, super omnem existens formam, super motum, super statum» (5).

Jam ab hoc Uno primo procedit mens seu intellectus, contemplans Unitatem νοῦς, ac deinde Anima universalis mundi ψυχὴ τοῦ παντος, των ὅλων, et hæc sunt tria prima principia constituentia celebrem Plotini Trinitatem (6). Ab anima universali procedunt aliæ animæ diversorum ordinum, et ipsa natura, quæ est vis quædam plastica et vivificans, formamque inducens materiæ, et sic omnia efficiens. Omnia autem quæcumque sunt, et fiunt, sunt nonnisi contemplatio et ex contemplatione (7). Et sic omnia sunt ab uno tamquam ejusdem emanationes, et omnia sunt unum, quia intellectus est idem cum Uno, et anima universalis cum intellectu, reliqua vero ab anima procedentia cum eadem anima (8).

(1) Vide Renatum Massuetum in dissert. 1.ª in Opera S. Irenæi (Migne ad calcem tom. VII Patrum Græcorum); Card. Gonzalez (*Histor.*, t. 1, n. 108), Peach (*Philos. nat.*, n. 259).
(2) Card. Gonzalez, loc. cit., paragr. 109.
(3) De quo vide vol. 1 hujus operis, *Introduct. in univers. philos.* n. 42.
(4) *Ænead.* 3, lib. 8, n. 9. Cfr. *Ænead.* 6, lib. 9, n. III.
(5) *Ænead.* 6, lib. 9, n. III.
(6) *Ænead.* 5, lib. 1; *Ænead.* 2, lib. 9.
(7) *Ænead.* 3, lib. 8, n. V-VI.
(8) Vide Tennemann, loc. cit., paragr. 204, seqq.; Card. Gonzalez, oc. cit. paragr. 115.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et alii.

Præter Plotinum nomen sibi nobilius comparavere in secta Neoplatonicorum Plotini discipulus Porphyrius Syrus (1), et Jamblicus Chalcidensis in Cœlesyria (2), et Proclus (3), cognomento *Diadochus*, Constantinopolitanus, qui docuit Athenis (4). Hos omnes longo intervallo secuti sunt Joannes Scotus Erigena, Amalaricus del Bène, carnutensis *(Amaury de Chartres)*, David de Dinant, et Jordanus Brunus.

Pantheistæ medii ævi: Erigena aliique.

Erigena docuit *nihilum*, unde omnia Deus creavit, esse ipsam ineffabilem et incomprehensibilem divinæ naturæ inaccessibilemque claritatem» (5), omnium rerum essentiam esse ipsum Deum, qui solus vere est, divinamque substantiam esse, quæ sola est vere ac proprie in omnibus, et nihil vere ac proprie esse, quod ipsa non sit; unde Deus est unum cum creatura, «omnia creans, in omnibus creatum; et omnium factor, factum in omnibus» (6). Et quemadmodum ab eo procedunt omnia, ad eumdem quoque omnia reversura sunt, et unum cum eo individuum atque immutabile manebunt (7). Amalaricus et asseclæ illius «dixerunt Deum esse principium formale omnium rerum»; David vero de Dinand «stultissime posuit Deum esse materiam primam» (8).

Michael Servetus.

Similia docuit sæc. XVI Michäel Servetus, hispanus, a Calvinistis morte mulctatus Genevæ, qui inter alios errores Deum esse rerum omnium naturam, omniaque unum esse docuit.

Jordanus Brunus.

Jordanus Brunus, vir ingenio turbulento, post ejuratam fidem catholicam, Calviniana dogmata professus, ac Romæ

(1) Auctor *Introductionis in Aristotelis categorias* aliorumque operum.

(2) Scripsit de *Mysteriis Ægyptiorum*, et alios libros.

(3) Scripsit inter alia plures Commentarios in opera Platonis; eidemque adscripsit Angelicus librum *de Causis*, quem et præstantissimis commentariis illustravit.

(4) De quibus vide vol. 1.um hujus operis, loc. cit., n. 41-45.

(5) In opere, quod scripsit *de Divisione naturæ*, lib. 3, cap. 19.

(6) *De Divisione naturæ*, lib. 1, c. 3 seqq.; Card. Gonzalez, *Historia*, t. 2, parag. 29.

(7) *De Divis. nat.*, lib. 2, cap. 2, lib. 3, cap. 23.

(8) S. Thom. 1 p., q. 3, art. 8; 1.° *Contr. Gent.* cap. 17 fin.; 2.a dist. 17, q. 1, art. 1. Vide Card. Gonzal. t. 2, paragr. 45.

demum ob suos errores capite damnatus anno Domini millesimo et sexcentesimo; posuit «unum principium intrinsece constitutivum totius universitatis rerum, unum omnium rerum *esse*, unam omnium rerum substantiam, universalem, infinitam, interminatam, æternam, ingenerabilem, indestructibilem, immutabilem» (1) quæ indifferenter omnia ipsaque contraria comprehendit in unitate et conformitate (2), unde differentiæ ac multiplicitas reputandæ sunt tamquam pura accidentia, vel figuræ, vel complexiones unicæ illius substantiæ (3). Quare «in una illa ac suprema substantia

(1) «E' dumque l' universo uno, infinito, immobile. Una, dico, è la possibilità assoluta, uno l' atto, una la forma o l' anima, una la materia o corpo, una la cosa, uno lo ente, uno il massimo e l' ottimo, il quale non deve posser essere compresso, e pero infinibile et interminabile, e per tanto infinito et interminato, e per consequenza immobile.» Giordan. Bruno. *De la Causa, principio, et uno*, diologo V (ed. Wagner, Lips. 1830).

(2) «Questo è termine di sorte che non è termine, è talmente forma che non è forma, è talmente materia che non è materia, è talmente anima che non è anima; per che è il tutto indifferentemente, e pero è uno, l' universo è uno.» Ibid. dial. V.—«A quello essere non più s' owicini con esser sole, luna, che un uomo o una formica, è pero *nell' infinito queste cose sono indifferenti*. E quello che dico di queste, intendo di tutte le altre cose di susistenza particolare. Or se tutte queste cose particolari nell' infinito non sono altro et altro, non *sono differenti*, non sono specie, per necessaria consequenza non sono numero». Ibid.

«Prendi i segni e le verificazioni per le quali conchiuder vogliamo *li contrarii* concorrere *in uno*, onde non sia difficile alfine inferire che le cose tutte sono uno.» Ibid.

«Comprende *tutte le contrarietà nell' esser suo in unità e convenienza*. Ibid.—Aristotele non ha lasciato di essere poco aweduto nella verità, per non profondare alla cognizione di questa unità e indifferenza della costante natura et essere». Ibid.

(3) «Nell' uno, infinito, immobile, ch' è la sustanza, ch' è l' ente, vi si trova la moltitudine, il numero, che per esser modo è moltiformità dell' ente, la quale viene a denominar cosa per cosa, non fa questo, che lo ente sia *più che uno*, ma *moltimodo* è *moltiforme* è *moltifigurato*. Pero, profondamente considerando con li filosofi naturali, lasciando i logici nelle lor fantasie, troviamo che tutto lo che fa differenza è numero, è puro accidente, è pura figura, è pura complessione». Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

duo distinguenda sunt, quæ tamen in ipsa absolute spectata coincidunt ac perfecte identificantur: absoluta nempe atque infinita *potentialitas*, secundum quam ipsa potest esse omnia; et absoluta atque infinita *actualitas*, secundum quam ipsa actu est omnia. Et quidem secundum quod ipsa est infinita potentia, ipsa est *potentia potentiarum*, unite, indivise et indistincte in se continens omnes differentias potentialitatis; et similiter secundum quod ipsa est infinitus actus, ipsa est *forma formarum*, involute, implicate et indistincte in se continens totam diversitatem formarum» (1). Et «secundum quod est potentia universalis et infinita, substantia unica est immutabilis *materia* mundi. Secundum quod est actus universalis et infinitus, eadem illa substantia unica est immutabilis forma *mundi* latens sub omni formarum diversitate. Itemque secundum quod ipsa insita activitate tradit foras, et distincte explicat formas in ipsa indistincte inclusas, ipsa est *anima* mundi et intellectus universalis in omnibus vivens atque operans». «Hinc substantia unica est tota in toto mundo, et est tota etiam in singulis rebus mundi; non tamen ipsa est in singulis rebus *totaliter* et *omnimodis*, sed in una re est uno modo, in alia vero est modo alio» (2). «Explicat porro substantia unica formas quas, in se involutas continet, facto progressu a formis indeterminatioribus

«Dite che quel tutto che si vede di differenza ne li corpi, quanto a le formazioni, complessioni, figure, colori et altre proprietadi o communitadi, non è altro che un *diverso volto di medesima sostanza, volto labile, mobile, corrotibile* di un immobile, perseverante et eterno essere, in cui sono tutte forme, figure e membri, ma *indistinti* e come *agglomerati*, non *altrimenti che nel seme*, nel quale non è distinto il braccio de la mano, il busto del capo, il nervo da l' osso». Ibid. dial. V.

(1) «Or contempla il primo et ottimo principio il quale è tutto quel che può essere, è lui medesimo non sarebbe tutto, se non potesse essere tutto; in lui dunque l' atto è la potenza son la medesima cosa». Ibid. dial. III.—«La potenza si assoluta non è solamente quel che può essere il sole, ma quel che è ogni cosa è quel che può essere ogni cosa, *potenza di tutte le potenze, atto di tutti gli atti, vita di tutte le vite, anime di tutte* le anime, essere di tutto l' essere». Ibid. dial. III.

(2) «Però intendete tutto essere in tutto, ma non totalmente et omnimodamente in ciascuno. Però intendete come ogni cosa è una, ma non unimodamente». Ib. dial. V.

ad formas usque determinatiores. Atque in primo quidem momento suæ evolutionis scindit sese quadantenus in duplicem materiam, *materiam* nempe *extensam*, quæ est materia rerum corporearum, et in *materiam inextensam*, quæ est materia rerum spiritualium» (1).

Verum dum fidei catholicæ constanter adhærebant christiani populi, dumque studia Philosophiæ ac Theologiæ scholasticæ florebant, non poterant late serpere venena Pantheismi. Advenere mox tristissima tempora, cum opinandi licentia, novitatum libido, severiorumque disciplinarum, ac nominatim Metaphysices, fastidium latissimos erroribus omnibus panderunt aditus, ac tum demum Pantheismi quoque deliria facile potuerunt plurimorum occupare mentes.

Spinosa.

37. Baruch (Benedictus) Spinosa (2), vir post rejectum judaismum nullam religionem professus (3), ad Pantheismum novo apparatu propugnandum sese accinxit in opere, cui titulus: *Ethica ordine geometrico demonstrata, et in quinque partes distincta, in quibus agitur:* 1.° *de Deo.* 2.° *de natura et origine mentis:* 3.° *de origine et natura affectuum:* 4.° *de servitute humana seu de affectuum viribus:* 5.° *de potentia intellectus seu de libertate humana* (4).

Eo in opere ante omnia octo statuit definitiones, e quibus hæ potissimum ad rem nostram faciunt. *Per substantiam intelligo, id quod in se est, per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* (5). *Per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam et infinitam essentiam exprimit* (6). *Per causam sui intelligo id, cujus essentia involvit existentiam, sive id, cujus*

(1) Ibid. dial. IV.—Totam hanc expositionem doctrinæ Giordanianæ desumpsimus ex cl. P. Ludov. de San, *Institut. Metaph. specialis, Cosmolog.* Pars. 1.ª, cap. 1., n. 16.

(2) Natus Amstelodami in Batavia e judæis parentibus an. 1632, mortuus Hagæ Comitum (Haye) an. 1677.

(3) Brucker, *Histor. critic. Philos.* tom. 4, part. 3.

(4) Scripsit alios quoque libros, de quibus vide Card. Gonzalez, *Hist.* t. 3, paragr. 58; Tennemann, tom. 2, parag. 337.

(5) Spinos. *Ethic.* part. 1.ª *de Deo*, defin. 3.ª

(6) Ibid. defin. 6.ª

natura non potest concipi nisi existens (1). *Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantia percepit tamquam ejusdem essentiam continens* (2). *Per modum intelligo substantiæ affectiones* (3). Deinde septem fabricat axiomata, e quibus quartum est hujusmodi: *Notio effectus a notione causæ dependet, eamque in se convolutam habet.* Hisce aliisque tamquam fundamentis universæ doctrinæ præmissis, statuit, Deum esse unicam substantiam, infinitam, necessario existentem, nec posse præter Deum ullam dari vel concipi substantiam (4); et licet hæc unica substantia infinitis attributis in se constet, tamen duo tantum nobis esse perspecta, infinitam videlicet cogitationem et infinitam exensionem (5). Quæcumque vero præter Deum existunt, sive spiritus sive corpora, non esse nisi varias ejusdem affectiones seu modos (6), quia nimirum non constituunt ejus essentiam, secus forent attributa, sed insunt substantiæ, et a substantia efficienter procedunt (7). Et corpora sunt modi seu affectiones attributi infiniti extensionis, spiritus vero cogitationis. Porro quemadmodum ex attributis ac substantia procedunt modi, sic ex modis ipsorum attributorum procedunt alii modi, et ex his alii sine fine per progressivam evolutionem a minus determinatis ad magis determinatos: ex quibus alii sunt infiniti, et æterni, nempe rationes universales, alii vero sunt transitorii et finiti, ac vocantur *singularia* seu *individua* (8). Cæterum hæc progressiva et perpetua evolutio modorum fit ex absoluta necessitate divinæ naturæ, ex qua omnia determinata sunt, tum ad existendum quando et quamdiu existunt, tum ad operandum quando et quamdiu operantur. Etenim «in rerum natura, inquit, nullum datur contingens, sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt, ad

(1) Ibid. defin. 1.°
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Ibid. prop. 7, 8, 14; et in Epist. 40.
(5) Ib. part. 2, *de Ment.* prop. 1, 2.
(6) Ib. Part. 1, prop. 15, 34.
(7) Ibid. In scholio ad prop. 29.
(8) Ibid. Prop. 22, 28.

certo modo existendum et operandum» (1). Demum absoluta illa et unica substantia, quatenus intelligitur a nobis, et est revera, causa omnium quæcumque fiunt, vocatur *natura naturans;* modi vero, quatenus sunt in illa substantia, ab eademque profluunt, *natura naturata* (2): quæ tamen non penitus inter se discriminantur, sed sunt eadem substantia, quæ prout est natura naturans, sese active evolvit in naturam naturatam (3). En impium Spinosæ systema, in quo si attente consideres, vestigia quædam agnosces errorum Jordani Bruni nuper expositorum. Quantum vero debuerit Cartesio, cujus operibus addictissimus fuisse dicitur (4), et ex quo suam ille definitionem substantiæ, basim et principium totius systematis, mutuari potuit, aliis considerandum relinquo.

Pantheismus idealis ac transcendentalis.

Novam formam accepit hoc sæculo Pantheismus opera Idealistarum transcentalium Germaniæ, secundum quos unica illa substantia communis, fundamentum omnis realitatis, est *esse* quoddam indeterminatissimum, ineluctabili tamen adactum necessitate seipsum perpetuo magis magisque determinandi per evolutionem idealem: unde omnis multiplicitas varietasque rerum apparens in mundo, consistit in diversis gradibus illius evolutionis idealis, cum res omnes determinatæ aliud non sint, nisi diversæ *positiones* illius *esse* indeterminatissimi, vel varia *momenta* evolutionis ejusdem. Hoc *esse* indeterminatissimum vocatur a Fichte τὸ *Ego purum*, a Schelling *absolutum*, ab Hegele *Idea ens*, a Schopenhauer *voluntas*, ab Hartmann *Inconscium*. Hujusmodi autem *esse* indeterminatum solum idealiter evolvitur, quia principium omnium Pantheistarum transcendentalium hoc est, ordinem idealem confundi cum reali, ideoque realitatem consistere in cognitione, in hoc nimirum quod aliquid cognoscatur. Unde pronum est illud colligere, unum dumtaxat dari ens, et

(1) Ibid. prop. 29 et prop. 33. Cfr. Coroll. 1.um
(2) In Schol. ad prop. 29.
(3) Cfr. cl. P. de San, Op. cit, n. 175; Card. Gonzalez, t. 3, parag. 58–59.
(4) Card. Gonzalez ib. parag. 58; Tennemann, t. 2, parag. 337.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

multiplicitatem rerum consistere in sola ideali hujus unici entis evolutione.

cujus semina debentur Kantio

Cæterum novo huic generi Pantheismi viam straverat elapso sæculo Emmanuel Kant, regiomontanus (1), seminator plurimorum, qui nostris diebus corrumpunt scientias, errorum (2). Is enim statuit in sua *Critica Rationis puræ* principium illud, quod alibi exponendum erit, materiam cognitionum nostrarum suppeditari ab experientia, formam autem sive cognitionum sensibilium, sive intellectualium, pendere ab ipso subjecto cogitante, siquidem tum spatium et tempus (formæ sensationum), tum duodecim categoriæ (formæ judiciorum) non sunt, nisi leges quædam subjectivæ necessariæ, et quasi totidem typi subjectivi, quibus intellectus in omni cognitione materiam per sensus oblatam obsignat. Unde illud conclusit, cognoscere quidem nos *phænomena*, non vero *noumena*, id est, non posse nobis innotescere *quid* vel *quales* res in se ipsis *sint*, sed solummodo quales nobis *appareant* (3). Quid enim res in seipsis sint, nequit innotescere per experientiam, quæ sola phænomena attingit, neque etiam per intelligentiam, quia notiones intellectuales applicatur solis phænomenis, nempe materiæ per sensuum experientiam oblatæ, quæ proinde non cognoscitur nisi secundum phænomenicam apparentiam. Quare quamvis multa quidem disputemus de Deo, de anima nostra deque mundo, ratio tamen speculativa seu theoretica ignorat prorsus valorem objectivum harum omnium cogitationum (4); sed valor objectivus et realitas ontologica sub phænomenis cognitionum latens, est incognitum X, in quod nondum potuerunt scientiæ penetrare.

In qua doctrina vides illico universalem scepticismum contineri; sed facile etiam deprehendes semina latere idealismi transcendentalis atque idealis Pantheismi. Jure enim aliquis

(1) De quo vide 1.us vol. hujus Oper. in Introduct. n. 110.

(2) Vide Card. Gonzalez (loc. cit. t. 4, parag. 1 et 4.°), Balmes (*Histr.* n. LV; *et Filos. fundam.* lib. 9, cap. 19, ubi fuse ostenditur Fichtei doctrinam ex Kantii doctrina derivari).

(3) Cfr. Card. Gonzalez, paragr. 94-97.

(4) Card. Gonzal. ib. parag. 98; Balmes. loc. cit.

quærat, si forma, quæ pars est præcipua cognitionis, a subjecto est, cur non etiam materia subjecto tribuenda sit? (1). Atqui tunc nulla prorsus erit realitas præter subjectum cogitans. Ac proinde *incognitum* illud noumenon, latens sub phænomenis, quod Kantius quærebat, nec cognosci a nobis posse asseruerat, invenisse se forte gloriabitur alius, dicens illud esse proprium subjectum mente gerens innumera phænomena et imagines rerum, quibus nihil extra respondeat, Id revera præstitit.

Fichte,

38. Gottlieb (Amedeus) Fichte (2), auctor *Egoismi* theoretici: sic enim placuit quibusdam appellare formam Pantheismi a Fichte confictam (3). Non possumus hominem per omnes anfractus tenebricosissimi itineris persequi in expositione doctrinæ, quæ varia complectitur capita ad alias Philosophiæ partes spectantia; sed ea dumtaxat, quæ in rem nostram faciunt, breviter enarrabimus.

Subjectum absolutum, inquit Fichte, idemque principium absolutum omnem in se continens realitatem est τὸ *Ego purum*, vel *transcendentale*, seu exspers omnis determinationis vel repræsentationis empiricæ; aliis verbis *Ego transcendens omnem experientiam*, vel melius «*indefinitus actus cognoscendi*, in quo omnis differentia τοῦ *Ego* et τοῦ *non-Ego* evanescit, quique obtinetur removendo a quocumque facto conscientiæ omnes determinationes empiricas», ut exponit cl. P. De San (4) ex ipso Fichte. Hoc vero τὸ *Ego* successive gignit omnia, quatenus cognoscit illa. Cum enim ordo idealis ex Fichte, sit idem cum reali, cognoscere aliquid est producere illud, et cognosci est esse. Quare character hujus τοῦ *Ego* puri est, ut sit *infinitum* (intellige summe indeterminatum);

(1) Cfr. cl. Liberatore (*Cosmol.* n. 5), cl. P. de San (*Cosmol.* n. 19), cl. P. Palmieri (Anthropol., thes. 34 fin.), Maret (*Theodic.* lect. 17).

(2) Natus apud Rammenau, pago Lusatiæ (Lausitz) an. 1762, obiit Berolini an. 1814. Inter alia, quæ scripsit, opera magis celebratur illud, quod inscripsit *Principia fundamentalia universæ doctrinæ de scientia* (Grundlage der gesammten Wissenschaftslehre). Vide Tennemann (t. 2, paragr. 366), Card. Gonzal. (t. 3, parag. 63).

(3) De quo videndus omnino est Rev. D. Maret *Theodicee*, lect. 17.

(4) De San, *Cosmolog.*, n. 8,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia nimirum cum omnem cujuslibet rei experientiam transcendat, et determinationes ac limitationes adveniant per experientiam, quæ refert affectiones proprii subjecti objectaque ab eo distincta, reliquum est, ut *Ego* hujusmodi *purum* debeat esse infinitum, id est, indeterminatum. Alter character τοῦ *Ego* puri est activitas pura et infinita. Nam illud ex spontanea quadam propensione fertur, ut conscientiam et experientiam habeat tum suæ infinitæ realitatis (se cognoscendo), tum aliarum rerum, seu τοῦ *non Ego:* et hoc modo se et omnia alia in seipso ponit seu efficit, atque adeo habet in se omnem realitatem (1).

«Non est ulla realitas nisi in intellectu; ipse est facultas omnis realitatis: ideale fit reale in ipso» (2). Nimirum *esse* cujuslibet rei non est nisi cognosci, seu eatenus aliquid est, quatenus cognoscitur. Hinc ipsum subjectum non existit, nisi quia se cognoscit, et quando se cognoscit. Nam *aponere* idest cognoscere (3) seipsum et *esse* sunt, si sermo sit de τῷ *Ego*, prorsus unum idemque... τὸ Ego *ponens* seipsum et τὸ *Ego* existens identificantur omnino, sunt unum idemque...» Et «si τὸ Ego non existit, nisi quatenus seipsum ponit; non existit, nisi quando ponit seipsum» (4). Quod delirium clarius adhuc continetur in his aliis verbis: «Quid eram *Ego*, quæret quispiam, antequam haberem meipsius conscientiam? Facilis est responsio. Ego nondum existebam, quia nondum eram *Ego:* τὸ *Ego* non existit, nisi quatenus habet suipsius conscientiam...» (5) Sed quod magis adhuc mireris, «τὸ Ego ponit seipsum, et existit vi hujus simplicis actionis; et vicissim existit, et ponit suum *esse* non aliter,

(1) «Notio realis identificatur cum notione activitatis. Omnis realitas est posita in τῷ *Ego*, nempe omnis activitas est posita in ipso, et vicissim omnis realitas est in τῷ *Ego;* id est τὸ *Ego* non est aliud, quam activitas. Ipsum *Ego* non est *Ego*, nisi quatenus est activum, et quatenus non est activum, est *non Ego*». Sunt verba ipsius Fichte apud Balmes (*Filosof. fundam.*, lib. 9, cap. 18, n. 138).

(2) Verba Fichte apud Balmes, ib.

(3) Secundum modum loquendi Fichtii, cognitio *ponitur* in cognoscente, itemque objectum cognitionis: quare *ponere se* tantumdem valet, ac *cognoscere se*.

(4) Apud Balmes, *Filos fund.* loc. cit. n. 138.

(5) Apud Balmes, ib. n. 136.

nisi vi hujus ipsius *esse*. Unde τὸ *Ego* est simul *agens* et *effectus* actionis, operans et factum per actionem: in ipso actio et factum identificatur. Τὸ Ego ponit seipsum absolute, quia existit, ponit seipsum eo ipso quod existit, et existit eo ipso quod seipsum ponit... Est, quatenus sese ponit: et ponit sese, quatenus est» (1). Quamobrem «τὸ *Ego* et τὸ *non Ego* æquo modo sunt positiones τοῦ *Ego*, effectus actionum primitivarum τοῦ Ego...» Et quatenus τὸ *Ego* est absolutum (id est transcendens omnem empiricam repræsentationem) infinitum et illimitatum, ipsum ponit *quidquid* existit, et *quidquid* τὸ *Ego* non posuerit, non existit ipsi, et extra ipsum nihil est» (2). Amedeo Fichte successit

39. Fridericus Gullielmus Josephus Schelling (3) «qui cum realitatem, quam omnem intra τὸ *Ego* concluserat Fichtius, τῷ *Ego* et τῷ *non Ego* communem fecisset, visus est quam plurimis redintegrasse Pantheismum realem. Revera tamen tota ratio hujus viri incerta fluctuat inter idealismum et realismum. Eam vocavit *Philosophiam Absoluti*, *doctrinam Identitatis Absolutæ*, vel etiam propter identitatem, quæ per eam inducitur inter ordinem idealem et ordinem realem, *Idealismum* objectivum» (4). Schelling Fichtii placita, quæ junior secutus fuerat, rejicienda sibi esse duxit, aliamque viam ineundam, ut unitatem principii absoluti et transcendentalis obtineret. Fichte principium illud absolutum et unicum, omnem comprehendens realitem, reposuerat in τῷ *Ego*, ita ut quidquid non est τὸ *Ego*, foret phænomenum τῷ *Ego*, et productum a τῷ *Ego*. At enim cur non dicamus e conversoꝛ inquit Schelling. Cur τὸ *Ego* non sit phænomenum alicujus τοῦ *non Ego?* Eodem jure, quo Fichte voluit τὸ *non Ego* seu objecta cogitata ab intellectu reperiri in τῷ *Ego*, eodem dici posset τὸ *Ego* reperiri in τῷ *non Ego*. Ergo cum τὸ *Ego* et τὸ *non Ego*, id est subjectum et objectum invicem relative

Schelling.

(1) Apud Balmes, ib. n. 131; et in *Histor.*, parag. LVI. n. 333.

(2) Apud Balmes, *Filos. fund.* loc. cit. n. 142, vers. fin. Cfr. si lubet cl. P. de San, op. cit, n. 19, ubi fuse totum systema exponitur.

(3) Natus Leombergii in Suabia an. 1775, mortuus an. 1854. Plura scripsit opera, quorum titulos dabit Tennemann (t. 2 parag. 397), Card. Gonzal. (t. 4, parag. 5.).

(4) De San., loc. cit. n. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

opponantur, neque τὸ Ego neque τὸ *non Ego* est principium absolutum, sed principium hujusmodi reponendum est in aliquo ente, in quo τὸ *Ego* et τὸ *non Ego* amplius non opponantur, sed unum idemque sint (1). Ergo...

Primum principium debet reponi in *esse absoluto;* absolutum porro non est subjectum neque objectum, sed aliquid indifferens ad utrumque, cujus proinde essentia est hujusmodi, *indifferentia omnium differentium* et oppositorum, et *identitas absoluta omnium*, et in quo absque ulla diversitate omnia sunt unum τὸ Ego et τὸ non Ego, subjectum et objectum, finitum et infinitum, reale et ideale, spiritus et natura seu mundus, singulare et universale (2), est enim omnium commune substractum. Quare «identitas hæc absoluta, inquit De San (3) ex doctrina Schelling, est identice omnia quæ sunt, et extra ipsam est nihil (4); estque simpliciter una (5), per omnia atque in omnibus sibimet similis (6), per ipsamet suam essentia mexistens (7), infinita (8), æterna» (9). Ejusque cognitio constituit summum gradum scientiæ transcendentalis. «Ad cognitionem absolutæ identitatis assurgit mens ope *intuitionis* cujusdam *intellectualis*, qua abstrahens ab omni subjecto cogitante atque ab omni itidem objecto cogitabili, *absolutam rationem secundum se sumptam* contemplatur. De absoluta namque ratione verificatur notio identitatis absolutæ..... quare ipsamet hæc ratio est identitas absoluta. Videlicet ratio absolute sumpta, sive quod idem est, notio mentis per se inspecta, est communis nexus inter subjectum et objectum: quare in ipsam tamquam in punctum absolutæ indifferentiæ, subjectum et objectum concurrunt in eaque inter se penitus identificatur» (10). Itaque cum una tantum

(1) Vide Card. Gonzalez, t. 4 *Histor.* parag. 5.
(2) Card. Gonzal. ibid. Cfr. Tennemann, tom. 2, paragr. 399.
(3) De San, loc. cit.
(4) Schelling, *Darstellung meines Systems der Philosophie*, parag. 2.
(5) Ib. id. paragr. 3.
(6) Ibid.
(7) Ibid. parag. 8, *Zusastz.* 1.
(8) Ibid. parag. 10.
(9) Ibid. parag. 8, *Zusastz.* 2.
(10) De San, loc. cit. ex Schelling *Darstellung meines Systems der Philosophie*, parag. 1.

sit identitas absoluta, omnis multiplicitas potius est apparens aut phænomenica, quam realis, pura manifestatio absoluti, ita ut variæ formæ ac determinationes, sive ad subjectum vel spiritum cogitantem spectantes (puta *scientia*, *religio*, historia, ars), sive ad naturam vel objectum cogitatum (videlicet materia, motus, lux, vita etc.), totidem constituant quasi diversas facies et periodos evolutionis illius *esse* absoluti, quod cum sit unum et idem in omnibus, apparet ac se manifestat successive sub diversis atque oppositis formis, et prout unam aut alteram harum formarum, quasi facierum et personarum, induit, nomen habet corporis vel spiritus, naturæ vel intelligentiæ (1).

Evolutio hujus absoluti ac manifestatio fit hoc modo, ut primum quidem appareat sub forma naturæ involutum et implicitum in corporeo mundo, qui prius nostris obtutibus objicitur, deinde vero sub forma spiritus, cum unusquisque suipsius conscientiam assequitur. Unde evolutio humanæ vitæ non est, nisi evolutio absoluti: historia omnis in omnibus suis vicissitudinibus similiter est evolutio absoluti, quod diversimode apparet; ipsa nostra conscientia est phænomenum dumtaxat conscientiæ absoluti. Sed unum idemque est, et quod initio suæ evolutionis manifestatur sub forma naturæ et materiæ, et quod in progressu ac perfectione se contuendum sistit sub forma spiritus et intelligentiæ. Materia enim est *spiritus* extinctus et sopitus, sed cogitatio vivens latitat in sinu naturæ, et est principium reale, licet nondum sui habeat conscientiam, motuum, lucis, organismi ac vitæ, quæ apparent in mundo. Intelligentia est anima mundi, quæ ipsum impellit ad opera magis ac magis similia rationi et cognitioni; natura vero bruta et inorganica est instar intelligentiæ rudimentariæ ac nondum maturæ. Leges naturæ sunt præparatio legum spiritus; proprietates ac vires corporei mundi affinitatem quamdam servant cum proprietatibus ac viribus conscientiæ seu cognitionis: operaque naturæ inorganicæ et cognitione orbatæ aliud non sunt, nisi conatus irriti et inanes absoluti, ad conscientiam reflexam adnitentis (2).

(1) Card. Gonzal., loc. cit., parag. 5. Cfr. Balmes, *Hist.*, parag. LVII.
(2) Card. Gonzal., loc. cit. Cfr. Balmes, *Hist.*, parag. LVIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hinc vero sequitur: α) hominem, quatenus habet rationem suique conscientiam, esse ultimum terminum et gradum evolutionis, necessariæ quidem, sed intelligentis ac progressivæ, absoluti per naturam. β) Per hunc evolutionis gradum naturam devenire in possessionem sui, et agnoscere (nempe in persona Schellingii et asseclarum) identitatem primitivam et veram naturæ corporeæ et intelligentiæ, mundi externi et conscientiæ humanæ. γ) Corpora non esse, nisi manifestationem et formam quamdam externam τοῦ *esse* absoluti et infiniti, quæ nequit destruere identitatem essentiæ inter corpus et spiritum, mundum ac Deum. δ) Libertatem ipsam esse unam ex evolutionibus illius mirabilis et secretæ vis in sinu naturæ latitantis, et habentis rationem sufficientem evolutionum omnium progressivarum, per quas fit gradus ab inanimatis et mortuis ad viva et animata, ab irrationalibus inertibus et cognitione carentibus ad rationalia, conscientia et prædita libertate (1).

Hegel. 40. Georgius Guilielmus Fridericus Hegel (2) etiam unitatem absolutam omnis realitatis amplexus est, sicut duo præcedentes pantheistæ, sed diverso modo; nam τῷ *Ego* Fichtii et Absoluto Schellingii substituit *Ideam*, quæ est «unitas harmonica totius universitatis seipsam perpetuo evolvens evolutione dialectica et rationali» (3). Et sic etiam Hegel principium illud assumit: Quidquid ideale est, est quoque reale, et quidquid reale est, est etiam ideale; nam omnis realitas clauditur in Idea. Ex quo sequitur ordinem realem identificari cum logico, seu *esse* idem valere ac *cognosci*, seu *rem esse* perinde esse ac *menti apparere per cognitionem*. Quare «dictum est ejus systema *Pantheismus logicus*, tum α) quia Absolutum funditus inspectum ponitur in eo esse notio mentis indeterminatissima, ὁ λόγος κοινότατος (4); tum β) quia pars ejus maxima occupatur in ostendendo, quomodo ope

(1) Card. Gonzal. ib. Vide etiam Maret, *Theodic.* lect. 18.
(2) Natus in urbe Stuttgard, an. 1770, diem supremum obiit an. 1832. De operibus ab ipso conscriptis vide Tennemann (t. 2, paragr. 414), Card. Gonzal. (t. 4, parag. 8), Maret (Op. cit. lect. 18).
(3) Balmes, *Cartas a un escéptico*, carta 9.
(4) Hegel, *Encyclopedie*, *Logik*, parag. 84, 85, 86.

processus dialectici, notio illa indeterminatissima sese ab intrinseco evolvat in alias notiones determinatiores» (1).

Quid est autem hæc *Idea* Hegeliana, quæ una cum sit, omnem in se continet plenitudinem realitatis? Est *Idea-Ens*, seu conceptus puri et abstractissimi et indeterminatissimi *esse*, quod duplici ratione cogitari potest; 1.° in initio evolutionis, quatenus est primum principium tum in ordine cognitionis tum in ordine realitatis, seu quatenus est id, quod sese evolvens magis magisque, constituit omnia. Et *Idea-Ens* sub hoc respectu est *esse* purum, abstractissimum et indeterminatissimum, præscindens ab omni subjecto et ab omni objecto peculiari, nimirum *esse* commune rerum omnium, quod in limine *Ontologiæ* declaravimus, et vocatur ab Hegelio *Notio* (2). 2.° *Idea-Ens* considerari potest in termino evolutionis, id est ut plene evoluta per omnes determinationes ac varietates essendi, et tunc proprie vocatur *Idea*, estque plenitudo realitatis omnis et absoluta identitas omnium oppositorum, omnia namque utcumque varia, determinata et diversa, sunt *esse* aliquod et conveniunt et communicant in *esse*.

Idea-Ens in primo sui momento, in sua summa abstractione et indeterminatione, *esse* nimirum purum, identificatur cum *nihilo* seu *non esse*, eo ipso quod præscindit ab omni determinatione et concretione, ac vicissim *non esse* est *esse;* ac proinde *Idea-Ens* continet in sinu suo *esse* et non *esse* unita et identificata. Unde principium contradictionis enuntians incomposibilitatem τοῦ *esse* cum τοῦ *non esse*, rejiciendum omnino est, tamquam falsum (3), sed ejus loco tamquam fundamentale principium statuenda est *identitas* contrapositionis. Nam quod *fit*, est et non est, ideoque in fieri *esse* et non *esse*, quæ contraposita sunt, identificantur. Ratio porro, cur *Idea-Ens* est nihil seu *non esse*, est quia cum sit abstractissimum, non est quippiam determinatum et concretum nec capax existendi in illa indeterminatione summaque abstractione; est autem simul *esse*, quia est aliquid, quod, accedentibus

(1) De San, *Cosmolog.* n. 21.
(2) Hegel, *Encyclop.*, *Logik*, paragr. 9, 84, 88.
(3) Vide Card. Gonzal. *Historia*, t. 4, parag. 9.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

determinationibus, *fiet* ac *deveniet omnia*. Et debet esse simul *nihil* et *esse*, quia si solum foret nihil, non posset ex eo ulla realitas procedere; si vero foret solum *esse* absque ulla mixtione nihili, non posset jam ullam determinationem novam acquirere, atque adeo semper idem perenniter et immobiliter permaneret. Est ergo *Idea-Ens* simul *esse* et nihil. Nec mireris *esse* et nihil in unum componi, nam recte componuntur, si essentia illius *Ideæ-Entis* consistat in *fieri*; ita enim facile concipitur, inquiunt, quomodo quod nondum *est*, *fit* per successivam evolutionem id, quod modo non erat: unde *esse abstractissimum*, quod vere nihil erat (intellige nihil determinatum), per jugem evolutionem afferentem novas determinationes, *fit* omnia, et sic tandem continet omnem realitatis plenitudinem (1).

Porro evolutio hæc, per quam *Idea-Ens* fit omnia, peragitur per omnes gradus essendi in triplici ordine ac momento: in ordine et momento *logico*, per explicationem categoriarum et notionum intelligibilium; in ordine ac momento *naturæ* per manifestationem mundi sensibilis in spatio, et in ordine ac momento *spiritus* per acquisitionem conscientiæ. In primo illo momento evolutionis *esse* purum et absolutum, seu *idea ens*, est involutum et implicitum in se; quia nondum assecutum est ullam formam ac determinationem concretam et individualem sive naturæ sive spiritus, sed solum continet essentias ac typos ideales rerum omnium, nimirum prout series categoriarum et notionum universalium, tum genericarum tum specificarum, sub abstractissima et communissima ratione entis continet ideales, ut ita dicam, genealogias rerum omnium et formas et quasi exemplaria omnium, quæcumque possunt existere in mundo sive corporeo sive spirituali. Et quia ad Logicam spectat ordinare categorias omnes sub ente, declarando processum rationalem (evolutionem) e generalissimis ad minus generalia, per majorem ac majorem determinationem, ideo *Esse absolutum* seu *Idea-Ens* in hoc primo momento evolutionis consideratum, constituit objectum Logicæ. Et quoniam res omnes concretæ mundi, sive corporei sive spiritualis, continent essentias illas specificas cum

(1) Cfr. Card. Gonzal. ibid. et parag. 12.

illis entis determinationibus, prout ordinantur et considerantur a Logica, ideo hæc scientia prævie noscit in sua illa contemplatione abstractiori formas omnes varias nuturæ, tum corporeæ tum spiritualis, quæ sunt objecta reliquarum scientiarum sive de natura sive de spiritu. Est ergo Logica præstantissima omnium scientia et quasi anima reliquarum omnium, utpote quæ non sunt nisi applicationes illius; itemque est scientia transcendentalis, ad hanc enim solam spectat contemplatio *esse* puri et absoluti, ac tandem objectum ejusdem est ipsa infinita realitas. In altero momento *Idea-Ens* fit natura, cum manifestatur et quasi foras prodit e semetipsa, seu se *exteriorizat* in spatio ac tempore per evolutionem atque apparitionem naturæ, quando nimirum contemplamur mundum corporeum. In tertio denique momento *Idea-Ens* novum gradum evolutionis assequitur, in se regrediens ac suimet ipsins conscientiam assequens, omnem se realitatem complecti cognoscens, et tunc fit *spiritus humanus*.

In singulis hisce tribus momentis evolutiones fiunt gradatim ac successive; et nominatim in hoc ultimo *Idea-Ens* in homine paulatim sese explicans, libertatem assequitur, et perpetuo se evolvit in artibus ac scientiis, in historia, in religione, ad summum autem gradum perfectionis et evolutionis devenit, cum seipsam manifestat in Philosophia transcendentali.

Cæterum quoniam processus dialecticus *Ideæ* semper est progressivus, nec habet terminum (nimirum quia cognitiones nostræ nunquam ad finem perveniunt, sed semper plura et plura cognoscere possumus), etiam in hoc tertio momento *esse* absolutum nunquam ad ultimun gradum evolutionis perveniet, sed admittendus est progressus indefinitus. Et sic nulla religio, nulla Philosophia est *absolute* vera, sed solum *relative*, pro eo nimirum tempore ac momento, quo apparet in evolutione Ideæ: solumque respondet illi partiali gradui evolutionis, quam hactenus Idea assecuta est, ac cedere proinde loco debebit, cum progressu temporis ad alium gradum evolutionis deveniet (1).

(1) Vide Card. Gonzal. (loc. cit. parag. 8-13), Balmes (*Hist.*, parag. LVIII; *Cartas á un escéptico*, carta VIII-IX), De San (loc. cit).

Brevi, ex Hegelii doctrina Ideæ progressivo et indefinito motu et fluxu vel perpetuo *fieri* realitas omnis totaque humani generis historia continetur: unde sequitur Deum quoque Ideam esse, et quoniam *esse* illius Ideæ est in *fieri* perpetuoque fluxu, Deus (horrendum dictu!) est in *fieri*: quo nihil dici potuit magis alienum a christiana veritate, secundum quam Deus est actus purissimus, expers omnis potentialitatis.

Difficile est sane tantorum deliriorum rationem aliquam mente præformare. Ut vero res aliquo modo capiatur, totum systema Hegelianum huc, ni vehementer fallor, revocari potest in vulgari veterum Philosophorum sermone. Conceptus et cognitiones nostræ semper præseferunt rationem entis, nam hæc implicita latet in quacumque alia ratione intelligibili; aliunde vero ita procedunt in mente nostra conceptus, sive ordine temporis, sive saltem ordem logico, ut primum affulgeat notio entis abstracti et indeterminati, quæ paulatim per additionem differentiarum magis magisque determinetur per successivum incrementum cognitionum nostrarum. Nunc finge rationem illam entis abstractissimi prout relucentem in cognitione indeterminatissima, eo modo quo præcisive in hac continetur, existere (nam quidquid ideale est reale esse dictitatur a Pantheistis transcendentalibus): adde processum illum logicum, quo notio illa entis in nobis magis magisque perficitur per additamentum differentiarum, realiter identificatarum cum abstracta illa entis ratione, utpote quæ reliquas omnes trascendit formaliter, ut alibi docuimus, esse *realem* et ontologicum processum: immo negat ullum esse realem processum et productionem præter illam idealem evolutionem cognitionum. Et habebis Ideam-Ens Hegelii, quod successive *fit* id, quod prius non erat (1). Verum jam nimis multa de sonmiis Hegelianis; paucis jam exponendum est systema Krausii.

Krause, 41. Carolus Christianus Fridericus Krause (2) censetur a quibusdam non Pantheismum docuisse, sed *Panentheismum*,

(1) Cfr. Palmieri *Theologia*, thes. XII.

(2) Natus an. 1781 mortuus an. 1832. De Operibus ejus vide Card. Gonzalez (t. 4, parag. 8), Tennemann (t. 2 par. 413 fin.)

quem etiam *harmonismum* dicunt et *syntheismum*, voluisse nempe tantummodo omnia esse in Deo. Nihilominus negari nequit plurimas ipsius sententias et pronuntiata manifeste continere pantheisticum venenum (1). Statuit enim Krausius *Esse* quoddam absolutum et infinitum, continens omnia entia cum suis attributis, quod proinde est fundamentum omnis realitatis, una et communis essentia res omnes completens, et consequenter est totalitas rerum omnium, extra quam nihil est. Hoc autem *esse* absolutum est *esse* abstractum et indeterminatum, notio entis communissimi, quod de omnibus prædicatur. Et hujusmodi *esse* unum ac totale et infinitum, omnia in se comprehendens, est Deus. In hac una et identica essentia et totalitate rerum omnium continentur duo alia magna *esse* distincta inter se et independentia, infinita *relative*, quæ nempe sunt talia solum in suo genere et ordine, qualia sunt natura et spiritus atque humanitas. Spiritus est *esse* infinitum, sed solum relative, ideoque infinitum partiale; quia licet sit *esse* quoddam supremum, individuale ac personale anterius omni tempore, continens tamquam in communi essentia omnes individuales spiritus, qui successive apparent in tempore, ideoque sit infinitus in linea *spiritus*, non tamen se porrigit ultra entia spiritualia. Et similiter licet natura sit ratio omnium, quæcumque existunt præter spiritum, et complectatur sub se omnia individua corpora, et in hoc sensu sit infinita; est tamen infinita solum partialiter, quia non habet sub se spiritus. Tum vero natura, tum spiritus continentur in Deo, tamquam partes in toto, tamquam attributa in una essentia communi. Ideoque quamvis natura et spiritus inter se distinguantur, non tamen distinguuntur ab *Esse* absoluto et communi, Deo, qui est una communis essentia ipsorum. Nam *esse supremum* ratione attributi infinitatis, *seu totalitatis*, est ipsa natura, et ratione attributi *absoluti*, vel spontaneitatis, est ipse spiritus. Unde quidquid affirmatur vel negatur de natura vel de spiritu, affirmandum vel negandum est de Deo, *esse*

(1) Vide Card. Gonzal. (t. 4, *Hist*, parag. 18, 19), Orti y Lara (*Lecciones sobre el sistema de Filosofia panteista del aleman Krause*, lect. 4.ª), Balmes (*Hist.* n. LXII).

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

absoluto et supremo. Est ergo essentia divina identitas essentiæ omnium rerum. Et sicut essentia divina est omnium rerum essentia communis, ita vita divina continet omnem vitam, et vivit in omni vivente, et omnia successu temporis viventia vitam divinam exercebunt, et consequenter divina vita in perpetuo fluxu et *fieri* versabitur. Denique, ut alia omittamus, ipsa libertas humana et finita, utpote quæ aliud non est nisi evolutio et exercitatio essentiæ vitæque divinæ, exercetur in et per Deum; et similiter abusus libertatis in actu peccati exerceri dicendus est in et per Deum (1).

Unde facile patet id, quod initio dictum est, Krausium Pantheismi labe immunem non esse. Licet enim dicat, Deum utpote absolute infinitum, distinguendum esse a natura et spiritu, quæ sunt finita absolute et solum infinita relative; nihilominus attenta doctrina Krausii, distinctio hujusmodi non est realis, sed rationis, qualis intercedit inter genera et species, inter ens commune et inferiora ejus, inter *totum* potentiale ac partes illius. Itemque quando dicit Krause omnia esse in Deo, longe aliud intelligit, ac intelligunt catholici ex doctrina fidei, cum audiunt S. Paulum dicentem: *In ipso vivimus, movemur, et sumus* (2), aut: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* (3).

Ut primum haberi in honore cæperunt opera Kantii, potissimum in Germania; quasi data fuisset hominibus copia delirandi, illico qui vacabant studiis prout magis minusve ingenii viribus fidebant, aut ad nova confingenda systemata vanissima, aut ad conficta ab aliis sectanda sese accinxerunt, rati fortasse officium Philosophi esse fabricandis somniis operam dare. Et sic suos nacti sunt sectatores tum Fichte (4), tum Schelling (5), Hegel (6) et Krause (7). Quamquam non

(1) Vide Balmes; Orti y Lara; Card. Gonzal., ll. citt.

(2) *Act.* cap. 17. v. 28.

(3) *Galat.* cap. 2, v. 20.

(4) Vide Tennemann, t. 2, parag. 371 versus fin.

(5) Tennemann (ib. parag. 402), Pesch *(Philos. natur.* n. 271 in notis).

(6) Pesch (loc. cit.), Card. Gonzal. (t. 4, parag. 13).

(7) Inter hujus discipulos numerari possunt Tiberghien, Ahrens, Sanz del Rio et alii. Vide Balmes *(Hist.* n. LXII), Card. Gonzalez (t. 4 parag).

defuere etiam in Germania qui Fichtii, Schellingi et Hegelis dogmata oppugnarent (1). Inter eos vero, quibus nuper placuit universalem identitatem novis coloribus vestitam tamquam systema novum proponere, celebriores sunt Schopenhauer et Hartmann.

Schopenhauer.

Arthurus Schopenhauer (2) docuit Pantheismum vel potius Monismum sub forma *Panthelismi*, cujus hæc est summa: Unica est in mundo essentia, *voluntas;* et quidquid est in mundo, non excluso ipso intellectu et ratione, non est nisi effectus, evolutiones ac phænomena illius. Videlicet astra cum suis attractionibus, mineralia cum suis viribus chimicis, plantæ, animalia, homo denique, omnia sunt objecta dumtaxat, quæ sibi procudit illa unica vis et essentia, quæ est voluntas. Et hæc est *noumenon* vel *ignotum* illud, cujus Kantius sola nos phænomena cognoscere decrevit, *mundus voluntas (Welt-Wille);* omnia quippe sunt *voluntas*. Hæc vero unica essentia in aliis rebus se manifestat instar vis conscientia carentis, in aliis vero, nempe in homine, instar vis cognitionis præditæ: unde solum in homine ac per hominem personalitate gaudet, eamque amittit consequenter in morte hominis. Hæc unica essentia est activitas quædam infinita et instinctiva, nisus ac tendentia necessaria et cæca ad vivendum, quæ «ob ingens infortunium et præ desperatione de sorte sua infelicissima... sese evolvit ad mundum adspectabilem (nam ortus mundi quomodo aliter explicari posset, quam ex indigentia aliqua eaque infinita?); et deinde pertæsa miserabilem suam existentiam, quietem appetit ipsius nihili» (3). Appetit nempe famosum *Nirwana* Budharum, seu nihilum absolutum. Id autem ex eo probatur, quod vita humana plena est ærumnis, quæ aliæ aliis perpetuo succedunt, totaque impenditur in procuranda liberatione ab his ærumnis et in satisfactione necessitatum, quæ ad mortem usque

(1) Tennemann, loc. cit.

(2) Natus in Dantziga an. 1781, mortuus est an. 1860. de quo vide Card. Gonzal. t. 4, parag. 27 seqq.

(3) Pesch, *Philos. natur.* n. 274. Nimirum hic vir obsoleta jam et penitus oblitterata Budhæ somnia tamquam nova inventa in medium producere non erubuit. Vide, si lubet, Card. Gonzalez de Budhæ doctrina, et *Nirwana*, tom. 1, paragr. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

crescunt, ac vexant existentiam nostram. Quare præclare perfectissimeque ageret ille, qui vel inedia vel aliis mediis (etiam per vitam cælibem) existentiam individualem et voluntatem *conscientem* perimeret, mortem sibi inferendo. Intellectus porro, si huic somniatori credamus, non est facultas anterior voluntate, sed potius derivatio quædam et phenomenum voluntatis, immo potius est instar rubiginis vel scabiei, quæ enata in cerebro est, cum voluntas in evolutione sui progressiva ad formationem animalium usque devenit. Denique quod causam primam attinet, nihil ratio scit, nec scire potest de aliquo Deo personali et distincto a mundo: quare vera Philosophia debet esse *atheologica* (1).

Hartmann

Eduardus Hartmann (2) nostris temporibus docet solam voluntatem non sufficere ad reddendam rationem mundi et phænomenorum, nisi accedat idea, quæ gradus perfectionum in entibus, ordinem et multiplicitatem excogitet, sicut idea sola non sufficit, nisi accedat *voluntas-vis*. Itaque principium mundi secundum essentiam est idea, secundum existentiam autem est voluntas. Cum autem idea et voluntas subjectum aliquod postulent, in quo sint, admittendum est ens aliquod quod sit utriusque fundamentum et principium primum, unde omnia procedunt. Hujusmodi principium est *Ens-inconscium*, quod es totum et unicum *esse* ac substantia universi, quod sese evolvens ope voluntatis et ideæ, constituit totum mundum, producitque omnia, sidera, terram, mineralia, vegetalia, animalia, hominem; hæc vero omnia non sunt nisi phænomena *Entis-inconscii*. Unde tota singulorum hominum vita et omnes actiones eorumdem, sicut et actus reliquorum entium mundanorum, non sunt nisi summa quarumdam actionum *Inconscii*, ac proinde cujusvis individui conscientia et actus variantur, aut etiam desinunt omnino esse, variata vel cessante actione *Inconscii-Entis* in organismum illius proprium et individuale, sicut cessant colores Iridis, cessante actione solis in nubes. Quare *Ens-inconscium*

(1) Cfr. P. Pesch, *Phil. nat.* n. 107, 274), Card. Gonzalez (t. 4, parag. 27 seqq.), apud quem vide (ib. paragr. 29) sectatores portentorum Schopenhauerianorum.

(2) Natus an. 1842.

est instar *animæ universalis*, unicæ pro omnibus hominibus (1).

Pantheismus galli. Victor Cousin.

Denique ut de gallicis scriptoribus aliquid innuamus, auctor scholæ eclecticæ, Victor Cousin modo Pantheismum aperte profitetur, modo respuit, deque tali crimine se purgare conatur (2). Pantheismum certe docuit, cum hæc scrisit: Nequit esse nisi una substantia, quia substantia prout talis necessario est absolute. *Esse* absolutum est causa absoluta, unum et multiplex, æternitas et tempus, essentia et vita, indivisibilitas et totalitas, infinitum et finitum simul, triplex denique, id est, simul Deus, natura, humanitas. Deus est *esse* unicum et universale; si Deus non est totum, nihil est. *Esse* absolutum continens in sinu suo τὸ *Ego* et τὸ *non Ego*, et constituens commune et identicum substratum rerum omnium est unum et multiplex: unum ratione substantiæ, multiplex ratione phænomenorum, apparet, ac seipsum sibi manifestat per conscientiam (3). Creatio non solum est possibilis, sed necessaria, perque eam Deus ex propria sua substantia res producit. Creatio vero si intelligatur eo sensu, ut sit actio res e nihilo educens, contradictionem implicat (4). Historia tota nihil est aliud, nisi evolutio Dei in humanitate: unde in historia omnia recte facta esse censenda sunt, omnes vicissitudines civilesque perturbationes justæ ac legitimæ sunt, et qui vincit in lite bellioque, ille semper melior est ac sanctior (5). Religio et adoratio cultusque Dei consistit in cognitione veritatis. Deus itaque habet tot adoratores, quot sunt homines, qui cogitant; impossibile enim est cogitare, quin aliqua veritas admittatur. Itaque nec sunt athei ulli: quicumque enim studuerit legibus physicis et chimicis, etiam si scientiam suam non referat ad Deum, longe religiosior erit, plusque de Deo reapse sciet, quam ille, qui ex principio causalitatis in cognitionem divinæ existentiæ deveniat. Religio enim non stat in adoratione *nominis* Dei, sed in cognitione

(1) Vide Card. Gonzal., apud quem plura, t. 4, parag. 30.

(2) Apud Balmes, *Hist.*, n. LXI.

(3) Vide apud Balmes (*Hist.*, loc. cit.; *Cartas á un escéptico*, carta 10), Card. Gonzal. (parag. 85).

(4) Apud Card. Gonzalez, t. 4, paragr. 38 seqq.

(5) Card. Gonzal. ib.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

veritatis, illeque religiosissimus erit, qui plurimas sciat veritates. Unde sequitur theologiam omnem ad Philosophiam revocari (1).

Saintsimoniani. Pantheisticam etiam doctrinam profitentur *Saintsimoniani* (2), confundentes mundum cum Deo; Deum enim esse volunt quidquid est, nempe *esse ipsum universale*, et infinitum, amorem infinitum et universalem, qui sub duplici aspectu se manifestat, spiritus et materiæ, intelligentiæ et vis, sapientiæ ac pulchritudinis; neque enim Deus esse posset infinitus, si quid foret extra ipsum. Hinc homo etiam est Deus, sed Deus in ordine finito, non est *esse* infinitum, sed finita manifestatio *esse* infiniti (3).

Et satis de historia Pantheismi: nimis fusam hanc turpissimorum et insanissimorum dogmatum recensionem necessariam reddebat tristitia temporum nostrorum, in quibus incredibile est vehementerque dolendum, quanta levitate animi ac temeritate homines, quidquid impium et fatuum ex emoto aliquo cerebro prodierit, avidissime amplectantur, dum firmissimas Fidei catholicæ veritates sanæque Philosophiæ decreta fastidiunt, aspernantur (4).

(1) Apud Balmes, *Cartas... Cart. 10; Hist.*, loc. cit. De Cousinio legendus quoque est Revmus Maret. *(Essai sur le Pantheisme*, ch. 1.

(2) Sic dicti ab Henrico Saint-Simon, auctore impii ac nefandi systematis politico-religiosi. Cfr. vol. 1.mus hujus operis. *Introductio*, n. 116.

(3) Mons. Maret, *Essai sur le Pantheisme*, ch. 2.

(4) Hanc Pantheistarum recensionem claudere nequeo, quin quanta possum animi indignatione rejiciam absurdum falsissimumque D. Patritii de Azcarate inventum, qui sanctissimos æque ac doctissimos viros, Didacum Estella, Alphonsum Rodriguez, La Puente, Avila, Ludovicum Granatensem, Marquez, audet venditare tamquam Pantheismo mystico propensos, quin etiam ipsam S. Theresiam, Santosque Joannem a Cruce et S. Ignatium de Loyola, pantheistico vel certe semipantheistico mysticismo infectos esse asserit. *(Exposicion historicocritica de los sistemas filosóficos modernos por D. Patricio de Azcarate*, tom. 2, cap. 3, pag. 34, Madrid, 1870). Assertio ista impia est, ac plenam calumnia esse statim apparebit omnibus, qui aut vitam norint, aut opera legent præclarissimorum illorum Hispaniæ luminum. Miserabilius aberravit Petrus Larousse, qui Sanctis Ecclesiæ Patribus, quin et et ipsi Apostolo gentium, S. Paulo, pantheismi labem absurdissime aspergere non erubuit in suo venenato Dictionario, ad vocem *Creation*, in fine.

Variæ formæ Pantheismi. 42. Ut vero hanc pantheisticorum dogmatum varietatem in ordinem aliquem redigamus, commodiusque refutemus, duplex generatim distingui potest Pantheismus, alter idealis, realis alter. Realis vero sub triplici forma propositus est, sub forma emanationis transeuntis, sub forma evolutionis immanentis, et sub forma hylozoistica, vel potius sub forma compositionis substantialis. Forma emanationis transeuntis consistit in eo, quod asseratur Deum alias res ex sua propria substantia tamquam ex materia produxisse. Et ideo vocatur emanatio transiens, quia secundum hujusmodi systema res manarent a Deo, non tamquam proprietates in eodem receptæ, sed tamquam effectus, qui extra causam emittuntur, sicut radii procedunt a sole, vel a viventibus procedunt semina, quæ in alia individua nova conformantur. Hanc formam Pantheismi forte tenuerunt Indi, nisi malis eos dicere idealem evolutionem sectatos esse, sicque Trancendentalismo Germanico prælusisse (1). Eamdem docuisse videntur Gnostici et Neoplatonici, Ægyptii ac Persæ in suis geogoniis, itemque Græciæ mystagogi et vates. Altera forma est evolutionis realis immanentis, secundum quam unica substantia se successive evolvit in varios modos, quos in se recipiat tamquam affectiones et accidentia sua. Talis est Pantheismus Spinosæ, Jordani Bruni et Krausii. Ad formam hylozoisticam compositionis substantialis revocari possunt placita Stoicorum, Scoti Erigenæ, Amalrici, Davidis de Dinand et Cousinii ac Saintsimonianorum. Denique evolutio idealis est ea forma Pantheismi, secundum quam una ponitur substantia, quæ innumeris successive repræsentationibus manifestationibusque idealibus afficiaturita, ut omnis rerum varietas sita sit in inanibus illis phænomenis idealibus, quin ulla præterea detur realitas. Hujus formæ prima forte semina jecerunt Indi et Ppilosophi Eleatensis Scholæ ac postea Plotinus; eam vero excoluerunt, et ad perfectionem, si ita loqui fas est, adduxerunt Transcendentalis Philosophiæ sectatores.

(1) Cfr. Balmes et Card. Gonzal. loc. supra citatis de Indorum Phantheismo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS II.

Refutatur Pantheismus generatim inspectus.

43. Quamquam Pantheismus evidenter pugnet cum rationis principiis, atque adeo fusiora refutatione non egeat, *non enim requiritur ad aliquam scientiam, ut inducat rationem contra opiniones manifeste falsas et improbabiles, nam quolibet proferente contraria opinionibus Sapientis, sollicitum esse stultum est, ut dicitur primo Topicorum* (1); nihilominus operæ prætium esse ducimus præcipuas rationes congerere, ut omnium animi a turpissimo hoc veneno arceantur, quod eheu! injuria nostrorum temporum latissime serpit, non sine dedecore generis humani. Ordo autem confutationis hic erit, ut in primis Pantheismum generatim spectatum, deinde tres formas illius nuper indicatas singillatim aggrediamur.

PROPOSITIO. **Pantheismus generatim spectatus absurdissimus est summeque perniciosus.**

Pantheismus generatim inspectus absurdus est.

Prima pars. *Pantheismus est absurdus.*

Prob. 1.° Commune hoc est Pantheistarum principium, non esse in rerum universitate nisi unicam substantiam, sive illa vocetur *suprema unitas* cum Jordano Bruno, sive τὸ *Ego purum* et *absolutum* cum Fichtio, sive *Absolutum* et *identitas universalis* cum Schellingio, sive *Idea* cum Hegelio, vel quocumque tandem alio nomine appelletur. Atqui unitas substantiæ in toto mundo contradicit tum externæ tum internæ experientiæ, tum communi sensui totius generis humani. Ergo...

Minor probatur. Nam ut superius ostensum est contra Monistas, externa experientia ubique deprehendit multiplicitatem substantiarum. Interna vero non solum testatur existentiam plurium affectionum in nobis, quæ necessario postulant objectum ac terminum externum, ut ibidem notavimus: sed præterea vividissime renuntiat nobis tum propriam personalitatem, tum etiam imbecillitatem ac miseriam.

(1) S. Thom. 1.° *Physicor.* lect. 2, parag. 4.

Impossibile ergo est nos esse aut modos Dei aut effluvia divinæ naturæ. Itaque tam est evidens ex ipso experientiæ testimonio pantheisticæ doctrinæ absurditas, ut qui eam amplectatur, si constare sibi velit, universalem scepticismum profiteri debeat.

Dicent fortasse Pantheistæ 1.° multiplicitatem cerni in mundo dumtaxat in accidentibus, non vero in substantiis: 2.° substantiam quidem esse immutabilem, infinitam et simplicem, sed mutationem, limitationem compositionemque accidere in modis illius unicæ substantiæ: 3.° mutationes has, quæ ratione accidentium adveniunt substantiæ, penitus extrinsecas ipsi esse.—**Verum resp.** ad 1.um negando assertum, est enim evidens adesse in mundo multas substantias. Id testatatur experientia in primis; et ratio etiam docet, nam dantur procul dubio accidentia, quæ pugnant inter se, qualia sunt accidentia spiritualia et corporea, figuræ diversæ, proprietates physicæ oppositæ. Hujusmodi certe accidentia repugnat esse in eodem subjecto simplici. Ergo vel sunt in seipsis contra naturam accidentium, vel sunt necessario in diversis substantiis. Ad 2.um pariter respondeo negando absurdissimum assertum. Primo quia substantia immutabilis et infinita nullam potest subire mutationem intrinsecam et veram, nullaque accidentia. Deinde si quas subiret affectiones modosve aut accidentia, deberent hæc certe ejusdem ordinis esse cum substantia; ideoque si substantia est spiritualis, nequit corporeis affici accidentibus, nec spiritualibus si corporea sit ipsa. Denique ad 3.um dico, vel hi modi et accidentia identificantur cum substantia, vel non. Si identificantur: ergo nequit limitatio, compositio ac mutabilitas poni in accidentibus, quin eo ipso inducatur etiam in substantia. Si vero distinguuntur, vel physice uniuntur cum substantia, vel non. Si non uniuntur, sunt in seipsis, ac desinunt esse accidentia. Si uniuntur, adventu vel recessu vel mutatione illorum procul dubio substantia ipsa intrinsece mutatur.

Prob. 2.° Pantheismus innumeris scatet contradictionibus. Ergo absurdus est.—**Antecedens patet.** Contradictorium quippe, est quod unum idemque ens sit infinitum secundum essentiam et finitum, a se et ab alio, simplex et compositum, necessarium et contigens, immutabile et mutationibus innumeris obnoxium, spiritus et corpus, actus purus et ens

potentiale. Atqui Deus est ens a se necessarium, infinitum, immutabile, simplex, spirituale actusque purus, ut nunc supponimus, et certo demonstratur in Theologia lumine naturali; mundus vero est ens ab alio, contingens, finitum, mutabile, compositum, corporeum et potentiale, quemadmodum constat ex superius dictis. Ergo systema Deum confundens cum mundo plurimis contradictionibus scatet (1).

Prob. 3.^a Hinc sequitur aliud absurdum Pantheismi, quod est atheismus. Nam ponere Deum contradictoriis constans prædicatis, est revera nullum ponere Deum. Immo eo periculosiorem atheismum inducit Pantheismus, quo facilius irretire valet incautos specie cujusdam pietatis in Deum, cum videri prima fronte possit imperitis divinam perfectionem maxime commendare. Enimvero quis reperiatur inter atheos, qui Deum admittere detrectet; si nullus sit Deus ab hoc mundo distinctus? Tota enim controversia cum atheis versatur circa existentiam alicujus entis a se ac neccessarii, quod sit causa prima et a rerum omnium contingentium congerie distinguatur. Nihil ergo mirum, si Pantheistæ impietate contemptuque religionis eminuerint. Pantheismum professus est Tolandus, idemque fuit unus ex primipilis atheismi et impietatis sæculo proxime elapso. Fichte athismi accusatus fuit, ab eaque labe ut se purgaret librum conscripsit (2); Schopenhauer Philosophiam atheologicam esse oportere arbitratur, quia nihil ratio de Deo scire valet (3), Saintsimoniani denique non verentur dicere, *quidquid non est atheismus, esse ignorantiam et superstitionem* (4). Quid vero de Deo, deque cultu et religione senserit Cousinus, ex præmissa doctrinæ ejus expositione liquido patet.

Prob. 4.^a Pantheismus inducit fatalismum atque omnem libertatem, tum divinam tum humanam, pessumdat, et consequenter etiam providentiam Dei. Constans est enim apud omnes pantheistas hoc dogma, omnem rerum multiplicitatem

(1) Cfr. S. Thom., 1.^a *Contr. Gent.* cap. 19, 20 seqq., et cap. 26; itemque lib. 2.^a cap. 49.
(2) Card. Gonzal. *Hist.* t. 4, parag. 3.
(3) Gonzal. ib. t. 4, parag. 27.
(4) Perrone, *Prælect. theolog.* vol. 4, *De Deo*, pars 2, cap. 2, prop. 3, n. 237 in nota.

ab una substantia procedere per necessariam emanationem vel evolutionem. Atqui certum est, suoque in loco demonstratur, tum Deum in omnibus actionibus ad extra, tum etiam hominem in plurimis actionibus, immunem esse ab omni necessitate. Ergo...

Prob. 5.^a Denique Pantheismus ecclesiastica sententia damnatus est. Etenim *Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac volantate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una* **singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis,** *prædicandus est* **re et essentia a mundo distinctus** (1). Et similia habentur in *Syllabo* errorum edito jussu Pii IX (2). *Quare si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit* (3). Et *si quis dixerit, res finitas tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales,* **e divina substantia emanasse: aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;** *aut denique* **Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distincta, anathema sit** (4).

Probatur 2.^a pars propositionis: *Pantheismus est summe* et perniciosus. *perniciosus.*

Jam expossuimus nuper vitium atheismi, quo turpatur Pantheismus: quo quid perniciosius esse potest? Verum pergamus ad alia.

α) In ordine *speculativo*, Pantheismus: 1.^o inducit ruinam Fidei divinæ ac revelatæ religionis, quæ passim docet, aut supponit distinctionem inter Deum ac mundum, Creatorem et creaturas, Redemptorem et redemptos peccatores, inter summum omnium Parentem et Ecclesiam ab eo fundatam ad salutem animarum, inter spiritum et corpus, inter ordinem denique naturalem et supernaturalem. 2.^o Pantheismus perimit omne discrimen inter honestum ac turpe, et

(1) Concil. Vatic., Constit. dogmatica *de Fide Catholica*, cap. 1.
(2) Num. 1.
(3) Concil. Vatic. ibid. in Canonibus, parag. 1, can. 3.
(4) Ibid. can. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consequenter omnem moralitatem, rationem meriti et demeriti, spem præmiorum timoremque pœnarum: omnes quippe actiones hominis docet esse actiones ipsius Dei fatali quadam necessitate peractas, transformationes ac manifestationis Dei, qui certe nec argui de peccato potest, nec supplicio aliquo puniri. Hac porro persuasione hærente in animo, innumera mala consequi necesse est.

β) *In ordine practico*. Nam Pantheismus logice procedendo evertit hominis officia erga Deum: quia religionem reddit impossibilem, utpote quæ necessario postulat duos terminos, alterum qui defert, alterum qui recipit adorationem et obsequium. Nemo quippe sibi ipsi reverentiam cultumque debet exhibere, immo nec potest, si libertate careat, quemadmodum contendunt Pantheistæ. Præterea quis, quæso, amabit Deum, qui nescit succurrere malis nostris? Quis obtemperabit mandatis illius Dei, qui ne se quidem ipsum cognoscit, nisi per hominem, cujus homo est perfectissima evolutio et manifestatio, qui proinde independenter ab homine nullum actum rationalem elicere potest? Quænam ergo esse potest in Pantheismo religio, si forte idololatricum naturæ aut sumeti ipsius cultum excipias? Deinde Pantheismus evertit omnia hominis officia erga alios, inducitque perfectissimum egoismum. Si enim unica datur substantia, eaque ferreo fatalismo subjecta, ubinam erit amor et beneficentia proximis debita? Ubinam obedientia et reverentia regibus, parentibus, sacerdotibus ac majoribus exhibenda? Ubinam justitia? Ubinam societas ipsa et ordo socialis? Ubinam leges legumque observantia? Evertit denique hominis erga seipsum officia. Nam sublata libertate humana et inducta fatali necessitate, qua unica illa substantia dicitur a pantheistis seipsam evolvere, nemo vitia horrebit, cavebitque, nemo sibi vim ullam faciendam esse existimabit, pravos affectus compescendo; quin potius omnes arbitrabuntur se ad laxandas habenas cupiditatibus suis teneri, ea persuasi opinione, omnes tandem actiones, omnia vel turpissima crimina Dei esse opera, divinitatisque manifestationes et evolutiones necessarias.

Hæc sunt corollaria logica Pantheismi, quæ quamvis non semper ab hujus erroris professoribus in praxim deducta fuerint, ipsa refugiente natura et ingenito sensu moralis,

nostris tamen temporibus tamquam totidem principia normæque morum proclamata fuere ab Hegelianis *indefiniti progressus* patronis, et a Saintsimonianis. Clamant nimirum hi sanctissimi viri *redemptionem carnis*, quam misere reductam in servitutem esse per Evangelii prædicationem impie effutiunt, voluntque in plenam jurium suorum possessionem restitui; humanitas quippe est evolutio Dei, incarnatio Dei, qui æque manifestatur per spiritum et materiam. Satis ergo hactenus datum spiritui cum materiæ detrimento totque miseri corporis afflictationibus, nunc indulgendum carni etiam esse, et explendas harmonice facultates et cupiditates omnes. Verum hæc innuisse sufficiat. Vide cl. P. Perrone (1), et Revm. Dnum. Maret (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

44. Objic. 1.° Datur aliquod ens infinitum. Atqui præter infinitum nulla alia realitas esse potest. Nam ipsum omnem realitatem comprehendat, necesse est. Ergo.

Resp. *Cons*. Major, *dist*. Minor. Præter infinitum nulla alia realitas esse potest, cujus perfectio aliquo modo in illo non contineatur, *conc*.; secus *neg*. Et *contradist*. Minor.

Probationem minoris pariter *distinguo*. Infinitum comprehendere omnem realitatem debet in hoc sensu, ut omnem

(1) *Prælection. Theolog.* vol. 4. *De Deo uno et trino*, pars. 2, c. 1, prop. 3, n. 236, 237 cum suis notis.

(2) *Essais sur le Pantheisme*, ch. 5.—Quæ cum ita sint, recte Jacobus Balmes postquam pluribus argumentis Pantheismum impugnasset, in hoc verba indignabundus erupit. «Al examinar tamaños extravíos, parece que nos hallamos en medio del antiguo caos, cuando no habia luz, cuando todos los elementos andaban confusos y revueltos en medio de espantosas tinieblas. Quién ha resucitado en algunas escuelas modernas esas estravagancias de otras antiguas? Quién ha soplado ese vértigo sobre las cabezas de algunos filosofos en Alemania y en Francia? Ah! los hombres marchaban en paz bajo las ideas cristianas; y el orgullo, levantando su cabeza, ha negado la obra de Dios y ha querido escalar el cielo; desde aquel momento han renacido los errores que yacian sepultados en el polvo de las ruinas paganas: y la Europa ha visto con asombro y consternacion proclamarse en alta voz los mayores delirios». *Filosofia elemental*, cap. 10, seccion 5.ª fin.

cujusvis possibilis entitatis perfectionem aliquo modo, sive formaliter, sive eminenter, sive virtualiter possideat, *conc.*; in hoc sensu, ut nullam aliam realitatem, nullum aliud ens præter ipsum existere patiatur, *neg.* Et solutio per se patet (1).

Instabis 1.° Infinitum est ipsum *esse*. Atqui *esse* complectitur omnia. Ergo infinitum omnem comprehendit realitatem, quatenus nullum aliud ens præter ipsum existere patiatur.—**Resp.** *dist.* Major. Infinitum est ipsum *esse* subsistens, *conc.*; est ipsum *esse* abstractum, respondens communissimo conceptui entis, aut *esse* formale rerum omnium, *neg.*

Contradist. Minor. *Esse* abstractum est *esse* formale rerum omnium, *trans:* ipsum *esse* subsistens, *subdist*, ut in responsione ad præcedentem difficultatem. Transmisi autem primum membrum Minoris, quia *esse* formale rerum non est unum reapse, sed multiplex, ut constat ex dictis in *Logica* circa naturam universalem, et in *Ontologia* (2); non est autem unum nisi abstractione mentis, ideoque non potest continere omnia sub sua comprehensione, sed solum sub extensione, quia est prædicabile de omnibus.

Instabis 2.° Infinitum est *esse* formale rerum omnium. Infinitum enim nequit esse tale, si quid eo majus ac perfectius cogitari possit. Atqui nisi infinitum sit ipsum *esse* formale rerum omnium, aliquid eo majus cogitari poterit, nempe complexus et summa ipsius infiniti et *esse* formalis reliquarum rerum. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Infinitum nequit esse tale, si quid eo majus excogitari possit *intensive* et secundum valorem perfectionis, *conc.*: si quid majus cogitari possit solum *extensive* et secundum numerum entium perfectionem aliquam habentium, *neg.*

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. Si præter substantiam infinitam existant alia entia, aderunt quidem plura subjecta *esse* ac perfectiones habentia, non vero summa perfectionum major, quam si sola existeret substantia infinita, utpote quæ in sua simplicissima entitate actum continet omnis possibilis

(1) Cfr. dicta in *Ontologia*, n. 191.
(2) *Ontolog.*, num. 17.

perfectionis. Quemadmodum si plures adsint Mathesin callentes, non habebitur major scientia mathematica, quam si unus dumtaxat adsit, supposito quod hic unus, quidquid ad illam scientiam pertinet, perfectissime cognoscat.

Instabis 3.° Majus aliquid est etiam intensive possidere omnem perfectionem possibilem formaliter, quam alias formaliter, alias vero solum virtualiter et eminenter. Atqui substantia infinita plures perfectiones continet virtualiter tantummodo atque eminenter. Ergo *esse* infinitum et *esse* formale aliarum rerum summam quamdam exhibent etiam intensive majorem. Major declaratur exemplo. Nummus aureus continet quidem eminenter valorem argentei; et nihilominus summa aurei et argentei magis valet, quam solus aureus.

Resp. *neg.* Major. et suppositum ejusdem; quia ens possidens formaliter omnem possibilem perfectionem, est omnino chimæricum, quippe quod deberet in se complecti simul etiam perfectiones invicem pugnantes, v. g. corporis et spiritus, rationalitatis et irrationalitatis etc. Tum nego paritatem exempli in confirmationem adducti. Ratio enim, cur nummus aureus simul cum argenteo plus valeat, quam solus, est quia nummus argenteus etiam independenter ab aureo suum proprium possidet valorem, et ideo unus valor alteri adjunctus majus quidpiam efficit. At vero quodvis aliud ens præter infinitum substantiam existens, totam suam perfectionem ac realitatem ab illa participet, necesse est, et independenter ab illa nihil est. Ob similem etiam rationem auctoritas regis et magistratuum inferiorum sub ipso rem publicam administrantium non excedit auctoritatem solius regis; nec scientia discipuli simul cum scientia magistri, a qua suam omnem ille hauserit, major esse valet unius magistri scientia. *Bonum creatum*, inquit Angelicus, *se habet ad bonum increatum, sicut punctum ad lineam, cum nulla sit proportio unius ad alterum. Unde sicut lineæ additum punctum non facit majus, ita nec bonum creatum additum bono increato facit melius. Vel etiam quia tota ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo: unde et ipse dicitur omne bonum; unde non potest sibi fieri additio alicujus boni, quod in seipso non sit* (1).

(1) 1.ª Dist. 6. q. 2. a. 3 ad 1.^um

Instab. 4.° *Esse*, cui nulla fit additio, est *esse* formale rerum omnium. Atqui *esse* infinitum est *esse*, cui nulla fit additio. Ergo...

Resp. *dist. Esse*, cui nulla fit additio, quia nimirum mente *præscindit* ab omni additione, est *esse* formale rerum omnium, *conc. Esse*, cui nulla fit additio, quia cum sit plenitudo essendi, non patitur ut quidpiam sibi addatur, est esse formale rerum omnium, *neg.* Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Si Deus differt a mundo, nequit esse infinitus, sed limitibus necessario circumscribitur. *Nam quod ita est hic, quod non alibi, est finitum secundum locum. Ergo quod ita est hoc, quod non est aliud, est finitum secundum substantiam* (1). Itaque nisi Deus sit ipsa universitas ac totalitas rerum omnium, necessario finitus dicendus est.

Resp. *neg.* assert. Ad probation. *conc.* ant., *neg.* cons. Etenim *ex hoc ipso, quod esse Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo, prout dicitur infinitum, distinguitur ab omnibus aliis, et alia removentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso, quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subjecto* (2). Unde nulla est paritas inter infinitatem secundum locum et infinitatem secundum *esse*. Nihil enim potest esse infinitum secundum locum, si non sit ubique, sed adsint spatia, quibus illud non se sistit præsens; potest autem aliquod ens individuum esse infinitum, etiamsi alia quoque entia existant ab illo producta, dummodo ens illud omnem quamcumque perfectionem in linea entis possibilem contineat. Immo ens, quod in sese complecteretur *esse* formale rerum omnium, non posset esse unum per se nec infinitum, utpote coalescens perfectionibus invicem pugnantibus.

Instabis. Quidquid ab alio differt, limitibus circumscribitur, cum careat differentia, per quam ab illo secernatur. Ergo si præter Deum aliquid ab eo diversum admittitur, eo ipso negatur infinitas Dei.—**Resp.** *neg.* Pone enim unum illorum esse purissimum actum essendi omnisque perfectionis, alia vero limitata, et jam habebis illa perfectissime distingui (3).

(1) Apud S. Thom., 1 p., quæst. 7, art. 1, arp. 3.°
(2) S. Thom., 1 p., q. 7, a. 1 ad 3.um
(3) Vide S. Thom., *de Pot.*, q. 1, a. 2 ad 7.um

Objic. 3.° Conceptus nostri, oportet, si veri sint, ut naturis ipsis rerum respondeant, et conformentur. Atqui mens nostra in omnibus concipit unam quamdam abstractissimam et communissimam rationem entis ac substantiæ. Ergo unica necessario est agnoscenda substantia, quæ sit substratum rerum omnium, quæque varie afficiatur ac determinetur per diversos modos essendi.

Resp. *dist.* Major. Conceptus debent respondere naturis rerum quoad id, quod iisdem repræsentatur, et cognoscitur, *conc.*; quoad modum, quo repræsentatur, et cognoscitur.

Contradist. Minor. Mens concipit unam quamdam rationem entis et substantiæ unitate intrinseca et reali, *neg.*; extrinseca et rationis, *conc.* Et *neg.* consequens in sensu intento a Pantheistis. Rectissime namque scripsit S. Thomas pantheisticorum aliorumque similium, quos refert, errorum unum videri esse *principium et fundamentum, quo destructo nihil probabilitatis remanet. Plures enim antiquorum ex intentionibus intellectis judicium rerum naturalium sumere volunt. Unde quæcumque inveniuntur convenire in aliqua intentione intellecta, voluerunt, quod communicarent in una re. Et inde ortus est error Parmenidis et Melissi, qui videntes ens prædicari de omnibus, locuti sunt de ente sicut de una quadam re, ostendentes ens esse unum, et non multa, ut eorum rationes indicant in 1.° Physicor. recitatæ* (1).

Instabis. Ratio illa una entis et substantiæ, quam concipimus, præsefert characteres substantiæ infinitæ. Est namque æterna, increata, infinita, necessaria. Ergo aliquid reale idem extra mentem respondeat, oportet.

Resp. *neg.* ant. et distinguo probationem: est æterna positive, *neg.*, negative, *transeat.* Item est increata præcisive, nimirum quia præscindit conceptus ille ab hoc quod ratio illa sit quippiam creatum vel increatum, *conc.*, est increata positive, *neg.* Est infinita extensive, id est, indefinita et prædicabilis de omnibus possibilibus entibus, *conc.*, intensive, *neg.* Denique est *necessaria* in essendo, *neg.*; quatenus exprimit aliquid necessario possibile, *conc.* Patent hæc ex dictis in *Ontologia* circa rerum essentias.

(1) 2.° dist. 17, q. 1, art. 1 corp.

Objic. 4.° Si præter et extra infinitum existerent entia finita, debuissent hæc ab illo produci. Hoc autem impossibile videtur. Quia secus in entia finita producerentur ab infinito, defectus quoque et limitationes illorum ab eodem procederent: non possunt autem defectus et limitationes procedere ab aliquo, nisi in eodem prius contineantur. Ergo si entia finita producerentur ab infinito, limitationes ac defectus in eo reperirentur, ac proinde non amplius foret illud infinitum.

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor.

Ad probation. *dist.* Major.: defectus et limitationes procederent ab infinito tamquam aliquid positivum, quod in entibus finitis reciperetur, *neg.*; quatenus illa non exprimerent totam perfectionem, quæ est in infinito, sed ab ea longissime distarent, *conc.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Defectus et limitationes atque imperfectiones non sunt formaliter aliquid positivum, sed negativum, unde nec possunt formaliter esse terminus actionis, nec debent reperiri in causa effectuum, in quibus illæ insint. E converso quidquid perfectionis ac realitatis est in entibus finitis, contineri aliquo modo debet in infinito.

Objic. 5.° Deus est per essentiam suam in omnibus rebus. Atqui quod est per essentiam suam in aliquo, identificatur cum illo. Ergo...

Resp. *dist.* Major. tamquam aliquid spectans ad rerum omnium essentiam, *neg.*; quatenus ratione immensitatis præsens omnibus est, *conc.*

Et *contradist.* Minor; quod est in aliquo præsentiam suam ei exhibendo, *neg.*; quod est in aliquo tamquam spectans ad ejus essentiam, *trans.*

Objic. 6.° Est in humana mente ineluctabilis tendentia revocandi multiplicitatem ad unitatem. Ergo naturalis hujusmodi et ineluctabilis tendentia nequit vana esse aut ad falsum adducere. Atqui vana foret, et ad falsum adduceret, si multiplicitas rerum non haberet identitatem et fundum communem. Ergo... (1).

(1) Vide cl. P. De San, Op. cit. n. 54.

Resp. *dist.* ant. Mens ineluctabiliter tendit ad hoc ut multiplicitatem revocat ad unitatem principii seu originis et finis, itemque ad unitatem logicam per conceptus universales supposita reali similitudini diversarum rerum, *conc.*; ad unitatem realem, vel subjecti communis omnium *neg.*

Conc. primum conseq. Et *contradist.* Minor. subsumpta, *neg.* ultimum conseq.

ARTICULUS III.

Refutatur Pantheismus realis.

45. Quoniam realis Pantheismus sub varia forma propositus fuit, sive per emanationem, sive per compositionem substantialem, sive per evolutionem immanentem, oportet omnes hasce venenatas species singillatim expugnare.

PROPOSITIO 1.ª **Pantheismus sub forma transsuntis emanationis propositus absurdus prorsus est.**

Pantheistica forma transsuntis emanationis absurda est.

Primo, quia secus divina substantia foret composita, divisibilis et corporea, ut patet, atque adeo mutabilis et finita in perfectione, quod blasphemum est vel mente cogitare.

Deinde quia secundum doctrinam emanationis non posset existere ullus spiritus: quare forma hæc Pantheismi revera inducit purum putum materialismum. Et re quidem vera substantia simplex et spiritualis nequit esse quasi effluvium alterius substantiæ, aut quasi pars ex eadem decisa; sed aut est a se, aut necessario per veram creationem fieri debet. Adde quod ex substantia corporea et composita, qualis foret divina secundum hanc formam Pantheismi, derivari aut effici nequit spiritus, qui omni ente corporeo et composito præstantior est.

Præterea qualenam monstrum putas futurum esse Deum in contrario systemate? Si enim omnia emanant transeuntes a Deo, divina substantia continebit omnia. Jam quomodo continet ea? An quasi in semine et nondum evoluta? Sed tum res a divina substantia manantes, perfectiores forent in seipsis, quando evolverentur, ut fit in rebus ex semine nascentibus, quam cum intra Deum laterent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et undenam, quæso, majorem illam perfectionem nanciscereturr? An dices res a Deo procedentes contineri in illius substantia virtualiter, eo modo quo simplicia corpora continentur in compositis chimicis? Sed tunc productio et generatio rerum non fieret absque dissolutione et corruptione divinæ substantiæ, sicut ex aqua non educitur oxygenium aut hydrogenium, nisi corrupta aqua. Quis vero tantam blasphemiam ferat? Et quid est, quod hujusmodi corruptiones determinaret in illa substantia? An denique fingemus res, quæ quotidie de novo existere incipiunt in natura, contineri in divina substantia secundum propriam formam et essentiam, in qua postea permanet in seipsis, sicut continetur vapores ac minutissimæ guttulæ in aquea massa, unde divelluntur? At in ea hypothesi divina substantia (horribile dictu!) foret instar operis mussivi aut potius instar acervi indigesti et confusi, qui ex tot rebus diversorum generum ac specierum in se coalesceret, quotquot sunt substantiæ mundum hunc adspectabilem conflantes. Quæ omnia ridicula foret, nisi abominabilem præ se ferrent impietatem.

Dices 1.° entia creata dici et esse revera entia per participationem; si autem sunt per participationem, participare naturam Dei, a quo procedunt.—**Verum** respondeo, creatas res esse entia per participationem, quatenus fiunt *a Deo* tamquam a causa efficienti; non vero quatenus fiant etiam *ex Deo*, tamquam ex causa materiali. *Creaturæ* inquit Angelicus, *non dicuntur divinam bonitatem participare quasi partem essentiæ suæ, sed quia similitudine divinæ bonitatis in esse constituuntur, secundum quam non perfecte divinam bonitatem imitantur, sed ex parte* (1).

Dices 2.° Creatio ac vera productio cujuslibet rei repugnat. Ergo vel nihil de novo apparere potest in rerum natura, vel necesse erit emanationem ex divina substantia admittere. Et probatur antecedens. Quia quod creari vel produci de novo supponitur, vel prius continebatur in causa vel non. Si continebatur, non producitur, sed tantum emanat. Si non continebantur in causa, deberet fieri ex

(1) S. Thom. 2.a dist. 17, quæst. 1, art. 1 ad 6.um

nihilo: ex nihilo autem nihil fit. Ergo.—**Resp.** *neg.* antec. et conseq. Ad prob. *dist* 1.am part. Minor. Si continebatur formaliter secundum suam propriam entitatem, sicut pecunia in crumena, *conc.*, si tantum virtualiter, nempe in virtute et activitate causæ, *neg.* Ad 2.am part. respondeo distinguendo alterum membrum; ex nihilo sui nihil fit, *neg.*, ex nihilo tum sui tum subjecti, *subdist.*; nihil fit virtute finita, *conc.*, infinita, *neg.* Verum hæc patefient, cum ratio creationis declarabitur (1).

46. PROPOSITIO 2.a **Impium est asserere Deum esse animam formamve mundi, aut materiam primam.**

Impium est asserere Deum animam mundi.

Prima pars non multis eget. Nam si Deus foret anima mundi, haberet rationem formæ informantis, et veniret in compositionem cum ipso mundo. Atqui hæc impia et absurda sunt. Sic enim Deus desineret esse ipsum *esse* per se subsistens, et actus purus et ens simplicissimum ac nobilissimum omnium. Nam *esse* per se subsistens, sicut excludit causam, *a qua* sit, ita etiam non patitur subjectum, *in quo* recipiatur; si autem actuat subjectum, admixtam habeat potentialitatem, necesse est; at si actus purus ac sincerissimus non est, nec est perfectissime simplex, perfecta enim rei simplicitas in sua purissima sinceritate non solum respuit in se partes, verum etiam non admittit commixtionem cum alio ente; denique id quod alteri jungitur, eo ipso pars efficitur, atque ignobilius composito est (2).

Confirmatur ex incommodis, quæ dudum S. Augustinus urgebat: *Non enim ad hoc ingenii opus est excellentia ut deposito studio contentionis attendant, si mundi animus Deus est* (idemque dicendum est, si Deus est mundi materia), *eique animo mundus, ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et corpore, atque iste Deus est, sinu quodam naturæ in seipso continens omnia, ut ex ipsius anima, qua vivificatur tota ista moles, vitæ atque animæ cunctorum viventium pro cujusque nascentis sumantur; nihil omtino remanere, quod non*

(1) Recole interea quæ dicta sunt in *Ontologia* circa effectus continentiam in sua causa, num. 385 et 390. *Axiom. 4.°*

(2) Vide S. Thom. 1.a *Contr. Gent.*, cap. 27.

sit pars Dei. Quod si ita est, quis non videat, quanta impietas et irreligiositas consequatur, ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur? Nolo omnia dicere, quæ possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine verecundia non possunt (1). *Si autem sola animalia rationalia sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt; non video quidem, si totus mundus est Deus, quomodo bestias ab ejus partibus separet, sed obluctari quid opus est? De ipso rationali animante, id est homine, quid infelicius credi potest, quam Dei partem vapulare, cum puer vapulat? Jam vero partes Dei fieri lascivas, iniquas atque omnino damnabiles, qui ferre possit, nisi qui prorsus insanit? Postremo quid irascitur eis, a quibus non colitur, cum a suis partibus non colatur?* (2) Quamobrem commentum hujusmodi statuens animas hominum esse partes Dei, *catholica Fide damnari*, scripsit S. Leo (3), damnatumque est in Concilio Bracharensi anno 563: idemque repudiatum est tamquam *insania* et *amentia* a S. Joanne Chrysostomo (4), et omnino sacrilegum appellatum a S. Augustino (5).

aut materiam primam.

Secunda pars iisdem probatur argumentis. Et confirmatur præterea, quia materia prima est pura potentia et imperfectissima omnium entitas: quæ sunt prædicata e diametro opposita enti a se, quod est purus actus et infinita perfectione gaudet.

47. PROPOSITIO 3.a **Spinoziana forma evolutionis immanentis non solum ineptissimis argumentis ac sophistica ratiocinatione innititur, verum etiam plura continet manifeste absurda et contradictoria (6).**

Spinoziana formæ evolutionis immanentis ineptiis ac sophisticis ratiunculis innititur.

Prima pars patebit ex solutione Spinozianæ argumentationis; quæ tota huic Substantiæ definitioni innititur: *Per*

(1) S. August. *de Civit. Dei*, lib. 4, cap. 12.
(2) S. Aug. lib. cap. 13.
(3) S. Leo, epist. 91 ad Turib. cap. 5.
(4) Homil. 12 *in Genes.*
(5) *De Genes. ad litt.* lib. 7, n. 3.
(6) Cfr. Card. Gerdil *(Dell' Esistenza di Dio e delle immaterialità delle nature intelligenti*, n. 13 segg.), Valsecchi *(Fondamenti della Religione*, libr. 1, cap. 3, n. IX segg.

substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur, hoc est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat. Qua subaudita definitione hæc statuitur a Spinoza propositio:

Præter Deum nulla dari neque concipi potest substantia. Prob. α) «Cum Deus sit ens absolute infinitum, de quo nullum attributum, quod essentiam substantiæ exprimit, negari potest (*per Definit. 6.tam*), isque necessario existat (*per Prop. 12.am*); si aliqua substantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, sicque duæ substantiæ ejusdem attributi existerent, quod (*per Prop. 5.am*) est absurdum; adeoque nulla substantia præter Deum dari potest, et consequenter non etiam concipi. Nam si posset concipi, deberet necessario concipi ut existens. Atqui hoc est (*per primam partem hujus Demonstr.*) absurdum. Ergo extra Deum nulla dari et concipi potest substantia. Q. E. D.» (1).

Resp. in primis *dist.* substantiæ definitionem. Substantia est id quod in se ac per se est, id est quod non indiget alio cui, tamquam subjecto inhæreat ad existendum, *conc.*; id est, quod non eget alio tamquam causa, a qua sit, *subdist.*, substantia infinita, *conc.*, substantia generatim sumpta *neg.*, donec probetur a Spinoza vel ab aliquo alio: id quod certe non fiet in æternum.

Jam *neg.* Spinozianam propositionem.

Ad probation. *concesso* priori membro, *dist.* alterum: si aliqua substantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, nempe per aliquod attributum quod aliquo modo, saltem analogice et eminenter, in Deo reperiatur, *conc.*: per aliquod attributum, quod univoce ac formaliter aut per realem identitatem in Deo reperiatur, *neg.*

Et *contradist.* assertione, in qua id absurdum esse dicitur, *neg.* conseq. Vide ergo, quam putido sophismate conetur infelicissimus auctor incautos decipere. Ex eo quod nihil possit esse, quod habeat perfectionem non præcontentam in Deo, id quod ambiguitate laborat, et verum est in aliquo

(1) *Ethic.* part. 1, prop. XIV, pag. 46.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sensu, falsum in alio; subaudito præccise falso sensu, concludit nullam esse posse præter Deum substantiam.

Altera probatio propositionis Spinoziana. Repugnat substantiam causari, sed necessario est ens a se. Atqui ens a se non est nisi unum, nempe Deus. Ergo præter Deum nulla datur substantia.

Major probatur 1.° «Si substantia ab alio posset produci, ejus cognitio a cognitione suæ causæ deberet pendere *(per Axiom. 4.um)*, adeoque *(per Defin. 3.im)* non esset substantia» (1). 2.° «In rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi *(per Prop. præced.)*, hoc est *(per Prop. 2.um)*, quæ aliquid inter se commune habent. Adeoque *(per Prop. 3.um)* una alterius causa esse nequit, sive una ab alia non potest produci. Q. E. D.» Et probatur hoc ultimum conseq. per propos. 3.um Spinozæ, quæ sic se habet cum sua demonstratione: «*Quæ res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest.* Demonstratur. Si nihil commune cum se invicem habent, ergo *(per Axiom. 5.um)* nec per se invicem possunt intelligi, adeoque *(per Axiom. 4.um)* una alterius causa esse non potest» (2).

Resp. *neg.* Major., ad cujus 1.um probation. *neg.* illatum. Nam contra notionem substantiæ est quidem, ut cognitio ejus non pendeat a cognitione alterius, cui tamquam subjecto inhæreat, non tamen quod cognitio illius pendeat a cognitione alterius, a quo procedat tamquam a causa; ut patet ex alibi dictis.

Ad 2.um probation. *dist.* primum membrum anteced. In rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi, identitate reali, *conc.*; identitate logica, *neg. Disting.* similiter alterum membrum anteced.: quæ aliquid inter se commune habent, communitate reali, *conc.*, communitate logica, *neg.* Tum *neg.* conseq.

Eodem pacto *disting.* probation. conseq. Quæ res nihil comme habent inter se communitate reali, *neg.*, communitate logica, sive univoca sive saltem analoga, *conc.* Quid, quæso, ineptius et inanius hisce argumentationibus fingi

(1) Ibid. p. 38.
(2) Ibid.

potest, quæ totæ fundantur in falsissima definitione et confusione identitatis et communitatis logicæ ac realis?

et plura manifeste absurda continet.

Secunda pars. *Spinozianus pantheismus plura continet manifeste absurde et contradictoria.* Nam ut omittamus absurditatem unicæ substantiæ, quæ est thesis Spinozianæ;

1.° Manifeste absurdum est in primis substantiæ notionem confundere cum notione entis a se et causæ primæ. Id autem fecit Spinosa jam in ipsa definitione, qua substantia dicitur id, quod *in se* est, particulam illam *in se* accipiendo quasi idem valeret, ac *a se*, quemadmodum patet ex toto processu argumentationis.

2.° Manifeste absurdum est conceptum effectus confundere cum conceptu accidentis vel modi, ut constat ex sensu communi omnium. Licet enim omne accidens sit ens ab alio atque adeo effectus, non tamen vicissim omnis effectus est accidens. Spinoza vero id supponit in tota sua ratiocinatione. Supponit nimirum omne id, quod alio quomodolibet indiget, ut concipiatur, et sit, rationem habere accidentis: id quod verum est tantummodo de iis, quæ alio indigent tamquam subjecto, *cui* inhæreant, non autem de iis, quæ alio indigent tamquam causa efficiente.

3.° Manifeste absurdum est, excludere possibilitatem cujusvis actionis transeuntis, et asserere omnem actionem esse immanentem. Tum quia videmus experientia infinitas actiones transeuntes, tum quia præcise substantiæ infinitæ, quæ in omnibus agens immanenter inducitur ad adversario, repugnat omnis evolutio immanens vel actio, cujus terminus in eodem subjecto recipiatur. Atqui absurdum hujusmodi continetur aut necessario supponitur in systemate Spinoziano. Secus enim, si dari potest actio transiens, necessario etiam dari possunt plures substantiæ: siquidem terminus actionis illius transeuntis, aut est substantia, et tunc habemus intentum; aut est accidens, et tunc necessario recipi debet in alia substantia ab agente ipso diversa.

4.° Manifeste absurdum est, dicere duas substantias «diversa attributa habentes nihil inter se commune» habere, ut asseritur in propositione 2.a Spinozæ. Quid enim vetat in primis duas substantias attributis partim diversis, partim logice communibus constare, ut constant plura individua

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejusdem speciei, et plures species in eodem genere convenientes? Deinde etiamsi una substantia in se sit, nimirum non in alio tamquam subjecto, et concipi in se possit per suas proprias notas sine recursu ad notas essentiales vel attributa alterius; nonne adhuc potest aliquo vinculo communi alicujus relationis cum illo connecti? Sic horologium ab artifice fabricatum, in se quidem est ac per se concipi potest, habet tamen relationem dependentiæ, ideoque aliquid commune cum artifice.

5.° Manifeste absurdum est, ad naturam substantiæ pertinere existentiam, et unam substantiam non posse produci ab alia (1): ut constat experientia et ratione, nec exponi fusius nunc oportet.

6.° Absurda est Spinoziana notio *finiti* et *infiniti*. Finita enim res dicitur esse, quæ alia ejusdem naturæ terminari potest, unde e converso illa erit infinita, quæ alia re ejusdem naturæ non terminatur. Atqui ex hoc absurdum illud sequitur, omnem rationem universalem, sive specificam, sive genericam, infinitam esse.

7.° Manifeste absurdum est ponere fatalismum et negationem providentiæ ac libertatis divinæ in agendo.

8.° Est manifeste contradictorium ponere substantiam infinitam, quæ se perpetuo evolvat perpetuisque modificationibus afficiat. Nam si infinita est in perfectione, actus purus est et mutationis incapax; si vero evolvitur, mutatur, et a potentia transit ad actum. Itemque si infinita est, nec perfici, nec deterior fieri potest; perficitur autem, aut deterior fit, si modificationibus perpetuis afficitur.

9.° Manifeste contradictorium est unam eamdemque substantiam simplicem et indivisibilem attributo extensionis gaudere, siquidem extensio essentialiter supponit partes, et simplicitas atque indivisibilitas easdem excludit.

10. Manifeste contradictorium est, eamdem substantiam esse simul sanctissimam et peccatricem, beatam et ærumnis plenam, immutabilem et perpetuis evolutionibus immanentibus obnoxiam. Atqui talis est substantia divina in Spinoziano systemate. Sancta namque est, immutabilis ac beatissima

(1) Spinoza, loc. cit., prop. 7.

ratione infinitæ perfectionis; peccatrix vero et ærumnis plena foret et mutabilis, si quidquid accidit in rerum natura, esset affectio illius unicæ substantiæ; videlicet omnia scelera, quæ ab hominibus committuntur, omnes morbi, dolores et miseriæ, quibus affligitur vita nostra, revera ad Deum pertinerent. Quo quid indignius concipi potest?

ARTICULUS IV.

Expugnatur idealis Pantheismus

48. PROPOSITIO. **Pantheismus idealis tum arbitrarius est in suis dogmatis, tum gradum supremum attingit delirii, absurditatis impietatisque.**

Pantheismus idealis arbitrarius est.

Prima pars. Nam in primis arbitrarie prorsus statuitur nulloque argumento probatur, unum aliquod absolutum et indeterminatum ens substerni omnibus cogitationibus nostris unumque illud esse subjectum omnium phænomenorum ac multiplicium manifestationum (1).

Deinde arbitrarie iterum supponitur ordinem idealem unum esse cum reali, seu non aliud *esse* dari in rebus, nisi *esse* ideale: quod principium logice ducit ad universalem scepticismum, immo ad perfectissimum nihilismum.

Item arbitrarie asseritur primum principium omnis entitatis esse ens absolutum atque indeterminatissimum et impersonale: itemque omnem aliam entitatem non esse nisi progressivam illius *esse* absoluti evolutionem, secundum diversas positiones ac momenta. Nam *esse* hujusmodi solum in mente nostra dari potest, re autem vera chimæricum est. Nihil enim existit nisi individuum. Omne autem individuum in seipso plene determinatum est, nempe *hoc aliquid*, ut veteres, experientia et sensu communi comprobante, dicebant.

Arbitrarie et sine ulla fundamento asseritur absolutum illud et indeterminatum esse secundum Fichte τὸ *Ego* purum,

(1) Cfr. Balmes, *Filos. fundam.* lib. 1, cap. 7, n. 70; *Histor. de la Filos.* paragr. LVI.

seu transcendens omnem experientiam, nempe indeterminatum cognoscendi actum, qui a subjecto et objecto præscindat; vel identitatem absolutam aut indifferentiam differentium, secundum Schelling; vel *Ideam-Ens*, aut *voluntatem* aut *Ens-inconscium*, secundum Hegel, Schopenhauer et Hartmann.

Præterea gratis asseritur nec docetur, cur aut qua necessitate τὸ *Ego* se limitet alia cogitando, et quare aut qua necessitate Absolutum se evolvat, ac multiplicet, sibique illudat perpetuo tamquam objecta distincta et realia sibi proponens ea, quæ pure phænomena sunt, nec ab ipso τῷ *Ego* vel Absoluto distinguuntur: item cur absolutum seipsum evolvendo et explicando finiatur, cum e converso quievis res explicatione et evolutione potius perficiatur. Hæc et alia permulta, quibus scatet Pantheismus idealis, gratis asserta, simpliciter negentur, donec ab istis somniatoribus idoneo aliquo argumento fulciantur; et ruet totum systema cum suo intolerabili dogmatismo, et Luciferina superbia atque impietate.

et supremum gradum attingit absurditatis atque impietatis.

Secunda pars. Nam in primis quid magis absurdum ac delirii plenum, quam hæc ipsa, quæ modo notata sunt? Enimvero, ut alia nunc omittam, si illud est amentiæ signum præcipuum, loqui et sentire contra communem sensum reliquorum hominum, quid, quæso, dicendum est de istis dogmatibus pantheistarum transcendentalium, quæ contra se habent non solum universalem persuasionem generis humani, sed ipsam naturæ ineluctabilem vocem atque inclinationem, qua iidem pertrahuntur ad destruendum factis idipsum, quod voce et scriptis profitentur? Quid magis delirum, impium et absurdum, quam Deum, totam naturam, historiam, humanitatem destruere? Sed alia quoque singillatim absurda et blasphema indicanda sunt.

1.° Evolutio idealis elevat ad summum gradum delirium et absurditatem Idealismi. Si enim vulgaris Idealismus tanta insania laborat, quid dicendum est de universali ac transcendentali Idealismo?

2.° Patheismus Idealis aperte profitetur identitatem contradictoriorum: Fichte nempe posuit τὸ *Ego* et τὸ *non Ego*, producens et productum, esse unum et idem: Schelling

asseruit essentiam Absoluti esse indifferentiam differentium seu identitatem universalem oppositorum, finiti et infiniti, subjecti et objecti, spiritus et corporis etc. Hegel vero contendit *Ideam-Ens* esse simul ens et nihil, ideoque principium contradictionis falsum esse, et in locum ejusdem substituendum esse principium identitatis contrapositionis.

3.° Pantheismus idealis aperte contradicit principio causalitatis: Fichte nempe docuit totidem verbis τὸ *Ego* ponere seipsum, et in tantum esse, in quantum ponit seipsum. Schelling vero et Hegel voluerunt Absolutum illud et indeterminatissimum *esse* omnia gignere, omniumque causam esse. In quo eo progressa est temeritas Hegelii, ut mirandum esse dixerit, cur adhuc homines existiment ex nihilo (intellige ex nulla causa etiam efficiente) nihil fieri, et nihil reale venire in *esse* posse, nisi aliquid reale supponatur, cum e converso, sic ille, omnia procedant ex nihilo et *non esse* (1).

4.° Deum chimæricum inducit Pantheismus idealis. Nam secundum Fichte τὸ *Ego* est Deus; secundum Schelling vero et Hegel, Deus est illud *esse* absolutum et indeterminatum, quod est ipsum ens abstractum et communissimum, nempe pura notio intellectus nostri, eaque omnium imperfectissima; at secundum omnes pantheistas transcendentales est Deus impersonalis, qui est in perpetuo *fieri*, et perpetuo se explicat, donec in homine conscientiam acquirat. Qua doctrina nihil potest excogitari magis alienum a christiana veraque notione Dei, secundum quam Deus est actus purissimus expers omnis potentialitatis.

5.° Confusio ordinis idealis et realis inducit perfectum egoismum et nihilismum. Egoismum, quia si duplex ille ordo idem est, nihil est nisi quod cognoscitur, et quamdiu cognoscitur, et ubi cognoscitur, nimirum omnia sunt in me cognoscente. Hinc vero sequitur omnia officia hominis erga alios, omnes virtutes et vitia, quæ alios respiciunt, societatem universam generis humani, non esse nisi vana vocabula vel vanas illusiones. Nihilismum autem inducit confusio illa utriusque ordinis: quia si nihil est, nisi quatenus cognoscitur; ergo

(1) Vide Card. Gonzalez, *Histor.* tom. 4, parag. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

me dormiente nihilve cogitante, nihil est. Quod si supponamus aliquando nihil fuisse, nunquam quidpiam esse potest, si verum est principium causalitatis, immo et contradictionis. Hinc nihil mirum, si Fichte hæc verba potuit scribere: «Nulla prorsus est res, ego ipse non sum..... Circa me realitas conversa est in inconditum somnium, quin vita ulla realis ad somniandum detur, aut spiritus, qui somniet, aut somnium, in quo somnium ipsum somniemur. Et sane hujusmodi somnium esset cogitatio. Sed cogitatio, cogitatio ipsa, quam ego ut meam nobilissimam proprietatem considerabam, et tamquam scopum vitæ meæ, in quo fontem reperirem totius realitatis; cogitatio quoque hujus somnii est somnium» (1).

6.° Pantheismus idealis statuit ens quoddam prorsus chimæricum et contradictorium, quod deinde se evolvit. Quid enim magis chimæricum et contradictorium, quam τὸ *Ego* transcendentale, quod sibi ipsi tribuit existentiam? Quid magis chimæricum et contradictorium, quam ens indeterminatum, quod simul est ens et nihil, quod nec est finitum nec infinitum, nec subjectum nec objectum, nec spiritus nec corpus? Datur utique notio quædam entis indeterminata et abstracta, quæ *præscindit* in sui consideratione ab omnibus determinationibus ac differentiis modisve sive finiti sive infiniti, sive spiritus sive corporis, sive substantiæ sive accidentis ac reliquorum essendi modorum. Verum hujusmodi notio solum existit in mentis contemplatione, nec proinde realis esse valet in illa abstractione atque indeterminatione. Nam sicut ex principio contradictionis nihil potest simul esse finitum et infinitum, spiritus et corpus etc.; ita ex principio exclusi medii quidquid est aut esse potest, *in seipso* finitum aut infinitum, spiritus aut corpus etc. sit, oportet. Unde iterum ex hoc capite in perfectissimum nihilismum incidit idealis Pantheismus.

7.° Admissa evolutione pure ideali, necessario dicendum est, ens absolutum, quod infinitum ponitur, et principium rerum omnium dicitur esse, revera ens omnium possibilium

(1) Fichte, par *Destination de l'homme*, traduit de l'allemande par Barchon de Penhoën.

imperfectissimum esse. Nam certum est per pure idealem evolutionem, per hoc nimirum quod res aliqua cognoscatur, nihil ei perfectionis accrescere. Ergo illud absolutum vel habet in primo sui momento ac positione omnes illas determinationes ac perfectiones, quas postea explicat in sui evolutione, vel non. Si habet, falso dicitur esse indeterminatum et summe indifferens. Si autem non habet, nihil eo imperfectius aut esse aut cogitari potest. Hinc etiam absurde dicitur ens ejusmodi sese evolvendo et explicando omnem prorsus perfectionem causare: quod enim nullam in se continet perfectionem, utcumque se evolvat, quomodo poterit explicare vel manifestare perfectionem, nisi aliunde accipiat?

8.° Tandem Pantheismus idealis indignis sophismatis scatet, quorum pauca quædam indicanda sunt. Fons omnium sophismatum est ordinis idealis ac realis confusio, et perpetuus transitus ab uno in alium. Hinc enim meris mentis abstractionibus tribuitur realitas, et *cognoscere* idem sonat apud hos rationis et sensus communis corruptores, ac *producere*, et *esse* ac *cognosci*. Hinc etiam statuitur universale per se subsistens, ens nempe absolutum et indeterminatum: Confunditur infinitum cum indefinito atque indeterminato. Argumenta denique non raro afferuntur, potissimum ab Hegele puerilibus æquivocationibus et etymologiis vocum innixa. Specimen instar vide, quomodo probet Hegel suum principium fundamentale de *identitate contrapositionis*.

«Primo: *Aliquid* et *aliud* existunt, utrumque. Ergo utrumque sunt *aliquid*».

«Secundo: unumquodque duorum est simul *Aliud*: parum refert, utrum ex duobus appelletur primo *aliquid*. Latini, quando in una propositione unum et alterum afferuntur, vocant utrumque *aliud*, ac dicunt: *alius alium, alter alterum*. Si nos appellemus certum quoddam Ens *A*, et aliud Ens *B*: hoc *B* primo determinatur ut aliud; sed A est et ipsum eodem tempore aliud respectu *B*. Ergo utrumque sunt eodem titulo *Aliud*. Ergo utrumque, sive quatenus sunt *aliquid*, sive quatenus sunt *Aliud*, sunt semper *Idem*» (1).

(1) Hegel, *Logic.* t. 1, 2.ª edit., pag. 116 apud Tongiorgi, *Theol.* n. 174.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quod vero non rarum est in historia populorum videre superbia tumentes eos ipsos, qui dedecori et infamiæ fuerunt toti generi humano; Fichte ingenio suo præfidens, quidquid reliqui ante ipsum sapientes docuerant, evertendum sibi esse decrevit; Schelling vero scriptum reliquit, eos qui propter impotentiam abstrahendi, nequeunt habere intuitionem intellectualem, non esse aptos ad philosophandum, cum illa intuitio habenda sit universale organum Philosophiæ (1). Hegel denique Dei et hominum, religionum, scientiarum, artium, historiæ ac totius humani generis se judicem constituit, ut omnibus pro libitu suo legem ferret, cæteris se superiorem arbitrans, indigneque patiens, si quis in eum tributum admirationis conferre gravaretur (2). Verum nimis jam de hominibus, quorum pudenda impiaque delira satius foret æterna oblivione deleri.

Nihil de Schopenhauero, nihil de Hartmann, Cousino, Krause aliisque dicimus speciatim, quia ex dictis patet, quid de ipsorum somniis sentiendum sit.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

49. **Objic. 1.°** Esse nequit realiter multiplicari. Ergo multiplicitas omnis apparens in natura explicanda est per idealem evolutionem ac phænomenales determinationes, quibus unicum *esse* in mundo existens sese varie limitat.

Prob. ant. Eatenus concipi posset τὸ *esse* realiter multiplicari, quatenus accipere posset in diversis entibus diversas determinationes ac modos essendi. Atqui impossibile est τὸ *esse* realiter multiplicari per diversas determinationes modosve. Nam hujusmodi determinationes vel adjungunt aliquid positivum superveniens τῷ *esse*, vel aliquid negativum. Sed nequeunt adjungere aliquid positivum, quia tunc determinationes illæ positivæ diversæ forent ab ente, nihil autem est positivæ determinationis, quod non sit ens vel *esse* aliquod. Neque etiam adjungunt aliquid negativum, quod

(1) Schelling, *System des transcendentalen Idealismus*. Einleitung, parag. 4, apud cl. P. de San. *Cosmol.* n. 20.

(2) Vide Balmes, *Historia*, n. LVIII: *Cartas á un escéptico*, carta 9, vers. fin.

reale sit, nam istud negativum deberet esse aliquod non ens, repugnat autem dari realitatem, quæ non sit ens (1).

Resp. *neg.* ant. Ad probation. *cons.* Major., *neg.* Minor., ad cujus probationem *concedo* Major., eligendo primum membrum.

Minorem *distinguo* quoad primum membrum. Si quid positivi adderent determinationes et modi essendi, forent diversi ab ente, diversitate ac distinctione mutua, *neg.*, diversitate ac distinctione non mutua, *cons.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Difficultas hæc præoccupata est in *Ontologia*, cum conceptus entis enucleatus est. Ibi enim diximus ex Angelici doctrina ens communissimum præscindere ab omnibus modis ac determinationibus essendi, et in hoc sensu ens contrahitur, et multiplicatur in inferioribus per aliquam additionem; sed quoniam determinationes istæ sunt etiam essentialiter ens, nihil addunt enti per modum extraneæ naturæ, sicut differentiæ addunt generi. Et ideo inter ens ac modos entis datur distinctio non mutua, quia ens non identificatur cum modis essendi, utpote quod præscindit ab eis; modi vero essendi identificatur cum ente, cum sint essentialiter ens. Unum tamen probe nota, ens vel *esse*, quod nullam habeat determinationem aut modum essendi, nullibi realiter existere, sed tantum in intellectu, qui id quod commune omnibus est, deque omnibus prædicatur essentialiter, abstrahit, et idealiter exprimit conceptu præcisivo.

Objic. 2.° Principium illud idealis Pantheismi, secundum quod ordo idealis idem est cum reali verissimum est, et communi calculo receptum a Scholasticis quoad rem ipsam. Nam ex doctrina veterum, α) *cognitum est in cognoscente*, et β) cognoscens per cognitionem *dicitur unum et idem fieri cum cognito*. Atqui hoc est præcise, quod contendunt pantheistæ transcendentales.

Resp. *neg.* prorsus assertum. Ad probationem *dist.* Major. per partes: α) Cognitum est in cognoscente *realiter* ita, ut præter cognoscens nihil sit reale, ad quod cognitio terminetur, *neg.*; *intentionaliter*, quatenus cognoscens afficitur

(1) Cfr. De San, *Cosmolog.*, n. 46.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

similitudine rei cognitæ, habens in se representationem illius, *conc. Disting.* item β). Cognoscens dicitur unum et idem fieri realiter cum re cognita, *neg.*; intentionaliter, ad eum modum, quo statua Cæsaris dicitur Cæsar, *conc.* Tum *neg.* Minor. et conseq. Si enim hoc solum contenderent pantheistæ non profiterentur deliria idealismi et identitatis universalis.

Objic. 3.us Nisi omnia ponantur intra mentem per identitatem subjecti et objecti, explicari nequit, quomodo res cognoscantur. Nam si res cognoscendæ ponantur extra animum tamquam aliquid ab ipso distinctum, deberet animus ad illas *apprehendendas* cognoscendasque extra semetipsum egredi. Hoc autem impossibile esse quis non videat? «Ita olim Plotinus (1), eoque duce cæteri Neoplatonici; nostra vero ætate Transcendentales Germanici, maxime Schellingius», ut scribit P. Ludovicus de San (2).

Resp. *neg.* assertum. Ad probation. *dist.* Major. Deberet extra semetipsum egredi, nisi haberet illas in se quodammodo intentionaliter, per speciem impressam, *trans.*; si habeat illas intentionaliter per speciem impressam, *neg.*

Trans. Minor. et *neg.* conseq.

(1) Cfr. Plotin. *Ennead.* V, lib. III, cap. 5; lib. V, cap. 1 et 2 lib. VIII, cap. 11; et *Ennead.* VI, lib. V, cap. 7.

(2) De San, loc. cit., n. 50.

«Huc pertinet, pergit clarus auctor (ibid. in nota), extasis illa sive raptus mentis extra se, qui est actus, quo in indistincta unitate subjecti, principium simpliciter primum summeque unum τὸ ἓν ἁπλοῦν Neoplatonici ponunt apprehendi. In extasi, ut perhibent, omnis conscientia sui aboletur, propterea quod in ea mens, evadendo impersonalis, liberatur ab omni determinatione, eam a suo objecto distinguente. Unde consequenter asserunt viam, qua pervenitur ad extasin, esse simplificationem, ἁπλωσιν, nempe gradualem quamdam abstractionem ab omnibus determinationibus discretivis sive subjecti ab objecto, sive variorum objectorum a se invicem. Porro ab extasi illa Neoplatonicorum nonnisi nomine differt *intuitio intellectualis*, qua Schellingius ponit absolutum cognosci. Pronuntiat nempe et ipse intuitionem illam Absoluti sub conscientiam non cadere, ad eamdemque ope abstractionis perveniri, uti supra in expositione ejus systematis dictum est. Itidem Schellingio, sicuti Neoplatonicis, pars illa superior mentis, cujus est intuitionem exercere, est identice ipsummet Absolutum; propterea enim *absolutum identitatem* ipse etiam vocat *absolutam rationem*».

Unum enim ex muneribus speciei impressæ, quemadmodum explicabimus suo loco, est conjungere rem cognoscendam cum cognoscente, vel rem extraneam *apprehendere* ac trahere *intentionaliter* ad animam.

Objic. 4.us Subjectum et objectum relative opponuntur ad invicem. Ergo sunt duæ oppositæ formæ unius ejusdemque *esse* absoluti, quod est absoluta identitas utriusque.

Prob. conseq. ex relativorum notissima proprietate. Relativa enim simul esse dicuntur et natura et cognitione, ut nempe neutrum eorum sine altero sive concipi sive esse queat. Atqui eorum quæ hoc modo se invicem habent, unumquodque intrinsece *limitat alterum*, seu quod eodem recidit «ea sunt oppositæ formæ fundi alicujus identici, cujus realitatem, sese invicem limitando, quadantenus inter se divisam habent». Ergo... (1)

Resp. *trans.* ant., *neg.* conseq. Ad probation. *dist.* Major. Relativa materialiter considerata et in quacumque hypothesi, *neg.*; formaliter considerata, seu quatenus actu relationem habentia, *conc.*

Tum *neg.* Minor. et conseq.

In primis subjectum et objectum nec *essentialiter*, nec *mutuo* ad se invicem referuntur. Non essentialiter, quia ratio fundans relationem inter subjectum et objectum non est ipsa eorum essentia, sed tantum *cognitio*, residens in subjecto illius. Deinde non est mutua, quia licet subjectum ratione cognitionis realiter referatur ad objectum; non tamen e converso objectum realiter ad subjectum refertur, sed solum ratione. Cujus rei hæc causa est, quia inter cognoscens et cognoscibile intercedit ordo et relatio commensurationis unius ad alterum. Atqui cognitio quidem mensuratur a cognoscibili, non autem e converso, cognocibile a cognitione.

Verum hisce nunc omissis, relativa dicuntur simul natura et cognitione, non quatenus utrumque sit in eadem natura et communi subjecto, nec etiam quatenus alterum utcumque consideratum nequeat existentiam habere cognoscive, altero

(1) En unum ex Schellingii argumentis apud P. De San, loc. cit. n. 53.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non existente et non cognitio. Videmus enim passim unum eorum, inter quæ viget relatio, existere altero non existente, prius nimirum quam inciperet vigere relatio. Sic pater et filius relative opponuntur et nihilominus pater etiam existebat ante filium: et similiter tum pater tum filius cognosci possunt etiam singillatim ac seorsim secundum absolutam entitatem eorum. Solum ergo relativa dicuntur simul natura et cognitione, formaliter inspecta, quia unum eorum nequit esse cum *actuali* sua relatione, nisi et alterum adsit; nec unum cognoscitur prout relationem habens, nisi et alterum intelligatur. Etenim pater prout talis neque est, nec intelligitur, nisi cum filio. Deinde autem falsum prorsus est relativa se invicem limitare, aut ita se habere, ut alterum alterius perfectione careat. Primo quia facile intelligitur, ad hoc ut oppositio, sive relativa sive alia quævis, vigeat inter duo, satis esse ut unum dumtaxat careat perfectione alterius, licet hoc illius perfectionem habeat, ut manifeste patet potissimum in oppositione contradictoria et privativa, et in relationibus majoris et minoris, causæ et effectus. Secundo quia pantheistarum assertum evidenter absurdum deprehenditur in multis relationibus, v. g. in illis, quæ fundantur in similitudine et æqualitate, ideoque supponunt in utroque extremo communiter eamdem perfectionem inesse. Quamobrem in hoc differt relativa oppositio a cæteris, quod in iis unum extremorum privationem aliquam perfectionis alterius contineat, relatio vero id non necessario postulat. Atque ideo in divinis, licet nequeat alia esse oppositio, adest tamen relativa cum perfectissima æqualitate personarum, quemadmodum docet Fides (1).

Objic. 5.° Identitas absoluta rerum omnium necessario admittenda est, «tum α) ex eo, quod nonnisi supposita absoluta identitate subjecti et objecti, possibile fit explicare conformitatem cognitionis cum objecto (2); tum β) ex eo, quod subjectum et objectum, utpote inter se relative opposita, nequeunt esse posita nisi in uno eodemque (3): tum γ) ex

(1) Vide S. Thom. *(de Potent.*, quæst. 8, art. 1, ad 12). Cfr. P. de San (loc. cit., n. 53, in respons. ad difficult.)

(2) *System. des transcendentalen Idealismus*, Einleitung, parag. 1.

(3) Giordan. Bruno, pag. 39.

eo, quod philosophia naturæ ultimato resolvitur in philosophiam mentis, ac vicissim philosophia mentis ultimato resolvitur in philosophiam naturæ, propterea quod in utriusque scientiæ exitu leges naturæ et leges mentis deprehenduntur esse identicæ» (1).

Resp. *negando* omnia.

Objic. 6.° Principium contradictionis merito tamquam falsum ab Hegel repudiatur. Tantum enim abest, ut contradictio vitari debeat in rebus, ut potius admittenda sit tamquam ultima explicatio rerum et fundamentum scientiæ. «Nam 1.° nihil est neque in cœlo neque in terra, quod non contradictionibus constet. Et sane finitum, hoc ipso quod finitum est, constat ex *esse* et *non esse*. Unde cum reductio finitorum ad infinitum fieri debeat, hoc nequit non esse nisi maxima contradictio, ita ut in ipso confundantur *esse* purum et *nihil* purum. 2.° *Esse* abstractissime inspectum, est maxime indeterminatum. Sed *non esse* est maxime indeterminatum. Ergo *esse* confunditur cum *non esse* 3.° Idem sequitur ex differentia, quæ cogitatur inter utrumque. Nam quæ differunt, reducuntur ad aliquid commune, quo utrumque contineatur. Ergo *esse* et *non esse*, hoc ipso quod differunt, reduci debent ad aliquid, quod abstractiori modo sit simul *esse* et *non esse*. Hoc aliquid est *fieri* absolute sumptum» (2).

Resp. Videte acumen hominis, quem quidam non dubitant *Aristotelem Pantheismi* appellare. Aristoteles certe nunquam tam putida sophismata pro veris argumentis venditavit.

Neg. assertum. Ad 1.um probation. *neg.* suppositum, videlicet quod contradictio consistat in quolibet *esse* cum carentia cujuslibet alterius *esse*; contradictio enim sita est in affirmatione ac negatione simultanea unius ejusdemque *esse*, ac proinde in *esse* et negatione simultanea illius ejusdem *esse*. Jam vero nullum ens finitum reale constat *esse* aliquo et simultanea carentia illius ejusdem *esse*, sed alterius diversi, quia sic continet certam aliquam perfectionem, ut careat ulteriori. Et quia infinitum claudit in se omnem perfectionem,

(1) *System des transcendentalen Idealismus*, Einleitung, parag. 1-4, apud P. De San loc. cit., n. 20, 4.°

(2) Apud cl. Liberatore, *Cosmolog.*, n. 30, *Objicies* IV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quin ulla careat, ideo est purum *esse*, quin habeat admixtum aliquid de non *esse*. Nec proinde reductio finitorum ita facienda est in infinitum, ut in hoc non solum perfectiones et *esse*, verum etiam imperfectiones et *non esse* tamquam in unum acervum collecta fingantur. Quo quid ineptius et rudius dici possit, nescio.

Ad 2.um probat., *esse* et *non esse*, abstractissime inspectum, esse quidem utrumque maxime indeterminatum, sed opposito modo, primum nempe positive, alterum negative. Cui autem persuadebit Hegelius, nisi verba in alium sensum detorqueat, idem valere positivum et negativum, *esse* et *non esse*, aliquid et nihil? Hæc enim adeo manifeste regugnant, ut voce quidem eorum identitatem affirmare aliquis possit, nemo autem sit, qui intus in animo queat non negare, ipsa videlicet rei evidentia coactus. Deinde noto, argumentationem Hegelii peccare contra leges syllogismi.

Ad 3.um probat. respondetur ea quidem, quæ proprie differunt, reduci ad aliquid commune, non tamen ea, quæ diversa sunt. *Differre* enim, ut jam in *Ontologia* notatum reliquimus, ea proprie dicuntur, quæ cum in aliquo conveniant, diversificantur tamen in alio. Ut autem duo diversa sint, non requiritur, ut in aliquo conveniant: quare diversa necesse non est, ut ad aliquid commune reducantur. Jam *esse* et *non esse* non differunt proprie, sed diversificantur, et quidem oppositione contradictoria, quæ maxima omnium est: quare medium aliquod, in quo conveniant, vel commune, sub quo contineantur, vel ad quod revocentur, habere nequeunt.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE ORIGINE MUNDI.

50. Hæc una est ex philosophicis quæstionibus, quæ magis patefaciunt summam utilitatem, immo et necessitatem divinæ revelationis de iis etiam veritatibus, quæ rationis humanæ naturale lumen non excedunt. Mundum enim a Deo

creatum ex nihilo fuisse, veritas est certissima, eademque naturalibus argumentis demonstrabilis, quam nihilominus aut nonnisi imperfectissime cognoverunt, aut admixtis turpissimis erroribus obscurarunt pene omnes antiquitatis Philosophi, lumine revelationis destituti; circa quam longe turpius errant recentiores illi scriptores, qui doctrinam jam inde a multis sæculis solidissime stabilitam respuentes, per invia et devia se præcipites dare malunt, quam vocem Dei audire, et Ecclesiam in investigandis abstrusissimis quæstionibus ducem sequi. Ut porro mundi origo declaretur, tria tractanda suint, causa, modus ac tempus, quo fuit productus. At causas, non omnes in hac disputatione inquiremus; nam formalem, quæ in ordine ac perfectione mundi consistit, superius exposuimus, finalem autem et exemplarem ad sequentem disputationem reservamus. Causam materialem nullam fuisse patebit, cum mundum per creationem ortum esse ostendetur. Iuque causam efficientem inquirere nunc oportet.

CAPUT I.

CAUSA MUNDI EFFICIENS.

Quamvis in priori disputatione probatum manet, mundum hunc esse ens ab alio, non tamen otiosa est efficientis causæ inquisitio. Non enim defuerunt, nec desunt nunc homines, qui fatentur quidem mundum factum esse, atque adeo dici posse ens ab alio, negant tamen factum esse ab aliqua causa ab ipso mundo distincta, vel certe causam aptam minime assignant. Negant causam ab ipso mundo distinctam patroni evolutionis; qui vero mundi moltionem casui adscripserunt, aut negarunt et ipsi causam efficientem, aut absurdam finxerunt.

ARTICULUS I.

Utrum mundus originem habere potuerit per meram evolutionem materiæ.

Error evolutionistarum exponitur.

51. Primus error circa mundi originem potest esse illorum, qui ut excludant omnem causam efficientem ab ipso mundo distinctam, confugiunt ad activam quamdam evolutionem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

primigeniæ, nescio cujus substantiæ vel materiæ æternæ, infectæ atque indestructibilis, viribus pariter æternis, ingenitis, indestructibilibus ac plasticis informatæ, quæ fatali quadam necessitate determinetur ad sese jugiter explicandam transformandamque, donec successive per gradus suos germinet, ut ita dicam, e sinu suo regnum minerale, vegetale, animale et ipsum genus humanum per meram sui evolutionem. Et sic demum decernunt inter aniles fabulas amandandam esse creationem materiæ, Deumque ipsum et omnem causam efficientem a mundo distinctam penitus esse denegandam.

Hæc doctrina, quæ idealem Hegeliani Entis-Ideæ evolutionem fecit realem, materialismum cum ideali pantetheismo copulando, placuit non paucis evolutionistis ac materialistis recentioribus, inter quos celebrius nacti sunt nomen E. Haeckel, L. Büchner (1), J. Moleschott (2), F. Strauss (3), L. Feuerbach (4), et alii apud cl. P. Pesch (5). Et hæc est evolutionis doctrina in sua maxima universalitate exposita. Restrictior illa est evolutio, quæ a multis ad explicandam viventium corporum originem applicatur; putant enim materiam a Deo primum productam esse, talique virtute instructam, ut sese pedetentim transformando ab imperfectioribus ad perfectiores viventium formas ac species deveniat. Nunc tamen non est universa hæc de evolutione disciplina expugnanda, sed illa solum, quæ mundi causam omnem expungit, ortumque illius materiæ cuidam infectæ, ad ulteriorem jugiter perfectionem nitenti, attribuit.

52. PROPOSITIO. **Origo mundi nequit explicari per doctrinam evolutionis activæ, sed necessario recurrendum est ad aliquam causam efficientem a mundo ipso penitus distinctam.**

et confutatur. **Prob. 1.°** Doctrina evolutionis activæ plura continet prorsus falsa et absurda. Ergo nequit explicare originem mundi.

(1) In libro *Kraft und Stoff*.
(2) In opere *Kreislauf des Lebens*.
(3) *Der alte und neue Glaube*.
(4) *Gründlatze der Philosophie der Zukunft*.
(5) *Philos. natur*; n. 514. Vide etiam Lemaire apud Larousse in suo damnato *Dictionario* t. 3. ad vocem *Cause, Cause première*, pag. 618.

Et re quidem vera, supponit 1.° vim seu activam potentiam non posse esse extra materiam: 2.° materiam informari vi æterna et infecta: 3.° materiam hujusmodi esse et ipsam æternam atque infectam: 4.° ens infectum capax esse evolutionis. Atqui hæc totidem absurda commenta sunt. Nam est etiam vis et activa potiva potentia sine materia in spiritu, quemadmodum alibi demonstratur; et repugnat ens increatum evolutionem ullam subire, et rationem habere sive formæ informantis, sive materiæ actum cujuslibet formæ viriumve recipientis, est enim actus purissimus. Ergo etiamsi aliunde admitti posset doctrina evolutionis, necessario semper ponenda foret causa aliqua materiæ viriumque, unde talis evolutio peragi posset.

Prob. 2.° Certum est in hoc mundo dari animas spirituales et immortales. Atqui impossibile est hujusmodi entia per evolutionem oriri, vel existentiam sortiri, nisi per creationem; creatio vero materiæ competere nequit, cum virtutem postulet infinitam. Ergo etiamsi evolutio materiæ in aliis non repugnaret, in productione saltem rationalium entium locum habere non potest, sed recurrendum necessario est ad aliquam causam extra mundum positam.

Prob. 3.° Falsum est, quidquid fit in mundo totum deberi simplici evolutioni materiæ. Nam evolutio proprie dicta tum solum obtinet, cum res aliqua jam virtualiter et in germine continetur in alia, unde mox deciditur, ut suam propriam formam et naturam seorsim explicet. Atqui tum experientiæ tum rationi contradicit, varietatem specierum, quæ mundum corporeum ornat, hoc modo profluxisse, per ulteriorem materiæ evolutionem. Ergo mundi origo exponi nequit per evolutionem hujusmodi.

Et re quidem vera experientia nos constanti inductione docet corporum species fixas esse, nec minus perfectas in perfectiores converti, itemque certarum specierum individua nonnisi ex certis ac definitis causis enasci. Id quod ratio manifeste confirmat ex principio causalitatis. Quemadmodum enim nihil fit sine causa, ita etiam quidquid fit causam proportionatam sibi vindicat. Causa vero proportionata effectui non est, nisi parem huic aut etiam superiorem, minime autem deteriorem, virtutem ac perfectionem habeat,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Impossibile est ergo, ut ab imperfectioribus ad perfectiores species devenìatur per evolutionem materiæ.

Dices Experientia demonstrat ex pulvere nasci quædam insecta, ut cum v. g. post imbrem ranunculi cernuntur hac illac saltantes, vel cum ex putrefacto corpore generantur vermes et alia animalia. Ergo inesse videtur materiæ insita quædam virtus sese alterius evolvendi.

Resp. *neg*, conseq. Certum enim videtur ex Physicorum experimentis hæc altaque spontaneæ, quam vocant, generationis phænomena non materiæ viribus propriis adscribenda esse, sed ovis vel seminibus similium bestiolarum vento vel ope causarum aliarum eo perlatis. Verum de his alibi plura.

ARTICULUS II.

Utrum mundus prodierit ex fortuito atomorum concursu.

53. Alter succedit error illorum, qui casu mundum ac fortuito prodiisse voluerunt. Casui autem bifariam adscribi potest molitio mundi, vel exclusa omni causa efficiente, et consequenter omni intelligentia et consilio talem operam dirigente; vel negato dumtaxat efficientis causæ consilio et finis cujusvis intentione. In primo sensu assertus est casualis mundi ortus a veteribus materialistis; in altero a cæteris omnibus, qui talem posuere causam, quæ aut careat intelligentia, aut certe temere operata sit absque ullo præconcepto fine. Duo ergo investiganda proponuntur, primum an ulla detur efficiens causa, quæ mundum condiderit, deinde an causa ista sine ullo consilio finisve intentione egerit.

Sententia Democriti, Leucippi et Epicuri.

Et quod ad primum attinet, celebris est sententia Democriti, Leucipii et Epicuri, quam postea versibus meliore causa dignis exposuit et propugnavit Lucretius, mundum ex atomorum seu corpusculorum minutissimorum in vacuo fluitantium fortuita concursione coaluisse. Finxerunt videlicet tenuissimas quasdam particulas, indivisibiles, ingenitas, æternas, solidas, incorruptibiles, inani in spatio positas, omnis qualitatis expertes, soloque motu præditas ac diversa figura et magnitudine: quibus Epicurus etiam pondus adjecit.

Hujusmodi atomi triplici motu agitabantur in vacuo, altero ad perpendiculum, altero declinationis, tertio denique elisionis, qui ex mutuis collisionibus contingit; donec tandem aliquando post multas concursiones adhærescerent inque massas ingentes conglobarentur, et sic tota hæc varietas existeret mundanorum corporum, immo etiam ipsarum animarum hominum (1). Quod vero res diversarum specierum existant, id tribuendum unice est primum atomorum figuræ, deinde posituræ, ordini aut etiam motus diversitati, nam cæterum corpuscula ista ejusdem sunt omnia naturæ (2). Ita semel coagmentatis corporibus mundanis, novæ in dies contingunt generationes et corruptiones per meram aggregationem novarum atomorum, aut veterum segregationem diversamve dispositionem. En quomodo illi prisci Philosophi mundum casu exortum dixere, exclusa causa omni efficienti, finali et etiam formali substantiali (3).

Huic errori jam a multis sæculis obsoleto non parum faverunt recentiores materialistæ Maupertuis, Helvetius (4), Diderotus, Voltairius, Tolandus, Holbach, qui sub ficto nomine Mirabaudi infame opus edidit *de Systemate naturæ*, aliique impii viri, qui elapso sæculo Ecclesiam Christi, si fieri posset, labefactandam sucepisse videntur (5). Eamdem atomisticam et impiam amplexus est doctrinam Lemairius (6) productis in medium atomis æternis et infinitis, extensione

quos recentiores Materialistæ imitati sunt.

(1) Vide Plutarchum *de Placitis Philosoph.*, lib. 1, cap. 4 ubi hoc systema exponit.

(2) Hæc plenius declarata reperies inferius, ubi sermo est de essentiali corporum constitutione, cum atomismus veterum describetur.

(3) Vide Aristot. et S. Thomam in locis infra citandis, ubi de atomismo. Cfr. Benedict. Pereira *de Communibus Princip.*, lib. 4, cap. 9), Tennemann. *(Storia*, tom. 1, paragr. 105, 106, 155). Card. Gonzal. *(Historia*, parag. 42, 47).

(4) Hne auctorem errores suos retractasse scribit P. Antonius Valsechius ex S. Ord. Prædicatorum. *Dei fondamenti della religione*, lib. 1, cap. 2, n. VIII in nota.

(5) Vide apud P. Andream Spagni, *Dissertatio de Mundo*, propos. 2.a sect. 1.

(6) Apud Petrum Larousse, *Grand Dictionaire universel du XIX.e siecle*, tom. 3, ad vocem *Cause*, paragr. *Cause première*, pag. 618. Paris 1867.

vique ingenita immo et scientia præditis, quæ invicem agendo hunc mundum conflent, ac proinde exclusa quavis alia extranea causa, ipsæ habendæ sint tamquam prima causa omnium compositorum, omniumque actionum et phænomenorum mundi.

Fuerunt etiam catholici scriptores, qui corpora, atque adeo mundum, ex atomis apto motu divinitus præditis coalescere docuerunt; quorum sententiam, cum de essentiali corporum constitutione agendum erit, exponemus et refutabimus. Verum quoniam casum, quem veteres atomistæ impiique materialistæ invexerant, illi respuebant, nulla nunc nobis cum illis est movenda disputatio. At contra atheos et impios illos Philosophos sit

54. Propositio 1.ª **Mundus prodire non potuit ex solis atomis casu in unum coëuntibus, sed causam postulat, eamque intelligentem et cum consilio operantem.**

Mundus prodire non potuit solis atomis ex casu coëuntibus.

Probatur prima pars. In primis adversa sententia gratuita omnino est; neque enim aliud pro se afferre potest argumentum, nisi quod absolute non repugnet, positis in motu atomis, eam combinationem et concursum accidere, unde hic præsens mundus existat. Id vero etiamsi daretur, quo tandem jure, quæso, concluditur exinde, ita revera mundum casu coaluisse? An vero a *posse* ad *esse* valet consequentia? Verum absit, ut tantum absurdum largiamur adversariis.

Prob. 2.° Hypothesis fortuiti atomorum concursus est absurda in iis, quæ supponit circa naturam illarum. Enimvero

α) Atomi finguntur infectæ. Ergo si ex atomis conficitur mundus, materia mundi est infecta. Atqui ut mox probabimus, nequit mundus ex materia infecta produci. Ergo...

β) Atomi dicuntur esse *infectæ*, ideoque a se. Atqui mutabilitas omnis repugnat enti a se et improducto.

γ) Atomi ponuntur infinitæ et in vacuo fluitantes. Atqui id iterum repugnat. Si enim infinitæ fuissent, vacuum omne replevissent, neque ullus proinde dari motus potuisset. Quod si dicas atomos illas finito numero extitisse, quis numerum definivit? Atomi namque ponuntur infectæ, atque adeo invicem et a quolibet alio independentes. Nulla ergo ratio

sufficiens assignari potest, cur in determinato aliquo numero contineantur; quare tot omnino existent, quot sunt possibiles. δ) Atomi eadem dicuntur gaudere natura. Ergo cur non habeant eamdem quoque figuram, magnitudinem, ordinem, motum, posituram, cum a nullo alio pendeant, a quo variari hæc potuerint? Atqui in primis adversarii contrarium gratis asserunt. Deinde si eumdem habuissent motum, figuram etc. neque concursus unquam contigisset, neque ulla resultasset rerum varietas, quam tamen mirificam cernimus in mundo (1).

ε) Adhuc iis omnibus datis, aliud supponitur absurdissimum, ex hujusmodi atomis pure materialibus procedere entia etiam viventia, quin et ipsam animam rationalem hominis, quam supponimus nunc, et suo loco demonstrabimus esse simplicem et spiritualem. Lepidum enim atque omnino ingenio materialista dignum est, quod scribit Lemaire, atomorum ingenitam vim, ex entibus tum organicis tum inorganicis, atque adeo ex mundis, quos illæ componunt, abunde probari. Verum activitas virtutesque corporum, sive organicorum sive inorganicorum, ac totius mundi, probat quidem causam rerum omnium virtute atque activitate præditam esse; non tamen probat id, quod experientiæ pariter ac rationi repugnat, materiæ atomisque materialibus vitam et activitatem natura sua insitam et secum

(1) Pulchre Tullius hoc argumentum urgebat in Epicurum: *Censet* (Epicurus) *eadem illa individua et solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam: hunc naturalem esse corporum motum. Deinde ibidem homo acutus, cum illud occurrerit, si omnia deorsum et regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, nunquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere, itaque aliquid rem commentitiam: declinare dixit atomum perpaullum, quo nihil posset fieri minus, ita effici complexiones et copulationes et adhæsitationes atomorum inter se: ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quæque in eo essent. Quæ cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem, quod vult. Nam si ipsa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causa, quo nihil turpius Physico) et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium sine causa eripuit atomis. Nec tamen id, cujus causa hæc finxerat, adsecutus est: nam si omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohærescent.* (Lib. 1 *de Finibus*, n. 19). Vide similia in libro *de Fato*.

identificatam competere. Lemairius autem forte quia videbat suam assertionem probari non posse, ne conatur quidem probare, sed gratis asserit, quasi res foret per seipsam manifesta.

Prob. 3.ª Ut ex fortuito atomorum concursu efflorescere hic mundus absque ullius alterius causæ influxu, deberent illæ habere ex seipsis: α) motum: β) certam motus directionem: γ) aptam collocationem in spatio, ut posset mutua complexio et agglomeratio contingere. Nam etiamsi atomi in motu ponantur, immo etiamsi viribus physicis et chimicis et attractione moleculari sint præditæ, nisi certam dispositionem et collocationem in spatio habeant, aptus congressus ad constituenda corpora dari nequit. Atqui nihil horum habent atomi ex seipsis.

Nam atomi, utpote materiales, per se sunt indifferentes tum α) ad hanc vel illam collocationem in spatio, tum β) ad motum, γ) tum denique ad quamvis motus directionem. Si quem enim locum in spatio ex sua propria natura vindicarent, ne possent quidem moveri: si motus foret ipsis essentialis, non possent concipi in quiete: si deum certam motus directionem postularent, aliam accipere nequirent. Si autem indifferentes sunt atomi ad hæc omnia, necessario agnoscenda est aliqua extranea causa, unde hæc ipsis insint.

Si vero contendas tria hæc atomos a natura sua sortiri, primum contradicis omnibus Physicis, si Materialistas excipias, inertiam materiæ uno ore profitentibus: deinde dicendum tibi est, quoniam eadem est atomorum natura, eumdem quoque motum insitum illis esse, eamdemque motus directionem, ut jam dari amplius concursio nequeat. Ex his ergo patet, metaphysice repugnare mundi fabricam ex meris atomis per inane volitantibus extitisse, quin aliqua agnoscatur causa, quæ atomos ipsas produxisset, et apte ad congressum collocasset, motuque donasset.

Dices. Mundi materia seipsam ad motum determinare potuit. Ergo saltem ad hoc causa extrinseca non eguit. Et re quidem vera, videmus entia materialia bene multa, quæ statum quietis cum motu absque ullo externo impulsu commutant. Motus enim dimanat ex primitivis materiæ proprietatibus, quales sunt gravitas, extensio, impenetrabilitas, figura.—**Resp.** *dist.* antec. Nempe massa materiæ, si in diversis

ejusdem partibus variæ supponantur pressiones viresque attractivæ, potuit in motu constitui, *trans.*; eo enim in casu materia non *seipsam* determinasset ad motum, sed tantum diversæ portiones materiæ aptæ ad sese attrahendum constitutæ, motum genuissent, aliæ in alias extrinsecus operando. Potuit materia proprie *seipsam* ad motum determinare, *neg.*

Probationem etiam *dist.* Videmus se movere entia animata, *conc.*, inanimata, *subdist.*; impulsu ac determinatione extrinsecus accepta, *conc.*, ex propria activitate, iterum *dist.*; si motus ille tendat ad assecutionem status connaturalis, ut fit v. g. in elasticis corporibus, *trans.*, aliter, *neg.* Verum de his alibi distinctius et uberius.

Probandum nunc est, mundum non esse effectum fortuitum seu per accidens, opus nempe causæ temere ac præter intentionem agentis. Itaque

Secunda pars prob. 1.ª Supposito quod mundus ex atomis coaluerit, in tantum foret casu et fortuito factus, in quantum auctor ille atomorum, nihil cogitans temere collocasset illas in spatio, motumque impressisset, ex quo præter spem tota hæc ordinatissima et pulcherrima mundi machina efflorescret. Atqui hoc insanum est. Quæro enim, auctor ille primus atomorum utrum spiritus fuerit, an corpus. Non certe corpus; tum quia de illo ipso corpore inquirendum tunc esset, undenam et quomodo efformatum fuisset, donec perveniretur ad aliquid non corporeum: tum etiam, quia cum ille sit etiam auctor animarum spiritualium, spiritus et ipse debet esse. Ergo habuit intelligentiam. Quæro iterum, num spiritus ille per seipsum, an per aliud ens atomos ordinaverit, et ad motum incitarit. Si per se, credibile non est ipsum aut ignorasse, quid ex talibus atomis gigni posset, aut temere ac ludentis instar illis motum et aptam directionem impressisse. Si per aliud, incredibile pariter est tanti operis molitionem causæ alteri commississe, quæ nesciret aut non curaret illam rite disponere, ac sapienter ad finem perducere. Aliter enim agere, summæ foret stultitiæ atque oscitantiæ in ente, quod cum tantam parasset materiam, nihil deinceps cogitaret de opere apte ex illa fabricando. Itaque supponi omnino nequit casus in mundi molitione, si hic ex atomis coagmentatus fuit.

sed causam postulat cum consilio operantem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 2.° Ordo præstantissimus, ex multorum elementorum concursu coalescens, ideoque complicatissimus, et simul constantissimus, nequit esse opus absque consilio et intentione factum. Atqui datur in mundo ordo admirabilis, ex innumeris entibus resultans et constantissimus. Ergo mundus hic non est casu factus et per accidens, sed causam habuit intelligentem et cum consilio operantem.

Minor superius declarata est.

Major patet α) inductione, et sensu communi omnium. Nemo est enim, qui videns artificium aliquod ex pluribus partibus ad aliquam formam vel operationem communem dispositis, non statim agnoscat laudetque ingenium artificis. Quis imaginem pictam diversis coloribus, quis horologium, aut statuam, vel domum videns, absque consilio, idea et intentione confectam esse dicat? Quis non amentem crederet eum, qui existimaret architectum et operarios Vaticani templi, temere agendo et casu tale opus confecisse? *Quis putet, si innumerabiles unius et viginti formæ litterarum, vel aureæ vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, posse ex iis in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici* (1). Denique, ut alia omittam, quis sibi persuadeat hominem, musicæ artis ignarum, tam scite admovere manus posse instrumento, ut integrum aliquem concentum Mozarti vel Rossinii personet? Atqui hæc et alia similia opera, quæ nemo non arti et consilio tribuit inter mortales, in immensum superantur præstantia et mirabili perfectione naturæ (2).

β) Una ex proprietatibus casus est raritas, quæ enim semper uno modo fiunt, nequeunt dici per accidens esse (3).

(1) Cicero, *de Natura deorum*, lib. 2, cap. 37.

(2) Ad rem Tullius: *Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, negat in his ullam esse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa sint opera rationis; cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissima conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione?* Cicero, *de Natur. deorum*, lib. 2.

(3) S. Thom., lib. 2 *Contr. Gent.*, cap. 39.

Sane quod semper accidit certo aliquo modo, oportet ut habeat causam determinatam, cur ita et non aliter res sit. Causa vero determinata ad certo quodam modo constanter producendum effectum, vel libera est, vel necessaria. Si necessaria, jam eo ipso effectum illum naturaliter intendere dicenda est. Si vero libera, nequit intelligi, quomodo constanter in idem impellat, nisi ratione consilii, et certi finis quem in tali opere intendat. Ergo ubicumque adest constans ordo, ibi consilium et intelligentia ordinans agnoscenda est.

Dices. Ab elementis materiæ sæpe fiunt figuræ pulcherrimæ ac vere mirabiles: itemque ab animalibus ope instinctus multa exercentur ordinatissima, eaque constantissime, quin tamen ideo aut materiæ aut animalibus asserenda intelligentia sit. Ergo ordo quantumvis constans sit, non probat auctorem intelligentem, vel cum consilio operantem.—**Resp.** *dist.* Suppositis viribus et naturali directione et inclinationibus a prima causa inditis, *conc.* secus, *neg.* Tum neg. conseq. Allata ergo exempla contrarium nos docent: cum enim constet ordinem esse opus intelligentiæ proprium, concludere cogimur, sicut videmus ordinatas machinarum actiones et effecta sapientis artificis consilio disponi, ita necessario agnoscendam esse summam aliquam causam, quæ naturales omnes irrationabilium entium effectus et mirabilia opera intendat, atque ordinet, et in numero, pondere ac mensura ad fines proprios sapientissime dirigat.

Probatur propositio 3.° a priori. Causa saltem prima, quæ atomis illis et existentiam et motum indidit, est necessario ens aliquod a se existens, quemadmodum amplius declarabitur in sequenti propositione. Atqui ens a se nequit nisi summo consilio summaque sapientia agere. Ergo impossibile est mundum ex fortuito atomorum concursu prodiisse.

55. PROPOSITIO 2.a **Mundus hic effectus est tamquam a prima causa ab aliquo ente necessario a se existente: ac proinde existentia mundi existentiam Dei invicte demonstrat.**

Causa prima mundi est ens necessarium.

Probatur prima pars. Etenim causa efficiens, quæ mundum effecit, vel eguit et ipsa ad hoc ut existeret, causalitate atque efficientia causæ alterius, vel non. Si non eguit,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habemus intentum; nam ens a se est ens necessarium, id est, ens necessario ex vi suæ essentiæ existens, ut in *Ontologia* declaratum manet (1). Si causa hujus mundi producta est ab alia causa, de illa alia causa iterum quæram, utrum a se exitat, an vero ab alia producta sit: et si primum dicatur, manet probata propositio; sin alterum, rursus idem quærendum est, donec tandem ad ens aliquod infectum et a se veniamus, unde tamquam a prima causa pendeat iste mundus. Dari namque nequit processus in infinitum in causis, neque etiamsi daretur, vitari posset necessitas causæ alicujus primæ, a qua reliquæ omnes penderent, ut constat ex dictis in *Ontologia* (2), et fusius declarandum erit, Deo favente, in *naturali Theologia*.

unde mundi existentia existentiam Dei invicte demonstrat.

Secunda pars sequitur ex prima. Nam nomine Dei intelligitur ens a se ac necessarium in existendo. Atqui mundus hic esse non potest sine causa aliqua prima, quæ sit ens a se ac necessario existens. Ergo...

Atque hæc nunc delibasse tantum sufficiat. Nam in Theologia naturali fuse et accuratius pertractanda sunt contra omnes, sive apertos sive larvatos, atheos.

Quæri hic posset, utrum auctor mundi sit unus dumtaxat, an vero plures. Pervetus enim est dogma Persarum, qui duo statuebant rerum principia, alterum bonarum, malorum alterum; quam postea doctrinam sectati sunt Manichæi, et Priscillianistæ, et Albigenses, aliique. Verum quia de hac re in Theologia naturali sermo erit, ubi unicitas Dei stabilienda est, nunc ex ibi dicendis liceat unum supponere Deum, eumque summe bonum, sapientem, potentem, cæterisque omnibus possibilibus præditum perfectionibus. Vide interea, quæ in *Ontologia* scripsimus ad probandum, quod malum nequeat esse ens a se (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

56. **Objic. 1.°** Non raro videmus in natura opera mirabilia, v. g. opera crystallizationis, quæ exquisitissima arte et

(1) Vide *Ontologia*, n. 186, 187.
(2) Vide num. 385, ε), pag. 1099.
(3) Num. 167, pag. 485.

intelligentia facta esse videntur, cum tamen ex mera virium et causarum naturalium combinatione prodierint. Nota quoque omnibus est historia, quam narrat Plutarchus (1), pictoris illius, qui postquam iterum et sæpius frustra tentasset spumam in ore equi anhelantis exprimere, iratus tandem colores projecit in tabulam, et sic spuma præter spem apprime depicta apparuit.

Resp. 1.° *Nego* paritatem. Quid enim commune habent allata hæc exempla cum fabrica mundana, tam varia, complicata, constantissime ordinata et perfecta? 2.° Nec opera illa mirabilia naturæ existere potuissent sine aliquo agente, qui causas illas in unum conferret, viresque apte componeret, nec spuma sine pictore, qui colores projiceret, expressa unquam fuisset in tabula. 3.° In is aliisque exemplis, quæ vulgo casui tribui solent, non datur revera casus absolute loquendo, sed tantum relative. Quia nimirum licet hujusmodi effectus non intendatur a causis particularibus et proximis earum, ideoque respectu harum dici possint per accidens fieri, semper tamen cognoscuntur, et intenduntur a causa universali et suprema, quæ auctor est totius naturæ et cum causis aliis omnibus operatur.

Objic. 2.° Ab entibus irrationalibus fiunt etiam alia opera, quæ speciem habent operum non vulgaris artificii, et nihilominus absque ullo consilio fiunt, v. g. telæ ab araneis, alvearia ab apibus etc. Ergo idem dici potest de ordine mundano.

Resp. eodem modo ac in precedenti, *distinguendo* sic. Et hæc opera fiunt absque consilio, quod sit in ipsis causis proximis, *conc.*; in causa universali, qui tales instinctus ac dispositiones illis indidit, *neg.*

Objic. 3.° Ex ordine et utilitate rerum nequit colligi res illas factas fuisse cum intentione talis ordinis et utilitatis, si ordo hujusmodi et utilitas talium rerum sit fructus industriæ humanæ. Atqui ordo in partibus mundi et singularum utilitas potest esse merus fructus humanæ industriæ, consequens ipsam illarum rerum existentiam. Ita in montibus sæpe inveniuntur scopuli ita dispositi, ut iis homines utantur

(1) Plutach. *de Fortuna*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamquam gradibus ad ascendendum, et nihilominus non fuerunt facti illi scopuli præcise *propter* hunc finem. Similiter absunt pluribus in locis cavernæ, quo solent viatores sese recipere in tempestatibus, quin tamen dici possit illas ex intentione naturæ ad hunc usum esse destinatas (1).

Resp. *conc.* Major, *neg.* Minor.

Et ad exempla, *nego* paritatem et consequentiam. Nam ex eo quod industria humana quasdam res existentes in certos usus ac fines adhibeat, non sequitur ordinem universi, nemine cogitante et intendente, prodiisse, aut ad naturales suos fines directos minime fuisse ex ipsius conditoris instituto. Videmus enim antecedenter et independenter ab hominis industria ordinem ac dispositiones habitudinesque constantes esse in entibus naturæ ad actus et effectus sibi consentaneos. Ea vero, quæ solum per humanam industriam convertuntur in aliquos vitæ usus, patet intuenti, non eo fine a natura facta fuisse, quia secus multo aptius conformata et ordinata fuissent. Næ, si cavernæ ad habitationem destinata ex naturæ instituto fuissent non tam incommoda forent ineptaque ad id officii, nec cederent in hoc ipsis domibus, quas homines præstanti arte maturoque consilio fabricant. Sic natura pedes in animalibus aptissime elaborat ad ambulandum, alas ad volandum, oculos ad videndum, et in stirpibus radices, folia, flores ac reliquas partes, ad suos quasque actus et fines accomodatissima.

Objic. 4.° «Ordinata rerum dispositio, quæ nunc habetur, potuit erumpere fortuito atomorum motu inter innumerabiles dispositiones non ordinatas. Nam quamvis probabilitas, ut quid ordinatum fortuito existat, sit tenuissima propter infinitum fortasse numerum inordinatorum, qui sibi opponitur, non tamen dici potest nulla. Quæcumque autem ordinata dispositio semel eruperit, potest per seipsa durare, quemadmodum quæcumque inordinata debet per seipsa deficere...» Ita Maupertuis (2) apud Andream Spagnium (3).

(1) Apud P. Andr. Spagni. *Dissert. de Mundo*. prop. 2; sect. 6, n. 143.

(2) Maupert., *Cosmol. ayant. propos.* pag. 6.

(3) Spagni, Opere cit. prop. 2, sect. 6, n. 144.

Resp. *neg*, assertum et probation. Sint enim duæ atomi *A. B.* in spatio vacuo. Quoniam in spatio nulli sunt fines, si supponamus A stare, B moveri, certum est illas atomos posse suscipere positiones diversas infinitas, immo infinities infinitas, pro veritate directionum, quas B in suo motu accipiat; moveri quippe valet secundum quemlibet e radiis, qui a punto, ubi stat A, duci quaquaversus possunt, vel secundum infinitos circulos, qui circum A describantur. Contra possibilitatem ergo cujuslibet determinatæ positionis in illis duabus atomis stat possibilitas infinitarum positionum diversarum, ideoque contra probabilitatem certæ positionis militat infinita improbabilitas ejusdem. Quæ improbabilitas augescit, si utraque atomus moveatur, multoque magis si loco duarum supponantur infinitæ atomi per spatium volitantes (1).

Dices. «Sumantur duo characteres ex. g. *A et R*, qui agitentur in urnula, sic foramine exiguo prædita, ut inde nequeant emitti, nisi alter post alterum, ad syllabam conflandam aliquam. Profecto cum nonnisi harum alterutra conflari possit nimirum vel *A R*, vel *R A*, utra earum potius proditura sit uno jactu, æque probabile utrinque est. At si jactus decies et millies iteraretur, totidem gradus probabilitatis exsurgerent pro syllaba *AR* saltem semel habenda. Sumantur deinceps quatuor litteræ, quibus primum Aeneidis verbum efficitur, nimirum A, R, M, A. Hæ suscipere possunt viginti quatuor dispositiones diversas. Unde quod uno jactu illa potius emergat, qua conflectur vox *ARMA*, id vix uno probabilitatis gradu fruitur, contra viginti tres gradus oppositos. Ad post viginti tres jactus probabilitas æquatur utrinque, et magna fiet pro istiusmodi dispositura semel habenda, si viginti tres jactus dicies et millies repetantur. Gradatim instituatur eadem ratiocinatio pro cæteris Aeneidis vocabulis et versibus, atque ita tandem licebit concludere: si jactus æterno intervallo infinitis vicibus iterentur, infinita efflorescet probabilitas, seu quod idem est certitudo pro ea litterarum dispositione, quæ Aeneidem præbeat. Quod autem positum est in hac una re, transferri in permultas potest,

(1) Cfr. Tong. *Theol. nat.* n. 40, 41.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atque adeo in mundum ipsum quoad fortuitos atomorum concursus» (1). Et sic ex calculo, quem dicunt, probabilitatum conficitur mundum casui attribui posse.

Resp. *transmisso* litterarum calculo, *nego* assumptum, nempe nego illud exemplum transferri in mundi fabricam posse in hypothesi adversariorum. Si enim omnis excluditur intelligentia et intentio determinati finis, cur litteræ illæ conjiciuntur in urnam? et cur urna unum dumtaxat habet foramen per quod ordine prodeant illæ? Si omnia casu fiant, nec urna nec certus foraminum numerus supponendus est, sed elementa illa scripturæ in infinito spatio erunt nulli alligata loco, nullam habentia determinatam motus directionem. Quo fiet, quemadmodum in solutione precedentis difficultatis dicebamus, ut quoniam duo primi characteres A et R, infinitas posituras in spatio accipere possunt, infinita probabilitas habeatur in singulis jactibus, quod non assument aptam directionem ad efformandam sylabam *AR*. Si adjungatur tertium elementum M et quartum A, augebitur infinities probabilitas, quod non efformabitur vox *ARMA*. Quid fiet deinceps cum reliquis characteribus typographicis necessariis ad componendam Aeneidem? Si ergo excludatur omnis intelligentia in projiciendis hujusmodi litteris, nedum adsit infinita probabilitas seu certitudo pro ea dispositione illarum, quæ Aeneidem præbeat, aderit probabilitas infinita seu certitudo de opposito (2).

(1) Apud P. Liberatore, *Instit. Philos., Cosmol*, cap. 1, art. 4, n. 38, *object.* 11.

(2) Cfr. Liberat. loc. cit.; Tong. *Theol. nat.* n. 42; Cuevas, *Philos. rudim., Theodicea*, n. 19.

Juvat hanc responsionem confirmare testimonio Laplace et Arago, qui ex eo quod in nostro systemate solari omnes planetæ ac horum satellites per orbitas suas moveantur, secundum eamdem directionem circa solem, nempe a dextra sinistrorsum, concludunt, hujusmodi phænomenon casu contingere non potuisse. Cum enim corpora, tunc temporis cognita, quæ sic circa solem moventur tria supra quadraginta numerarentur, ex calculo probabilitatum deduxerunt, inesse unam dumtaxat probabilitatem contra 4,000 myriades millionum (quatre mille millards), quod talis uniformitas motus dabitur, si casu et absque ullo consilio motus imprimatur.

Vide Laplace apud Faye *(Sur l'origine du Monde*, chap. X, pag. 13, 132. Paris, 1884), et Arago *(Annuaire pour l'an. 1844*, pag. 343) apud Pianciani *(Cosmogonia naturale comparata col Genesi*, pag. 1, phragr. III, pag. 80 in nota. Roma, 1862).

Objic. 5.° Saltem negari nequit unam ex possibilibus combinationibus atomorum temere projectarum esse eam, quæ hunc mundum præberet. Ergo nequit excludi tamquam penitus absurda hypothesis fortuiti atomorum concursus, ad constituendum mundum.

Resp. 1.° Ergo saltem improbabilis prorsus est hypothesis casus. **Resp. 2.°** *dist.* ant. Una ex possibilibus combinationibus, quas facerent atomi temere projectæ, est hæc, suppositis pluribus absurdis, *trans.*; nullo absurdo supposito, *neg.* Et *neg.* conseq. Nam ut admitti possit temeraria et sine consilio facta projectio atomorum, debet supponi aut nullam esse causam, quæ atomis existentium dederit, spatium assignarit, motumque cum apta directione impresserit; aut causam, quæ omnia hæc fecerit, cæcam fuisse et intelligentiæ expertem; aut si habuit intelligentiam, adeo fuisse oscitantem et incuriam, ut in immenso opere moliendo, cum posset optimum adhibere consilium, nullum consilium adhibuerit. Hæc autem et alia, quæ omitto, adeo sunt absona, ut supponi nequeant ab homine, qui sensum communem non penitus abjecerit. Itaque licet in ordine agentium particularium detur quandoque casus, cum nimirum aliquid evenit, quod ipsa particularia et proxima agentia non intenderant, neque præviderant, de auctore vero hujus universalis ordinis et compositionis machinæ mundanæ idem suspicari non minus absurdum, quam impium est (1).

Objic. 6.° Ut mundus efformaretur, nihil aliud postulasse dicitur Cartesius, nisi materiam et motum (2) Et eadem

Memineris autem eo tempore, cum Laplace et Arago hæc scriberent, quatuor tantum asteroides cognosci inter Martem ac Jovem; nunc autem inter orbitas horum duorum planetarum detectæ sunt aliæ asteroides vel parvi planetæ usque ad 234, omnes eodem motu agitati a dextro sinistrorsum. Vide Faye (Op. cit. chap. X, pag. 133). Quo fit ut adhuc in immensum decrescat probabilitas hujusmodi uniformitatis in motu tot corporum, si is a casu procedat.

(1) Cfr. Spagni, *Dissert. de Mundo*. prop. 2, sect. VI. n. 148; Cuevas, loc. cit. n. 18.

(2) Vide Cartesium apud Spagni, loc. cit. n. 149.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

forte fuit sententia Mallebranchii, Leibnitzii aliorumque (1).

Resp. *dist.* assertum. Suppositis supponendis, et si sermo sit de sola natura bruta et corporea, *conc.*; si sermo sit etiam de viventibus, et non suposita suprema directione Dei materiam creantis, motumque illi tribuentis et leges motus, *neg.*

Illi enim auctores non excluserunt, quin potius postularunt, actionem Dei omnia prævidentis et ordinantis ad scopum fabricandæ molis (2). Quod si id non requisivissent, et si opinionem suam extensam voluissent ad corpora etiam viventia, deserendi prorsus essent. Cæterum iterum moneo hic a nobis non disputari, num, suppositis supponendis, sola materia et motus absque alio interno principio sufficiant ad constitutionem corporum saltem inorganicorum explicandam. Nos arbitramur id non sufficere, sed hac de re tractationem in alium locum amandamus.

Objic. 7.° Ignoramus quousque se protendant vires naturæ. Ergo temerarium est Philosopho recurrere ad causam primam, eamque intelligentem, ut mundanæ fabricæ rationem reddamus.

Resp. 1.° Si ignoramus vires naturæ, cur adversarii athei recurrunt ad casum, excludendo nempe causam, quæ forte necessaria est, si videlicet vires naturæ solæ nequeant se protendere ad tale opus construendum?

Resp. 2.° *dist.* assert. Ignoramus quid possint vires naturæ, inditæ a Deo materiæ, et sub certis legibus ac directione supremæ intelligentiæ agentes, *trans.*: in hypothesi casus, exclusa nimirum causa intelligente, quæ et vires et reliqua necessaria communicat materiæ, *neg.*

Objic. 8.° Cum Lemairio. Causa mundi prima vel est 1.° principium aliquod nomine Dei significatum, videlicet æternum, immortale, simplex et indivisibile, omnipotens, quod omnia solus creaverit ex nihilo, vel 2.° idem Deus simul cum materia pariter æterna, ex qua res omnes efficiat, vel 3.° denique, atomorum æternarum et indivisibilium

(1) Apud Spagni, ibid.
(2) Cfr. Spagni. loc. cit. n. 150 seqq.

quædam infinita multitudo, quæ cum extensione, vi et innata scientia vel cognitione præditæ sint, omnia mundana entia conflent, sive organica sive inorganica. Atqui duo priora repugnant. Ergo mundus ex atomorum intelligentium concursu existere dicendum est, quin necesse sit ullam aliam fingere causam efficientem ab ipsis distinctam.

Minor probatur quoad primum membrum. α) Deus exhibet conceptum confusum et negativum, qui nullo argumento directo probari potest, nec omnino cognosci unquam potuit ab iis ipsis, qui talem mundi causam obtrudunt. β) Repugnat purum spiritum causam esse mundi extensi et corporei. Atqui Deus dicitur esse spiritus. Ergo absurdum est Deum causam esse mundi hujus. Probatur Major. Nam sicut certissimum est istud axioma: *Non datur effectus absque causa*, ita non minus certa atque explorata sunt duo hæc alia: *Omnis effectus continetur in sua causa*, et *Omne consequens vel principiatum ejusdem est naturæ, ac suum principium*. Tria hæc principia ita sunt connexa et indubitata, ut nemo possit eorum aliquod negare, quin leges ipsius rationis violet, atque adeo jus ratiocinandi amittat. Atqui mundus materialis, extensus et multiplex profecto diversæ naturæ est a principio spirituali, simplicissimo et uno, qualis supponitur Deus, nec potest in eo contineri, nec ullam habet cum eo relationem. Ergo... γ) Præterea causa simplex una et immaterialis est aliquid in seipso repugnans. Sane causa ut vere sit causa, non solum debet existere, sed etiam agere; sed agere seu actio importat relationem, relatio vero duos terminos vel extrema requirit. Atqui si supponitur Deus unus esse simplex et immaterialis, non datur terminus, circa quem agat. Ergo Deus unus simplex et immaterialis agere nequit nec proinde esse causa. δ) Si Deus, principium simplex, posset esse causa mundi, produceret illum vel per emanationem, vel per creationem. Aqui non per creationem; quia cum omnis actio essentialiter postulet duos terminos, agens nempe et materia vel objectum, circa quod agens operetur, creatio, utpote quæ hujusmodi materiam vel objectum essentialiter excludit, esset actio prorsus impossibilis et chimærica. Neque etiam per emanationem; nam emanatio repugnat in ente simplici atque indivisibili.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

En argumentum recentissimi materialismi atomistici, quod refert Petrus Larousse in suo Dictionario, quod sentinam potius omnium errorum atque impietatum dixeris. Cæterum hæc non ideo adducta sunt, quia quidpiam valeant, sed ut norint omnes indolem ac modum ratiocinandi nuperorum materialistarum.

Resp. *conc.* Major., et eligo primum membrum. Tum *neg.* Minor. quoad primum membrum.

Ad probat. α) nego, quod conceptus Dei sit confusus; quamvis enim non cognoscamus Deum, sicuti est in seipso nec conceptu, qui dicitur proprio ex propriis possimus illum mente repræsentare, nihilominus talem comparamus entis a se ac necessarii notitiam, ut probe illud ab omnibus aliis rebus secernamus. Nego deinde conceptum, quem de Deo efformamus, esse pure negativum. Quamvis enim una ex viis cognoscendi Deum in hac vita sit per negationes, excludendo nempe limites et imperfectiones, quæ cernuntur in rebus creatis, quemadmodum suo loco dicendum erit; verum aliud est, quod nos ope negationum ad cogitationem Dei veniamus, et aliud quod non cognoscamus illum nisi conceptu negativo. Nego pariter, quod nullo directo argumento probari queat notitia et existentia Dei. Denique si cum negat adversarius a nobis cognosci Deum, loqueretur de cognitione intuitiva rem immediate, ac prout est in se, repræsentante, verum diceret; si autem loquitur de quavis cognitione etiam abstractiva et discursiva, falsissimum est id, quod tam asseveranter effutit.

Ad β) *neg.* Major., ad cujus probationem dico primo effatum illud, secundum quod *omnis effectus in causa, contineri* dicitur, veritate gaudere etiamsi intelligatur de sola continentia virtuali et eminentiali; nec vero contrarium probat, nec probabit unquam Lemairius. Effatum autem alterum enuntians *principiatum omne ejusdem esse naturæ, ac suum principium*, effatum non esse, sed absurdissimum pronuntiatum, quod gratis postulat sibi concedi ad eripiendam spiritui virtutem effectricem materiæ.

Ad γ) *negatur* pariter assertum, cujus probatione nihil infelicius fingi humano ingenio potest. Actio, inquis, importat relationem; relatio autem præsupponit duo extrema,

agens et passum. At quandonam actio importat relationem? antequam sit, an vero cum jam est? Credo te dicturum esse secundum. Verum si actio non importat relationem, nisi quando jam est, nihil conficis tuo argumento; nam cum repugnet actio sine termino, statim ac detur actio in rerum natura, præsto sunt jam duo extrema, quæ invicem referantur. Quare ex eo quod actio relationem importet, relatio autem duo extrema vel terminos requirat, perperam concludis ens, quod sit simplex et unicum, agere non posse. Si autem vis actionem, antequam detur, requirere agens et passum prævie existentia, inter quæ adsit relatio; non vides assertionem tuam esse meram principii petionem?

Unde ruit etiam argumentum δ), quo Lemairius conatur probare repugnantiam creationis. Verum quia de hac re fuse mox agendum est, ista nunc innuisse sufficiat. Difficultates autem, quæ peti possent ex malis et monstris atque imperfectionibus hujus mundi, partim solutæ sunt, cum sermo esset de ordine mundano, partim enodabuntur, cum de divina providentia disputandum erit.

CAPUT II.

QUOMODO MUNDUS A DEO EFFECTUS SIT.

57. Modus effectionis mundi respicere potest, vel ipsam causam efficientem, vel præsidia externa et juvamen causæ alicujus materialis, quæ actionem efficientis receperit ac sustinuerit. Sub hoc altero respectu quærere, quomodo Deus mundum condiderit, perinde est ac quærere, num illum ex præjacente aliqua materia effecerit, an creaverit a nihilo. Sub primo respectu duo quæri possent, primum utrum Deus ex necessitate naturæ, an vero libere mundum condiderit: quam disputationem melius ad Theologiam naturalem rejiciendam esse ducimus, ubi probandum erit id, quod nunc tamquam certissimum et Fide et ratione supponimus, Deum in omnibus operationibus ad extra nulla adigi necessitate, sed summe liberum atque independentem esse.

En argumentum recentissimi materialismi atomistici, quod refert Petrus Larousse in suo Dictionario, quod sentinam potius omnium errorum atque impietatum dixeris. Cæterum hæc non ideo adducta sunt, quia quidpiam valeant, sed ut norint omnes indolem ac modum ratiocinandi nuperorum materialistarum.

Resp. *conc.* Major., et eligo primum membrum. Tum *neg.* Minor. quoad primum membrum.

Ad probat. α) nego, quod conceptus Dei sit confusus; quamvis enim non cognoscamus Deum, sicuti est in seipso nec conceptu, qui dicitur proprio ex propriis possimus illum mente repræsentare, nihilominus talem comparamus entis a se ac necessarii notitiam, ut probe illud ab omnibus aliis rebus secernamus. Nego deinde conceptum, quem de Deo efformamus, esse pure negativum. Quamvis enim una ex viis cognoscendi Deum in hac vita sit per negationes, excludendo nempe limites et imperfectiones, quæ cernuntur in rebus creatis, quemadmodum suo loco dicendum erit; verum aliud est, quod nos ope negationum ad cogitationem Dei veniamus, et aliud quod non cognoscamus illum nisi conceptu negativo. Nego pariter, quod nullo directo argumento probari queat notitia et existentia Dei. Denique si cum negat adversarius a nobis cognosci Deum, loqueretur de cognitione intuitiva rem immediate, ac prout est in se, repræsentante, verum diceret; si autem loquitur de quavis cognitione etiam abstractiva et discursiva, falsissimum est id, quod tam asseveranter effutit.

Ad β) *neg.* Major., ad cujus probationem dico primo effatum illud, secundum quod *omnis effectus in causa, contineri* dicitur, veritate gaudere etiamsi intelligatur de sola continentia virtuali et eminentiali; nec vero contrarium probat, nec probabit unquam Lemairius. Effatum autem alterum enuntians *principiatum omne ejusdem esse naturæ, ac suum principium*, effatum non esse, sed absurdissimum pronuntiatum, quod gratis postulat sibi concedi ad eripiendam spiritui virtutem effectricem materiæ.

Ad γ) *negatur* pariter assertum, cujus probatione nihil infelicius fingi humano ingenio potest. Actio, inquis, importat relationem; relatio autem præsupponit duo extrema,

agens et passum. At quandonam actio importat relationem? antequam sit, an vero cum jam est? Credo te dicturum esse secundum. Verum si actio non importat relationem, nisi quando jam est, nihil conficis tuo argumento; nam cum repugnet actio sine termino, statim ac detur actio in rerum natura, præsto sunt jam duo extrema, quæ invicem referantur. Quare ex eo quod actio relationem importet, relatio autem duo extrema vel terminos requirat, perperam concludis ens, quod sit simplex et unicum, agere non posse. Si autem vis actionem, antequam detur, requirere agens et passum prævie existentia, inter quæ adsit relatio; non vides assertionem tuam esse meram principii petionem?

Unde ruit etiam argumentum δ), quo Lemairius conatur probare repugnantiam creationis. Verum quia de hac re fuse mox agendum est, ista nunc innuisse sufficiat. Difficultates autem, quæ peti possent ex malis et monstris atque imperfectionibus hujus mundi, partim solutæ sunt, cum sermo esset de ordine mundano, partim enodabuntur, cum de divina providentia disputandum erit.

CAPUT II.

QUOMODO MUNDUS A DEO EFFECTUS SIT.

57. Modus effectionis mundi respicere potest, vel ipsam causam efficientem, vel præsidia externa et juvamen causæ alicujus materialis, quæ actionem efficientis receperit ac sustinuerit. Sub hoc altero respectu quærere, quomodo Deus mundum condiderit, perinde est ac quærere, num illum ex præjacente aliqua materia effecerit, an creaverit a nihilo. Sub primo respectu duo quæri possent, primum utrum Deus ex necessitate naturæ, an vero libere mundum condiderit: quam disputationem melius ad Theologiam naturalem rejiciendam esse ducimus, ubi probandum erit id, quod nunc tamquam certissimum et Fide et ratione supponimus, Deum in omnibus operationibus ad extra nulla adigi necessitate, sed summe liberum atque independentem esse.

Secundo quæri posset, utrum Deus ipse per se atque immediate mundum effecerit, an vero causæ alteri primum a se productæ commiserit hujusmodi effectionem. In hoc ergo capite, quod modum effectionis investigat, præcipue quærimus, utrum Deus de nihilo mundum eduxerit; et simul etiam breviter excludetur cujuslibet alterius causæ consortium in prima tanti operis molitione.

ARTICULUS I.

Utrum Deus mundum condiderit ex aliqua prævie existente materia.

Sententia eorum, qui mundum a Deo ex præjacenti materia productum esse autumarunt.

Materiam præjacentem duplex genus Philosophorum ad effectionem mundi, requisivisse reperio: primum est pantheistarum illorum, qui transeuntem emanationem e divina substantia commenti sunt; alterum eorum, qui materiam quamdam æternam et infectam atque a se invexerunt, quam varie versando et conformando, Deus mundi auctor extiterit. Hanc doctrinam nominatim tribuunt Platoni SS. Irenæus (1), Justinus M. (2), Theophilus (3), Basilius (4), Ambrosius (5), Athanasius (6), Epiphanius (7), et S. Thomas (8); quamvis non desint, qui aliter mentem Platonis interpretentur (9); qua de re fuse disputat P. Benedictus Pererius (10). Eumdem errorem tribuit Stoicis Tertullianus (11), tenueruntque plures veteres Philosophi, quos postea imitati sunt non pauci hæretici,

(1) Lib. 2 *advers. hæres.* cap. 19.
(2) *Cohortat. ad Græc.*, n. 23.
(3) *Ad Autolycum*, lib. 2, n. 4.
(4) Homil. 2 *in Hexaem.*
(5) *Hexaem.* lib. 1, cap. 1.
(6) *De Incarnat. Verbi*, in princip.
(7) Hæresi 6.
(8) 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 1.
(9) Vide Marsil Ficin. in *Compend. Timæi Platonis*, cap. 9 seqq.; Huet in *Quæst. Alnet.*, lib. 2, cap. 5.
(10) *De communibus rer. princip.* libr. 15, cap. 5. Cfr. Gregor. de Valent., In 1.am part. disp. 3, quæst. 3, punct. 1.
(11) Lib. *Contr. Hermogen.*, cap. 1 et 8.

ac nominatim Hermogenes (1), et Valentiniani (2), et Marcionitæ (3), ac Seleuciani, aliique (4). Utrum autem Aristoteles creationem agnoverit, dubium est apud Scholasticos, ut videre est apud Eximium Doctorem (5). Radix hujus erroris est ignorantia vel negatio creationis ex nihilo, quam cum intelligere non possent veteres illi Philosophi, neque ullius actionis, quæ sensu et experientia cognoscatur, exemplo demonstrare, nullam aliam rei declarandæ viam repererunt, nisi fingere duplex mundi principium: alterum materiale, materiam nempe increatam et æternam, quæ se præberet artifici tractandam et adornandam; alterum efficiens, quod materiam ordinando, mundanam conflaret machinam, fere sicut solent creati artifices et agentia naturalia ex subjecta materia innumeram, effectuum varietatem parere. Tam absurdum divinæque virtuti injuriosum dogma jam a pluribus sæculis jacebat sepultum, cum iterum recentioribus temporibus sub nomine *Dualismi* redintegrandum totis viribus suscepere omnes illi creationis osores, quibus nec pantheisticæ emanationis deliria nec ingenitæ cujusdam materiæ absurdissima evolutio transformatove potuerunt arridere. Contra quos omnes sit.

Dualismus recentiorum.

58. PROPOSITIO. **Repugnat materiam quamdam ponere æternam atque infectam, ex qua mundus prodierit; hic enim a Deo effectus est per creationem de nihilo.**

Repugnat materia increata, ex qua mundus prodierit.

Prima pars probatur 1.° Ens a se necessario perfectissimum est. Ergo venire nequit in compositionem cum alia re. Atqui materia mundi simul cum forma componit et constituit mundum. Ergo materia mundi infecta esse nequit.

(1) Vide apud Tertullian. Op. cit.
(2) Vide S. Irenæum, *Advers. hæres.*, lib. 2, cap. 11.
(3) Cfr. Tertullian., *Contr. Marcion.* lib. 5; et de *Præscriptionibus.*
(4) Vide S. August., lib. *de Hæres.*, hæres. 46, et 50; S. Gregor. Nissen., *de Opific. homin.*, cap. 23; Euseb., *de Præpar. Evang.*, lib. 7, cap. 8 et 9.
(5) Disp. *Metaph.*, 20, sect. 1, n. 24 seqq. Cfr. Pererius (op. cit. lib. 5, cap. 7), Conimbric. (*Physicor.* lib. 8, cap. 1 et 2, quæst 2, art. 2). Vide etiam P. Palmieri (*Cosmol.*, thes 29 sub fin., in nota).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 2.° Mundus est aliquid perfectius materia sua, sicut totum parte sui constitutiva perfectius est. Ergo materia mundi perfectissima esse non potest. Atqui ens infectum et a se perfectissimum sit, oportet. Ergo materia mundi infecta esse non potest.

Prob. 3.° Quidquid ab alio accipit ordinem, ejusdem actioni subjicitur. Atqui mundi materia ordinem ab alio accepit, ut probatum jam est in præcedenti articulo. Ergo alterius actioni subjicitur. Sed quod alterius actioni subjicitur, ens a se et infectumesse nequit. Ergo materia infecta et a se repugnat.

Minor subsumpta patet; nam quod alterius actioni subjicitur, mutatur. Sed ens a se immutabile prorsus est, ut nunc supponimus, et suo loco probandum erit in *Theologia*. Ergo.

Prob. 4.° argumento Gerdilii. «Quod est ex essentia sua indifferens ad utrumvis eorum, sine quorum altero existere non potest, est profecto ad existendum quoque ex sese indifferens. Non enim fieri potest, ut aliquid sit determinatum ad existendum, quin simul ex se determinationem habeat ad aliquid eorum, sine quorum altero existere nequit. Atqui materia ex Physicorum omnium consensu est ex se indifferens ad motum vel ad quietem, est insuper ex suo conceptu indifferens ad hanc vel illam magnitudinem; et tamen non potest existere, nisi vel in quiete vel in motu sit, ac determinatam aliquam figuram ac magnitudinem accipiat. Ergo materia est indifferens essentialiter ad existendum. Existentia igitur non est illi essentialis, ac proinde materia non est ens a se» (1). Videatur. Card. Segismundus Gerdil (2).

sed mundus e nihilo creatus est;

Secunda pars ut clarius probetur, notandum in antecessum est, cum mundus e nihilo creatus esse dicitur, sermonem esse de prima rerum molitione, vel de mundo quoad primum sui *esse*. Itaque nostra nunc non refert hic, nec præsentem quæstionem attingit controversia illa de ordine ac processu effectionis hujus mundi: utrum nempe mundus statim in perfecto statu conditus sit, an vero primum materia

(1) Tongiorg., *Cosmolog.* n. 258, 2.a Cfr. el. Liberatore, *Cosmolog.*, n. 33.

(2) *Demonstrat. mathemat. contr. l' eternité de la matière.*

quædam rudis et informis creata sit, quæ mox pedetentim acceptis ab Auctore suo convenientibus viribus aptisque rationibus seminalibus in distincta corporum genera ordinata ornataque fuerit. Verbo, agimus de mundi effectione secundum primam, ut ita dicam, formam et aspectum, in quo apparuit.

Prob. 1.° In prima mundi molitione non potuit Deo præsto esse ulla materia, circa quam operaretur. Ergo procul dubio mundus a Deo effectus est ex nihilo.

Conseq. patet. Antecedens probatur. Nam materia, quæ præsupponenda foret effectioni divinæ, vel esset ipsa Dei substantia, vel aliquod ens infectum, et a Deo independens in essendo, vel demum aliquid ab ipso Deo prævie factum. Atqui duo priora tamquam absurda manifestissima repugnare probatum est. Tertium autem pugnat in terminis. Sane ante primam mundi molitionem, quid prævium fingi potest a Deo effectum, unde mundus postea efflorescat? Ante primam enim molitionem nulla alia dari potest præcedens molitio, et si quæ præcessit, ea quæ subsequitur, jam non potest esse prima molitio. Ratio hæc S. Thomæ est, sic scribentis: *Si... est aliquid effectus Dei, aut præexistit aliquid illi, aut non. Si non, habetur propositum, scilicet quod Deus aliquem effectum producat ex nullo præexistente. Si autem aliquid illi præexistit, aut est procedere in infinitum, quod non est possibile in causis materialibus, ut Philosophus probat II.° Metaph.* (1); *aut erit devenire ad aliquod primum, quod aliud non præsupponit, quod quidem non potest esse ipse Deus; ostensum est enim in primo* (2) *quod ipse non est materia alicujus rei, nec potest esse aliud a Deo, cui Deus non sit causa essendi, ut ostensum est* (3). *Reliquitur igitur, quod Deus in productione sui effectus non requirit materiam præjacentem, ex qua operetur* (4).

Prob. 2.° Si Deus mundum condidisset ex præjacenti aliqua materia, materiæ ad operandum juvamine indiguisset. Atqui Deus summe perfectus et independens nullius alterius rei juvamine indigere potest. Cum enim modus operandi sequatur modum essendi, ens a nullo dependens in *esse*, a

(1) Text. comm. 7.
(2) Cap. 17.
(3) Cap. 15.
(4) S. Thom. *Contr. Gent.*, libr. 2, cap. 16, initio.

nullo etiam dependere potest in operatione. Ergo Deus e nihilo mundum creavit (1).

Prob. 3.° Egere præsidio materiæ ad operandum, indignum est infinita virtute. Atqui Deus infinita virtute pollet. Ergo non eguit materia ad efficiendum mundum (2).

Idque Fide divina certum est.

Cæterum est veritas hæc certa Fide divina, ut communiter docent Theologi cum Hugone Victorino (3), Magistro Sententiarum (4) et S. Thoma (5): remque jam diu definierat Concilium Lateranense IV anno 1215 hisce verbis: *Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus..., unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque* **de nihilo condidit creaturam spiritualem** et **corporalem, angelicam** *videlicet et* **mundanam**, *ac deinde* **humanam**, *quasi communem ex spiritu et corpore constitutam* (6). Quod decretum nuperrime confirmavit sacrosanctum Concilium Vaticanum hoc canone: *Si quis non confiteatur, mundum resqueo mnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales,* **secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas**; *aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum; aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit* (7). Idem denique continetur in omnibus Fidei Symbolis. Testimonia vero sacrarum Litterarum Patrumque Ecclesiæ, quibus veritas hæc continetur, videri possunt apud Theologos passim.

(1) Cf. Tertulian, *Cont. Hermogen.* cap. 8.

(2) Vide Lactantium, *Divinar. Institut.* lib. 2, c. 9. Cfr. Suarez *de Oper. sex dierum.* lib. 1, c. 1, n. 12; Pereira, *de Communib. omn. rer. princip.* lib. 5, c. 7.

(3) *De Sacrament.* lib. 1, part. 1, c. 1.

(4) Lib. 2, *Sententiar.* dist. 1.

(5) 1 p. quæst. 44. art. 1 et 2; quæst. 45, art. 1 et 8; q. 65, art. 1.

(6) Vide apud cl. Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum* etc. n. 355. Cfr. Concil. Florentin., *Decreto pro Armenis.* apud Denzinger, n. 600; *Concil. Vatican. Constit. de Fid. cathol.*, cap. 1, apud Denzinger, n. 1631, 1632; Concil. Hispaniar. et Lusitan. plenarium an. 447, apud Denzinger, n. 13, 14.

(7) Vide apud Denzinger, n. 1652.

Dices 1.° Ex nihilo nihil fit. Ergo Deus non potuit mundum absque ulla præsupposita materia condere.

Resp. *dist.* antec. Ex nihilo causæ efficientis, seu nulla præsupposita causa efficiente, *conc.:* ex nihilo causæ materialis, *subdist.;* per virtutem finitam, *conc.*, per virtutem infinitam et increatam, neg.

Et *neg.* conseq.

Dices 2.° Antequam mundus crearetur fuit immensum chaos rerumque confusio, quam Deus mox in ordinem digessit: id quod ipsa Scriptura divina videtur illis verbis innuisse: *Creavit orbem terrarum ex materia invisa* (1). Ergo falso asseritur Deum e nihilo mundum condidisse.

Resp. *dist.* antec.: fuit immensum chaos, nempe vacuitas quædam immensa ex eo, quod nihil actu esset præter Deum, *conc.;* inordinata aliqua rerum omnium commixtio et confusio *subdist.;* ante mundum ultima sua perfectione ac pulchritudine donatum, *trans.;* ante primam mundi molitionem, seu antequam mundus sub primo aspectu et forma appareret, *neg.*

Tum *neg.* conseq. Nec vero alius esse potest sensus allati testimonii. Vox enim *invisa*, ut constat ex græco textu idem valet, ac *informis*, ἀόρατος, ideoque sensus videtur hic esse, divinam sapientiam terram, quæ prius creata fuerat inornata, vel ut habet vulgata versio, *inanis et vacua* (2), ornatu mox rerumque distinctione et ordine donasse: qua de re inferius plura dicentur.

Quæret forsitan aliquis, quomodo Deus mundi creator fuerit, an quia ipse immediate per seipsum fabricatus illum sit, an vero quia spiritibus quibusdam angelicis fabricandum commiserit. Nam veteres Gnostici in ea fuerunt sententia, angelos primum a Deo solo creatos esse, postea vero mundum ab ipsis angelis: quam sectati esse dicuntur Simon Magus, Menander, Basilides, Saturninus, Carpocrates, Cerinthus et Valentinus, aliique (3). Sit tamen

(1) *Sapient.* cap. 11, v. 18.

(2) *Genes.* cap. 1, v. 2.

(3) Vide apud S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 4; 1 p., quæst. 65, art. 3; 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

59. PROPOSITIO 2.ª **Veritas catholica est solum Deum esse et primum et proximum principium mundi quoad omnia illa, quæ per veram creationem fiunt.**

Solus Deus immediate produxit ea omnia, quæ in mundo per veram creationem fiunt.

Ita colligunt Theologi communiter ex prædictis Conciliis et multis sacrarum Litterarum testimoniis (1), in quibus clarissimum est illud Isaiæ: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos* **solus**, *stabiliens terram, et* **nullus** *mecum* (2). Idemque docuerunt Patres unanimi consensu, adversus falsa hæreticorum dogmata disputantes. *Et ideo secundum Fidem catholicam ponimus, quod omnes substantias spirituales et materiam corporalium Deus immediate creavit, hæreticum reputantes, si dicatur per angelum vel aliquam creaturam aliquid esse creatum: unde Damascenus dicit* (3): **Quicumque dixerit angelum aliquid creare, anathema sit** (4). Idemque videtur definitum a Concilio Vaticano sic docente: *Hic* **solus** *verus Deus... liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem etc.* (5).

Ratione quoque naturali ostendi potest. Si quæ enim causa præter Deum creasset mundum, vel creasset tamquam causa principalis, vel tamquam instrumentalis. Primum dici nequit, quia virtus creandi per modum causæ principalis soli Deo convenit, ut suo loco probabitur in Theologia naturali. Neque secundum, quia quamquam multi arbitrentur non repugnare de potentiæ Dei absoluta causam creatam, quæ instar instrumenti ad creandum adhibeatur, at de facto certissimum est, Deum nullo tali usum fuisse instrumento: tum quia Scriptura et Patres soli Deo illam actionem tribuunt, et absolute omnem aliam causam excludunt, tum etiam quia Deus tali instrumento non indigebat, ut per se notum est; tum denique quia nulla creatura habet natura

(1) Apud Suar. *de Opere sex dierum*, lib. 1, cap. 1, n. 17, et alios passim Theologos.
(2) *Isaiæ* cap. 44, v. 24.
(3) Libr. 2 *Orthodox. Fid.*, cap. 2.
(4) S. Thom., *de Potent.* quæst. 3, art. 4.
(5) Concil. Vat., *Constit. de Fid. cathol.*, cap. 1, apud Denzinger, n. 1632.

sua, quod sit tale instrumentum», ut probat Suarez (1), et alibi Deo favente videndum erit. Quare si assumi ad creandum potest aliquid instar instrumenti, id est solum per miraculum, Deus autem in rerum creatione modo naturis rerum consentaneo et sine specialibus miraculis operatus esse videtur (2).

Dicitur in propositione mundum a Deo immediate productum esse *quoad ea omnia, quæ per veram creationem fiunt*, ut præscindamus nunc ab illa quæstione spectante ad consummatam, ut ita dicam, perfectionem mundanæ creationis, utrum videlicet Deus solus per immediatam actionem mundum quoad omnes suas partes et regna ad complementum adduxerit, an vero impressis materiæ viribus et motu rationibusque seminalibus proportionatis, siverit agentia naturalia cum talibus viribus divinitus aceptis, cooperante insuper Deo ad omnes eorum actiones, per consentaneas operationes eductivas ad ultimam perfectionem mundo tribuendam conniti. Qua de re paulo inferius aliquid dicetur.

Dices. Deus in prima illa mundi fabricatione, vel materiam omni forma destitutam effecit, vel materiam forma aliqua magis minusve perfecta actuatam. Primum horum dici nequit, quia repugnat, saltem spectata rei natura, materiam omni forma privatam existere. Ergo secundum est dicendum. At formæ materiales, etiam substantiales, educuntur de potentia materiæ, non autem creantur. Ergo verum omnino non est mumdum vel in ipsa constitutione, quantumvis rudi et elementaria, creatum fuisse de nihilo; sed solum dici poterit materiam mundi creatam fuisse, vel mundum quoad materiam.

Resp. Quamvis in productione compositi mundani ex materia et forma «distingui a nobis possit quasi partialis productio materiæ et formæ, ita ut prior sit per modum creationis, quia licet materia dicatur pura potentia respectu formæ, nihilominus habet suam entitatem et partialem existentiam, quam nonnisi per creationem habere potest, cum prius subjectum non supponat; posterior autem, scilicet

(1) *Metaph.* disp. 20, sect. 3.
(2) Suar. *de Opere sex dier.*, lib. 1, n. 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

productio formæ, sit per modum eductionis ex materia ordine naturæ supposita; et tandem productio totius per modum unitionis partium, vel per modum productionis integræ et compositæ ex illis partialibus, quæ sit proportionata integro termino composito: licet, inquam, hoc totum detur, nihilominus partiales illæ productiones vere non sunt productiones, sed dici possunt comproductiones, solaque integra productio est vera productio, et illa est creatio, quia simpliciter est productio ex nihilo, licet non omnino simplex, sed composita, quod non est contra rationem creationis, ad quam satis est, quod simpliciter sumpta sit ex nihilo» (1).

Utrum Deus mundum hunc ex primaria intentione condiderit.

60. Illud denique ad complementum stabilitæ veritatis breviter quærendum est, an Deus mundum hunc visibilem et corporeum ex primaria intentione creaverit. Ut enim scribit Damascenus (2), quædam dicitur Deus velle ex sua tantum bonitate ac liberalitate inductus, nempe ex primaria intentione, quædam vero secundario et quasi a nobis compulsus. Et ita circa hanc rem scripsit Origenes, Deum ex primaria intentione solos spiritus creasse, postea vero, peccantibus illis, decrevisse creare corpora tamquam ergastula et carceres, in quæ animæ illæ vel spiritus detruderentur, ut peccatum suum eluerent, purgarentque (3). Quem Origenis errorem referunt S. Augustinus (4) aliique multi Patres (5).

error Origenis

Dicendum tamen est mundum hunc visibilem et corporeum a Deo creatum esse, non per occasionem peccati, nec in pœnam spirituum, qui peccaverunt, sed per se et ex primaria voluntate atque intentione. Assertio autem videtur ad Fidem pertinere, primo quidem quia Origeniana fictio continet quædam falsa principia erroresque ab Ecclesia damnatos: qualis est animarum, antequam corpora informent, præexistentia, quæ diserte damnatur in secunda Synodo

rsclusitur.

(1) Suar. de *Oper. sex dier.* lib. 1, cap. 1, n. 12. Cfr. *Metaph.* disp. 15, sect. 3.

(2) De *Fide orthodox.* lib. 2, cap. 29.

(3) Vide Origen. *Periarch.* vel *de Princip.*, lib. 1, cap. 7, 8; lib. 2, cap. 8, 9; lib. 3, cap. 1.

(4) *De Civit. Dei*, lib. 11, cap. 23.

(5) Apud Suar. *de Oper. sex dier.* lib. 1, cap. 1, n. 8.

Constantinopolitana (1). Præterea supponit animas, quæ corporibus uniuntur, prius peccasse: id quod pariter damnatum est in canonibus ejusdem Concilii Constantinopolitani (2): cumque solam animam Christi Domini a primo illo peccato immunem voluerit Origenes (3), sequeretur animam quoque B. Virginis peccato infectam esse, contra dogma catholicum a Pio IX definitum (4).

Secundo, modus, quo sacræ Litteræ de creatione mundi loquuntur, aperte supponit illum ex primaria intentione creatum fuisse. Vide librum *Genesis*, in quo Deus dicitur *in principio* creasse *cælum* et *terram*, ita nempe, quemadmodum interpretatur Concilium lateranense IV, ut **simul ab initio temporis utramque de nihilo** *condiderit creaturam*, **spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam**, *ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam*. Præterea in describendis singulorum dierum operibus, innuitur «singula esse facta propter alios fines ad rectum ordinem universi pertinentes: et ideo de singulis subditur: *Vidit Deus, quod esset bonum*, et de universis: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*. Non ergo respicins ad malum nec ad punitionem, sed ad bonitatem et pulchritudinem, singula fecit. Unde *Deuteronomii* capite 4 de cœlis, sole et luna et astris dicitur: *Quæ creavit Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quas creavit in laudem et nomen et gloriam suam*. Et sic etiam *Proverbiorum* capite 16: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* etc.» (5).

Ratio etiam nostram assertionem confirmat, quia corporea entia bona sunt, Deique bonitatem, sapientiam ac potentiam manifestant, ergo per se ac primario propter hunc

(1) Vide Concil. œcum. V, canon. 1 contra Origen. (apud Denzinger, n. 187). Cfr. Concil. lateran. V, sub Leon X (apud Denzing. n. 621); Concil. Lateran. IV, cap. *Firmiter*, superius relatum.

(2) Can. 2 et 5 (apud Denzing. n. 188, 190).

(3) Vide can. 6. Con. prædicti (Denzing. n. 192).

(4) Cfr. etiam adversus eumdem hunc errorem Origenis S. Paulus, *Roman.* cap. 5, v. 14; cap. 9, v. 11. Plura de hac re dabit Eximius Doctor, *de Oper. sex dier.* lib. 1, cap. 1, n. 9.

(5) Suarez, loc. nup. cit., n. 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

finem mediate vel inmediate facta sunt. «Universum enim ut est quoddam totum optime constitutum, ad sapientiam et bonitatem divinam manifestandam creatum est; singula vero corpora ad optimam ejus constitutionem proxime ordinata sunt, et consequenter cum sint partes universi, cum ipso toto propter eumdem finem per se sunt intenta» (1).

ARTICULUS II.

Utrum creatio repugnet: ubi enucleatur ejusdem conceptus.

Ratio tractationis.

61. Quæstio hæc reapse necesaria non est; quid enim neccese est, num id repugnet, inquirere, cujus existentia manifeste demonstratur? Tractanda tamen est, quia quæ in præcedenti articulo disputata sunt, solent fere non aliunde impugnari, quam quod creatio repugnare videatur. Jam enim superius innuimus creationem multis veteribus Philosophis incompertam fuisse. Et quamquam catholici Doctores cum Ecclesiæ Patribus constanter mundum creatum esse de nihilo docuerint, probaverintque, at recentioribus temporibus exorti sunt viri non pauci, a quibus doctrina creationis tamquam verum scandalum philosophicum et absurdum figmentum habetur, quique lumen ac disciplinam veritatis catholicæ fastidientes, ad veterem insipientiam redire malunt. Ita de creatione existimat, aut certe scribit, omnis turba materialistarum, positivistarum, pantheistarum, rationalistarum, cæterumque scriptorum, qui quidquid sub oculos sensumve minime cadit, quasi carerent intellectu ad rationandum ignotumquæ ex notis concludendum, illico tamquam vanum et inane rejiciendum esse pronuntiant (2). Contra quos omnes sit

Creationis hostes.

(1) Suarez, ibid. num. 15, ubi plura reperies.

(2) Eminent inter alios numeros creationis osoris Vacherot (*La Metaphysique et la Science...* Avant propos pag. XIII. Paris, 1863), Victor Cousinus (*Introduction à l'histoire de la Philosophie*, lec. 5.ª), Petrus Larousse (*Grand Dictionaire universel*, ad vocem *Création*), Herbertus Spencer (*Les premiers principes*, chap. 1), Tiberghien (*Introduction à la Philosophie* et *Préparation à la Philosophie*), aliique.

62. PROPOSITIO. **Creatio nullam repugnantiam involvit.**

Creatio nullam repugnantiam involvit.

Prob. 1.° Certum est mundum esse creatum de nihilo, quemadmodum in præcedenti articulo demonstratum est. Ergo creatio non repugnat; nihil enim repugnans existere de facto potest.

Prob. 2.° Si quidquid fit, fit ex aliqua præjacente materia, necessario sistendum erit vel in materia a se atque infecta, vel in divina substantia, ex qua reliqua omnia producta fuerint. Nam dari nequit procesus in infinitum in causa materiali, ut in *Ontologia* probatum est. Atqui evidenter repugnat materiam infectam asserere, vel ex divina substantia tamquam materia aliquid fieri. Ergo evidenter etiam repugnat omnia fieri ex præjacente materia: atque adeo aliquid factum esse ex nihilo evidenter necessarium est.

In hoc syllogismo consequentia egregia est: præmissæ autem omnes alibi demonstratæ manent. Adeo ergo non repugnat creatio, ut evidenter repugnet actio transiens, nisi possibilis sit, atque adeo detur creatio. Nam quævis actio transiens vel fit ex subjecto aut materia vel absque subjecto. Si absque subjecto, jam habetur creatio. Si ex prævio subjecto, nisi tandem ad primam aliquam actionem subjecto carentem, seu creationem, deveniatur, necessario ponenda erit increata aliqua materia, ex qua cætera fiant, sive illa sit ipsa divina substantia, sive aliquid aliud, quorum utrumvis sine insigni absurdo atque impietate dici vel fingi non potest.

Prob. 3.° Creatio intrinsece et extrinsece possibilis est. Ergo nullam repugnantiam involvit.

Prob. antec. per partes α) *Creatio est intrinsece possibilis.* Nam in creatione tria considerari possunt: terminus qui producitur, novitas existendi ac modus productionis. Et ex parte quidem termini creatio intrinsece non repugnat, nam sunt infinita entia possibilia, quæ sortiri existentiam, si adsit apta causa, possunt. Nec etiam ex novitate existendi, ex eo nempe quod res quæ creatur, cum prius non fuisset, accipiat existentiam. Nam id commune est omni productioni etiam non creativæ, ac passim videmus plura de novo incipere existere. Non repugnat denique creatio ex modo productionis. Quia rem fieri ex nihilo aliud non est, quam rem fieri

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

totaliter, seu quoad totam suam realitatem, quin causa efficiens ullum externum juvamen ad illius productionem habuerit. At quod res totaliter hoc pacto fiat, *ex seipso* non videtur præ se ferre majorem repugnantiam, quam quod res solum partialiter et ex subjecta materia producatur; sed solum requiret majorem in agente virtutem: id quod certe ad internam possibilitatem vel impossibilitatem non pertinet, sed solum ad externam. Cum præsertim evidenter repugnet, ut id iterum repetamus, ad omnem actionem prævium subjectum requiri.

β) *Creatio est etiam extrinsece possibilis*, seu datur agens virtute creandi præditum. Nam existit ens infinitum omni constans perfectione simpliciter simplici, ut supponimus ex *Theodicea*, in qua probari potest, ac porro probatur infinitas Dei, quin fiat recursus præcise ad actionem creativam. Atqui virtus creandi est perfectio simpliciter simplex. Etenim si creatio ipsa in se non repugnat, proculdubio virtus creandi perfectionem importat, et quidem simpliciter simplicem; perfectius quippe est in latitudine entis posse creare, quam non posse creare. Præterea Deus est omnipotens, ut ex infinita ejusdem virtute infertur. Atqui virtus creandi ad omni potentiam spectat. Omnipotentia siquidem comprehendit potestatem faciendi quidquid non repugnat. Denique cum operatio sequatur *esse*, enti summe ab alio in essendo independenti convenit operatio summe a cujusvis alterius causæ influxu independens, qualis est creatio. Atqui Deus est ens summe independens ab alio in essendo. Ergo... (1).

Conceptus creationis enucleatur.

63. **Antequam ad enodandas**, quæ adversus creationem fieri solent, difficultates progrediamur, colligenda ex hactenus dictis atque enucleanda est notio creationis. Omissa vero minus philosophica vocis acceptione, qua creare idem valet ac eligere ad aliquod munus, quo pacto apud Romanos dicebantur *creari* tribuni, dictatores etc., et nunc a Romano Pontifice *creantur* Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ; omissa etiam latiori significatione cujuslibet generatim productionis; creatio in sensu proprio et stricto est *effectio seu productio rei ex nihilo*. In qua definitiones particula illa *ex nihilo* vices

(1) Vide Suarez, disp. *Metaph.* 20, sect. 1.

gerit ultimæ differentiæ, per quam creatio ab actione generatim sumpta, de qua in *Ontologia* diximus, discriminatur. Cæterum illud *ex nihilo* bifariam interpretari possumus: ex nihilo tamquam termino *a quo*, et ex nihilo tamquam *materia*, vel ut alii loquuntur, ex nihilo *sui* et *subjecti*. Ex nihilo tamquam *materia* dicitur aliquid produci, non positive, quasi nihilum foret materia, ex qua fiat, et constet res intrinsece; sed negative, ita ut excludatur ab effectione omnis præsupposita materia, in qua recipiatur agentis actio, et ex qua deinceps res effecta coalescat: et sic idem sonat *ex nihilo*, ac ex *nullo subjecto* vel *materia*, ut recte explicat S. Anselmus (1). Et hæc est ratio propria hujus effectionis, actiones enim eductivæ prævium subjectum habent, hæc autem excludit omnem concursum materialis causæ, atque adeo dependentiam rei, quæ efficitur, ab omni subjecto. Ex nihilo tamquam a termino *a quo* perinde est, ac dicere rem, quæ fit, prius non fuisse, ideoque a non *esse* transire ad *esse*: nempe hoc est rem fieri *ex nihilo sui*, id quod in qualibet effectione locum habet.

Quæret aliquis, cum res, quæ creatur, *prius* non fuisse dicitur, de qua prioritate sit sermo: si enim sermo sit de prioritate durationis vel temporis, exinde consequetur illico creationem æternam repugnare, quod tamen valde controvertitur apud Philosophos, ut mox videbimus.—**Respondeo**, cum ad creationem requiritur, quod prius res non fuerit, et postea fuerit, id intelligendum esse de ordine quodam naturæ, qui in hoc consistit, quod res creata *de se* nullum omnino *esse* habeat, nisi ab alio sibi communicetur: et in hoc sensu a non *esse* transeat ad *esse*; sive necessarium sit sive non, ut prius etiam duratione præcedat non *esse*, et post non *esse* succedat *esse*. Id enim controvertitur: et solum per Fidem scimus *de facto* prius etiam duratione res non fuisse, verum postquam non fuissent, creatas esse.

Præclare rem hanc exponit Angelicus Doctor: *Ad rationem creationis pertinent duo: primum est, ut nihil præsupponat in re, quæ creari dicitur: unde in hoc ab aliis mutationibus differt, quia generatio* (i. e. actio eductiva substantialis) *præsupponit*

(1) *Monolog.* cap. 8.

materiam, quæ non generatur, sed per generationem completur in actum formæ transmutata; in reliquis vero mutationibus (accidentalibus) *præsupponitur subjectum, quod est ens completum, unde causalitas generantis vel alterantis non sic se extendit ad omne illud, quod invenitur, sed ad formam, quæ de potentia in actum educitur. Sed causalitas creantis se extendit ad omne id, quod est in re; et ideo creatio ex nihilo dicitur esse, quia nihil est, quod creationi præexistat quasi non creatum. Secundum est, quod in re, quæ creari dicitur, prius sit non esse, quam esse; non quidem prioritate temporis vel durationis, ut prius non fuerit et postmodum sit* (1), *sed prioritate naturæ, ita quod res creata, si sibi relinquatur, consequatur non esse, cum esse non habeat nisi ex influentia causæ superioris.... Et secundum ista duo creatio dupliciter dicitur res esse ex nihilo: tum ita quod negatio neget ordinem creationis importatæ per hanc propositionem* **ex** *ad aliquid præexistens, ut dicatur esse ex nihilo, quia non ex aliquo præexistenti; et hoc quantum ad primum. Tum ita quod remaneat ordo creationis ad nihil præexistens ut affirmatus, ut dicatur creatio esse ex nihilo, quia res creata* **naturaliter prius habet non esse, quam esse.** *Et si hæc duo sufficiant ad rationem creationis, sic creatio potest demonstrari, et sic Philosophi creationem posuerunt. Si autem accipiamus tertium oportere ad rationem creationis, ut scilicet etiam duratione res creata prius non esse, quam esse, habeat, ut dicatur esse ex nihilo, qui ex tempore post nihil, sic creatio demonstrari non potest* (quia nempe dubium est, ac disputatur, utrum id necessarium sit), *nec a Philosophis conceditur, sed per Fidem suponitur* (2).

Exemplis distinctio creationis ab eductione facile illustratur: artifex ex marmore fingit statuam: statua profecto ante artificis opificium non erat, ideoque fit ex nihilo sui tamquam termino a quo; sed materia, ex qua facta est præexistebat, quare non fit ex nihilo tamquam materia, seu ex nulla materia, quia marmor prius existebat, quod actionem

(1) Mens S. Doctoris, ut magis apparet in verbis subsequentibus, est, quod ad rationem creationis non *requiratur*, ut res, quæ creatur prius non fuerit, et postmodum sit.

(2) S. Thom. 2 dist. 1, quæst. 1, art. 2. Cfr. 1 p. q. 45. art. 1, ad 3.um; *de Potent.* quæst. 3, art. 1 ad 7.um

agentis sustentat, et ex quo forma statuæ educitur per illam actionem, quæ proinde creatio non est, sed eductio. Ecce similiter cogito nunc urbem Romam: hæc mea cogitatio prius non erat, sed subjectum, ex quo tamquam ex materia educta est, et in quo inhæret, id est, mens mea existebat. Cogitatio itaque mea creatio non est. At spiritum Deus ita producit, ut nihil materiæ vel subjecti, quod productionem illam sustentet, vel in se suscipiat, et quomodolibet ad illam juvet, præsupponatur, et propterea spiritus creatur, non autem educitur de potentia materiæ. Ad rationem ergo creationis requiritur aliquid ita de novo fieri, ut causa efficiens ad illud producendum non habuerit ullum aliud præsidium externæ causæ cujuslibet, a qua juvaretur in sua actione; et consequenter etiam requiritur terminum actionis creativæ quoad *totam suam entitatem* de novo fieri, quin ulla sit ejus pars, quæ prius sub alia forma fuerit, et nunc in aliam transmutetur. Quamobrem creationem S. Tomas definivit. *emanationem* **totius** *entis a causa universali, quæ est Deus* (1). Et alibi: *Creatio est productio alicujus rei* **secundum suam totam substantiam,** *nullo præsupposito, quod sit vel increatum vel ab aliquo creatum* (2). Et in idem recidit id, quod dici quoque solet, per creationem produci ens *in quantum ens:* non quod terminus creationis sit ratio dumtaxat abstracta entis, prout est ens, illa enim ut sic abstracta creari nequit; sed quod pervadat totam rei entitatem. Nam in aliis actionibus res, quæ fit, quamvis prius non fuerit sub ea ratione vel forma, sub qua producitur; fuit tamen sub alia, quæ mutatur atque in novam transformatur, et sic actiones illæ non dant terminis suis totaliter *esse*, nam prius jam aliquid erant, quatenus materia vel subjectum eorum sub alia forma præcesserat.

Aliæ descriptiones creationis.

Quæ cum ita sint, patet 1.º, cur, e sententia Doctoris Angelici reique veritate, creatio sit *prima actio*, quæ circa rem exercetur, *eo quod nullam aliam præsupponit, omnes autem aliæ præsupponunt eam* (3). 2.º Terminus creationis debet esse

Creatio est prima actio quæ circa rem exercetur;

habet pro termino

(1) 1 p., quæst. 45, art. 1. Cfr. ib. ad 2.um.

(2) 1 p., quæstio 65, art. 3.

(3) S. Thom., lib. 2, *Contr. Gent.*, cap. 21, initio. Cfr. 1 p., quæst. 65, art. 3.

aliquid subsistens:

substantia, nec proinde qualiscumque subsistantialis entitas, sed subsistens, seu non pendens a subjecto sive *in fieri* sive *in esse*, quia nimirum fit extra omne subjectum et absque ullo subjecti concursu vel sustentatione. Quare nec accidentia nec formæ substantiales materiales, si naturali et consentaneo modo fiant, creantur, nec possunt creari; quia sicut non possunt esse nisi in subjecto, ita nec possunt naturaliter fieri sine concursu ac juvamine materialis causæ (1). Dixi *naturaliter*, quia sicut accidens potest conservari et esse per miraculum extra subjectum, ita etiam potest primo fieri absque ullo subjectivo concursu, atque adeo creari. Et idem dicendum est de substantiali forma materiali, si ea possit extra materiam per divinam virtutem manere. 3.° Creatio

non est mutatio,

non est mutatio, nisi solum secundum rationem vel modum intelligendi. Quia in omni mutatione, ut constat ex scriptis in *Ontologia* (2), requiritur subjectum reale, quod actionem in se recipiat, et sic aliter se habeat nunc, ac prius fuerit. Atqui in creatione abest omne subjectum hujusmodi: *In omne mutatione vel motu*, inquit Angelicus, *oportet esse aliquid aliter se habens nunc, quam prius; hoc enim ipsum nomen mutationis ostendit. Ubi autem tota substantia rei in esse producitur, non potest esse aliquod idem aliter et aliter se habens, quia illud non essel productum, sed productioni præsuppositum. Non est ergo creatio mutatio* (3). Quia tamen res, quæ creatur, intelligi potest a nobis etiam prius non fuisse totaliter, et cum non fuisset, *esse* accipisse per creationem; creatio concipitur instar transitus rei ab uno in alium statum, ac proinde instar mutationis; quamvis re vera nihil reale sit, quod in alium statum transeat, nec sit realis status ille pure possibilitatis, in quo res, antequam fieret, versabatur (4). 3.° Hinc

nec passionem aut successionem importat,

creatio neque habet rationem passionis, utpote quæ subjectum essentialiter postulat: nec sucessionem habet, sed est actio prorsus instantanea; successio enim necessario requirit

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 45, art. 4.

(2) Vide n. 246, pag. 696-697.

(3) S. Thom. libr. 2 *Contr. Gent.*, cap. 17 fin. Cfr. 1. p. quæst. 45, art. 2 ad 2.um; *de Potent.*, quæst. 3, art. 2.

(4) S. Thom. 2. *Contr. Gent.*, cap. 18. Cfr. 1 p. quæst. 45 art. 2, ad 2.um

rem prius esse, et aliter et aliter continuo se habere, donec actio sucessiva penitus esse desinat. Apposite S. Thomas: *In omni motu successivo est aliquid medium inter ejus extrema: quia medium est, ad quod continue motum prius venit, quam ad ultimum; inter esse autem et non esse, quæ sunt quasi extrema creationis, non potest esse aliquid medium. Igitur non est ibi aliqua successio. Adhuc: in omni factione, in qua est successio, fieri est ante factum esse, ut probatur in VI* **Phys.** (1) *hoc autem in creatione non potest accidere; quia fieri, quod præcederet factum esse creaturæ, indigeret aliquo subjecto, quod non posset esse ipsa creatura, de cujus creatione loquimur, quia illa non est ante factum esse, nec etiam in factore, non enim moveri est actus moventis, sed moti. Relinquitur igitur, quod fieri haberet pro subjecto aliquam materiam facti præexistentem, quod est contra creationis rationem. Impossibile est igitur in creatione successionem esse* (2). Ex quibus omnibus multo manifestius apparet discrimen creationis ab eductione (3).

Ratio creationis secundum Cousinum

Longe aliter intellexerunt creationem Cousinus, cujus hæc summa doctrinæ est in hanc rem: «Homo non ex nihilo, sed ex seipso educit actionem, quam nondum fecit, sed facturus est. En creationis imaginem: divina siquidem creatio ejusdem naturæ est. Deus quia causa est, creare potest; quia vero causa absoluta est, a creando abstinere non potest. Dum vero mundum creat, eumdem non e nihilo, sed a seipso trahit: ex illa nimirum potentia efficiendi et creandi, cujus nos partem tantum habemus. Differentia autem omnis inter creationem divinam et nostram eadem prorsus est, ac differentia Dei et hominis, causæ nimirum absolutæ et causæ relativæ» (4). Omitto in præsentiarum præposterum

(1) Text. comm. 59.

(2) 2.° *Contr. Gentes*, c. 19. *Item.*

(3) Cfr. quæ in hanc rem dicta sunt in *Ontol.* n. 414. Vide de creatione Suarez (disp. 20, sect. 1.), Vazquez (In 1.m p. disp. 172), Valentia et alios interpretes S. Thomæ (In 1.um p. q. 45).

(4) Ex versione P. Liberatore, *Cosmolog.*, n. 37. Verba autem ipsius Cousini hæc sunt: «L' homme ne tire point du néant l'action, qu'il n'a pas fait encore et qu'il va faire, il la tire de lui même. Voilà le type d'une création. La création divine est de la même nature. Dieu s'il est cause, il peut créer; et s'il est cause absolue, il ne peut pas ne pas créer: et en créant l'univers, il ne le tire pas du néant, il le tire

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conceptum creationis datum ab Antonio Rosminio, de quo alibi opportunius agendum erit.

excluditur. In Cousiniana vero notione non pauca continentur, quæ præteriri sine gravi censura nequeunt. α) Primo enim hominibus etiam creationem tribuit, cum tamen actio ista solius Dei sit propria, ut jam superius notatum reliquimus. β) Deinde creationem prorsus cum eductione confundit, quemadmodum liquet ex eo, quod ipsemet affert ad rem declarandam, nostrarum volitionum exemplo. γ) Præterea pantheistice creationem explicat, dicens ideo nos creare, quia materiam ex ipsa nostri *esse* substantialitate educimus. δ) Denique ponit creationem necessariam. Quæ omnia totidem absurda sunt, partim refutata in antecessum, partim alibi refutanda.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

64. **Objic.** 1.° Illud repugnare dicendum est, cujus nulla in mente effórmari potest repræsentatio. Atqui creationis nullam efformare possumus repræsentationem. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Cujus nulla in mente effórmari potest repræsentatio per conceptum univocum et proprium, quem dicunt, ex propriis, *neg.*; per conceptum saltem analogicum et propium ex communibus, *trans.*

Et *contradist.* Minor., *neg. conseq.* Non enim refert, quod nullam valeamus sensibilem creationis effingere animo imaginem, dummodo possimus rem aliquo pacto intelligere, saltem per ordinem ad alias actiones ac per negationem materiæ. Cæterum transmisi alterum membrum distinctionis in Majori, quia suppositis iis, quæ in *Logica* demonstravimus contra Rationalistas de mysteriis rationis captum superantibus, quamvis nullam prorsus rei alicujus etiam analogicam ideam habeamus, non sequitur eam repugnare. Mysteria namque talia sunt, quæ donec Deus revelet, cognosci a nobis ullo modo nequeunt. Earum ergo veritatum, quas

de lui même, de cette puissance de causation et de création, dont nous autres faibles hommes, nous possédons une portion; et toute la différence entre la création divine et la nôtre est la différence générale de Dieu à l'homme: la différence de la cause absolue à une cause relative». *Introd. à l'hist. de la phil.* leçon. 5.

Deus non placuit nobis aperire, nullam habemus ideam vel analogam, sed totalem ignorantiam: et nihilominus illæ procul dubio dantur, et a Deo cognoscuntur, et a beatis spiritibus et a nobis ipsis cognoscentur, cum post mortalem hanc vitam, uti speramus, *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu* (1).

Instabis. Verum instat hic Petrus Larousse, vel quicumque scripserit articulum de creatione in suo damnato Dictionario, aliud esse quod capere mens nequeat, quomodo aliquid fieri ex nihilo possit, et aliud quod mens videat ex nihilo nihil fieri posse. Hoc autem postremum ratio nos docet. Perperam ergo, inquit, mutant statum quæstionis, quicumque ad tuendam creationem statuunt eam non recte impugnari ex eo, quod nulla a nobis efformari animo creationis repræsentatio queat (2).

Resp. Falso nobis imputari, quod statum quæstionis mutemus. Quando enim catholici Philosophi ac Theologi creationem probant, multi adversarii eam ex illo capite impugnant, quod nulla talis actionis idea concipi a nobis possit (3). Quibus jure merito respondent catholici, et quod falsum sit id, quod asseritur, et quod etiamsi verum foret, non recte exinde repuenda esset creatio, cujus existentiam cum ratio invicte demonstrat, tum divina revelatio Patrumque constans traditio confirmat. Quis ergo quæstionem alio

(1) S. Paulus, 2 *Cor.* cap. 3, v. 18.

(2) «Cette doctrine, qui suppose evidemment, que que lque chose peut sortir de rien par un acte de la volonté d'un être tout-puissant, *est en opposition avec l'axiome rationel:* Ex nihilo nihil fit. Les partisans de la définition theologique objectent, qu'à la verité on ne comprend pas comment quelque chose pourrait sortir du rien, mais qu'une chose incomprehensible n'est pas une chose impossible. *Ils essayent inutilement de changer le sens de la question. La raison ne dit pas qu'elle ne comprend pas comment quelque chose pourrait sortir de rien; elle dit qu'elle comprehend que quelque chose ne peut sortir de rien, affirmation un peu differente de celle qu'on lui prête.* *Grand Dictionaire universel* ... par Pierre Larousse, ad vocem *Création*, pag. 460, col. 1.

(3) Ita argumentatur adversus creationem inter alios Herbertus Spencer in suo Opere, *Les premiers principes... traduit par M. E. Cazelles, premiere partie*, chap. 1, n. 11, pag. 29, Paris 1885.

tranfert? Undenam autem probat ipse Larousse, quod ratio intelligat, vel compertum habeat, ex nihilo nihil posse fieri? Atqui hoc est ante omnia probandum Materialistis cæterisque creationis osoribus, ut se extricent argumentis, quibus catholici scriptores et factum et necessitatem creationis evidenter demonstrant. Quod enim opponunt, creationis necessitatem nullam esse, si admittatur aut materia æterna aut pantheistica emanatio rerum ex divina substantia, solum potest probari iis, qui absurdissima quæque malunt promptissimi devorare, quam catholicam veritatem manifestis argumentis comprobatam amplecti.

Objic. 2.° Doctrina theologica creationis in eo fundatur, quod cum Deus sit ens activum, immo et actus purus, definiente S. Thoma, non potest non agere, ac proinde creare (1). Verum si Deus est essentialiter ens activum, debuit semper tale esse, quoniam immutabilis est ac perfectus. Hinc vero sequitur æternum esse mundum æternamque creationem. Ita fere ad verbum idem Larousse (2).

Hinc post pauca concludit idem scriptor dogma creationis componi cum divina libertate non posse, libertatem enim, ubi datur creandi necessitas, perire penitus, nec amplius nisi verbo tenus posse subsistere. Cujus difficultatis fingit ipse quasdam stultas solutiones, quasi datæ fuissent a catholicis Auctoribus, et sic triumphum canit gloriosus miles, apud imperitam videlicet sciolorum multitudinem (3). Cætera omitto, quæ addit non minus absurda, ut Deo eripiat creationem mundi; iis enim simillima sunt, quibus Lemairius, ut superius vidimus, in eodem Laroussii *Dictionario* conabatur oppugnare existentiam causæ alicujus primæ, quæ mundum condidisset.

Resp. ad primum, *neg.* Major., nec asseri id potest, nisi aut turpissime ignorando idipsum, quod impugnari debet, aut impudentissime mentiendo. Doctrina enim catholica, non solum Theologis, verum vulgo christiani populi nota, hæc est: Deum infinita virtute præditum esse, quæ cum ejus

(1) «*Ne peut pas s'empêcher d'agir*, et par consequent de créer.»
(2) Loc. cit. pag. 460, col. 2 vers fin.
(3) Ibid. col. 3.

essentia unum idemque est; omnem autem actionem ad extra, et nominatim creationem, liberrimam ita esse, ut potuerit absque ulla sui mutatione temperare a creando, placuisse autem sibi creare, ac porro creasse non ab æterno, sed in tempore. Hujus veritatis plena sunt opera SS. Patrum, pleni Theologorum libri, pleni nominatim tractatus apologetici et polemitici, qui jam inde a sæculo et amplius frequentissimi scripti sunt a viris catholicis adversus impiorum philosophorum insana mendacia. Eamdemque demum nuper solemni decreto docuit universum mundum sancta Synodus Vaticana hisce verbis: *Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur*, liberrimo consilio *simul* ab initio *utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corpoream* etc. (1).

Quæ cum ita sint, ad alteram objectionem negatur suppositum: catholici enim nunquam docuerunt, quin potius perpetuo impugnarunt ab aliis assertam necessitatem agendi vel creandi in Deo. Quare necesse illis non fuit in componenda libertate divina cum dogmatæ creationis laborare. Solum laborant in concilianda generatim immutabilitate naturæ divinæ cum libertate, quæ duo attributa quamquam manifeste demonstrentur, non tamen evidenter comprehendi humani imbecillitate ingenii potest, quomodo amice conserta sint in illa ineffabili simplicitate ac puritate divini *esse:* et ideo varii excogitati sunt a catholicis scriptoribus modi rem declarandi, quos in proprio loco expendemus, Deo volente. Discant ergo Materialistæ, discant omnes christianarum veritatum impugnatores illud ipsum, quod irridendum vel impugnandum susceperunt, ac tum denique excogitent, si possunt, apta argumenta; quidquid aliter fecerint, veteratorum ac sophistarum miserum opus erit.

Objic. 3.° Ad hoc ut creatio mundi admittatur, oportebit ponere ante ipsam nihil fuisse præter immensum vacuum vel inanitatem, nempe spatium: creatio ergo si daretur, deberet

(1) Concil. Vatican. *Constitut. de Fide Catholica*, cap. 1. Cfr. ibid. Can. 5. *De Deo rerum omnium Creatore.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam se extendere ad ipsum spatium. Atqui absurdum est spatium creari. Sane si supponamus spatium creatum esse, certe ante creationem spatium non fuit. Atqui absurdum est spatium aliquando non fuisse, siquidem impossibile est concipere spatium non existens. Ita Herbertus Spencer (1). Cætera vero, quæ non minus impie quam absurde dicit in hanc rem, quia nullius sunt roboris, omitto.

Resp. *neg.* suppositum Majoris, quod nempe ante mundi creationem extiterit ullum spatium reale: tota enim argumentatio adversarii innititur in absurda opinione circa spatium. Spatium nullum reale est præter realem corporum extensionem, realis autem extensio nulla est extra vel præter corpora realiter existentia. Immensum ergo illud inane vel spatium, quod Spencer comminiscitur, non est nisi purum nihil actuale vel spatium pure possibile: quod profecto non est difficilius concipere, quam concipere hominem, aut corpus aut quamlibet aliam rem possibilem. Quid enim, quæso, est spatium nisi capacitas quædam locandorum corporum? Sic cubiculum, in quo scribo, spatium quoddam est, itemque domus et quævis extensio, quæ corpus aliquod continere valet: quæ si realis sit, reale spatium; si possibilis, possibile dumtaxat præbebit spatium. Quare ultra

(1) Hæc ejus sunt verba: «L'insuffisance de théorie theiste de la création devient encore plus manifeste, quand on passe des objets matériels à ce qui les contient, quand, au lieu de la matière, on examine l'espace. N'existât-il rien qu'un vide incommensurable, il faudrait encore l'expliquer. Une question s'élèverait: D'où vient ce vide? Pour qu'une théorie de la création fût complète, elle devrait répondre que l'espace a été fait de la même manière que la matière. Mais l'impossibilité de concevoir cette façon de créer l'espace est si manifeste que personne n'ose l'affirmer. En effet, si l'espace a été créé, il n'existait pas auparavant; or il n'y a pas d'effort d'esprit qui puisse faire imaginer la non existence de l'espace. Une des vérités qui nous sont les plus familières, c'est que l'idée d'un espace, nous enveloppant de toutes parts, ne peut pas un seul instant être bannie de la pensée. Non seulement nous sommes forcés de penser l'espace comme présente partout, mais nous sommes incapables d'en concevoir l'absence, soit dans le passé, soit dans l'avenir. Si la non existence de l'espace est absolument inconcevable, il en resulte que la création de l'espace est inconcevable.»

(Spencer, *Les premiers principes*, loc. cit. pag. 29-30).

terminos mundanæ machinæ, nam mundi extensionem infinitam non esse superius probavimus, reapse datur vacuum ac proinde spatium possibile seu capacitas novorum corporum locandorum, ac mundus ipse in vacuo seu possibili spatio fluitat. Verum de spatio plura inferius disputanda sunt.

Nec mihi objicias interea vacuum, in quo mundus constitutus est, concipi a nobis instar immotæ cujusdam extensionis, quæ destrui nullo modo possit, ac destructis etiam reliquis omnibus in ea locatis corporibus, superstes semper remaneat. Nam hæ non sunt nisi vanæ umbræ illusionesque imaginationis, res, quæ nihil sunt, quasi aliquid essent, fingentis. An non etiam tenebras instar atræ cujusdam fuliginis apprehendimus? et cætitatem ac generatim privationes instar formarum quarumdam malignarum propriis subjectis insidentium? Itaque ubicumque realis extensio non est, non potest esse nisi spatium pure possibile; et si quid aliud ex iusu imaginationis a mente concipitur, ens rationis fingitur, cui nihil extra ipsam solidum, nihil reale respondet.

Objic. 4.° Ut creatio sit possibilis, admittenda necessario est causa quædam prima, quæ a se sit, nec ab alia priori creata fuerit, nec potuerit initium existendi habere. Atqui id mente capi non potest. Nam ens hujusmodi extitisset infinito tempore; infinitum autem repugnat. Ergo repugnat pariter ens a se ac proinde creatio. Ita iterum Herbertus Spencer (1).

Resp. conc. Major., *dist.* Minor. Mente capi non potest conceptu intuitivo, qui rem exprimat, prout est in se, *conc.*; nullo modo intelligi potest, etiam conceptu abstractivo et discursivo, *neg.* Existentia enim et realitas entis a se, sicut etiam creationis, evidenti et ineluctabili argumento demonstratur, quod frustra destruere omni ope positivistæ, materialistæ, omnesque athei et impii homines conniuntur.

Ad prob. Minoris *neg.* Majorem. Ens enim a se non existit tempore, sed æternitate simplicissima, quæ caret initio et fine omnique successione.

Objic. 5.° In omni actione ipsum *fieri* rei præcedit ante *factum esse*. Nam dum *fit*, nondum est, sed tum denique est

(1) Loc. cit. pag. 30 collat. cum. pag. 27.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quando jam facta est. Ergo idem quoque dicendum erit de creatione, quæ est quædam actio. Atqui repugnat in creatione *fieri* præcedere ante *factum esse*. Nam *fieri* rei postulat subjectum, in quo recipiatur. Creatio autem est actio absque subjecto. Ergo creatio est actio quædam repugnans et contradictoria.

Resp. *dist.* antec. In omni actione successiva, quæque cum motu peragitur, *conc.*; in actione, quæ caret omni successione ac motu, *neg.*

Tum *neg.* primum conseq. Quemadmodum enim scribit S. Thomas, *in his quæ fiunt sine motu, simul est fieri et factum esse, sive talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio (nam simul aliquid illuminatur, et illuminatum est), sive non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde, et formatum est. Et in his, quod fit, est. Sed cum dicitur fieri, significatur ab alio esse, et prius non fuisse. Unde cum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur, et creatum est* (1).

Objic. 6.º Creatio est mutatio. Atqui mutatio necessario requirit subjectum. Ergo etiam creatio: quæ proinde cum supponatur esse actio carens omni materia vel subjecto, est aliquid in se repugnans.

Major porro probatur; quia per creationem id, quod possibile erat, transit a statu possibilitatis ad statum existentiæ; secus enim remaneret in pristino statu.

Resp. *dist.* Major. Est realis mutatio, *neg.*; secundum rationem, *conc.*

Ad probation. Majoris *neg.* creationem esse transitum a reali statu ad realem, qualis requiritur ad realem mutationem.

Instabis. Nisi in creatione supponatur subjectum reale, nihil erit, quod existentiam recipiat. Si autem nullum est subjectum recipiens existentiam, nihil re vera fit, aut creatur.—**Resp.** *dist.* Major.: id est nihil erit, quod e non existente fiat exitens, *neg.*; nihil erit quod novum esse formamve diversam ab ea, quam prius habuerat, assequatur, *conc.*; sed *nego* suppositum, quod nempe in prima actione, qualis est creatio, res *esse*, quod prius habuerat, in aliud commutet.

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 45 art. 3 ad 3.UM Cfr. 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 2 ad 3.UM; *de Potent.*, quæst. 3, art. 1. ad 11.UM

Et *contradist.* Minor. *neg.* Conseq.

Objic 7.º Creatio supponit rei possibilitatem. Omne autem possibile est per aliquam potentiam. Atqui potentia omnis vel est per ipsummet subjectum, vel certe in subjecto est. Ergo creatio necessario supponere debet subjectum (1).

Resp. *dist.* alteram partem Majoris: per potentiam realem ipsius rei, quæ possibilis denominatur, *neg.*; per puram potentiam logicam seu non repugnantiam rei, vel per potentiam activam causæ efficientis, quarum prima constituit rem intrinsece, altera extrinsece possibilem, *conc.*

Contradist. Minor.; potentia realis, *trans.*; pure logica seu non repugnantia rei, *neg.* Tum *neg.* consq.

Instabis. Sicut repugnat aliquid fieri in actu, quod prius erat possibile, per solam potentiam passivam sine activa; ita etiam e converso repugnat aliquid fieri per solam potentiam activam sine passiva. Atqui si repugnat aliquid fieri per solam activam potentiam absque passiva, omnis actio, atque adeo creatio, subjectum postulat, quod vel sit ipsa potentia passiva, vel sustentet illam. Ergo...

Resp. *neg.* Major. Nam actio, ut actio, essentialiter respicit agens, et ideo implicat sine activa virtute; actio vero ut actio, sumpta in tota sua latitudine, non dicit respectum ad passum neque ad passionem, sed solum ad effectum prout ab agente dependentem. «Et similiter potentia passiva dicit adæquatam habitudinem ad activam, quia non potest recipere aliquid, nisi ab aliquo illud recipiat; potentia vero activa non dicit adæquatam habitudinem ad passivam..., quia non est de ratione potentiæ activæ, ut *possit agere in aliquo*, sed ut *possit agere aliquid*; et ideo potest aliquid esse possibile simpliciter per solam potentiam activam, non vero per solam passivam. Præterea passiva est imperfecta et sola non simpliciter potens ad effectum, nisi perficiatur per activam; activa vero est ex genere suo perfecta. Et ideo ex se nullam involvit repugnantiam, ut aliqua potentia sit in suo ordine adeo perfecta, ut se sola et sine dependentia a passiva in sese virtutem contineat et effectum et actionem.» (2).

(1) Vide apud S. Thom., *de Potent.* quæst. 3, art. 1, argum. 2.
(2) Suarez, disp. 20 *Metaph.* sect. 1, n. 11.

Objic. 8.° Infinita distantia pertransiri nequit. Sed inter ens et nihilum est infinita quædam distantia. Ergo creatio, per quam hujusmodi pertransiretur distantia, repugnat.

Resp. *dist.* Major. Infinita distantia, quæ reale medium supponat inter extrema, successive pertranseundum, *trans.* Infinita distantia, quæ medium hujusmodi reale inter extrema non supponit, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. *Entis et non entis simpliciter est aliquo modo et semper infinita distantia, non tamen eodem modo: sed quandoque quidem ex utraque parte infinita, sicut cum comparatur non esse ad esse divinum, quod infinitum est, ac si comparetur albedo infinita ad nigredinem infinitam. Quandoque autem est finita ex una parte tantum, sicut cum comparatur non esse simpliciter ad esse creatum, quod finitum est, ac si comparetur nigredo infinita ad albedinem finitam. In illud ergo esse, quod est infinitum non potest fieri transitus ex non esse; sed in illud esse, quod est finitum, talis transitus fieri potest, prout distantia non esse ad illud esse ex una parte terminatur. Quamvis non sit transitus proprie, sic enim est in motibus continuis, per quos transit pars post partem. Sic enim contingit nullo modo infinitum transire* (1). Quare ista objectio re vera *procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum et ens, quod patet esse falsum. Procedit autem falsa hæc imaginatio ex eo, quod creatio significatur ut quædam mutatio inter duos terminos existens* (2).

Objid. 8.° Omne ens reale vel est subtantia vel accidens. Atqui creatio nec est substantia nec accidens. Non substantia: quia si foret substantia, vel esset substantia increata vel creata. Non increata, quia creatio est libera ac temporanea, non æterna; substantia vero increata est ens necessarium et æternum. Neque etiam est creata substantia, quia tum indigeret alia creatione, et hæc ob eamdem rationem alia diversa; et sic abeundum esset in infinitum. Deinde creatio non potest esse accidens, quia si esset accidens,

(1) S. Thom., *De Potent.*, quæst. 3, art. 1, ad 3.^um

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 45, art. 2, ad 4.^um Cfr. Molina, in 1.^am part.; quæst. 45, art. 3; Valentia in eumdem locum.

jam opus haberet subjecto, in quo sustentaretur, atque adeo desineret esse effectio rei ex nihilo (1).

Resp. difficultatem hanc varie solvi ab auctoribus pro varietate opinionum circa naturam creationis. S. Thomas creationem considerat active, vel prout se tenet ex parte Dei, et passive, seu prout se tenet ex parte rei creatæ. Sub prima consideratione censet creationem esse ipsam Dei substantiam, atque adeo aliquid increatum: sub altera autem consideratione esse relationem quamdam, ac proinde creaturam, late sumpta hac voce, quatenus comprehendit sub sua significatione quidquid a Deo est, non vero stricte sumpta voce, prout significat aliquid subsistens, quia in hoc sensu creatio potius, quam creata, concreata dicenda est (2). Verum hæ accuratius diputanda sunt in sequenti articulo, ex quibus patebit quomodo solvenda sit proposita difficultas (3).

ARTICULUS III.

In quo consistat actio creativa.

65. Exclusis erroribus circa realitatem et existentiam creationis, restat domestica, ut ita dicam, inter catholicos scriptores disputatio, eaque haud parum ardua, de natura actionis creativæ. Thomistæ cum S. Thoma, ut nuper innuebamus, creationem dupliciter considerant, active et passive. Et creationem active sumptam volunt esse in Deo, in quo est ipsa Dei essentia, prout importans relationem quamdam rationis ad rem creatam. *Creatio.....* inquit Aquinas, *si sumatur active, cum..... significet operationem divinam, quæ est essentia ejus cum relatione quadam; sic creatio est substantia divina* (4). Creatio vero passive sumpta est in ipsa re

Sententia prima, S. Thomæ ac Thomistarum.

(1) Cfr. S. Thom. 1 p. quæst. 45, art. 3, arg. 1.° et 2.°; *de Potent.* quæst. 3, arg. 2.° 3.°; 2.° dist. 1 quæst. 1, art. 3, arg. 5.

(2) Vide S. Thom., *de Potent.*, quæst. 3, art. 3 ad 2.^um et 3.^um; 1 p. quæst. 45, art. 3 ad 1.^um et 2.^um; 2.° dist. 1, quæst. 1, art. 2 ad 4.^um et 5.^um

(3) Plura require, si lubet, apud S. Thom. loc. citatis.

(4) S. Thom. 2.° dist. 1, quæst. art. 1, ad 4.^um Cfr. 1 p. quæst. 45, art. 3 ad 1.^um; *de Potent.* quæst. 3, art. 3 ad 2.^um

Objic. 8.° Infinita distantia pertransiri nequit. Sed inter ens et nihilum est infinita quædam distantia. Ergo creatio, per quam hujusmodi pertransiretur distantia, repugnat.

Resp. *dist.* Major. Infinita distantia, quæ reale medium supponat inter extrema, successive pertranseundum, *trans.* Infinita distantia, quæ medium hujusmodi reale inter extrema non supponit, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. *Entis et non entis simpliciter est aliquo modo et semper infinita distantia, non tamen eodem modo: sed quandoque quidem ex utraque parte infinita, sicut cum comparatur non esse ad esse divinum, quod infinitum est, ac si comparetur albedo infinita ad nigredinem infinitam. Quandoque autem est finita ex una parte tantum, sicut cum comparatur non esse simpliciter ad esse creatum, quod finitum est, ac si comparetur nigredo infinita ad albedinem finitam. In illud ergo esse, quod est infinitum non potest fieri transitus ex non esse; sed in illud esse, quod est finitum, talis transitus fieri potest, prout distantia non esse ad illud esse ex una parte terminatur. Quamvis non sit transitus proprie, sic enim est in motibus continuis, per quos transit pars post partem. Sic enim contingit nullo modo infinitum transire* (1). Quare ista objectio re vera *procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum et ens, quod patet esse falsum. Procedit autem falsa hæc imaginatio ex eo, quod creatio significatur ut quædam mutatio inter duos terminos existens* (2).

Objid. 8.° Omne ens reale vel est subtantia vel accidens. Atqui creatio nec est substantia nec accidens. Non substantia: quia si foret substantia, vel esset substantia increata vel creata. Non increata, quia creatio est libera ac temporanea, non æterna; substantia vero increata est ens necessarium et æternum. Neque etiam est creata substantia, quia tum indigeret alia creatione, et hæc ob eamdem rationem alia diversa; et sic abeundum esset in infinitum. Deinde creatio non potest esse accidens, quia si esset accidens,

(1) S. Thom., *De Potent.*, quæst. 3, art. 1, ad 3.^um

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 45, art. 2, ad 4.^um Cfr. Molina, in 1.^am part.; quæst. 45, art. 3; Valentia in eumdem locum.

jam opus haberet subjecto, in quo sustentaretur, atque adeo desineret esse effectio rei ex nihilo (1).

Resp. difficultatem hanc varie solvi ab auctoribus pro varietate opinionum circa naturam creationis. S. Thomas creationem considerat active, vel prout se tenet ex parte Dei, et passive, seu prout se tenet ex parte rei creatæ. Sub prima consideratione censet creationem esse ipsam Dei substantiam, atque adeo aliquid increatum: sub altera autem consideratione esse relationem quamdam, ac proinde creaturam, late sumpta hac voce, quatenus comprehendit sub sua significatione quidquid a Deo est, non vero stricte sumpta voce, prout significat aliquid subsistens, quia in hoc sensu creatio potius, quam creata, concreata dicenda est (2). Verum hæ accuratius diputanda sunt in sequenti articulo, ex quibus patebit quomodo solvenda sit proposita difficultas (3).

ARTICULUS III.

In quo consistat actio creativa.

65. Exclusis erroribus circa realitatem et existentiam creationis, restat domestica, ut ita dicam, inter catholicos scriptores disputatio, eaque haud parum ardua, de natura actionis creativæ. Thomistæ cum S. Thoma, ut nuper innuebamus, creationem dupliciter considerant, active et passive. Et creationem active sumptam volunt esse in Deo, in quo est ipsa Dei essentia, prout importans relationem quamdam rationis ad rem creatam. *Creatio.....* inquit Aquinas, *si sumatur active, cum..... significet operationem divinam, quæ est essentia ejus cum relatione quadam; sic creatio est substantia divina* (4). Creatio vero passive sumpta est in ipsa re

Sententia prima, S. Thomæ ac Thomistarum.

(1) Cfr. S. Thom. 1 p. quæst. 45, art. 3, arg. 1.° et 2.°; *de Potent.* quæst. 3, arg. 2.° 3.°; 2.° dist. 1 quæst. 1, art. 3, arg. 5.

(2) Vide S. Thom., *de Potent.*, quæst. 3, art. 3 ad 2.^um et 3.^um; 1 p. quæst. 45, art. 3 ad 1.^um et 2.^um; 2.° dist. 1, quæst. 1, art. 2 ad 4.^um et 5.^um

(3) Plura require, si lubet, apud S. Thom. loc. citatis.

(4) S. Thom. 2.° dist. 1, quæst. art. 1, ad 4.^um Cfr. 1 p. quæst. 45, art. 3 ad 1.^um; *de Potent.* quæst. 3, art. 3 ad 2.^um

creata, in eaque importat realem relationem ad Creatorem. *Si autem sumatur passive*, pergit idem Angelicus, *sic est quoddam accidens in creatura, et sic significat quamdam rem, non quæ sit in prædicamento passionis, proprie loquendo, sed quæ est in genere relationis; et est quædam habitudo habentis esse ab alio consequens operationem divinam: et sic non est inconveniens, quod sit in ipso creato, quod educitur per creationem sicut in subjecto: sicut filiatio in Petro, in quantum recipit naturam humanam a patre suo, non est prior ipso Petro, sed sequitur actionem et motum, quæ sunt priora. Habitudo autem creationis non sequitur motum, sed actionem divinam tantum, quæ est prior, quam creatura* (1). Hanc sententiam tuentur Thomistæ (2), quibus adhæret e nostra Societate P. Gregorius de Valentia (3), et multi recentiores (4). Cæterum relationem istam putant Thomistæ, saltem multi, esse prædicamentalem, non vero transcendentalem, sicut docuit Scotus (5); item accidens a re creata distinctum realiter eaque posterius (6). Id quod videtur diserte docuisse S. Thomas: *Illa relatio accidens est, et secundum esse suum consideratum, prout inhæret subjecto, prius est, quam res creata; sicut accidens subjecto intellectu et natura posterius est; quamvis non sit tale accidens, quod causetur ex principiis subjecti. Si vero consideretur secundum suam rationem, prout ex actione agentis innascitur prædicta relatio, sic est quodammodo prior subjecto, quæ, sicut ipsa divina actio, est ejus causa proxima* (7). Quo etiam spectat illa doctrina ejusdem S. Magistri: *Non...*

(1) S. Thom. loc. nup. cit. Cfr. 2.a *Contr. Gent.* cap. 18, 1 p. q. 45, art. 3 ad 2.um; *de Potent.* quæst. 3, art. 3, ad 2.um et 3.um

(2) Vide Cajetan. In 1.um quæst. 45, art. 3; Bañez in eumdem locum; Ferrariens. In lib. 2 *Contr. Gent.* cap. 18; Gotti, *Theolog. Scholat.-Dogmatica*, tract. 8, *De Deo Creatore*, quæst. 1, dub. 2, paragr. 4, n. XXII seqq.

(3) In 1.um part. disp. 3, quæst. 2, punct. 1.

(4) Ita v. g. Card. Mazzella *(De Deo Creatore*, disp. 1, artic. 2), Tongiorgi, Palmieri, Liberatore, Lahousse *(Cosmolog.* n. 499 seqq.), Van der Aa *(Prælection. Philos. Scholast.*, vol. 3.um, prop. 57).

(5) Apud Cajetan. In 1.um part. quæst. 45, art. 3.

(6) Vide Cajetan et Gottium loc. cit.

(7) *De Potent.* quæst. 3. art. 3 ad 3.um Cfr. 1 p. quæst. 45, art. 3 ad 3.um

est creatio mutatio, **sed ipsa dependentia esse creati ad principium, a quo instituitur**, *et sic est de genere relationis: unde nihil prohibet eam in creato esse sicut in subjecto..... Apparet autem si creatio relatio quædam est, quod res quædam est, et neque increata est, neque alia relatione creata. Cum enim effectus creatus realiter dependeat a Creatore, oportet hujusmodi relationem esse rem quamdam. Omnis autem res a Deo in esse producitur. Est igitur in esse a Deo producta, non tamen alia creatione creata, quam ipsa creatura prima, quæ per eam creata dicitur; quia accidentia et formæ, sicut per se non sunt, ita nec per se creantur, cum creatio sit pro ductio entis* (nempe subsistentis); *sed sicut in alio sunt, ita in aliis creatis creantur* (1).

Cæterum quia relatio hæc re vera non spectat ad ipsam formalem rationem actionis creativæ, sed est aliquid ex illa resultans in re creata, patroni primæ hujus sententiæ solent etiam creationem reponere simpliciter in volitione vel in actu imperii divini, quo mundum tali tempore ac modo condere decernit. Creatio proinde est actio formaliter immanens, utpote cum ipsa divina substantia identificata. Quia vero id habet proprium ac peculiare ista actio, ut quamvis ipsa maneat in agente per purissimam ac perfectissimam identitatem, ponat tamen terminum extrinsecum, secus ac formales actus intelligendi ac volendi; dicitur esse actio formaliter immanens et virtualiter transiens, quia nempe virtus et efficacitas ejus transit exterius. Hinc sollemne est hujus opinionis adsertoribus dicere divinam potentiam vel volitionem esse quidem principium rei creatæ, non vero creationis: *Quia vero nihil*, inquit Angelicus, *est sui ipsius principium, cum divina actio non sit aliud, quam ejus potentia, manifestum est ex prædictis, quod potentia non dicitur in Deo* **sicut principium actionis, sed sicut principium facti.** *Et quia potentia respectum ad alterum importat in ratione principii, est enim potentia activa principium agendi in aliud, ut per Philosophum (Metaph.* 6 text. comm. 17) *patet, manifestum est, quod potentia dicitur de Deo per respectum ad facta secundum rei veritatem, non per respectum ad actionem, nisi secundum modum*

(1) S. Thom. 2.a *Contr. Gent.* cap. 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

intelligendi, prout intellectus noster diversis conceptionibus utrumque considerat, scilicet divinam potentiam et ejus actionem (1). Doctrina hæc potissimum innititur illi rationi, quod creatio, prout actio, non possit esse actio formaliter transiens. Quia hujusmodi actio cum sit accidens indiget subjecto in quo recipiatur. Atqui creatio excludit omne subjectum. Ergo impossibile est creationem esse actionem formaliter transeuntem; sed necessario esse debet immanens ipsi agenti, Deo. Et quia quidquid est in Deo, substantia est, creatio active considerata nequit esse accidens, sed ipsa divina essentia, prout relationem importans ad effectum actu a Deo procedentem de novo ac fluentem in tali differentia temporis. Utrum autem actio Dei sit essentia divina, prout formaliter est volitio vel imperium vel aliquid aliud attributum, pendet ex quæstione circa formalem rationem potentiæ ad extra effectricis, quæ non est hujus loci.

aliorum sententia.

Alii vero auctores satis multi negant creationem posse formaliter consistere in aliquo prædicato identificato cum ipsa Dei essentia, sed esse aliquid extra Deum. Et in eo fundantur, quod actio, ut actio, necessario debeat esse in suo termino, vel per identitatem vel alio modo: cum enim actio quoad rem ipsam non sit nisi dependentia vel emanatio effectus a causa, vel est ipse effectus, vel aliqua ejus affectio. Quare censent creationem *formalem* esse actionem formaliter transeuntem; solumque largiuntur creationem *virtualem*, seu virtutem creandi, et quidquid spectat ad principium et actum primum creandi, esse Deo immanens cumque ejus essentia prorsus identificatum. Sed in duas mox scinduntur hi auctores sententias. Quidam enim putant creationem quoad rem ipsam esse ipsum terminum creatum, a quo sola ratione discrepet, quia est terminus ipse consideratus cum respectu ad Deum, prout actu fluens ac dependens ab eo. Quam sententiam tribuit Suarez (2) quibusdam veteribus Scholasticis, potissimum Nominalibus, eamdemque postea secuti sunt PP. Gabriel Vazquez (3), Benedictus Pererius (4),

quæ in duas alias dispertitur.

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 10.
(2) Disput. *Metaph.* 20, sect. 5, n. 6 et 10.
(3) In 1.am part. disp. 173.
(4) *De commun. rer. omn. natural princip.*, lib. 5, cap. 5.

Conimbricenses, (1) et Bernaldus Quiros (2). Alii demum docent creationem esse aliquid non sola ratione, sed ex natura rei, distinctum a termino creato: e quibus multi arbitrantur illam consistere in modo rei, sicut actio quævis eductiva prædicamentalis, de qua diximus in *Ontologia* (3). Ita existimant inter alios P. Molina (4), Suarez (5), Rhodes (6), Hurtadus (7), Arriaga (8) et Lossada (9). Hi omnes aliique volunt contra primam sententiam creationem formalem esse actionem formaliter transeuntem, eamque non sola ratione, sed modaliter, distinctam a termino, qua in re ab alterius sententiæ patronis discrepant.

In hac ardua controversia, ut quid mihi verisimilius videtur, aperiam, sit

66. PROPOSITIO 1.a **Creatio non est ipse terminus creatus.**

Creatio non est ipse terminus creatus.

Prob. Realis separabilitas duorum est signum distinctionis. Atqui terminus creatus potest dari sine creatione, per quam hic et nunc productus est. Nam terminus creationis potest esse duplicis generis: α) terminus qui solum per creationem effici atque in rerum natura constitui potest, qualis est substantia spiritualis et materia prima: β) terminus qui per actionem eductivam potest, ac solet connaturali modo produci, quamvis hic et nunc per creationem, interveniente miraculo, efficiatur. Sicut enim v. g. quantitas panis et vini in Eucharistia conservatur a Deo sine substantia, actione videlicet de genere suo creativa, potuit etiam procul dubio produci sic a Deo ab initio per miraculum. Et ita etiam communissime censent AA. posse formas substantiales materiales, quæ secundum naturalem ordinem educuntur de

(1) *Physicor.* lib. 8, cap. 2, quæst. 1, art. 3.
(2) Tract. 3 *Physicor.* disp. 62, sect. 1, n. 7.
(3) Num. 347.
(4) In 1.am part. quæst. 45, art. 3. Cfr. quæst. 25, art. 1.
(5) Disp. *Metaph.* 20, sect. 5.
(6) *Philos peripat.*, lib. 2, disp. 6, quæst. 1, sect. 1, paragr. 2.
(7) *Physicor.*, disp. 12, sect. 3.
(8) *Physicor.*, disp. 9, sect. 4.
(9) *Physic.*, trat. 3, disp. 1, cap. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

potentia materiæ, creari per virtutem divinam, seu effici absque ullo concursu materialis causæ. Jam vero plane liquet creationem, qua hujusmodi termini per miraculum creantur, non identificari cum iisdem; siquidem possunt hi cum eadem prorsus entitate esse in rerum natura, quin creentur. Ex quo videtur idem probabiliter concludi posse quoque de aliis terminis, qui nonnisi per creationem produci queunt. Nisi enim velis plures specie diversas creationes admittere, de omni generatim creatione idem dicendum est, quod de creatione terminorum educibilium ratio facta persuadet, nimirum illam esse aliquid a termino ipso creato distinctum. Idem probari potest supposita eorum sententia, qui existimant, non repugnare instrumentum creationis. Quod si verum est, verum quoque erit, terminos ipsos, qui natura sua exigunt creari, nec possunt existere nisi per actionem creativam, quamvis de facto solum a Deo creentur, posse tamen absolute loquendo a Deo creari medio instrumento. Atqui si eadem ipsissima entitas duplici modo creationis creari potest, creatio profecto non identificatur cum entitate creata, quippe quæ potest existere utrolibet modo. Ergo creatio nec cum ipsis terminis creabilibus penitus re identificatur. Fateor tamen propositionem minus certam esse relate ad hujusmodi terminos, qui solum per creationem existere queunt.

67. Propositio 2.a **Creatio, prout actio est, non videtur esse modus, neque aliquid medium inter Deum et rem creatam.**

Creatio non est entitas aliqua media inter Deum et rem creatam, sive absoluta, sive modalis.

Una ratio, quæ me movet ad excludendam tertiam ex relatis sententiis est ea, quam superius innui. Et in primis quod creatio non sit entitas aliqua absoluta, sive substantialis sive accidentalis, facile patet; quia ipsamet egeret sua creatione distincta, et sic abeundum foret in infinitum: quod totum facile concedunt adversarii, et propterea reponunt creationem in modali entitate. Verum hæc etiam non minus difficilis apparet. Nam modus ille vel reciperetur in Deo, vel in termino creato. Non in Deo, utpote qui est actus purus et incapax aliquid recipiendi. Nec in termino creato, quia creatio est aliquid, sin minus tempore, quodammodo natura

prior illo: non quidem stricte natura prior, quia actio proprie non est causa effectus producti, sed ordine certe rationis; nam ut ipsimet adversarii fatentur, et omnes concipiunt, creatio est via ad terminum, ideoque illum aliquo modo præcedit. Quomodo ergo poterit pro illo priori, in quo nondum concipitur terminus, in eo recipi creatio? Itaque quoniam modus omnino exigit subjectum, in quo recipiatur, nec est, in quo recipi possit creatio active considerata, si sit aliquid medium inter Deum et rem creatam; dicendum est creationem revera modum non esse. Probatio ergo non desumitur, ut vides, ex generali conditione ac natura divinæ actionis, qua de re suo loco agendum erit; sed ex peculiari repugnantia, quæ videtur esse in eo quod creatio sit modus aliquis realis ab ipso termino creato distinctus, quidquid sit de illa controversia, utrum omnis actio ad extra in Deo identificetur cum ipsa ejus essentia, et repugnet Deum agere actione, quæ sit modus in passo receptus.

Hujus ego argumenti nullam reperio solutionem, quæ mihi satisfaciat. Quidam apud Eximium Doctorem, concedentes creationem esse accidens modale dixerunt terminum ipsum esse subjectum illius modi; nam licet terminus, quatenus talis, sit posterior, tamen quatenus causa subjectiva, potest esse natura prior creatione. Sed, ut bene observat idem Suarez, «hoc ultimum difficile creditu mihi est; primo quia non existimo creationem habere causam materialem. Ergo neque habere potest causam subjectivam, sunt enim idem. Antecedens patet, quia hæc est potissima differentia actionis creativæ ab omnibus aliis, quod sit ex sola vi agentis sine concursu materiæ vel subjecti. Secundo quia non intelligo, quod terminus viæ possit esse prior ipsa via sub aliqua ratione includente realem existentiam, quod addo propter rationem finis, sub qua terminus est prior natura, quia causa finalis ut sic non prærequirit existentiam realem. At vero causa subjectiva intrinsece prærequirit existentiam realem. Ergo terminus non potest sub ea ratione præintelligi ordine naturæ suæ viæ, qui nullum habet esse reale, quod non per illam viam ad illum pervenerit» (1).

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 20, sect. 5, n. 25. Cfr. *Ontolog.* n. 412 et 431.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Alii respondent actionem, ut actionem, non requirere subjectum inhæsionis, sed principium a quo fluat; quia actio ut actio non dicit habitudinem ad id *in quo;* sed ad id *a quo:* unde fit etiam ut actio prout talis non denominet passum, sed agens. «Verumtamen hæc responsio, pergit idem Eximius, licet de actione, ut actio est, satisfacere possit, tamen de creatione passiva, seu dependentia ut sic, adhuc restat difficultas, quia fieri ut sic non dicit habitudinem ad principium, sed ad rem, quæ pendet seu fit, et ideo de illa ut sic explicare oportet, in quo subjecto sit. Unde iterum urgeri potest dificultas de actione, nam licet actio ut actio non respiciat subjectum inhæsionis, tamen in reipsa semper habere debet aliquod subjectum inhæsionis» (1).

In idem recidit etiam, quod Lossada (2) et alii respondent nihil obstare, quominus creatio sit accidens, quia accidens ut sic non requirit «inhæsionem stricte talem, quæ scilicet sustentationem et causalitatem materialem importet, sed late sumptam pro inexistentia seu existentia in alio, quæ præscindit ab eo, quod sit in alio tamquam in subjecto sustentationis, vel adhæsionis, vel puræ informationis, atque ut ita præscindens, sufficit ad verificandum τὸ *inesse*». Ego verò concedo, quod quædam sint accidentia, quæ quia in sua physica entitate accidentia non sunt, sed substantiæ, solumque dicuntur accidentia, quia instar accidentium denominant subjectum, qualia sunt v. g. ea, quæ in prædicamento habitus continentur; re vera non postulant causam materialem nec subjectum sustentationis ad existendum. Et idem puto dicendum esse de quibusdam relationibus, supposita opinione, quam in *Ontologia* propugnavimus (3), nempe de omnibus illis relationibus, quæ fundantur in aliqua realitate substantiali. At nihilominus in omnibus hujusmodi accidentibus, quamvis entitas ipsa, quæ ad prædicamentum accidentis revocatur, esse possit in rerum natura sine subjecto; munus autem peculiaris accidentis exercere nequit, quin aliud prævie præsupponat ordine saltem rationis prius. Sic quomodo

(1) Suarez, loc. cit. num. 26.
(2) Loc. cit. num. 15.
(3) Recole scripta in *Ontologia*, n. 338 seqq.

potest vestis vel indumentum accidentalem denominationem *induti* vel *vestiti* præbere, nisi prius adsit subjectum, quod *induatur?* Itemquæ quomodo potest humanitas præbere Petro et Paulo accidentalem rationem ac denominationem *similium*, nisi antecedenter ad denominationem illam præsupponatur? Itaque in hisce exemplis nunquam contingit ipsum accidens esse viam ad subjectum in rerum natura ponendum: sed e converso. Atqui creatio est via ad terminum. Ergo creatio certe non est accidens e genere illorum, quorum exempla protulimus. Porro præter hujusmodi accidentia, quæ nempe in sua entitate physica sint substantiales entitates, nullum aliud ego novi, quod non egeat aliquo subjecto inhæsionis et sustentationis, saltem naturaliter loquendo; omne quippe accidens metaphysicum, seu quod in sua reali entitate non sit substantia, eget subjecto, cui inhæreat. Et nominatim actio prædicamentalis, quamvis ex nostra quidem sententia (1), non inhæreat ipsi subjecto, quod denominat, nempe agenti, habet tamen subjectum, scilicet passum, extra quod ne per divinam quidem virtutem existere potest. Et hæc quoque est communis lex modorum. Itaque vis argumenti facti minime, puto, infirmatur dicendo ad rationem communem accidentis non requiri inhæsionem stricte talem.

Tertio ergo respondet Suarez creationem dici posse modum quemdam substantialem rei, quæ creatur, qui reductive pertineat ad prædicamentum substantiæ, cum aliud non sit, quam substantia, secundum quod est *in fieri*, et quasi in statu imperfecto: unde quatenus illud fieri concipitur ut prius natura suo termino, non esse in subjecto, sed concipi quasi in se; in eodem autem reali temporis puncto conjungi cum termino, non tamquam subjecto sustentationis, sed alia speciali et propria ratione ut quemdam modum ejus, hoc enim commune est multis aliis modis, ut habeant propriam rationem afficiendi, ut constat de modo unionis et de modo subsistentiæ (2). Verum neque his etiam acquiescere possum: primo quia etiamsi reliqua omnia darentur,

(1) Vide *Ontolog.* n. 355 seqq.
(2) Suarez, loc. cit. n. 17.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

doctrina hæc solum valere posset pro substantiarum creatione. Quis enimvero dicat creationem miraculosam accidentium, v. g. quantitatis extra subjectum productæ, esse modum substantialem? Creatio ergo in universum non potest esse modus substantialis; sed si vera est doctrina, quam impugnamus in hac propositione, admittenda erit creatio, quæ sit modus accidentalis, qui proinde non poterit subsistere in se, verum necessario egebit subjecto, a quo sustentetur. Deinde si modus creationis, sive substantialis dicatur sive accidentalis, est ipsum *fieri* termini, quæro, num istud *fieri* re distinguatur a termino, necne. Si non distinguitur, poterit quidem creatio secundum rationem concipi tamquam aliud ab ipso termino, re tamen vera non poterit esse modus ejusdem realis. Si autem distinguitur, remanet explicandum, in quo recipiatur modus ille. Ego enim itelligere non possum modum, præsertim accidentalem, qui in se ipso recipiatur, et non in aliquo subjecto, quod proinde non aliquo modo præsupponat, sive interea ab eo causetur materialiter, sive non: resque videtur patere in ipsis exemplis ab Eximio Doctore adductis. Nam unio ipsa substantialis, fatentibus omnibus, ab aliquo subjecto recipitur, ac sustentatur, ut inferius videbimus, quamvis disputent auctores, quodnam sit illud, materiane sola, an materia simul et forma. Et eodem modo subsistentiæ modus præsupponit naturam: quamvis enim quidam putent naturam ad rationem suppositi comparari, non tamquam causam materialem vel subjectum sustentationis ad formam sibi inhærentem, sed tamquam terminabile ad suum terminum (1), difficile tamen est concipere, quomodo subsistentia non præsupponat ordine quodam naturæ substantiam, sicut generatim alii modi suum subjectum præsupponunt; pendent enim ab illo in *fieri* et in *esse* ita, ut nullo alio pacto fieri aut esse possint. Donec ergo urgeat gravissimum aliquod argumentum, inducendus non est modus iste creationis; sed aliter res videtur esse explicanda.

(1) Qua de re vide Suarez, disp. *Metaph.*, 34, sect. 6, n. 20.

68. PROPOSITIO 3.a **Creatio videtur esse ipsa divina essentia prout relationem importans ad effectum de novo fluentem ac dependentem a Deo (1).**

Creatio videtur esse ipsa divina essentia, prout relationem importans ad effectum de novo fluentem.

Probatur per exclusionem. Nam vidimus in aliis rei explicationibus gravissima existere incomoda; in hac autem nulla videtur occurrere nova difficultas, quæ non æque premat satis communem doctrinam in extricando nodo libertatis divinæ. Et re quidem vera fortissimum omnium argumentum contra propositam sententiam hoc solet objici: Divina essentia (vel volitio, vel imperium, vel omnipotentia) est æterna. Ergo si creatio cum illa identificatur, æterna pariter dicenda erit. Atqui de Fide est creationem temporaneam esse. Ergo creatio nequit in ullo prædicato vel attributo cum divina essentia identificato reponi (2). Argumentum hoc, si sermo esset de actione subjectum habente, moveri posset aliquem ad asserendum modum et a Deo et a termino producto distinctum. Cum autem creatio careat prorsus subjecto; aliter declaranda rest est, et mea quidem sententia declarari potest aliquo modo per analogiam ad actum divinum liberum. Si enim actus liber in Deo unus idemque re est cum necessario, a quo differt in diverso modo, quo terminum suum respicit, quia nempe necessarius ita respicit illum, ut non possit non respicere, liber autem indifferenter illum respicit atque ita, ut potuerit etiam non respicere, idque totum procedit ex divinæ naturæ infinita eminentia; simili modo dici poterit eamdem essentiam Dei tantæ esse efficacitatis, ut absque ulla virtute et actione superaddita faciat effectum existere, quando vult, et quomodo vult. Et ita ineffabilis illa essentia, quæ prout consideratur tamquam principium operandi est virtus vel omnipotentia; prout respicit terminum, qui prius non existebat, nec poterat omnino ex suis meritis existere, primum de novo fluentem ac dependentem in *esse* a Deo, recte concipitur tamquam creatio illius termini in tali

(1) Iterum monco nos hic præscindere a quæstione de formali ratione, in qua consistat potentia divina vel principium effectivum. Controversiæ hujus solutio necessaria non est in præsenti materia, ideoque melius ad alium locum opportuniorem amandatur.

(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

differentia temporis. Et sic creatio active considerata duo illa complectitur, quæ superius ex S. Thoma retulimus, essentiam divinam et respectum quemdam ejusdem ad effectum actu procedentem. Essentia enim sola non sufficit ad creationem intelligendam, essentia enim æterna est ac necessaria, creatio autem temporanea et libera; et propterea necesse est addere relationem illam rationis ad terminum, quæ quia non potest concipi, nisi cum actu fluit a Deo terminus, et incipit existere, ideo creatio quamvis cum essentia divina identificetur, non potest adæquate spectata dici simpliciter æterna. Et similiter Deus nequit dici ab æterno Creator vel Gubernator, etc., mundi.

Nec valet dicere relationem rationis, utpote quæ nihil re vera est, non posse quasi constituere et complere creationem divinam: itemque relationis hujusmodi aliquod assignandum esse fundamentum, in nostra vero sententia, quæ creationem identificat cum natura, nullum re vera assignari fundamentum.—**Nam quamvis nihil**, quod sit pure rationis, possit quasi constituere creationem divinam, quæ res realissima est, potest tamen inservire nobis, ut per illud aliquo modo intelligamus aliquid, quod aliter nullatenus possemus intelligere; id quod novum non est aut peculiare in creatione, sed in aliis quoque divinis attributis evenit, ut ea non possimus concipere et explicare, nisi ope relationum quarumdam rationis, quæ Deo attribuuntur. Id enim proprium est humanæ imbecillitatis, ut nequeat divinam Majestatem contemplari, ac perspicere, prout in se est, sed per imagines finitarum rationum conetur aliquo modo rimari quasi in speculo et ænigmate. Quia igitur in creatis videmus inter agens et effectum propter actionem intercedere relationem, non possumus essentiam divinam ut creantem, nec ipsam creationem, intelligere, donec concipiamus respectum quemdam ad terminum. Fundamentum autem hujusmodi relationis assignare necesse non est, tum quia in relationibus rationis non est, cur sollicite investigemus fundamenta; tum quia exemplum actionum creatarum, quæ fundant mutuam inter agens et effectum relationem, sufficit ut creationem instar relationis concipiamus; tum etiam quia terminus creatus statim incipit habere ad Deum relationem realem dependentiæ,

quia creatur a Deo; unde pronum est, ut intellectus noster, quemadmodum facit in aliis relationibus non mutuis, etiam in Deo creante, et quatenus creante, relationem ad rem creatam fingat; tum denique quia forte ipsum divinum imperium ac decretum creandi aliquid in tali temporis puncto, satis est, ut summum illud et ineffabile Ens, de quo est scriptum: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt*, etiam absque ulla actione reali superaddita concipiamus, ut habentem relationem actualem ad creaturam pro determinato illo momento. Jam enim ostendimus actionem superadditam et ab ipso Deo ac termino creato distinctam minus nobis probari gravissimaque premi difficultate.

Argumenta quæ contra hanc sententiam objiciuntur haud ægre possunt ex dictis dissolvi.

69. Et hæc de creatione active considerata sufficiant: ex quibus patet creationem non esse actionem prædicamentalem, sed longe excellentiorem et vere ineffabilem: quæ cum immanentibus id habet commune, ut sit in agente, et quidem perfectissimo modo, nempe per identitatem; transeuntibus autem in eo assimilatur, quod ponat effectum extra agens. Quare recte dici potest actio formaliter immanens ac virtualiter transiens.

Creatio dici potest actio formaliter immanens et virtualiter transiens.

Creatio passive sumpta videtur esse ipsa rei creatæ dependentia a Deo: quæ realem relationem importat,

Creatio passive sumpta videtur esse ipsa dependentia, quam omnis res creata habet a Deo tamquam a sua causa. Dependentia hæc realem importat relationem rei creatæ ad Deum: quæ relatio utrum transcendentalis sit, an vero prædicamentalis, et utrum realiter identificata, vel distincta ab ipsa essentia creaturæ, disputari potest. Sententia S. Thomæ, ut superius notavimus, est prædictam relationem realiter distinctam ac prædicamentalem esse, ac fundatam in actione divina, similem illis, quæ in naturalibus effectibus causarum secundarum, v. g. in filio ad suos parentes, cernuntur. Quæ sententia eadem puto firmari posse ratione, qua nuper in prima propositione ostendimus creationem non esse aliquid re identificatum cum termino creato.

eamque ex mente Angelici prædicamentalem.

Dices. «De essentia creaturæ est, ut pendeat a primo ente. Ergo dependentia qua pendet... non est aliud ab ejus essentia. Hæc autem prima et essentialis dependentia entis participati ab ente per essentiam, est creatio. Ergo creatio...

non magis potest a creatura distingui, quam essentia uniuscujusque rei ab ipsa. Primum antecedens evidens est, quia sicut de essentia primi entis est esse per essentiam, et consequenter esse a se, et non ab alio; ita de essentia omnis alterius entis est, esse ens per participationem, et consequenter esse dependens ab alio. Prima vero consequentia probatur, quia dependere est aliquid intrinsecum; convenit autem per dependentiam» (1).

Respondeo duobus modis intelligi posse creaturam esse ens essentialiter pendens a Deo: uno modo, quod ipsa actualis dependentia sit de essentia creaturæ, et sic non est verum, nisi de sola ipsa dependentia actuali, quam constat esse suammet essentiam. Ipsa vero non est de essentia ejus creaturæ, cujus est accidens. Et in hoc sensu procedit totum illud argumentum, quod proinde nihil concludit. «Alio ergo modo intelligendum est creaturam esse ens essentialiter pendens a Deo, quia nimirum est ens talis naturæ et essentiæ, ut sine aliqua dependentia a Deo existere non possit. Et hic sensus est verissimus, probaturque optime ex natura entis participati. Inde vero non fit ipsam actualem dependentiam esse de essentia, sed solum conditionem seu imperfectionem illam, ob quam talis natura eget dependentia, esse essentialem. Quod patet, quia licet sit de essentia creaturæ, ut pendeat a Deo, non tamen ut pendeat a solo Deo, aut quod idem est, ut pendeat per dependentiam dicentem habitudinem ad solum Deum, quamvis etiam possit per talem dependentiam sufficienter pendere. Ergo non determinat sibi essentialiter certam dependentiam, sed solum conditionem aut indigentiam dependentiæ» (2). Simili modo, ut constat ex dictis in *Ontologia*, quodlibet ens creatum postulat aliquam determinatam ubicationem habere, nullam tamen sibi essentialiter determinat.

(1) Apud Suarez, disp. *Metaph.* 20, sect. 5, n. 8, ubi plura require.

(2) Suarez, loc. cit., n. 32, ubi plura videnda in sequentibus.

ARTICULUS IV.

De ordine et processu creationis.

70. Hactenus factum dumtaxat creationis demonstravimus, atque in tuto collocare conati sumus contra nefarios ausus impietatis. Nunc videndum est, quid possit verisimilius de ordine mundanæ creationis generatim statui: mirum enim est, quantum *Cosmogoniæ* scriptores non pauci abusi sint ad irridendam Mosaicam narrationem, et ad labefactandam, si fieri posset, revelatam veritatem. Ferendum autem non est, ut id quidam faciant nomine, ut ipsi dicunt, *scientiæ*. Non enim vera esse potest, sed fucata scientia vel potius impudens garrulitas, quidquid humana insipientia contra divinam veritatem temere effutit; quemadmodum vel ipsimet talium commentorum architecti vel alii scientiarum studiosi factis sæpissime ostenderunt, eadem ipsa dogmata reprobantes, quæ prius tamquam certissima scientiæ pronuntiata jactata fuerant atque propugnata.

Reprobatur impia temeritas mosaicam narrationem respuentium.

Veritas revelata circa mundi creationem fere continetur in primo *Genesis* capite et in tribus versibus capitis secundi: quo in loco dicitur creasse Deus *in principio cœlum et terram; terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi; et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (1). Ac mox describit sacer scriptor singillatim cunctarum rerum corporearum per summa capita fabricationem, sex diebus distributam, in quorum primo dicitur Deus produxisse lucem; in altero divisisse aquas superiores ab inferioribus; in tertio condidisse regnum vegetale; in quarto solem, lunam et stellas, in quinto pisces et volatilia; in sexto bestias terræ, ac tandem hominem creasse. Verum quia Moysi propositum non erat scientificum cursum *Cosmogoniæ* tradere ad explendam intellectus humani curiositatem, sed Deum unum docere, auctorem, ordinatoremque mundi, et providum ac sapientissimum gubernatorem et dominum omnium; frustra

Summa eorum, quæ sacra pagina docet circa ordinem mundanæ creationis.

Scopus mosaicæ narrationis;

(1) *Genes.* cap. 1, v. 1–3.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non magis potest a creatura distingui, quam essentia uniuscujusque rei ab ipsa. Primum antecedens evidens est, quia sicut de essentia primi entis est esse per essentiam, et consequenter esse a se, et non ab alio; ita de essentia omnis alterius entis est, esse ens per participationem, et consequenter esse dependens ab alio. Prima vero consequentia probatur, quia dependere est aliquid intrinsecum; convenit autem per dependentiam» (1).

Respondeo duobus modis intelligi posse creaturam esse ens essentialiter pendens a Deo: uno modo, quod ipsa actualis dependentia sit de essentia creaturæ, et sic non est verum, nisi de sola ipsa dependentia actuali, quam constat esse suammet essentiam. Ipsa vero non est de essentia ejus creaturæ, cujus est accidens. Et in hoc sensu procedit totum illud argumentum, quod proinde nihil concludit. «Alio ergo modo intelligendum est creaturam esse ens essentialiter pendens a Deo, quia nimirum est ens talis naturæ et essentiæ, ut sine aliqua dependentia a Deo existere non possit. Et hic sensus est verissimus, probaturque optime ex natura entis participati. Inde vero non fit ipsam actualem dependentiam esse de essentia, sed solum conditionem seu imperfectionem illam, ob quam talis natura eget dependentia, esse essentialem. Quod patet, quia licet sit de essentia creaturæ, ut pendeat a Deo, non tamen ut pendeat a solo Deo, aut quod idem est, ut pendeat per dependentiam dicentem habitudinem ad solum Deum, quamvis etiam possit per talem dependentiam sufficienter pendere. Ergo non determinat sibi essentialiter certam dependentiam, sed solum conditionem aut indigentiam dependentiæ» (2). Simili modo, ut constat ex dictis in *Ontologia*, quodlibet ens creatum postulat aliquam determinatam ubicationem habere, nullam tamen sibi essentialiter determinat.

(1) Apud Suarez, disp. *Metaph.* 20, sect. 5, n. 8, ubi plura require.

(2) Suarez, loc. cit., n. 32, ubi plura videnda in sequentibus.

ARTICULUS IV.

De ordine et processu creationis.

70. Hactenus factum dumtaxat creationis demonstravimus, atque in tuto collocare conati sumus contra nefarios ausus impietatis. Nunc videndum est, quid possit verisimilius de ordine mundanæ creationis generatim statui: mirum enim est, quantum *Cosmogoniæ* scriptores non pauci abusi sint ad irridendam Mosaicam narrationem, et ad labefactandam, si fieri posset, revelatam veritatem. Ferendum autem non est, ut id quidam faciant nomine, ut ipsi dicunt, *scientiæ*. Non enim vera esse potest, sed fucata scientia vel potius impudens garrulitas, quidquid humana insipientia contra divinam veritatem temere effutit; quemadmodum vel ipsimet talium commentorum architecti vel alii scientiarum studiosi factis sæpissime ostenderunt, eadem ipsa dogmata reprobantes, quæ prius tamquam certissima scientiæ pronuntiata jactata fuerant atque propugnata.

Reprobatur impia temeritas mosaicam narrationem respuentium.

Veritas revelata circa mundi creationem fere continetur in primo *Genesis* capite et in tribus versibus capitis secundi: quo in loco dicitur creasse Deus *in principio cœlum et terram; terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi; et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (1). Ac mox describit sacer scriptor singillatim cunctarum rerum corporearum per summa capita fabricationem, sex diebus distributam, in quorum primo dicitur Deus produxisse lucem; in altero divisisse aquas superiores ab inferioribus; in tertio condidisse regnum vegetale; in quarto solem, lunam et stellas, in quinto pisces et volatilia; in sexto bestias terræ, ac tandem hominem creasse. Verum quia Moysi propositum non erat scientificum cursum *Cosmogoniæ* tradere ad explendam intellectus humani curiositatem, sed Deum unum docere, auctorem, ordinatoremque mundi, et providum ac sapientissimum gubernatorem et dominum omnium; frustra

Summa eorum, quæ sacra pagina docet circa ordinem mundanæ creationis.

Scopus mosaicæ narrationis;

(1) *Genes.* cap. 1, v. 1–3.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

requiras in ejus libro divinitus conscripto solutionem multarum quæstionum, in quibus extricandis ingenti labore desudant noturalium scientiarum cultores. Quæcumque tamen in eo continentur, talia omnibus judicanda sunt, ut instar primorum principiorum habeantur, quibus intellectus in investiganda veritate, ne misere in scopulos gravissimorum errorum impingat, tuto dirigatur.

quæcumque in ea continentur, instar primorum principiorum certissime tenenda.

§ I.—UTRUM OMNIA SIMUL, AN SUCCESSIVE CREAVERIT DEUS.

Prima controversia tractanda: utrum Deus omnia simul creaverit. Argumenta pro affirmativa sententia.

71. **Prima autem controversia** sese offert hic agitanda, utrum Deus omnia simul et uno, ut ita dicam, ictu, in eodem, in quo nunc versantur, statu, ordine ac pulchritudine creaverit. Affirmandum forte alicui videbitur ex ipsa Mosaica narratione, quam præ oculis tamquam fidissimam viæ ducem habendam esse profitemur: in ea enim Deum *in principio* creasse cœlum et terram scribitur. Cui consonat sententia *Ecclesiastici* sic edocentis: *Qui vivit in æternum, creavit* **omnia simul** (1). Itemque liber ipse *Geneseos* versu quarto capitis secundi loquitur *de die, quo fecit Dominus cœlum et terram*. Accedit, quod potuerit Deus facillime omnia momento temporis perficere, idque ad ostendendum suam sapientiam potentiamque maxime pertinere videbatur, qui finis præcipuus divinorum operum habendus est. Cum potissimum testante sacra pagina, *Dei perfecta sint opera* (2). Et ita reapse doctores, sive judæos sive christianos, scholæ alexandrinæ post Aristobulum et Philonem sensisse referunt cl. Corluy (3), et Vigouroux (4), ac nominatim Clementem Alexandrinum (5), Origenem (6), Athanasium (7), et Procopium

(1) Vers. 1.
(2) *Deuteron.* cap. 32, v. 4
(3) *Specilegium dogmatico biblicum* vol. 1, *de Hexaemero*. pag. 175. Gandavi 1884.
(4) *La Cosmogonie biblique*. Cfr. Suarez, de Op. sex dier. lib. 1, cap. 10.
(5) *Stromat.* 6, 16.
(6) *De Princip.* lib. 1, cap. 4, 16.
(7) Orat. 3 *contr. Arian.*

Gazensem (1), quibus adæsit S. Agustinus (2). Qui omnes consequenter docent dies sex, quos statim meminit Moyses, esse dies non re, sed tantum ratione distinctos, nec ob aliud inductos esse, nisi ut ordo aliquis in rebus narrandis servetur. Quo etiam revocari potest opinio quorumdam recentiorum, qui cum Kutzrio arbitrantur dies sex non seriem rerum successive productarum exprimere, sed ordinem dumtaxat temporis, quo res, simul factæ, homini revelatæ a Deo sunt (3). At simultaneam rerum omnium creationem ejecit frequentissima sententia cæterorum Patrum ac nominatim Ephremi Syri, Chrysostomi, Theodoreti, Nazianzeni, Basilii Cæsariensis, Ambrosii et Gregorii M, (4): quorum mox vestigia secuti sunt communissime et interpretes et scholastici Theologi, tum veteres tum recentiores, cum Magistro Sententiarum (5), paucis exceptis, qui priori sententiæ nomen dederunt (6). Hi omnes, quamvis alii aliter rem exponerent, creationem successivam voluere, ac dies mosaicos tempora durationesve realiter distinctas interpretantur. Unde etiam celebris fuit apud Scholasticos divisio divini opificii in opus creationis et opus distinctionis et ornatus (7). Favet his summopere sacræ narrationis contextus plano et obvio sensu intellectus, in quo ita diversis

Negativa sententia communior.

(1) *In Genes.*
(2) *De Genesi ad litter*, lib 1, cap 15, 29; lib. 5. cap. 23, 45, 46; *de Civit. Dei*, lib. 11, cap. 6, 7; *Confession.* lib. 13, cap. 33, 48; *de Genes.* lib. imperf., num. 27, 28, 51. Cfr. n. 27, 28, 51. S. Thom. 2.a dist. 12, q. 1, ar. 2. Laudatur etiam pro hac doctrina S. Gregorius Nyssenus in libro *de Opere sex dierum*, in quo *omnia simul procreata* docet. Verum ibidem non res ipsas factas tum esse, *sed earum semina quædam et causas ac virtutes in illo momento factas esse*, mox ostendit. Quare contraria potius est opinio Nysseni.
(3) Kurtz, *Bibel und Astronomie*, pag. 72 seqq., apud cl. P. Corluy, Op. cit. pag. 180.
(4) Eorum plura testimonia collecta reperies apud cl. P. Joann. Mir, *La Creacion*, cap. 9, pag. 153, 154. Madrid, 1890.
(5) Lib. 2.o dist. 12.
(6) Vide apud Suarez (*de Oper. sex dier*, lib. 1 cap. 10, n. 5). Vide etiam Petavium (*de Opificio sex dier*, lib. 1, cap. 5, n. 4), qui priorem opinionem suo tempore *communi consensu repudiatam* fuisse scripsit.
(7) Cf. S. Thom. 1 p. quæst. 68, art. 1,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

diebus mundi molitio adscribitur, ut successiva opera re vera innuantur, quemadmodum probatum videri potest apud commentatores ac Theologos (1). In duobus tamen potissimum dissidere possunt secundæ hujus sententiæ patroni, primum relate ad interpretationem verborum illorum, quibus dicitur Deus *in principio creasse cœlum et terram*, et secundo relate ad explicationem sex dierum.

cujus tamen patroni in duobus dissident, primo relate ad interpretationem versus primi Genesis, secundo relate ad sex dierum intelligentiam.

Quid enim sibi vult, quod Deus *in principio creavit cœlum et terram?* Multæ sunt vocis illius, *in principio*, expositiones (2), omnium tamen forte planissima declaratio est, quod idem sonet ac: *in principio temporis, vel in principio rerum operumve Dei.* (3) Quod vero attinet voces *cœlum et terram*, omissis aliis interpretationibus, quæ apud Comentatores videri possunt, duæ probabiliores mihi videntur: prima «intelligit cœlum et terram jam *formata*, adeoque hoc versiculo enuntiari a Moyse creationem universi tum primam tum secundam, (nempe formationem et perfectam elaborationem). Eam porro creationem includere integrum opificium sex dierum, hic compendiose indicatum, infra per partes describendum; ita ut versiculus primus sit prologus narrationis divini operis, respondens epilogo *Genesis* cap. 2, v. 1» (4), ubi hæc leguntur: *Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum.* Hanc sententiam tenet inter hodiernos scriptores cl. P. Aloisius Stentrup (5), ac dudum clarissime declaratam Patrumque quorumdam auctoritate firmatam propugnaverat Dionysius Petavius (6). Altera est interpretatio eorum, qui per *cœlum et terram* designari volunt materiam cosmicam et elementarem seu chaoticam, ex qua mox universa mundana corpora formata sunt ita, ut cœlum terramque dixerit Moyses id, quod nondum erat, sed quod postea futurum erat cœlum

(1) Vide nominatim Suarez *de Oper. sex dier*, lib. 1, cap. 10.
(2) Vide illas apud P. Cornelium Alapide aliosque passim interpretes. Cfr. Suarez, *de Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 2, n. 23; Petavius, *de Opificio sex dier.*, lib. 1, cap. 1, n. XII.
(3) Cfr. Petavius, loc. cit., n. XVIII; Suarez, loc cit., n. 26.
(4) Corbuy, Op. et loc. cit., pag. 168.
(5) *Tractat. de Deo uno*, thes. 35, pag. 531 seqq.
(6) Op. cit cap. 2, n. X.

et terra (1). Hæc est doctrina PP. Patrizi (2), Palmieri (3), Corluy (4) aliorumque.

Deinde discrepantia est in iisdem auctoribus sucessivam creationem tuentibus circa mosaicos dies. Plures namque Patres (5), quorum interpretatio communis facta est Commentatorum et Scholasticorum ad nostra usque tempora, putarunt dies illos intelligendos esse his nostris diebus similes, viginti quatuor horarum spatio circumscriptos. Verum recentioribus temporibus clarissimi scriptores catholici et sacrarum litterarum interpretes, multique Theologi, studio conciliandi biblicam narrationem cum geologicis inventis in eam ivere sententiam, quæ dies illos intelligit temporis periodos longissimæ et indeterminatæ durationis. Ita opinantur inter alios Pianciani, Palmieri, Reusch, Meignan, Vigouroux, Molloy, Hamard, Pozzy, J. d'Estienne, Delitzsch (6), Tongiorgi (7), cl. Mendive (8), cl. Pesch (9), cl. Corluy (10), cl. P. Palmieri (11) et alii multi. Nec repugnant alii gravissimi scriptores, ut Perrone (12) et Card. Mazzella (13).

Verum quidquid sit de hisce secundariis controversiis, quas nostrum non est diutius expendere, placet nobis circa primam propositam controversiam secunda opinio tenens creationem mundi non momento, sed successive peractam ita esse, ut primo quidem materia rudior et elementaris atque informis, ut ita dicam, creata sit, deinceps paulisper formata, et in perfectionem adducta. Idque videtur omnino

Creatio mundi non videtur momento temporis esse peracta, sed successive.

(1) Addunt etiam plures hujus doctrinæ sectatores sub nomine *cœli* præter materiam, ex qua orbes siderei perfecti sunt, comprehendendos quoque esse angelos. Vide cl. P. Corluy, loc. cit., pag. 170.
(2) *De interpretation. scripturar.* 2, 2, 13.
(3) *De Deo creante et elevante*, thes. 2, pag. 23.
(4) Loc. cit., p. 170.
(5) Vide illos apud cl. P. Corluy, loc. cit., pag. 185.
(6) Apud Corluy, pag. 185.
(7) *Cosmolog.*, n. 311.
(8) *La Religion catolica vindicada* etc., cap. 14.
(9) *Philosph. natural*, n. 569, 570.
(10) Loc. cit.
(11) *De Deo creante et elevante.*
(12) *De Deo Creat.*, cap. 1.
(13) *De Deo Creatore*, disp. 1, art. 10, num. 244.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA CAMPUS DE LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

innui sacra ipsa narratione, in qua postquam exhibetur *terra... inanis et vacua, et tenebræ super faciem abyssi*, descriptio inchoatur divini opifici per partes, in dies sex distributa: quo videntur etiam spectare verba illi *Sapientiæ: Omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum* **ex materia** *invisa* (1), quæ ideo invisa dici verissime potuit, vel quia nondum aderat lux, per quam videri posset, vel quia aquis erat cooperta, vel ob alias demum rationes, quæ apud interpretes quærendæ sunt. Atqui hæc, si litterali et obvio sensu velis intelligere (neque vero ulla cogit ratio, ne ita intelligi debeant) manifeste simultaneam mundi in suo statu perfecto formationem fabricationemve excludunt (2). Verum argumentum hoc potest etiam haud improbabiliter confirmari ex geologicis inventis, ex quibus illud certum est et exploratum, hunc nostrum planetam ex diversissimis substantiis ac fossilibus coagmentatum esse.

Descriptio geologicorum terrenorum stratorumque.

72. Post extimam globi terrestris partem, quæ terra fluvialibusque crassamentis aut vulcanicis ejectionibus coalescit, jacet series plurium stratorum, quæ alia aliis ordine superposita cernuntur. Strata hæc *terrena* vocarunt Geologi, e quibus, quæ profundissima sunt, olim *primitiva* appellabantur; succedunt terrena *transitionis*, media inter primitiva et ea, quæ *secundaria* dicta sunt. Secundariis superinsident *tertiaria*, tertiariis *quartaria* vel *quaternaria*, quæ supra cætera eminent. Divisio hæc terrenorum, progredientibus geologicis observationibus, derelicta fere nostris diebus est, inque ejus locum alia suffecta respondens periodis temporum *azoicæ*, *palæozoicæ*, *mesozoicæ*, et *quartariæ*. Ad ætatem azoicam pertinent terrena primitiva, quæ continent graniticarum rupium multitudinem et opera plus minus perfecta crystallizationis, super quæ jacent formationes Laurentina et Cambrica (3). Ætas hæc ideo vocatur *azoica*, quia cum nulla reperiantur in imis terrenis primitivis fossilia viventium, jure concluditur illam vitæ omnis expertem fuisse, saltem si excipias summas Cambricæ formationis straturas, in quibus

Terrena primitiva, transitionis, secundaria, tertiaria, quaternaria.

Periodus azoica, ad quam pertinent

formationes Laurentiana et Cambrica.

(1) *Sapient.*, cap. 11, v. 18.

(2) Vide Suarez, *de Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 10.

(3) Dicta a *Cambria*, regione Angliæ, ubi multum abundat ista formatio.

quædam prostant organicorum corporum vestigia, ac nominatim trilobitum, seu animalium crustatorum et molluscorum ac zoophyti, cui nomen est factum *Oldhamia* (1). Palæozoicæ ætati respondent terrena transitionis ex marino sedimine efformata et ab igne modificata, in quibus multi inveniuntur organismi in petram conversi, ab iisque, qui nunc terram ornant, quam maxime diversi. Huc revocantur formationes, *silurica*, *devonica*, *carbonica* et *permica*. Silurica, a Silurum insulis in Anglia dicta, continet plurimas marinarum plantarum, fere algarum, exuvias et animalium aquaticorum, quæ typum crustaceorum præ se ferunt, ac decem fere millium specierum varietatem exhibent: extare quoque dicunt in eminentiori parte siluricæ regionis prima animantium vertebratorum, piscium placoidum, vestigia. Devonica formatio, quæ a provincia Angliæ (2), ubi hæc strata abundant, nomen est sortita, præter plurimas aquaticas, præsertim plantas, tercentas fere piscium species præbet, animalium vero quinque millia, in quibus prima apparent insectorum exempla. Carbonica periodus immania suppeditat crassamenta fossilis carbonis, cujus tantus est nostris temporibus usus: plantarum etiam cryptogamarum vascularium typus deprehenditur. Et quamquam numerus animalium imminutus esse videatur, adest tamen altior amphibiorum typus; adsunt araneæ, scorpiones, locustæ, scolopendri et, ut quibusdam videtur, primi saurii vel reptilia de multiplici genere lacertorum. Permica demum formatio, primum Permiæ in Russia inventa, ex animalibus vix continet tercentas species earum, quæ in præcedentibus stratis cernentur; novæ tamen speciei exhibet specimen in proterosauro Speneri, qui ad saurius squamatos pertinet. In plantis vero multæ filices numerantur, calamitæ atque etiam coniferæ.

Periodus palæozoica, complectens formationes,

siluricam,

devonicam,

carbonicam,

permicam.

(1) Cfr. el. P. Corluy, loc. cit. pag. 214; et el. Pesch, *Philos. natur.*, n. 502. Sunt etiam, qui sub formationibus Cambricis in Laurentina reperiri putent prima vitæ indicia in substantia quadam inventa in Canada, quam propterea vocarunt *eozoon Canadense, quasi aurora viventium*. Id tamen alii inter Geologos probabilius negant. Cfr. el. P. Pesch, (ib.), el. P. Corluy (pag. 215), el. P. Mir (cap. 22, art. 2, p. 391-392.)

(2) Devonshire.

Periodus mesozoica, cujus sunt formationes, triassica,

Nova prodeunt magisque perfecta organismorum genera in periodo *mesozoica*, ad quam revocanda videntur terrena secundaria. In hac periodo tres distinguunt Geologi formationes diversas, *triassicam*, *jurassicam* et *cretaceam*. Triassica, quam ideo sic plures appellant, quia in tres alias iterum partes dividunt, mille ac tercentas numerat animalium species, in quibus præcipua sunt conchifera, echimodermata, batrachii, et ingentes saurii et chiroterium. Primæ etiam apparent aves primaque mammalia, speciatim marsupialia et brontozoon giganteum. In genere plantarum reperiuntur filices et aliæ primæque monocotyleæ. Jurassicæ formationes abundant in monte Jura, unde nomen acceperant, et frequentissimæ sunt in tota Europa. Multa sauriorum genera præbent hæc strata, itemque alia animalia, quorum quinque mille species notæ sunt eruditis viris. Cretacea formatio plantas primum fert coniferas cycadeasque, mox etiam ingentem numerum dicotylearum. Animalium autem continet species quinquies mille et quingentas. Quæ in hactenus descriptis terrenis cernuntur animalia, a generibus nunc terram incolentibus non parum differunt.

jurassica,

et cretacea.

Ætas cænozoica cum suis formationibus,

Mesozoicæ succedit ætas cænozoica, quasi *novæ vitæ;* quæ molluscorum et mammalium ingentem porrigit copiam plantarumque dicotylearum. Hæc continet terrena tertiaria, et in tres alias formationes, *eocænam* (1), quæ etiam parisiensis appellata est, *miocænam* (2), et *pliocænam* (3) a Geologis dispescitur. Animalium mille et septingentæ species numerantur in hac ætate, e quibus copiosiores sunt foraminiferæ, eminent tamen inter formas antiquiores mammalia pachydermata et ingens quoddam cetaceum, quod *zeuglodon cetoides* dixere. At inter formas recentiores multa prostant reptilia et mammalia, ut mastodon, dinotherium et rhinoceros, atque animalia quædam equina, suina et cervina itemque simiæ. Plantarum quoque magna suppetit copia, in quibus palmæ, cypressi, platani, ficus, laurus et cinamomum numerantur. In

eocæna,

miocæna, et pliocæna.

(1) Quasi diceres auroram ætatis novæ, ab ἕως *aurora*, et καινός *novus*.

(2) Id est *minus novæ*, a μεῖον *minus* et καινός.

(3) Magis novam, a πλεῖον *magis* et καινός.

hac proinde ætate magnam assecutum est perfectionem utrumque regnum et vegetale et animale. Sub finem cænozoicæ periodi, tempore, quod quidam vocant *postpliocænum* vel *pleistocænum*, putant Geologi advenisse tempus glaciale ac magnum aliquod diluvium diversum et anterius Noëtico, cui tribui solent variæ formationes et effectus, quos vide, si lubet, apud cl. Reusch (1). Periodus hæc postpliocænica confunditur cum quartaria, quam sequitur, nisi velis cum ipsa identificari, ætas terræ recens, in qua globus terraqueus perfectum ac definitivum, ut ita dicam, apparatum nactus est in plantis et animalibus, ut convenientem generi humano præberet habitationem et alimenta vestesque ac cætera, quibus eget ad mortalem hanc sustentandam vitam, ac postremum denique complementum accepit a Deo per creationem hominis (2).

Periodus quartaria et ætas terræ recens.

73. Hæc ex Geologorum libris mutuati sumus, ut satis probabile exinde concludamus argumentum ad successivam mundi, saltem quantum nostrum planetam attinet, fabricationem. Sicut enim ab effectibus naturalibus causarum essentias argumentando concludimus, ita ex hac stratorum fossilium dispositione Geologi et Palæontologi diversos terræ status fuisse successive colligunt, diversumque in variis ætatibus ornatum et incolas (3). Quare sic arguere licet:

Probatio creationis successivæ ex geologicis stratis desumpta.

(1) *La Bible et la Nature*, lect. 21, pag. 335 seqq.

(2) Cfr. de his cl. P. Corluy, loc. cit. et cl. Pesch, *Philos. natur.*, n. 562; et Geologi ac Palæontologi passim; itemque cl. P. Joan. Mir, *La Création*, ubi in diversis locis fuse hæc eruditeque exponit.

(3) Quare ita scripsit ad hanc rem Henricus Reusch: «C' est pourquoi le géologue anglais Gédéon Mantell a appelé les fossiles les médailles commémoratives de la création; car comme les médailles sont frappées pour transmettre à la postérité la mémoire d' événements importants, de même aussi la nature offre au géologue, dans les fossiles, un signe par lequel il peut juger de l' âge relatif des diverses couches dont l' âge et les limites ne ressortiraient pas avec certitude de la composition des terrains. C' est avec non moins de justesse qui un savant allemand, Naumann, a comparé les fossiles aux inscriptions; car comme les inscriptions puniques, grecques ou romaines nous apprennent que les monuments sur lesquels elles se trouvent remontent au temps des Carthaginois, des Grecs ou des Romains, de même aussi les géologues tirent de la présence de tels

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mundus hic non simul totus quoad omnes partes effectus est, si non ex sola Dei operatione, sed ex consentanea causarum etiam naturalium actione suum distinctionis ac perfectionis statum gradatim obtinuit. Atqui ita se rem habuisse dicendum probabiliter videtur. Ergo...

Major patet. **Minor** quoad terram dumtaxat a me probanda est. Quamvis enim Astronomi de corporibus etiam cœlestibus idipsum doceant, quod Geologi et Palæontologi de terra, illa nempe coaluisse primum e communi materia fluida et nebulosa, et nonnisi post longam sæculorum seriem invicem separata fuisse, atque talia, qualia nunc cernimus, evasisse: hæc tamen doctrina tota quanta Laplacianæ hypothesi innititur, a qua prescindere nunc equidem mallem: quare sufficit nobis ad solam terram argumentum applicare. Nam si terra successive ad perfectum statum adducta est, eo ipso verum non est mundum simul totum creatum esse. Terram autem non uno temporis momento effectam esse, non ex sola Laplaciana hypothesi, sed ex aliis, et geologicis et palæontologis, argumentis haud parum probabiliter evincitur. Probatur itaque Minor.

Ubicumque ocurrit phænomenum, quod per naturalium causarum consentaneam actionem explicari potest, recurrendum non est ad operationem Dei solius, nisi graves rationes, ut aliter sentiamus, persuadeant. Atqui formatio terræ, qualem nunc cernimus, prodire potuit, ac porro prodiisse suadetur ex actione causarum naturalium, quas Deus suis viribus instructas, secundum suam naturam operari siverit cum ordinario concursu ejusdem, fere sicut nunc operantur: nec est ulla ratio cogens ad asserendam specialem Dei operationem vel interventum, omnia simul temporis momento perficientis. Ergo formatio mundi non videtur simul tota facta esse a Deo, Creatoræ materiæ, sed per successivam naturalium causarum actionem pedetentim ad perfectionem adducta.

---

ou tels fossiles, une conclusion sur la période géologique pendant laquelle ces couches particulières ont été depose'es. Sans ce moyen, la géologie ne serait certainement pas encore parvenue aujourd'hui a des connaissances aussi étendues et aussi précises sur l' histoire de la terre à cette époque reculée qui précéda l' histoire humaine». *La Bible et la Nature*, cap. 16, pag. 254. Paris 1867.

Major exhibet principium, quo passim utuntur Philosophi tamquam tutissimo criterio in investigandis causis naturisque rerum. Quamvis enim Deus possit, et quandoque soleat, extra ordinem agere patrando miracula, vel intra ipsum naturalem ordinem ea solus aliter efficere, ad quæ vires quoque rerum creatarum sufficiunt divino concursu adjutæ; miracula tamen absque idoneis indiciis affirmanda non sunt. Deus enim rebus creatis vires et ordinem ad suos naturales effectus profecto non indidit, nisi ut agerent modo consentaneo.

Formatio terræ procedere potuit ex lenta naturalium causarum actione.

Minor ergo probanda est per partes. Et primo quidem *potuit formatio terræ procedere ex lenta causarum naturalium actione*. Nam α) strata ipsa terræ talia sunt, qualia efformari videmus per aquas alicubi diu stagnantes, quorum proinde facile est rationem reddere, si supponamus terram longo tempore marinis ut plurimum, vel alicubi palustribus etiam, aquis contectam fuisse. Diversa enim terræ involucra vel strata speciem omnino præ se ferunt aqueorum sediminum, quæ non celeri undarum transitu aut subito cataclysmo relicta, sed tranquillis ac diu permanentibus aquis fuerint demissa. Saxa vero, quæ eruptiva dicuntur perque transvers astrata ad magnam altitudinem emergunt, iis similia sunt, quæ in vulcanicis eruptionibus ex imis terræ visceribus emissa cernuntur in monte Vesubio, Ætna aliisque. Quare haud absurde statui potest ea hoc pacto re vera erupisse; cum potissimum in stratis ipsis prope hujusmodi saxa coonstitutis quædam nonnunquam deprehendantur indicia combustionis. Præterea nulla est necessaria connexio inter creationem telluris et organismorum viventium. Potuit ergo terra diu carere omni vegetatione, omnique vita animali. Potuit ergo Deus terram fecundare ad ferendas plantas non statim ab initio creationis, sed tum solum, cum ex lenta naturalium causarum actione apta demum facta est, ut vitam aleret plantarum. Et idem dici potest de vita animali ac tandem de homine, prorsus sicut ipse sacer textus sex dierum spatio factum esse narrat, fuseque expendit Suarez (1) et alii auctores.

β) Idipsum dicatur de fossilibus organismis, quos sive in lapidem conversos, sive aliter censervatos atque inter varia

---

(1) Loc. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terræ strata inclusos in ingenti numero reperiri notavimus. Hæc enim egregie omnia explicantur, si ponas organismos illos exuvias esse verorum corporum viventium, quæ sepulta manserint, dum diversa illa terræ involucra et strataræ successive ad eum modum, quem modo innuebamus, efformarentur. Hæc enim non adeo distant ab iis, quæ Trojæ, Pompeiis, Herculani et aliis in locis, ubi tot antiquitatis monumenta sub ruinis diu sepulta effodiuntur, contigisse compertum est, ut ea, saltem longiori temporis tractu, fieri potuisse negemus. Nimis enim a ratione abhorrent, quæ ad fossilium causas explicandas commenti sunt ii, qui nesciebant veterum illa viventium organismos superstites, esse posse. Alii enim casu prodiisse putarunt in terræ visceribus illa quasi simulacra et imitationes organicorum corporum: alii lusum naturæ meminerunt, ac vim quamdam naturæ plasticam, vel formatricem stellarum nescio quem influxum obtrudebant (1). Atqui casui tribui nequit tam ordinata ab imperfectioribus ad perfectiores organismorum dispositio, quam ubique terrarum varia illa strata præ se ferunt. Quod si causæ ipsæ, quæ proxime fossilia eo ordine locarunt ex intentione finis non egerunt, certe ipsa effectio talium fossilium casui tribuenda non est. Lusus autem naturæ et recursus ad vires plasticas vel astrorum influxum ad tam mira patrandos effectus, Philosopho dignus non est, ubi potissimum adest in promptu plenissima rei explicatio per causas naturales. Reliquum ergo est, ut quæcumque de fossilium loco et dispositione in diversis terræ stratis narrant opera Palæontologiæ, viribus naturæ contingere potuisse consentaneo temporis spatio putemus.

Quæ cum ita sint, donec solida aliqua ratio afferatur simultaneam rerum omnium a solo Deo effectionem convincens, haud absurde statuitur cum Geologis et Palæontologis, terram successive plures habuisse superficies, antequam præsentem indueret formam et ornatum, tot nempe, quot sunt diversa strata sub quartariis terrenis jacentia; ac proinde

(1) Fuse de hisce figmentis disserit cl. P. Joan. Mir, *La creacion*, cap. 25, art. 1 seqq.; et ante ipsum Reusch, *La Bible et la Nature*, cap. 16.

plures mutasse status, donec tandem conveniens hominis domicilium effecta est. Et primo quidem imum terræ stratum ex massa quadam lapidea crystallina coalescere, qua superficie cum contegeretur, nullum adhuc aderat corpus vivum et organicum; postea vero inundantium aquarum sediminibus alia et alia strata velut nova terræ involucra et superficies extitisse, ac tum demum viventia corpora, vegetalia primum, mox animalia gradatim pefectiora terram incoluisse, quorum tandem rex et dominus apparuit homo; nullum enim ejus prorsus vestigium deprehensum est in antiquioribus terrenis, sicut nec etiam plurium specierum organismorum, qui nunc florent in terra. Quæ omnia si vera sunt, non uno temporis momento confici potuerunt, sed longe diuturnius opificium requirunt.

Solum posset vis hujus probationis infirmari, si vera foret opinio eorum, qui terram omnibus plantis et animalibus creatam fuisse credunt horis dumtaxat duobus et septuaginta, nempe tribus diebus genesiacis, quos æquales his nostris diebus existimant. Strata vero geologica et fossilia in eisdem sepulta contendunt ad diluvium Noëticum similesve alios cataclysmos, qui peccatum Adami subsecuti sunt esse referenda.—Verum in primis noto, qui talia docent, minime propositioni nostræ obstare, siquidem admittunt successivam terræ formationem; solumque argumentum a nobis ex geologicis et palæontologicis inventis depromptum admittere detrectant. Deinde respondeo communissimam illam esse vocem Geologorum et Palæontologorum, strata illa tam varia formari non potuisse brevi temporis spatio, quo Noëticum diluvium duravit, nec ad tantam altitudinem eoque ordine sepeliri tam diversa viventium genera (1).—Sed videndum jam est num ratio aliqua nos cogat ad momentaneæ solius Dei actioni asserendam mundanam fabricam.

Nulla ratio nos cogit ad asserendam specialem operationem Dei omnia

Probatur jam Minor quoad secundam partem: *nulla ratio nos cogit ad asserendam specialem operationem Dei omnia simul efficientis.* α) Si omnia fieri potuerunt per causas naturales suis virtutibus instructas, apto in loco et adjunctis

(1) Vide Henricum Reusch, Op. cit., cap. 16. Cfr. cl. P. Joan. Mir, Op. cit., cap. 25. art. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

simul efficientia.

convenienter dispositas, ac tandem ordinario Dei concursu adjuvatas, certe ex ipsa natura operis effecti nulla repeti potest ratio specialis interventus divini. β) Deinde in ipsis etiam adjunctis mundani opificii nullum cernitur indicium instantaneam creationem persuadens, sed potius e converso. Sane si Deus omnia simul momento temporis in perfecto statu creavit, non apparet ratio, cur omnia terræ strata eo ordine disposuerit, omniaque illa organismorum et cadaverum simulacra hac illac ita sparserit, quasi prorsus essent exuviæ viventium, quæ successive terram incoluissent, servato ordine quodam perfectionis. Fateor potuisse Deum habere in sua sapientia rationes ad ita operandum, quamvis illæ nos lateant; verum hæc sola causa non sufficit, ut talem effectionem absque ullo positivo argumento asseramus. γ) Denique nihil etiam ex revelatione vel traditione depromi potest, quod simultaneam mundi in perfecto statu creationem exigat, cum potius et biblica narratio et communissima Patrum sententia contrarium demonstrare videatur, quemadmodum fuse et præclare ostendit Eximius Doctor (1).

Respondetur rationibus initio in contrarium propositis.

Neque etiam quidpiam evincunt initio propositæ in contrarium rationes. Etenim ad testimonium e libro *Ecclesiastici* depromptum, in quo dicitur Deus creasse omnia *simul*, primo responderi potest particulam *simul* non dicere mensuram durationis, sed communitatem sine exceptione, ut sensus sit, omnia ex æquo, nulla re excepta, fuisse a Deo creata. «Secunda responsio est, licet *simul* accipiatur pro eodem instanti seu simultate durationis, intelligendum id esse tantum de his, quæ per propriam creationem facta sunt. Quidquid enim Deus ex nihilo et proprie ac immediate creavit, simul creavit: secus vero esse de cæteris, quæ vel per transmutationem unius rei in aliam produxit, vel per accidentalem mutationem perfecit. Altero enim ex his modis facta sunt omnia sex dierum opera» (2). Quod autem objiciebatur de *die, in quo Deus creavit cœlum et terram* (3), nihil evincit; quia facile sumi potest vox *dies* pro tempore generatim et

(1) *De Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 10.
(2) Suar., loc. cit. cap. 10, n. 22.
(3) *Genes.*, cap. 2, v. 4.

indeterminate, vel in numero singulari pro plurali: cujus interpretationis plura possent afferri exempla.

Ad illud, quod adjungebatur, nempe ad divinam potentiam sapientiamque pertinuisse, ut omnia simul uno momento perageret, respondendum est, nihil detrahi de potentia et sapientia Dei ex eo, quod creata primum materia, aptoque modo locata viribus ac proprietatibus et motu donata ac demum fecundata seminibusque viventium ditata, agere sineretur secundum suam naturam, et ita demum perfectum suum statum assequeretur. Immo vero sic faciendo videtur Deus magis suam bonitatem, libertatem, dominium, immo et ipsam sapientiam, ostendere potuisse.

Quædam alia, quæ objici solent contra expositam hactenus doctrinam, satis illam quidem levia, videri bene soluta possunt apud cl. P. Pesch. (1).

Rationes congruentiæ pro successiva mundi creatione.

Rationes autem congruentes, cur Deus non omnia simul in perfecto statu creaverit, sed prius quasi opere tumultuario creata, mox pedetentim ad perfectionem adduxerit, plures excogitarunt prisci Doctores. Primo, quod Deus non tam intendit facere, quantum potest, quam etiam *communicare creaturæ, quantum potest recipere: unde cum possit dare beatitudinem absque meritis, vult tamen quod mereamur. Sic cum possit statim perficere materiam, maluit tamen ipsam sub quadam informitate et imperfectione facere, ut ex sua imperfectione quasi materia ad Deum clamaret, ut ipsam perficeret* (2). «Secunda est, ut discamus res omnes a Deo pendere tam quoad inchoationem, quam quoad exornationem et perfectionem, nihilque in rebus creatis esse tam imperfectum, excluso peccato, cujus non sit auctor Deus». Tertia, «ut nos ad imitationem divini operis eumdem in operando et proficiendo ordinem servaremus» (3), scribente S. Ambrosio: *Utique simul omnia fieri jubere potuit Deus; sed distinctionem servare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotiis, et maxime in vicissitudinibus gratiarum* (4). Quarta demum, quia ut ex

(1) *Philos natur.* n. 567 seqq.
(2) S. Bonavent. 2.a dist. 12, art. 1, quæst. 2, ubi plura.
(3) Cornel. Alapid. *in Genes.*, cap. 1, v. 2.
(4) Lib. 2.o *de Abel et Cain*, cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eodem S. Ambrosio colligi potest (1), voluit Deus simul cum potentia suam libertatem et dominium ostendere, et ideo quædam prius, quædam posterius, prout voluit, effecit. «Item non uno tantum modo, sed pluribus voluit potestatem et dominationem ostendere, et ideo quædam sine præjacente materia creavit, simul materiam ipsam concreando, quædam vero ex præjacente materia alio modo sibi etiam proprio procreavit, subito et per solum suum imperium materiam transmutando, et ex uno aliud procreando longe altiori modo, quam per agentia creata possit id fieri» (2), ut manifeste patet in viventibus, quorum producendorum virtutes seminales solus Deus potuit primum materiæ tribuere.

74. **Dices.** Doctrina hæc creationis successive a Deo factæ pugnat cum communissima mosaicorum dierum interpretatione a veteribus adhibitæ, nec satis videtur stare posse cum biblica narratione divini opificii. Ergo rejicienda est.

Resp. Creatio successiva prout a nobis probata est gratuito argumento, tantum abest, ut pugnet cum interpretatione mosaicorum dierum a Veteribus adhibita, ut e converso altera ex altera necessario consequatur, et utraque communissime ab iisdem auctoribus tradita sit, sicut superius notavimus. Creatio autem successiva si probetur ex communi Geologorum et Palæologorum sententia, excludit quidem, prout a multis res exponitur, interpretationem illam dierum mosaicorum, non tamen *necessario* pugnat cum eadem, ut mox dicemus. Quæcumque vero exploratiora capita geologicæ doctrinæ catholici recentiores communiter ad concinnandam cosmogoniam mutuantur, possunt amice componi cum biblica narratione, immo vero possunt multa eorum conducere ad supplenda quodammodo ea, quæ sacer liber, quia Deus revelare noluit, omisit. Si quid autem sit in iis capitibus, quod veritati revelatæ vel minimum contradicat, quantumvis certum Geologis videri possit, repudiandum omnino est. Nominatim autem de dierum mosaicorum interpretatione jam superius notavi, satis communem hodie esse inter theologos catholicos eam sententiam, quæ dies non viginti

(1) *Exaem.* lib. 1, cap. 8.
(2) Suarez. Op. cit., lib. 1, cap. 10, n. 25.

quatuor horarum spatium, sed periodos multo longioris temporis intelligunt, quam interpretationem ne illi quidem ipsi, qui eam deserunt, ulla nota dignam existimant. Concordia vero genesiacæ narrationis cum saniorum Geologorum doctrina de stratis fossiliferis a multis catholicis scriptoribus, ac Theologis, sacrarumque Litterarum explanatoribus facta, videri apud eosdem claros scriptores potest (1).

Primus modus concordiæ inter genesiacam narrationem et inventa geologica: doctrina *restitutionis*.

Id solum nos breviter dicemus prædictam concordiam non uno modo, sed variis fieri pro varia virorum eruditorum opinione. Alii enim putant inter primam creationem et productionem lucis primo die mosaico peractam (2), longissimum temporis spatium intercesisse, in quo effecta sint omnia strata geologica et fossilifera superius descripta; postea vero accidisse ingentem aliquem cataclysmum, de quo tamen nihil refert Biblia propterea, quod Moyses no id sibi proposuerat, ut omnes terrestris globi transformationes narraret, sed tantum eas, quæ domicilium homini præparaturæ erant. Porro ex illa universali perturbatione relictam fuisse terram in eo statu, qui versu secundo Genesis describitur iis verbis: *Terra autem erat inanis et vacua*. Mox subsecuta est nova terræ compositio, quam Moyses breviter describit sex diebus peractam. En doctrinam, quam dicunt *restitutionis*, primo ab anglo Buckland proposita (3), et mox ab aliis, nec paucis illis nec ineruditis viris, propugnatam (4): quæ si vera est, nulla profecto creari potest molestia biblicæ

(1) Vide v. g. Reusch (*La Bible et la Nature*, lect. 18, 19, 20), J. d'Etienne (apud *Revue des questions scientif.*, tom. 2), Marcell. de Serres (*Cosmogonie de Moïses*), de la Vallée (apud *Revue des questions scientif.*, t. 5), Pozzy (*La Terre et le récit biblique de la création*), Corluy. (Op. loc. cit.), Vigouroux (*Mélanges bibliques*; et *la Bible et les découvertes modernes*), Joann. Mir. (Op. cit.), Rev. Dominus Meignan (*Le Monde et l'homme primitif.*), Molloy, (*Géologie et revelation*), Rev. D. Thomas, (*Les temps primitif.*, liv. 1.er chap. 4 seqq.), etc.

(2) *Genes.*, cap. 1, v. 3.

(3) *Vindiciæ geologicæ*, an 1820; *Reliquiæ diluvianæ*, 1823; *La Geologie et la Mineralogie dans ses rapports avec la Theologie naturelle*, 1835.

(4) In quibus numerantur Card. Wiseman, V. De Bonald, Westermayer aliique.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cosmogoniæ ex Geologiæ Palæontologiæque decretis. Immo vero ipsi sex dies creationis poterunt absque ullo incommodo intelligi similes his nostris viginti quatuor horarum duratione comprehensis. Haud equidem ignoro doctrinam hanc a multis impugnari, et sat communiter deseri (1), eamdemque a quibusdam permixtam fuisse fabellis et erroribus (2), verum certe ipsa per se nec sacro textui nec veritati catholicæ repugnat, ac liberæ disputationi permittitur (3).

Alter modus concordiæ.

Alia est explicatio *Concordistarum*, secundum quos narratio biblica assumenda est, ut basis et fundamentum quoad summa capita in eo contenta ad ordinem mundanæ creationis statuendum, eidemque accomodanda naturalium scientiarum circa strata fossilifera decreta, unde uberior et minutior rei expositio repeti a scriptore catholico possit. Quare principio, inquiunt, statuendum est, Deum creasse terram in statu illo informi et chaotico, quem refert secundus capitis primi *Geneseos* versus. Post hunc statum successit primum productio lucis, primo die Mosaico, et altero die divisio aquarum superiorum ab inferioribus, efficiendo videlicet athmosphæram, unde mox tertio die ex aquis, quibus prius tegebatur, emergeret terra (4). Ante finem hujus primæ periodi creationis extabant jam *primitiva terrena* cum suis antiquissimis rupibus, aderant in terra flumina et lacus, aderat lux cum calore cæterisque imponderabilibus, terrestris globus magnam partem mari occupabatur, atque athmosphæra undique cingebatur, quamvis hujus statum et conditionem decernere certo nequeamus. Sic preparata terra ad organica corpora receptanda, nova periodus creationis inchoatur ab eodem tertio die, creatis a Deo vegetalibus, quemadmodum refert inspiratus Auctor undecimo versu. Plantæ ergo esse cæperunt, antequam sol, luna et alia

(1) Vide v. g. Corluy, Op. et loc. cit. p. 184; et cl. Hamard. *Diccionario apologético de la Fé Católica... por J. Jaugey... traducido al castellano por varios literatos*, etc., ad vocem, *Dias genesiacos, hypótesis de Huckland*, pag. 878 seqq.

(2) Vide H. Reusch., Op. cit., lect. 19, p. 208 seqq.

(3) Vide Reusch. (ibid.), Piancini (*In histor. curationis Mosaic. Comment.*, num. 51), Miller, (*Testimony.*, pag. 133).

(4) *Genes.* cap. 1, v. 3-11.

sidera lucerent, prout nunc videmus lucere. Nam testante Moyse (1) *duo ista luminaria magna* et stellæ opus sunt quartæ diei, vel quia tum primo creata sunt, vel quia prius creata, eo demum die cæperunt illuscere, aut certe apparere terræ, purificata jam per vegetalium absorptionem athmosphæra a nimia vi vaporum carbonicorum, qui prius cælestia sidera occultabant. Nam non uno modo solent hodierni interpretes opus quarti diei declarare. Post hæc creata sunt animalia, primum quidem aquatica et volatilia die quinto (2), deinde sexto die terrestria (3), ac tandem homo (4). Et sic perfecto sex diebus cœli terræque opificio, septimo die, qui adhuc perdurat, requievit Deus, quia nullum jam amplius novum rerum genus creavit. Notant autem hujus concordiæ assertores, per sacrum textum non prohiberi, quin potuerint esse plures successive creationes viventium ita, ut productis tertio die quibusdam vegetalium speciebus, potuerint novæ aliæ subsequentibus diebus apparere, unde poterit forte reddi etiam ratio, cur nova cernantur in superioribus stratis genera viventium. Quia non videtur ea fuisse sacri scriptoris mens, ut sic singulis operibus singulis assignaret dies, quin posset opus uno die inchoatum altero die simul cum novo opere continuari.

In hac quidem concordia si ordo generatim spectetur, quem Moyses rerum productioni assignat, nulla gravis difficultas fieri potest ex Geologiæ certioribus decretis. Primum enim quamvis non desint, qui ante lucis apparitionem, quod opus est primi diei genesiaci, jam viventia quædam extitisse arbitrentur (5), communis tamen auctorum doctrina aliter sentit (6). Exploratum deinde est, quod attinet saltem organismos terrestrium viventium, prius extitisse vegetalia, quam animalia (7). Quod autem spectat ad viventium aquaticorum

(1) Ibid. ver. 14-20.

(2) Genes. cap. 1, v. 20-24.

(3) Ibid. v. 24-26.

(4) Ibid. v. 26 seqq.

(5) Ita v. g. Pozzy apud P. Corluy, Op. cit. p. 215.

(6) Cfr. Corluy, loc. cit.; Joann. Mir. Op. cit. cap. 22, art. 1, pag. 389.

(7) Clarus Reusch illud etiam non veretur asserere, quod possit admitti terrestes plantas prius extitisse, quam antiquissima animalia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

organismos, conceditur quidem communissime, quod in antiquissimis stratis, in quibus prima vitæ indicia deteguntur, adesse videantur exuviæ non marinarum dumtaxat plantarum, sed etiam animalium imperfectissimorum; nihilominus probari nequit ex stratorum inspectione prius animalia extitisse, quam plantas. Verum e converso, sin minus ex ipsa stratorum observatione (1), at ratione certe affirmandum est prius debuisse vegetalia creari, quam animalia, propterea quod, testantibus peritissimis scriptoribus (2), hæc illis ad vescendum seseque nutriendum egeant.

Nihilominus in componendis singillatim mosaicis diebus cum periodis variarum ætatum geologicarum est aliquod dissidium inter Concordistas, nec æque facile est omnium placita amico fœdere sociare. Nam quidam scribunt (3) antiquissimas palæozoicæ periodi straturas post quintum diem efformatas esse, quando jam non solum plantæ tertio die creatæ, verum etiam animalia saltem aquatica per opificium quinti diei existebant; et horum quidem opinioni nullum video ex biblica narratione creari posse incommodum. At vero alii terrena primitiva et transitionis cum suis formationibus usque ad permicam diei tertio attribuunt (4), immo etiam sunt, qui putent systema cambrianum et silurianum formatum fuisse sub aquis, dum adhuc duraret periodus diei secundi genesiaci, primam vero continentem terram tertio die ex congregatione aquarum in unum locum emersam, partim ad systema devonianum, partim ad supremum siluriamum pertinere. Atqui si hæc vera sunt, aperte pugnare videntur cum sacra pagina, quæ tertio diei plantarum, quinto aquaticorum animalium creationem assignat; in systematis

aquatica, terramque continentem jam tum ornasse, dum prima strata siluriana sub aquis maris formarentur (Op. cit. pag. 323, lect 20).

(1) Non desunt etiam, qui scribant reperiri strata quædam infima, in quibus plantarum quidem marinarum cernantur exuviæ, nullæ autem animalium. Vide v. g. Quenstedt apud Reusch (Op. cit. p. 321, lect. 20). Cfr. Corluy (p. 215).

(2) Vide illos laudatos a cl. H. Reusch, ibid. p. 322.

(3) Ita v. g. Reusch, pag. 323.

(4) Ita inter alios cl. D. Thomas *(Les Temps primitifs*, livr. prem. chap. 3.^me, pag. 57). Cfr. Rev. D. Hamard (in *Dictionario apologetico* por J. B. Jaugey, ad vocem *Dias del Genesis)*.

autem cambriano, saltem superiori, totoque siluriano multa cernuntur viventium vestigia.

Ad componendum hoc dissidium varie solet ex multorum scriptorum doctrina responderi. Alii censent Moysen non omnium prorsus viventium exordia docuisse, sed præcipuorum dumtaxat, qualia sunt terrestria vegetalia, et animalia non solum terrestria, sed etiam aquatica illa, quæ in *Genesi* commemorantur; de creatione autem moluscorum, zoophytorum, et generatim animalium marinorum aërea respiratione carentium, nihil dixisse; cum enim terram præcipue respiceret sacer scriptor, omittere potuit productionem eorum, quæ intra mare latitant. Itaque nec marinæ plantæ, nec animalia marina, quæ in antiquioribus formationibus reperiuntur, quamvis ante tertium diem genesiacum creata esse dicantur, videntur mosaicæ narrationi officere. Addunt etiam illud, cum sacer scriptor assignavit vegetalium creationem tertio diei, quinto autem animalium aquaticorum, noluisse præcise loqui exclusive, ita ut nec ante illos dies ullum genus eorum entium extiterit, nec potuerit in posterioribus illorum creatio continuari et absolvi; sed tantum voluisse docere quodnam fuerit præcipuum et characteristicum opus singulorum dierum. Jam vero experientia ipsa demonstrat ex geologicis observationibus tertio die supra modum floruisse potissimum vegetalia, quemadmodum patet ex formationibus carboniferis; quintus autem dies excelluit apparitione immanium animalium aquaticorum, et ingentium sauriorum, ac proinde hæc dici possunt quasi per antonomasiam opera illorum dierum (1). Secundo notant alii ad sacri textus veritatem minime requiri, ut credamus in eo servari ordinem narrandi chronologicum, quia forte Moyses ordinem dumtaxat tenuit logicum vel philosophicum, qui in eo consistit, ut divini opificii historia in certa capita distribuatur, sive res in iisdem contentæ eadem temporis successione contigerint, qua narrantur, sive secus: quemadmodum solent sæpe historiographi narrationem suam ita concinnare, ut in idem caput

(1) Vide cl. P. Corluy (Op. cit. pag. 202, 216, 221). Cfr. P. Joan. Mir (Op. cit. cap. 22, not. 1, pag. 389, cap. 34, art. 1, pag. 615), cl. Hamard *(Diccionario apologetico...* por F. B. Jaugey, ad vocem *Dias del Genesis)*, cl. Thomas (Oper. cit. chap. 11).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

res diversissimis temporibus gestas, prout argumentum postulat, rejiciant (1). Hæc aliaque similia, quæ a viris doctis et catholicis, permittente auctoritate ecclesiastica, scribuntur, hic tantum refero; neque enim mĕi officii est illa fusius expendere, multoque minus propugnare, cum non agam Geologum nec interpretem sacrarum Litterarum: quamvis fateor non omnia ista, quæ vel a catholicis Concordistis proferuntur, mihi penitus arridere. Quæ si vera sunt, facile patet nullam esse pugnam dissidiumve inter sacram narrationem et certiora Geologiæ ac Palæontologiæ inventa. Quod si divini libri contextus non patiatur ejusmodi interpretationes, iterum moneo deserendum esse, quidquid Geologia vel Palæontologia vel quævis alia humana scientia docuerit revelatæ veritati contrarium.

§ II.—Qualis fuerit primus status materiæ informis.

75. Altera jam succedit quæstio ad ordinem et processum creationis mundanæ pertinens. Diximus enim mundum non uno temporis puncto effectum esse, sed cum prius materia in statu informi et rudimentario creata fuisset, mox opera Dei pedetentim, concurrentibus etiam ipsis naturalibus viribus ad ultimam perfectionem evectam fuisse. Quæri ergo nunc potest, qualis fuerit status primæ illius materiæ informis, quem Græci vocarunt *chaos*, sicque descripsit Ovidius:

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere **Chaos**, *rudis indigestaque moles;*
Nec quidquam nisi pondus iners congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum (2).

Sententiæ Patrum et Scholasticorum circa materiæ informitatem.

Quo in loco commemoranda est in primis diversa loquendi ratio Patrum, negante S. Augustino, cæteris affirmantibus, informitatem materiæ tempore præcessisse formationem ipsius. Verum in hoc modo loquendi non est

(1) Vide Reusch (lect. 20, pag. 325, lect. 12, pag. 166-167), cl. P. Mendive (*La Religion católica vindicada* etc. cap. 14, vers fin.)
(2) Ovid. *Metamorphos.* lib. 1.

discrepantia quoad rem ipsam, quandoquidem S. Augustinus informitatem intellexit absolutam carentiam formæ cujusvis substantialis. Et quoniam materia prima, ut suo loco probandum erit, omni forma substantiali, saltem naturaliter, privari nequit, recte scripsit informitatem materiæ non tempore, sed sola rationis ordine, præcessisse formationem: in quo sensu Patres communissime et Scholastici procul dubio assentiuntur M. Augustino. Verum hi, cum negarunt informitatem materiæ tempore præcessisse formationem, materiam informem non intellexerunt materiam omni forma substantiali privatam, sed materiam actuatam formis imperfectioribus, et in rudi aliquo et incomposito statu constitutam, quæ proinde nondum assecuta sit *istam formositatem et decorem, qui nunc apparet in corporea creatura, et secundum hoc dicunt, quod informitas materiæ corporalis durathone præcessit formationem ejusdem* (1). Quare intelligendo informationem materiæ in hoc sensu diversitas opinionum est quoad rem ipsam inter S. Augustinum et alios PP. et Theologos communissime, qui creationem mundi successive peractam esse docuere, quemadmodum vidimus, in præcedenti controversia.

Quid sit materia informis: variæ opiniones.

Quid ergo est materia illa incondita et informis? Omissa opinione, tenente materiam informem aliud non esse, quam ipsam materiam primam omnis formæ expertem, fuerunt veteres quidam, qui materiam illam intellexerant materiam forma substantiali communi corporeitatis itemque quantitate actuatam, sine alia perfectione vel ratione formæ alicujus substantialis specificæ (2). Hæc quoque opinio falsum supponit, posse nempe dari materiam in sola communi ratione constitutam, quin ad ullam specificam rationem pertineat (3). Tertio alii veteres censent initio (præter cœlum empyreum) creasse Deum terram et aquam, ex quibus mox cætera confecerit (4). Alii denique ex antiquis scriptoribus docuerunt initio non

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 66, art. 1.
(2) Vide apud Suarez, *de Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 8, n. 5-6.
(3) Cfr. Suarez, loc. cit. n. 13-14.
(4) Ita Petavius (op. cit., lib. 1, cap. 3, n. 1, et cap. 4, n. 1), Alapide (*In Genes.* cap. 1, n. 1, explicans vocem *terram*), et alii ab eodem Alapide laudati.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terram solum et aquam, sed ignem etiam et aquam, nempe omnia elementa seu corpora, quæ dicunt simplicia, creata fuisse a Deo: nam quamquam nunc multo plura corpora simplicia agnoscant Physici, olim tamen sola quatuor illa putabatur esse elementaria, ex quibus mixta omnia seu chimice composita conflarentur. Hanc tenuisse videntur SS. Basilius (1), et Ambrosius (2), et postea Benedictus Pererius (3), Gregorius de Valentia (4), et Suarez (5) aliique. Informitatem vero hujusmodi materiæ dicebant fuisse accidentalem postremæ hujus sententiæ defensores, licet alii aliter rem explicarent. Alii nempe illam in defectu omnis ornatus et pulchritudinis ponebant, quia nempe nondum creata fuerant mixta, ac nominatim mineralia, quæ composita vel mixta ab antiquis habebantur, nec vegetalia nec animalia: quæ fuit Suarezii opinio (6). Alii autem informitatem illam in omnium primorum elementorum confusione ac permixtione sitam fuisse voluerunt, quia nimirum elementa in prima creatione credebant locis quæque suis distincta non fuisse, verum ita secundum minimas quasdam particulas, aliis alia permixta, ut discerni nullatenus possent. Ita rem explicavit Marsilius, eademque doctrina tribuitur Magistro Sententiarum (7), et Hugoni (8), et Eugubino (9). Et hæc sunt veterum placita circa primum statum informis et chaoticæ materiæ, unde mundus postea effectus et ordinatus est. Apud recentiores naturalium scientiarum cultores, ut omittamus nunc Cartesii aliorumque doctrinas, percrebuit non sine magnis laudibus hypothesis Laplaciana. Laplace prima totius systematis nostri solaris rudimenta constituit in quadam massa aëriformi, *nebulosam* dicunt, quæ totum spatium planetare repleverit. Tenuissima

Recentiorum opiniones.

Laplaciana hypothesis.

(1) Homil. 2 in *Hexaem.*
(2) Lib. 1 in *Hexaem*, cap. 6.
(3) *In Genes.* cap. 1.
(4) In 1.am part. disp.
(5) Suar. Op. cit. lib. 1, cap. 7, n. 1, 3 seqq.; cap. 8, et c. 10, n. 8, 11, 12.
(6) Loc. cit., cap. 8, v. 19.
(7) Dist. 12, paragr. 5.°, ac potissimum 6.°
(8) Apud S. Bonavent. 2.° dist. 12, in Comment. dub. 1.
(9) Apud Suarez, ib. n. 7.

hæc materia paulatim condensata est per mutuam particularem attractionem circa nucleum quemdam vel centrum, donec in ingentem globum coaluit. Interea materia illa rotatorio motu agitabatur, qui magis magisque debuit accelerari, crescente consequenter vi centrifuga, prout massa illa tota magis ac magis densabatur. In qua rotatione particulæ illæ, quarum vis centrifuga æquabat, aut superabat attractionem centralis massæ, avulsæ ab illa sunt; sicque demum alii et alii annuli efformati circa massam illam gyrantes, ex qua conflatus est sol. Annuli porro ejusmodi simili modo densati et ipsi atque in orbes conglobati, totidem confecerunt planetas, ex quibus minores alii annuli separati, ac mox pariter concreti et contracti satellitibus ortum dederunt. Sicque demum plurimis volventibus annis, integrum istud systema solare tandem ex tenuissima materia constitutum est. Idem dici poterit de singulis stellis, quæ totidem soles creduntur esse, suo circumdati planetarum comitatu. Et fortasse primigenia omnium materia fuit levissima quædam ac supra omnem captum nostrum extensissima massa vel nebulosa, quæ paululum circum quosdam nucleos concreta densataque, in plures alias discerpta est, quarum singulæ in totidem stellas vel solaria systemata sint transformatæ. Hæc, quorum summa tantum capita innuimus, fuse exposita videri possunt apud scriptores de re astronomica vel cosmogonica, et nominatim apud cl. Henricum Faye (1). Sententia hæc, si ponatur massam illam æriformem continuisse omnia elementa vel corpora simplicia plus minus confusa et permixta, prout asserit H. Faye, convenit, quod substantiam rei cum postrema veterum sententia circa primum statum materiæ informis vel chaoticæ, quam Deus creaverat initio (2). Quamquam nec

(1) *Sur l' origine du Monde.* Cfr. cl. Joann. Mir. *La Creacion*, cap. 1, art. 2; Rev. D. Homard in *Diccionario apologético* clari D. Jaugey, ad vocem *Cosmogonia*.

(2) «A l' origine l' univers se reduisait à un chaos général excessivement rare, formé de tous les éléments de la chimie terrestre plus au moins mêlés et confondus. Ces materiaux, soumis d' ailleurs à leurs attractions mutuelles, étaient dès le commencement animés de mouvements divers qui en ont provoqué la separation en lambeaux ou nuées. Ceux-ci ont conservé une translation rapide et des gyrations

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de summa illius massæ raritate, nec de modo, quo natum exinde fuisse mundum docent recentiores, vel minimam suspicionem veteres habuisse affirmari possit. Hæ sunt præcipuæ a doctis viris excogitatæ opiniones circa primigenium statum informis materiæ, primumque terminum divini opificii, quod ad tantam demum pulchritudinem, tam miram varietatem, tam splendentem ornatum tamque præstantem ordinem opera et consilio ejusdem sapientissimi Conditoris evectum est. Quia de re arduum est, quidpiam certi statuere. Revelatio enim penitus silet, traditio vero nihil constans de prima illa materiæ conditione docuit: ex experientia denique et observationibus geologicis nescio quid possit extundi. Videndum ergo est, utrum aliquid ex philosophicis principiis in hanc rem derivari queat.

Judicium Auctoris

Primum ante omnia supponendum est ex inferius probandis, corpora alia esse simplicia, alia chimice composita: hæc, quæ *mixta* dicebantur a Scholasticis, per actiones chimicas resolvuntur in alia; simplicia vero, quæ veteres *elementa* vocarunt, nequeunt ulterius in alia simpliciora resolvi, sed immediate, ut ita dicam, coalescunt ex materia et forma. Et hæc quidem prisci scriptores putabant alia in alia transformari posse, id tamen in statu præsenti naturalium scientiarum minus probabile videtur esse. Falsum etiam reputant recentiores Philosophi, sanius de hisce rebus sentientes, dogma illud multorum Physicorum, corpora ipsa simplicia opinantium ab uno aliquo primævo corpore, æther vel alio, ex varia minutissimarum particularum coagmentatione profecta esse. Quocirca corpora simplicia reapse talia sunt, quæ nequeant ex aliorum simpliciorum coagmentatione existere, sed actionem Dei creativam, ut existentiam sortiantur, requirant. Quæ cum ita sint,

Statuendum primo videtur, Deum initio creasse α) omnia corpora elementaria seu simplicia, β) suis consentaneis proprietatibus, ac nominatim quantitate virtutibusque activis et

intestines extrêmement lents. Ces myriades de lambeaux chaotiques ont donné naissance, par voi de condensation progressive, aux divers mondes de l' univers». Faye, Op. cit. chap. XIII, pag. 256, Paris 1885.

passivi, prædita, quas scholastici cum S. Augustino *rationes seminales* dixere (1); atque adeo hæc saltem omnia contenta fuisse in chaotico illo statu materiæ informis, qui primum, ut ita dicam, stadium constituerat divini opificii in creatione mundi. Primum horum α) patet, quia si materia sola absque ulla forma, vel cum sola communis forma corporeitatis, saltem naturaliter esse nequeat, primæ vero formæ, quæ materiam naturaliter actuare possint, sint formæ elementorum, nam formæ mixtorum non adveniunt, nisi præsuppositis elementis, ut suo loco dicendum erit; præterea si elementa alia ab aliis, spectata rerum natura, proficisci minus probabiliter dicatur; si miracula demum sine causa et ratione obtruderе non oportet; reliquum est, ut dicamus Deum in prima creatione omnia corpora elementaria produxisse, sicque quodammodo materiam, mox ad altiorem perfectionem ornatumque provehendam, parasse. Non enim apparet ratio, cur tum unum aut alterum dumtaxat, et non omnia simplicissima quæque creaverit. Alterum etiam β) probatur, quia natura sine miraculo privari nequit suis connaturalibus proprietatibus. Ergo elementa, quæ initio creata sunt, suas statim habuere proprietates activitatesque, et passivas potentias connaturales, sive rationes seminales, sive vires, sive energias, sive quocumque alio vocabulo appellaveris.

Quid rationes seminales.

Deus creavit initio omnia corpora elementaria,

rationibus seminalibus seu activis et passivis virtutibus prædita,

Deinde ob similem rationem dicendum videtur ætherem in primo illo creationis momento creatum fuisse. Nam ex altera parte existentia ætheris communissimo Physicorum calculo comprobatur, immo vero necessarius reputatur, ut corpora, quæ sese non contingunt, invicem agere queant. Cum ergo aliunde nec ex æthere cætera corpora gignantur, nec ipse ex aliis corporibus; debuit initio simul cum elementis creari.

itemque ætherem.

Tertio addendum est, in prima creatione materiæ nullum fuisse corpus vivum. Idque satis colligitur ex dictis in præcedenti controversia circa successivam rerum creationem; sive enim biblicæ narrationis ordinem attendamus, sive seriem

In prima creatione nullum fuit corpus vivum,

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 115, art. 2; 2.^a dist. 18, quæst. 1, art. 2; dist. 13, quæst. 1, art. 2; *de Verit.*, quæst. 5, art. 9 ad 8.^um

stratorum geologicorum, vita profecto corporea non fuit in mundo coæva materiæ.

Nequit tamen æque certo definiri, utrum primo sola elementa cum æthere creaverit Deus, an vero etiam simul mixta aliqua vel composita corpora effecerit: id enim absolute pendet ex voluntate divina. At nec revelatio, nec ratio, naturaliave ulla indicia nos docent, undenam opificium Creatoris initium duxerit, vel quisnam fuerit terminus primæ molitionis, utrum simplicissimum imperfectissimumque corporum genus, quod creari possit, an vero aliquid aliud præterea. Nihilominus modus, quem Deus tenet nunc communiter in operando, causas secundas ad ea omnia effecta adhibens, ad quæ naturales possident virtutes atque habilitates ab ipso sibi communicatas; fortasse suadet probabiliter, ut idem etiam initio creationis Deum fecisse existimemus, ut nempe elementis ipsis, suo utique concursu adjutis, coagmentandam commiserit mixtorum non viventium ingentem varietatem. *Mixtorum*, inquam, *non viventium*; nam viventia omnia, ut nunc obiter id innuamus contra omnium evolutionistarum transformistarumque somnia, specialem Dei operationem et interventum, ut primo in terris apparerent, certissime requisiverunt. Fieri enim nequit, ut ex solis materiæ brutæ vel inorganicæ viribus per quamcumque successivam evolutionem vivens aliquod vel organismus quantumvis imperfectus efflorescat. Necesse ergo est dicere Deum vel formas et animas viventium per se immediate produxisse, vel semina modo præternaturali a se producta terræ mandasse, vel terram ipsam altiori virtute fecundasse, ut viventia primo gigneret, qua mox paratis sibi secundum naturalem ordinem seminibus alia et alia individua efficiendo perpetua successione suam possent speciem conservare.

nec corpus chimice compositum; nec mixta ex naturalibus combinationibus.

viventia vero ex peculiari Dei interventu primum extiterunt.

Quod si Deus a simplicissimis exorsus voluit per elementa corpora mixta non viventia procreare; dicendum pariter videtur, in prima illa fabricatione materiæque, ut ita dicam, pro rebus mox successive perficiendis apparatu, elementa illa iis in locis eoque ordine distributa creasse Deum, qui conveniebat, ut exinde omnes hi globi cœlestes per spatia fluitantes, quales existunt ex vario corporum genere constituti, conflarentur. Cum enim perinde esset divinæ

Omnia elementaria seu simplicia corpora aptis initio locis sunt constituta, et apto donata ordine, ut mixte possent exinde coalescere.

potentiæ hic vel alibi elementa creare, ad sapientiam certe videtur spectare, ut ea non quasi temere projecta prius relinqueret, sed apte intuitu operis faciendi collocaret, ne cum ea, quæ prius confusa penitus fuissent, et inepte ad finem sita, vellet postea rite ordinare, videretur opus suum quodammodo corrigere. Verum hæc omnia probabiliter, ut opinor, conjectando dicta fuerint; non enim me latet, quidquid Deus, et quodmodocumque fecerit, absque sapientissimo consilio fieri non potuisse. Et hæc quidem satis indicant informitatem materiæ in primo divinæ creationis opere, quod nullam adhuc contineret vegetationem, nullam vitam, nullum ornatum, nullaque proinde commendaretur formositate ac pulchritudine, sed tantum immensam exhiberet elementorum congeriem et quasi materiæ farraginem, nobilissimæ fabricæ excitandæ præparatam.

Quid dicendum de Laplaciano systemate.

Si jam quæras; quid nominatim dicendum sit de primo statu materiæ ac successiva ejusdem in cælestes globos conformatione a Laplacio excogitata et exposita; respondebo primo, ut doctrina illa probabilitatem habeat, ponendum ante omnia esse, materiam totam massæ illius tenuissimæ, *nebulosæ*, sicut reliqua omnia, quæ præter Deum existunt, a Deo creatam fuisse, viribusque ac motu præditam, ut nuper dicebam, et apte distributam et collocatam, ut secundum divinæ sapientiæ consilium tales possent consurgere moles, quales ipsemet summus Creator omnium ab æterno præviderat, atque decreverat. Id equidem eo magis notandum esse puto, quod videam turbam materialistarum, positivistarum atheorumque, jactantium mundum hunc cum tota sua mirabili præstantia, magnitudine, varietate, ordine, absque ullo Dei interventu, ex increata quadam materia per successivam evolutionem extitisse. Atqui materia, nisi a Deo creata, existere nequit; a quo quidquid habet, necessario recipere debet; nec potest quidpiam assequi vel efficere, nisi donante et operante simul Deo. Itaque repugnat omnis cosmogonica hypothesis, quæ hoc primum non jaciat fundamentum, efficientiam causæ primæ potentissimæ, sapientissimæ providentissimæque, in qua sola sit primum principium ac prima ratio sufficiens tum ipsius materiæ, tum omnis motus et operationis vel effectus cujuscumque ab eadem procedentis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hæc vero positio, nisi verbis abutamur, non est *hypothesis*, ut loquuntur quidam etiam eorum, qui eamdem amplectuntur, sed veritas evidenti ratiocinio demonstrata, ut vidimus superius, qua nihil certius est in tota Philosophia.

Illud deinde animadvertendum est, Laplacianam doctrinam extendi non posse, quemadmodum jam nuper innuimus, ad explicandam originem viventium. Repugnat enim, ut id iterum dicam, metaphysice vitam incepisse in rerum natura per meram materiæ inorganicæ evolutionem.

Hisce præmissis, equidem non video philosophice repugnare, quod Deus ab initio creaverit materiam in eo statu raritatis ac tenuissimæ diffusionis, quem sub *nebulosæ* nomine intelligunt, et asserunt plerique naturalium scientiarum cultores. Utrum autem ex hujusmodi statu materiæ viribus instructæ, perque actiones ejus physicas, chimicas et mechanicas iisdem consentaneas, cooperante semper Deo, tamquam causa prima, *potuerit* mundus hic existere eo modo, quem Laplacius excogitavit, nostrum non est definire; nam quæstio est ad scientias naturales spectans, quarum professores in diversas abeunt sententias. Plerique affirmant, alii negant, rem eo prorsus modo potuisse evenire, nisi Laplacianum systema in variis capitibus emendetur (1). Utrum denique etiam admissa possibilitate, de facto ita mundus effectus fuerit, nequit cum certitudine asseri; nam potuit etiam multis aliis modis effici, qui repositi sunt in divinæ sapientiæ thesauris. Donec ergo detegantur idonea indicia, quæ modum creationis a Deo præ cæteris possibilibus electum demonstrent, res in ambiguo manebit.

§ III.—UTRUM AQUÆ, AN AUTEM IGNI POTIORES PARTES TRIBUENDÆ SINT IN TELLURIS FORMATIONE.

76. Tertia sequitur quæstio formationem terræ respiciens, quam video inter Geologos agitari, et placet breviter in hoc

(1) Vide cl. Faye *(Sur l' Origine du Monde*, chap. X, ubi doctrinam Laplacii expendit, et chap. XIII, in quo idem systema satis emendatum proponitur). Vide etiam Stallo *(La Matière et la Physique moderne*, 2.^ème édition, chap. XV). Cfr. cl. Joan. Mir. (Op. cit. cap. 1, art. 3, ubi plura, quæ hinc inde ab auctoribus hac de re adducuntur, fusius explanantur; item cap. 28, art. 4).

loco exponere: cui primæ deferendæ sint in formanda terra, aquæne, an igni. Duo enim hac in re vigent celeberrima systemata: *Plutonismus* seu *Vulcanismus* et *Neptunismus*, quorum primum vocatur etiam *theoria physica*, alterum *theoria chimica*. Utriusque hujus systematis patroni concedunt quædam deberi actioni aquæ, ac nominatim strata fossilifera; strata enim hujusmodi manifeste simillima sunt sedimentibus illis, quæ ab aquis stagnantibus relinqui passim videmus; cum vero ignis absumat penitus, ac devoret omnem organismum, formationes, in quibus jacent fossilia, igni tribui nequeunt. Conveniunt pariter omnes in eo, quod quædam alia igni tribuenda sint, quales sunt basaltæ aliæque rupes, quæ non servant formam regularium stratorum, præbentque indicia vulcanicorum effluviorum. In eo tamen dissident, quod Plutonistæ velint terram opera præcipue ignis conformatam fuisse: putant enim hunc nostrum planetam olim instar solis ignitum fuisse, ac mox paulatim propter caloris radiationem refriguisse, donec tandem extinctus est, et retracto igne in interiora, ubi adhuc vigescit, cortice vitreæ cujusdam materiæ circumdatum fuisse, ac tum demum, quæ prius ob nimium calorem in statu vaporis manebant, aquas effusissimis imbribus super terram descendisse, illamque penitus inundantes, potuisse varia strata fossilifera efformare. Quam doctrinam et ex vulcanis et ex aquarum ebullientium fontibus, ex calore usque crescente versus interiora terræ penetralia, et ex variis aliis argumentis conantur ostendere Vulcanistæ. Hæc est communior opinio inter recentiores, quam jam suo tempore promoverat Leibnitzius in sua *Protogæa*, et cujus prima semina jecisse videtur Heraclitus, omnia ex igne facta fuisse pronuntians.

Plutonismus vel Vulcanismus et Neptunismus in quo conveniant.

et in quo discrimineentur.

Adversus hanc doctrinam multis invehitur inter alios Carolus Lyell (1), et generatim Neptunistæ, qui aquam fuisse arbitrantur præcipuum agens in conformanda terra, tum per actionem mechanicam transvehendo huc illuc materialia sedimina jam concreta et solidificata, tum per actiones chimicas dissolvendo diversas substantias, sicque conficiendo varii generis crassamenta, qualia prostant in stratis. Quare terram

(1) *Principles of Geology*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

volunt initio fuisse compositam ex quadam massa liquidi aquosi, in qua permixta continerentur varia elementa partim in statu fere solido, partim in dissolutione, eamque massam ope cum operationum mechanicarum, ac nominatim pressionis, tum chimicarum combinationum, liquidum statum cum solido commutasse. Quare graniticas rupes, porphyritem aliaque bene multa mineralia, quæ Plutonistæ igni tribuenda esse contendunt, Neptuniani e converso putant esse aquea deposita vel *præcipitata*, ut Chimici loquuntur, quæ per successivas transformationes et chimicas combinationes in solidissima volumina molesque ingentes solidorum corporum transierint. Hanc theoriam, licet minus communem, adhuc tamen tuentur nec ignobiles nec omnino pauci geologicarum rerum periti. Verum hæc nobis innuisse sufficiat, donec aliquid firmioribus argumentis fulcitum a naturalibus scientiis porrigatur, quod Philosophia ad ordinem et processum mundanæ creationis declarandum mutuari queat. Quæ autem montium, insularum terrarumque continentium et aliarum partium hujus nostri planetæ formationem spectant, apud Geologos quærenda sunt.

CAPUT III.

DE MUNDI ÆTATE.

Jam quod tertium attinet eorum, quæ ad mundi originem exponendam promisimus, tria omnino tractanda sunt: 1.° utrum sit necessitas æternæ creationis; 2.° utrum ab æterno creatus sit mundus; 3.° utrum ab æterno creari potuerit.

ARTICULUS I.

Utrum necesse sit mundum æternum asserere.

Errores contrarii recensentur.

77. «Omnes pene Philosophi, qui ante Aristotelis tempora fuere, scribunt Conimbricenses, in eam sententiam conspirarunt, ut crederent mundum sub ea saltem facie

rerum, contextu et absolutione, quam nunc habet, non ex æternitate, sed initio temporis constitisse. Ita nimirum sensit Trismegistus, e cujus fontibus universa Græcia bibisse dicitur; ita Musæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Hesiodus et Homerus, qui res divinas poëtice scripserunt; ita Anaxagoras Zoroastes, Melissus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus et Zareta Chaldæus, quem Pythagoras audivit, et secutus dicitur, tametsi Tertullianus in *Apologetico* mundum Pythagoræ ingenitum dicat» (1). Quamquam ii omnes, sicuti etiam Plato, materiam saltem mundi æternam videntur posuisse, quam alii aliter successu temporis conformationem hanc et ordinem accepisse putavere (2). Primus ergo videtur Aristoteles docuisse mundum secundum illum ordinem et ornatum, quem nunc habet, ab æterno fuisse (3). Magistrum suum veteres Peripatetici secuti esse perhibentur (4), itemque Proclus in eo libro, quem de *Æternitate mundi* scripsit, et Averroes. Eorumque vestigiis insiterunt Robinetus (5), et quotquot mundum esse autumant effectum necessarium Dei (6). Opinio vero ista mundum sive quad solam materiam,

(1) Conimbric., *Physicor.* lib. 8, cap. 2, quæst. 1, art. 1.

(2) Vide S. Thom., 2.ª dist. 1, q. 1, art. 5; et Arist. *de Cœl.* lib. 1, c. 10. Vide ib. Conimbric.

(3) Vide S. Thom., 2.ª dist., q. 1, art. 5; Pereira, *de Communib. princip. omn. rer.*, lib. 15 in prœm.

(4) Sunt, qui Philosophum velint hac in re excusatum: immo vero etiam a S. Thoma de hac labe purgatum fuisse contendunt (in 1.ª part., quæst. 46, art. 1. Cfr. 1.ª dist. 1, quæst. 1, art. 1). Nihilominus Bened. Pererius (*de Commun. omn. rer. natural. princip.* lib. 15 in prœm.), Toletus (*Physicor.* lib. 8, q. 1), Conimbric. (*Physicor.* lib. 8, c. 2, q. 2, art. 1), et alii errorem illum tribuunt Aristoteli, quibus præivit ipsemet Angelicus Doctor non uno in loco. Vide v. g. lib. 12, *Metaph.* lect. 10, fin.; *Meteoror.* lib. 1, lect. 3, paragr. *g*. Cfr. 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 5.

(5) *De la Nature*.

(6) Hunc errorem docuerat Victor Cousinus in priori editione sum *Introductionis ad Historiam Philosophiæ*, quem tamen correxisse dicitur in posterioribus editionibus ejusdem operis, et in appendice *Eclaircissement 11*; ubi mentem suam exponens, se creationem non *physice*, sed *moraliter* dumtaxat necessariam reputare scribit, quam moralem necessitatem «confundere videtur, inquit Card. Zigliara in suo *Cursu philosophico* (tom. 2, cap. 3, art. 9), cum summa convenientia petita a sapientia et bonitate Dei».

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sive quoad materiam simul cum ornatu et ordinatione sua, necessario esse ab æterno procreatum pronuntians, erronea est in Fide ac plane hæretica, ut notat S. Thomas (1), quam catholici scriptores uno ore respuunt, et ineluctabilibus argumentis profligant.

78. PROPOSITIO. **Nulla est necessitas æternæ creationis.**

Nulla est creationis æternæ necessitas.

Probatur. Necessitas æternæ creationis peteretur vel ex parte ipsius mundi, vel ex parte Dei. Atqui ex neutro capite adest ulla necessitas hujusmodi. Ergo.

Prob. Minor. per partes. 1.° *Non ex parte ipsius mundi.* α) Necessitas æternæ creationis ex parte mundi in alio consistere nequit, quam quod mundus ex sua natura postulet ab æterno creari. Atqui mundus certissime non postulat ab æterno creari. Sane quod est omnino indifferens ex sese ad existendum vel non existendum, nequit profecto ex sua natura exigere, ut ab æterno creetur. Atqui mundus, ut constat ex superius probatis, est ens contingens, atque adeo penitus indifferens ad existendum vel non existendum. Ergo non postulat ab æterno creari. β) Necessitas hæc æternæ creationis vel intelligeretur quoad omnes mundi partes, vel quoad aliquas. Atqui non quoad omnes, quia multa passim experimur de novo fieri. Neque quoad aliquas, nam cum omnes æque sint entia ab alio, nulla assignari potest, quæ alterius sit in hoc conditionis ab iis, quæ in tempore singulis horis venire ad existentiam videmus.

2.° *Non ex parte Dei.* **Prob. 1.°** Nam necessitas ab æterno creandi in Deo fingi non potest, nisi vel α) ratione necessitatis, quam habeat in operando; vel β) ratione immutabilitatis; vel denique γ) ratione finis alicujus sibi prorsus necessarii, quemque non possit omnino assequi sine mundi creatione. Jam vero α) Deus liberrimus est in omni operatione ad extra, ita ut possit vel agere vel non agere, et agere quando lubeat, ut nunc supponimus ex demonstrandis in *Theologia naturali*. Deinde β) Deus operando nihil immutatur, sed sive effectus ex vi omnipotentiæ suæ existat, sive non existat, perinde se habet, cum sit actus purissimus, cui

(1) 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 5.

nihil accrescere vel advenire, nihil detrahi omnino potest in sua natura et perfectionibus. Neque vero cum incipit extrinsecus effectum ponere, novum consilium habet, aut præcedens immutat, sed æterno consilio operatur quod vult, quando vult, et quomodo vult. Immo vero nihil penitus in seipso immutatur, sive ab æterno decernat aliquid facere, sive careat hujusmodi decreto. Quæ omnia nunc supponantur; suo loco certissimis argumentis demonstrabuntur: quamquam fatendum est, capi a nobis satis non posse in hac mortali vita, quomodo libertas et immutabilitas divina, quas ratio et Fides indubitate docent, amico fœdere jungantur in illa simplicissima plenitudine possibilis omnis perfectionis. Verum id non indicium falsitatis, sed manifestum argumentum nostræ imbecillitatis est.

Denique γ) Deus cum nullius rei egeat, nihil potest extra se quærere. Quamobrem non potest sibi ullum finem proponere necessarium, ad quem obtinendum creare ab æterno debeat. Vel aliter si mavis. Libera voluntas nihil vult necessario nisi finem ultimum, et media ad illum obtinendum necessaria. Atqui nihil creatum potest esse finis divinæ voluntatis, nec medium necessarium ad illum obtinendum. Quemadmodum enim alibi probandum erit, primarium objectum et finis omnis divinæ operationis est infinita Dei bonitas, non assequenda, sed aliis libere communicanda, quæ est ipsa ejus essentia, sibi sufficientissima, summeque independens ab omni prorsus externa re. Totam istam demonstrationem præclare expositam vide apud S. Thomam (1).

Deus itaque, ut verbis utar Concilii Vaticani, *re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus... bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corpoream, angelicam videlicet et mundanam etc.* (2).

(1) *Contra Gent.*, lib. 2, cap. 31, ab initio.

(2) Concil. Vatic., *Constitut. de fide cathol.*, cap. 1; vide apud Benzinger, *Enchirid.*, n. 1631, 1632.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIGITALIZADO POR EL CENTRO DE RECURSOS DIGITALES

Prob. 2.° Æterna mundi creatio ex necessitate operandi, quam Deus habeat, petita, excluditur præterea in hunc modum. Si Deus ex necessitate mundum produxisset, produxisset omnium possibilium perfectissimum, itemque creasset in eo, et quidem ab æterno possibilia omnia entia. Atqui mundus hic profecto possibilium omnium perfectissimus non est; neque in eo existit ab æterno quidquid est possibile. Ergo...

Major patet, quia hæc est causarum necessariarum conditio, ut agant, quidquid agere possunt. Minor vero non minus est manifesta, tum quia mundum finitum esse, eumdemque non omnium possibilium perfectissimum, superius demonstratum est (1), tum quia præter illa, quæ existunt, alia multa esse possibilia, et ex eadem contra Optimistas instituta disputatione et ex demonstratis in *Ontologia* (2) dubitari nequit; quod vero non omnia, quæ sunt in mundo, ab æterno existant, ipsi oculis nostris videmus.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

79. **Objic. 1.°** Posita causa sufficienti mundi, necesse est ipsum poni. Sed Deus est ab æterno causa sufficiens mundi. Ergo mundus ab æterno est. Ita Robinetus (3), vetera recoquens (4).

Resp. dist. Major.: si agatur de causa necessaria, *conc.*; si agatur de causa libera, *neg.*

Et *contradist.* Minori, *neg.*; conseq.

Objic. 2.° Idem manens semper idem, aut nihil facit, aut semper facit idem. Sed Deus semper manet idem, cum sit immutabilis. Ergo aut nihil facit, aut semper facit idem, ac proinde vel mundum nunquam creavit, vel ab æterno jugiter creat (5).

(1) Num. 28.
(2) Num. 234, pag. 647 seqq.
(3) Op. cit., vol. 3, part. 6, cap. 28.
(4) Vide apud S. Thom. *de Potent.* quæst. 3, art. 17, arg. 4.°; 1 p., q. 46, art. 1, arg. 9; *Contr. Gent*, lib. 2, cap. 32, arg. 3.°
(5) Cfr. S. Thom. *de Potent.* quæst. 3, art. 17, arg. 6.

Resp. *dist.* Major.: si agat ex necessitate naturæ *conc.*; si agat per intellectum et voluntatem *neg.*

Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. supposita divina libertate in operando. Et ratio est, quia *cum omne agens agat sibi simile, oportet quod effectus hoc modo sequatur a causa efficaciter operante, quod similitudinem causæ retineat. Sicut autem quod est a causa naturaliter agente, retinet similitudinem ejus, prout habet formam similem formæ agentis; ita quod est ab agente voluntario, retinet similitudinem ejus, prout habet formam, similem causæ, secundum quod hoc producitur in intellectu, quod est in voluntatis dispositione, ut patet de artificiato respectu artificis. Voluntas autem non disponit solum de forma effectus, sed de loco, duratione et omnibus conditionibus ejus: unde oportet, quod effectus voluntatis tunc sequatur, quando voluntas disponit, non quando voluntas est. Non enim secundum esse, sed secundum id, quod voluntas disponit effectus voluntati assimilatur. Licet igitur voluntas semper sit eadem, non tamen oportet, quod semper ex ea effectus sequatur* (1).

Instabis 1.° Agens quod non semper agit mutatur, quando agit. Sed Deus mutari nequit. Ergo aut nihil agit, aut semper et ab æterno agere debet (2).

Resp. *dist.* Major. Si actus, quo agit, aliquid reale adjungat ipsi agenti, *trans.*: si nihil reale adjungat, *neg.*

Et *concessa* Minore, *neg. conseq.* Nam ex eo quod effectus ponatur, vel non ponatur in rerum natura, nihil reale advenit, vel detrahitur Deo.

Instabis 2.° Vis activa in Deo semper est in actu, estque ipsa Dei essentia. Ergo Deus essentialiter est activus et Creator, ac proinde non potest non creare ab æterno.

Resp. *dist.* antec. quoad 1.^um membrum. Vis activa in Deo semper est in actu entitative, id est, actu semper inest Deo, nec potest ab eo recedere, *conc.*; terminative, id est, vis activa semper ponit effectum, *neg.*

Dist. pariter 1.^um membrum consequentis. Deus essentialiter est activus et creator quoad virtutem creandi, *conc.*;

(1) S. Thom. *de Potent.* loc. cit. ad 6.^um
(2) Cfr. apud S. Thom. 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quoad actualem positionem termini, *neg.*, et *neg*, etiam 2.um membrum consequentis.

Instabis 3.° Deus essentialiter est causa. Sed causa necessariam importat relationem ad terminum existentem. Ergo Deus nequit non ab æterno creare.—**Resp.** eodem modo *distinguendo* Major. Deus est essentialiter causa in actu primo, quia est virtus omnipotens, *conc.*: est causa in actu secundo, quia actu efficit terminum ex necessitate suæ essentiæ, *neg.* Et *contradist.* Minore *neg.* conseq.

Instabis 4.° Actio creativa est æterna, nam unum idemque est cum Dei essentia. Ergo, repugnat, ut effectus pariter non sint æternus (1).

Resp. dist. antec. Actio creativa entitative et inadæquate sumpta, *conc.*, terminative et adæquate sumpta, *neg.* Nam actio terminative sumpta importat actualem termini existentiam, adæquate vero sumpta utrumque complectitur, et realitatem, quam creatio dicit in Deo, nempe ipsam divinam essentiam, et connotationem actualis emanationis termini a Deo: quæ connotatio non adest, donec adsit ipsa actualis emanatio. Actualis autem emanatio non est ab æterno, sed tum, cum Deus libere decrevit secundum suæ sapientiæ consilium. Et hæc quidem ex opinione, quam tamquam probabiliorem amplexi superius fuimus circa naturam actionis creativæ. In sententia vero illa, creationem reponente in actione formaliter transeunte, quæ sit modus, difficultas hæc nihil urget, sed solvitur negato antecedenti.

Instabis 5.° Deus ab æterno decrevit condere mundum, et quidem efficaci voluntate. Atqui voluntas æterna, et ab æterno efficax, æternum habeat effectum, necesse est (2).

Resp. *dist.* Major. Deus ab æterno decrevit mundum in tempore, ideoque voluntate ab æterno quidem efficaci, sed non pro tota æternitate, *conc.*; aliter, *neg.*

Contradist. Minor. Si sit efficax pro tota æternitate, *conc.*; si sit efficax pro tempore dumtaxat, quia nempe decrevit, ut effectus non existeret ab æterno, sed in tempore, *neg.* Finge

(1) Cfr. apud S. Thom. 1 p., quæst. 46, arg. 10, art. 1.
(2) Vide apud S. Thom. 2.m dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 14.

enim aliquem habere hodie firmum propositum postridie iter aggrediendi. Voluntas quidem illa jam nunc efficax est, sed non pro hodierna die, quia non hodie, sed postridie dumtaxat effectum sortietur ex libero ipsius decreto. Cæterum licet sæpe apud homines voluntas ideo differat actionem ad aliud tempus, quia in præsentia est aliquod impedimentum; at voluntas Dei æterna non retardat effectum ob ullum impedimentum, sed solum ex liberrimo consilio suæ sapientiæ.

Objic. 3.° Si mundus non fuit actu creatus ab æterno, Deus fuit in potentia ad creandum, atque adeo transivit de potentia in actum; nam cum prius non egisset, incepit mox agere. Atqui hoc est contra Dei immutabilitatem. Ergo... Ita iterum Robinetus (1), jam diu ab Angelico explosa renovans (2).

Resp. *neg.* Major. Etenim ratio ista *procedit de agente, quod incipit agere actione nova. Sed Dei actio est æterna, cum sit sua substantia. Dicitur autem incipere agere, ratione novi effectus, qui ab æterna actione consequitur secundum dispositionem voluntatis, quæ intelligitur quasi actionis principium in ordine ad effectum* (3).

Instabis. Sicut repugnat actio, quæ nullum habeat terminum, ita repugnat actio æterna, cujus terminus æternus non sit. Ergo si creatio dicitur esse æterna, semperque fuisse in Deo, mundus æternus esse debuit.

Resp. *dist.* antec. Si sermo sit de actione prædicamentali, *trans.*; si sermo sit de actione non prædicamentali, sed longe excellentiori, *subdist.*: repugnat actio adæquate ac terminative æterna, cujus terminus non sit æternus, *conc.*; actio solum entitative et inadæquate æterna, terminative autem temporalis, *neg.*

Et simili modo *dist.* conseq.

Objic. 4.° Nihil movet voluntatem divinam ad agendum, nisi bonitas Dei. Sed bonitas divina semper eodem modo se

(1) Loc. cit., cap. 32.
(2) Vide *de Potent.*, quæst. 3, art. 17, arg. 12; 2.a *Contr. Gent.* cap. 32, arg. 2.°
(3) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 12.m

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habet. Ergo semper et ab æterno movit voluntatem ad creandum, atque adeo ab æterno creavit (1).

Resp. *conc.* Major. accipiendo motum in sensu latiori, quia *si motus proprie accipiatur, divina voluntas non movetur: sed metaphorice loquendo dicitur moveri a suo volito, et sic sola Dei bonitas movet ipsam* (2), quatenus est ratio, cur decernit agere quidquid agit.

Conc. etiam Minor. et primum conseq., sed alterum *nego*; quia licet ab æterno proposuit, ac decrevit creare propter suam bonitatem, tamen non decrevit, ut creatio effectum haberet ab æterno, sed in tempore.

Objic. 5.° Si Deus non ab æterno creavit, id fuit, vel quia non potuit, vel quia nescivit, vel quia noluit. Primum horum facit Deum impotentem; alterum, ignorantem; tertium, invidum. Ergo Deus dicendus est ab æterno creasse. Ita Robinetus (3) et Auctor *Litterarum Persanarum* (4). Procli argumentum (5), ab Angelico et Scholasticis dudum profligatum, instaurantes. Et confirmari res posset auctoritate ipsius S. Augustini, qui simili usus est argumento (6), ad probandam coæternitatem et cœqualitatem Filii ad Patrem.

Resp. *conc.* Major. eligendo tertium membrum: et *neg.* Minorem quoad tertium membrum. Deus enim nihil debet ulli creaturæ, sed omnia creavit ex pura liberalitate, communicans singulis entibus quidquid perfectionis habent, cum potuisset nihil prorsus creare. An dices invidum figulum, quia vasi non majorem perfectionem contulit, aut quia serius illud finxit, cum potuisset prius fingere? Apage nugas! Aliter vero dicendum fuisset, si res ipsæ creatæ vel creandæ creationem æternam requisivissent. Quare ratio, qua S. Augustinus argumentatus est contra Maximum, *non est efficax de mundo. Quia cum natura Filii sit eadem cum Patre, requirit æternitatem et æqualitatem Patris; quæ si sibi subtraheretur, invidiæ esset. Non autem hoc requirit natura creaturæ; et ideo non est simile* (1).

(1) Apud S. Thom. *de Potent.*, loc. cit., arg. 14. Cfr. ibid arg. 26; 2.ª dist 1, quæst. 1, art. 5, arg. 12.
(2) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 14.um
(3) Loc. cit., cap. 42.
(4) Epist. 99.
(5) Apud S. Thom. *de Potent.*, loc. cit., arg. 22.
(6) *Contr. Maxim.*, lib. 3, cap. 7, et 8 a med., et cap. 23.

Instabis. Sunt plura, quæ requirunt semper esse, nempe incorruptibilia omnia. Ergo saltem hæc ab æterno creari debuerunt; videlicet ne Deus denegans rebus creatis id, quod naturaliter exigunt, invidiæ insimulari posset (2).—**Resp.** *dist.* antec. Sunt plura, quæ antequam creentur, requirunt semper esse, *neg.*; postquam existunt a Deo creata, requirunt semper esse, *trans.*

Et *neg.* conseq.; quia ut jam in probatione notatum fuit, omnis res creata vel creabilis, utpote essentialiter ens contingens, essentialiter quoque indifferens est ad existendum, vel potius ex se est *intrincese possibilis* duntaxat, seu non repugnat ei, ut producatur. Substantiæ vero incorruptibiles dicuntur exigere semper esse; non quia exigunt, ut creentur, sed quia postquam creatæ sunt, non habent intrinsecum principium corruptionis, ideoque destrui ab agentibus naturalibus nequeunt. Et quia Deus naturaliter loquendo non desinit conservare res in esse, nisi quando ipsæmet ex naturalium causarum actione fatiscunt, et ineptæ ad existendum absque miraculo redduntur; idcirco e converso substantiæ spirituales ac naturaliter incorruptibiles dicuntur exigere semper esse, vel jus habere, ut conserventur a Deo. Adhuc tamen Deus reapse *non tenetur* absolute illas conservare, quia est summus omnium dominus ac plenissime independens, sed posset illis influxum, quo in *esse* durant, retrahere, absque ulla invidiæ vel ullius alterius dedecoris nota, et ipsæ consequenter possunt absolute perire: unde non exigunt semper esse, nisi sub ea implicita conditione, quod Deus agat cum illis secundum naturalem earundem conditionem.

Objic. 6.° Deus facit, quod melius est. Atqui melius est mundum ab æterno, quam in tempore, creare. Nam majoris est liberalitatis citius dare, quam tardius. Bonitatis autem divinæ infinita est liberalitas. Ergo... (3).

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 22.um
(2) Cfr. S. Thom. loc. cit. arg. 2; 1 p. quæst. 46, art. 1, arg. 2.°; 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 1.°, 2.° et 3.°; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 23, arg. 1.° et 2.°
(3) Vide apud S. Thom. *de Potent.* loc. cit., arg. 8.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* Major. Quod absolute ac simpliciter in seipso melius est, *neg.*, nam jam probavimus contrarium, cum exclusimus optimismum. Quod est melius relative, spectato fine libere sibi proposito, *conc.*

Contradist. Minor. Ipsi mundo absolute in se spectato melius fuisset, quod Deus ab æterno illum creasset, *trans.*; Deo melius fuisset mundum ab æterno creare, vel ipsi etiam mundo id melius fuisset relative et spectato fine, quam Deus sibi proposuit in eo condendo, *neg.* Et nego pariter probationem.

Etenim cum Deus creaturas ad manifestationem sui produxerit, *convenientius fuit et melius, ut sic producerentur, sicut convenientius et expressius eum poterant manifestare. Expressius autem manifestatur ex creaturis, si non semper sint; quia in hoc manifeste apparet, quod ab alio eductæ sunt in esse, et quod Deus creaturis non indiget, et quod creaturæ omnino divinæ subjacent voluntati* (1) Et ratio est, quia mundus, ex dicendis, creatus fuit ad repræsemandam divinam bonitatem; sed nequit illam repræsentare *per modum æqualitatis; sicut effectus univocus suam causam repræsental, ut sic oporteat ab infinita bonitate æternos effectus produci; sed sicut excedens repræsentatur ab eo, quod exceditur. Excessus autem divinæ bonitatis supra creaturam per hoc maxime exprimitur, quod creaturæ non semper fuerunt; ex hoc enim apparet expresse, quod omnia alia, præter ipsum, eum habent sui esse auctorem, et quod virtus ejus non obligatur ad hujusmodi effectus producendos, sicut natura ad effectus naturales; et per consequens quod est voluntate agens et intelligens: quorum contraria quidam posuerunt, æternitatem creaturarum supponentes* (2).

Objic. 7.° Deus certe præcedit aliquo modo mundum. Ergo vel tantum natura, vel etiam durationc. Si tantum natura: ergo mundus Deo æqualis est, atque adeo æternus. Si autem præcedit durationc: ergo est duratio prior durationc mundi, et hæc illa posterior. Sed prius et posterius in durationc constituunt tempus. Ergo ante mundum fuit tempus: quod est contradictio in terminis; quia cum tempus supponat

(1) S. Thom. *de Potent.*, loc cit. ad 8.um.
(2) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 35 fin.

motum et mobile, ac proinde mundum, ponere tempus ante mundum perinde est, ac ponere tempus ante tempus, id est tempus sine tempore. Ita Aristoteles et Proclus (1), et longo post tempore Kantius (2).

Resp. *conc.* antec et conseq. eligendo alterum membrum. Et ad id, quod ex inde infertur, dico ante mundum præcessisse durationem æternam, quæ simplicissima cum sit, æquivalet cum excessu perfectionis infinito tempori; quia absque reali successione ac mutatione secundum prius et posterius in sua actuali præsentialitate cŏexistere potest cuivis successioni prioris et posterioris, excedendo semper quodlibet possibile prius et posterius, quod assignari queat. Porro prius et posterius, quæ actu sint, constituunt tempus reale; quæ vero actu non sint, sed tantum potuerint esse, constituunt tempus dumtaxat possibile et imaginarium Quare ex tota argumentatione id unum consequitur, si Deus durationc præcessit mundum, ante hoc tempus reale fuisse tempus aliquod possibile, seu tempus hoc antiquius esse potuisse; quæ omnia libenter concedimus, verum nullam involvunt repugnantiam. Ad rem Aquinas: *Deus præcedit mundum durationc, non quidem temporis, sed æternitatis, quia esse Dei non mensuratur tempore. Nec ante mundum fuit tempus reale, sed solum imaginarium, prout scilicet nunc possumus imaginari infinita temporum spatia æternitate existente potuisse revolvi ante temporis inceptionem* (3). Verum de tempore deque iis, quæ ad tempus spectant, inferius disputabitur.

Difficultas hæc solet etiam sub illis terminis proponi: Tempus sempiternum sit, oportet. Ergo et mundus, sine quo tempus esse nequit. Prob. antec. Nam qui negat tempus esse sempiternum, hoc ipso affirmat. Sane qui negat tempus semper fuisse, affirmat tempus *aliquando* non fuisse, *prius* non fuisse et *postea* fuisse. Atqui verba hæc: *aliquando, prius, posterius*, significant tempus. Ergo qui negat tempus

(1) S. Thom. *de Potent.* loc. cit. arg. 20; 1 p., q. 46, ar. 1, arg. 8; 2.ª dist. 1, quæst. 1, arg. 7; *Cont. Gent.* lib. 2, cap. 33, arg. 5.º et 6.º
(2) *Critic. ration. pur., Dialect. transcend.* lib. 2, cap. 2, sect. 2.
(3) S. Thom. *de Potent.*, loc. cit. ad 20.um Cfr. 1 p., q. 46, art. 1, ad 8.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

semper fuisse, ponit tempus ante tempus. Ne ergo hujusmodi absurdum admittere cogamur necesse est dicere tempus semper fuisse.—Exsufflatur autem tota hæc machina sola distinctione temporis realis et possibilis, prout jam declaratum manet.

Objic. 8.° Deus unico actu vult et suam bonitatem et alia extra se. Atqui suam bonitatem vult ab æterno esse. Ergo etiam alia.

Resp. dist. Major. Unico quidem actu, sed diversa ratione atque habitudine, *conc.*; eadem, *neg.* Quamobrem quia Deus alia a se non vult necessario, quia his nullatenus eget; vult quidem eodem actu æterno, quo se vult, sed non vult, ut sint ab æterno, verum in tempore, ut jam dictum est.

Objic. 9.° Id quod nec initium nec finem habere potest, æternum est. Atqui tempus nec initium nec finem habere potest. Ergo æternum est; et consequenter ipse mundus.

Prob. Minor. Quidquid est semper in principio et fine sui, nec desinere, nec incipere potest, sed semper fuit, et semper erit; quia quod incipit, non est in suo fine, quod autem desinit, non est in suo principio. Sed tempus semper est in suo principio et fine; quia nihil est temporis nisi *nunc* vel instans præsens, cujus definitio est, quod sit finis præteriti et principium futuri. Ergo tempus nec initium nec finem habere potest (1).

Resp. hæc ratio aperte petit principium. Nam *prius et posterius est in tempore*, inquit S. Thomas, *secundum prius et posterius in motu*, quemadmodum suo loco explicabitur. *Unde principium et finis accipienda sunt in tempore, sicut et in motu. Supposita autem æternitate motus, necesse est, quod quodlibet momentum in motu acceptum, sit principium et terminus motus*, quia nempe in motu sempiterno nulla pars prima potest assignari, sed qualibet assignata potest alia prior assignari. Id tamen necesse non est, si motus incipiat, ut constat vel ipsa experientia motuum, quos videmus initium et finem habere. *Et eadem ratio est de* nunc *temporis. Et*

(1) Vide apud S. Thom. 1 p., q. 46, art. 1, arg. 7; 2.° dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 5.um

sic patet, quod ratio illa instantis nunc, *quod semper sit principium et finis temporis, præsupponit æternitatem temporis et motus* (1). *Propositio* ergo *illa* asserens quod omne nunc sit finis præteriti et principium futuri, *non potest probari nisi ex suppositione ejus, quod per eam concluditur; et ideo patet, quod non sit demonstratio* (2). *Unde Aristoteles hanc rationem* allatam in objectione inducit in 8.° *Physicorum* (text. 10) *contra eos, qui ponebant æternitatem temporis, sed negabant æternitatem motus* (3), argumento videlicet *ad hominem*. De modo autem, quo tempus et generatim successiva incipiunt, ac desinunt esse, inferius, Deo volente, disputandum erit.

Objic. 10. Si mundus non creatus fuisset ab æterno, assignari posset temporis possibilis punctum, in quo potius, quam in alio, creandus esset. Atqui nequit assignari hujusmodi punctum temporis: nam omnia possibilia puncta temporis æque indifferentia et apta per se sunt, ut in eis mundus crearetur. Ergo necesse est dicere non potuisse non ab æterno creari mundum.

Resp. *dist.* Major. posset assignari a nobis, *neg.*: a Deo, qui liberrime ac sapientissime potest unum præ alio tempus eligere, *conc.*—Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Has aliasque objectiones fuse solutas vide, si lubet, apud S. Thomam locis citatis, et apud Benedictum Pererium, qui duodecim Aristotelis et viginti Procli, itemque duodecim Averrois, et alia præterea duodecim argumenta ad probandam necessitatem æternæ creationis colligit, et singillatim dilucide dissolvit in egregio suo opere de *communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus* (4). Quibus certe nihil novi addiderunt recentiores aut assertores aut impugnatores necessitatis æternæ creationis.

(1) S. Thom., 1 p., q. 46, art. 1 ad 7.um
(2) S. Thom. 2.° dist. 1, q. 1, art. 3 ad 5.um
(3) S. Thom., 1 p., q. 46, loc. cit.
(4) Lib. 15, cap. 1-10. Cfr. Conimbric. *Physic.* lib. 8, cap. 2, q. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS II.

Utrum mundus creatus fuerit in tempore.

80. Exclusa æternæ creationis necessitate, videndum est quid de facto locum habuerit: quamvis enim necesse non sit mundum ab æterno creatum fuisse, nequit tamen exinde illico inferri temporaneum illum esse, nisi supponatur repugnantia creationis æternæ. Cum ergo longe certius sit mundum æternum non esse, quam quod non potuerit ab æterno creari, factum temporaneæ creationis prius statuere placet, relicta ad sequentem articulum quæstione de creationis æternæ possibilitate. Illud autem ante omnia notandum est temporaneam mundi creationem, quamvis sit dogma Fide divina certissimum, demonstrative probari non posse, quemadmodum diserte docet S. Thomas (1); si enim nulla est creationis æternæ aut necessitas aut repugnantia, quemadmodum partim demonstratum est, partim probabitur ex communissima sententia, plane sequitur a divina tandem libera voluntate pendere, utrum ad æterno, an vero in tempore creatus sit mundus. Quæ autem a libera Dei voluntate pendent, demonstrari naturalibus argumentis non possunt, sed sola revelatione cognoscuntur. Quod ideo notatum volui, ne quis in hujus resolutione quæstionis apodictica argumenta e rationis penu deprompta requirat; ratio namque probabilia dumtaxat argumenta suppeditare potest. Et nihilominus controversia hæc præteriri nequit a christiano Philosopho, tum quia spectat ad *Cosmologiæ* objectum, tum quia officium ejus est notum omnibus reddere, quidquid Fides hac de re docet, ut Geologis cæterisque naturalium scientiarum cultoribus omnis errandi occasio eripiatur.

Temporanea mundi creatio dogma Fidei est, quod ratione demonstrari nequit.

Doctrina ergo catholica est, mundum in tempore conditum fuisse. *In tempore* autem conditum esse non significat ante mundi creationem precessisse tempus aliquod reale, in quo mundus fuerit creatus, eo pacto, quo quæ nunc

Quid sit mundum creari *in tempore*.

(1) S. Thom. 1 p. q. 46, art. 2; *de Potent.* q. 3, art. 17; *Quodlib.* 3, art. 31.

fiunt, dicuntur fieri in tempore vel in tali anno vel die, nam revera tempus mundo ipsi concreatum est; sed negat dumtaxat mundi æternitatem, ita ut mundum in tempore factum esse perinde sit, ac mundum non semper extitisse, vel coævum fuisse æternitati, sed initium durationis habuisse: ideoque potuisse prius esse vel mojorem antiquitatem habere (1). Idcirco etiam ad probandam verissimam istam doctrinam, necesse non est ætatem ipsam mundi determinare.

81. Propositio. **Mundus æternus non est, sed in tempore fuit conditus.**

Mundus æternus non est sed temporaneus. Doctrina Fidei

Veritatem hanc Theologi ostendunt ex variis locis Sacrarum Litterarum (2), communique Patrum consensu confirmant. Eamdem vero definitam habes in Concilio Lateranensi IV cap. *Firmiter* hisce verbis: *Deus... sua omnipotenti virtute simul* **ab initio temporis** *utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem* etc (3). Eamdem definitionem iisdem fere conceptum verbis, quæ in præcedenti articulo exscripsimus, renovavit Concilium Vaticanum. Idem patet ex damnatione quarumdam propositionum Ekkardi a Joanne XXII. Pontifice Maximo, facta, quarum prima hæc erat: *Quod Deus non potuit primo* (forte *prius*) *producere mundum, quia res non potest agere antequam sit: unde* **quam cito Deus fuit, tam cito** *mundum creavit.* Altera sic se habebat: *Concedi posse quod mundus ab æterno fuerit:* tertia denique: *Quod simul et semel quando Deus fuit, quando Filium suum coæternum per omnia coæqualem Deum genuit, etiam mundum creavit* (4). Hoc argumentum, quod ex Theologia dogmatica mutuamur, ineluctabile est.

Ex divina porro revelatione videtur omnino exordium sumpsisse communis hac de re populorum traditio; omnes enim ferme, detractis fabulis et allegoriis, in hoc conveniunt, «mundum divina virtute genitum in tempore, præcessisse chaos seu elementorum commistionem, deinde

et traditio populorum omnium hac super re.

(1) Cfr. S. Thom. *de Potent.* quæst. 3, art. 14, ad 6.um

(2) Vide v. g. *Proverb.*, cap. 8, v. 22; *Psal.* 90, v. 2; *Joann.* cap. 17, v. 5; *Ephes.* cap. 1, v. 4 etc.

(3) Vide apud Denzinger, *Enchirid.*, n. 355.

(4) Dezinger, n. 428, 429, 430.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

succesive ignem, mare, cœlum, terram, viventia producta, atque ultimo hominem». Ita præter Hebræos «Aegyptiorum, Phœnicum, Chaldæorum, Persarum, Hetruscorum, Græcorum, necnon novi orbis populorum traditio» (1). Tanta enim in diversissimis nulloque fœdere sociatis gentibus sentiendi uniformitas communem aliquam habere debuit causam, quæ alia esse non potest, quam primæva aliqua revelatio homini facta, et ad posteros per traditionem transmissa.

Quid ex geologicis inventis ad hujus veritatis probationem valeat a Rev.

Confirmari potest propositio 1.° ex geologicis observationibus variisque aliis historicis præsidiis, ex quibus probabilissima conjectura concluditur: 1) entia viventia, et potissimum hominem, non semper extitisse. 2) Quod si viventia non sunt æterna neque etiam reliqua mundana entia æterna dicenda sunt.

Substantiæ viventes non sunt æternæ: hominis ætas.

Prob. 2) *substantiæ viventes non sunt æternæ*. Et primo quidem

Homo. Historia generis humani et monumenta scientiarum artiumque, etiamsi fabulis Sinensium, Aegyptiorum aliorumque populorum circa imperii sui exordia fides adhiberetur, non admodum remotam attingunt antiquitatem. Atqui id fieri nullatenus potuisset, si homines ab æterno extitissent.

Minor constat ex eo, quod homo cum sit ens sociale atque intelligentia præditum, solet sui vestigia relinquere in societatum ac nationum fundatione, inque partubus ingenii per litteras aut alia signa ad posteros transmissis.

Major vero probatur 1.° ex fide probatissimorum historiographorum et archæologorum, secundum quos nihil videtur certum, immo ne satis quidem probabilibus nixum argumentis hactenus allatum fuisse, quod nos cogat humano generi septem aut octo mille annis majorem antiquitatem asserere (2). Non me latet quosdam recentiores Geologos, nescio quam *Præhistoriam* comminiscentes, liberalissimos esse

(1) Tong., *Cosmolog.*, n. 312. Vide in hanc rem Euseb. lib. 1 *de Præparat. Evang.*; Euguhin., *de perenni Philos.*, lib. 7, cap. 8; Huet. *Quæst. Alnetan.*, lib. 2, cap. 5; cl. P. Joan Mir, *La Creation.*, cap. 2.

(2) Vide Cæsar. Cantu *(Historia universal, Epoca primera*, cap. 3); Riancey *(Histoire du Monde, Première Periode*, pag. 26. Paris 1866), aliosque rerum harum peritissimos scriptores ab eodem laudatos.

in amplificanda supra omnem modum hominis ætata (1). Hujusmodi tamen supputationes, quas viri aut odio vel contemptu catholicæ religionis abrepti, aut pure hypotheticis ac phantasticis argumentationibus plus æquo indulgentes, aut fatua, nedum absurda, Darwinianiæ evolutionis ac transformismi somnia sectantes, confecerunt, nullam prorsus fidem merentur; sed iis omnino standum est, quas catholici scriptores ex librorum sacrorum ac Traditionis monumentis concinnant. Verum est scriptores catholicos in contexenda chronologia a creatione mundi vel humani generis ad ortum Christi Domini dessidere (2): immo et ipsi libri sacri secundum hebraicum textum, et Vulgatam editionem latinam, et secundum^m græcam versionem Septuaginta Interpretum, et secundum codicem Samaritanum, non eamdem exhibent annorum intercapedinem inter eadem facta (3). Hæc tamen discrimina, quorum causas varii auctores inquirunt (4) non adeo magna sunt, ex quibus id unum licet concludere nondum hanc rem certam esse ac definitam in Ecclesia Dei. Quare forte successu temporis aliquid inveniatur, unde novum lumen affundatur ad certius definiendam quæstionem chronologicam circa generis humani antiquitatem. Cum tamen

(1) Multi contenti non sunt centum ac bis centum mille annis, trecentena multoque plura millia annorum requirunt. Qua de re videri potest cl. P. Mendive, *La Religion Católica vindicada*, cap. 31, pag. 664-665. Madrid, 1887.

(2) PP. Benedictini Maurini in opere *L'art de verifier les dates, putant* ab Adami creatione ad Christum Dominum effluxisse annos 4063; Baronius Septuaginta Interpretes secutus, annos 5200; alii ut Bossuet, Natalis Alexander etc. 4004; alii 4138, alii circiter 4200, alii cum Martyrologio romano 5199; Panvinius denique 6300. Vide Joann. Albertum Fabricium in *Bibliotheca Antiq.* cap. 7.

(3) Ita v. g. ab Adamo ad diluvium ex versione Septuaginta numerandi sunt anni 2242; at secundum textum Samaritanum 1037 dumtaxat, et 1656 secundum hebraicum: item a diluvio ad vocationem Abrahæ intercesserunt ex textu Samaritano anni 942, vel 1017 secundum aliorum supputationem: ex hebraico vero textu anni 292 vel 352: ex versione autem Septuaginta anni 942 vel 1072, vel 1247. Vide Rev. D. Thomas *Les temps primitives* etc. tom. 1, liv. 4.^us, chap. 1, pag. 168.

(4) Vide R. D. Thomas (loc. cit.), Reusch *(La Bible et la Nature*, lect. 31), Rev. D. Hamard (in *Dictionar. apologet.* R. D. Jaugey, ad vocem *Antigüedad del hombre)*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hactenus nihil certi ac solidi afferri possit sive ex archæologia sive ex historia sive ex naturalium scientiarum inventis, quod valeat ad labefactandas hac in re catholicorum scriptorum sententias; fixum maneat jure merito negari homini septem aut octo mille annis vetustiorem ætatem: atque adeo humani generis creatio recentissima, nedum æterna, dicenda est. Simul autem et illud addere juvat, etiamsi catholicorum chronologia veritatem non haberet, sed e converso veræ essent *Præhistoricorum* gratuitæ assertiones, nondum negandam fore temporaneam humani generis existentiam. Aliud enim est, quod a centenis sæculorum millibus existerit homo, et aliud, quod a tota æternitate.

Et hæc quidem generatim dicta fuerint; ad particularia descendamus. Notum omnibus est atque exploratum, antiquissima sibi orientales populos arrogasse suarum notionum exordia (1). Verum historiographi censent generatim nullam esse prorsus hisce commentis fidem adhibendam. Nominatim Chaldæorum historiam ultra duo annorum millia (A. C.) parum assurgere testantur gravissimi scriptores, fragmentis historicis Berosi aliisque monumentis innixi (2).

(1) Los Caldeos aseguraban, scribit Cæsar Cantù, que habian conservado las observaciones astronómicas de 710.000 años, y contaban antes del diluvio, dies generaciones de reyes que habian durado 120 *saras*, de 3600 años cada una; trescientos millones de años enumeran los Bramanes: dos millones y medio los Japoneses; poco menos los Chinos, cien mil años los Persas; treinta y cuatro mil los Egipcios; treinta mil los Fenicios, y doce mil los Etruscos. Pero hombres doctos (Le Gentil, *Voyage dans les Indes*, t., 225; Bailly, *Astr. Ind.*, p. 110 y 112; *Histoire de l'astronomie ancienne*, p. 76; Dupuys, *Origine des cults*, III, 146; Hermanos, Mythologie der Griechen, II, 332, etc.) han demostrado que estos números representan ciclos astronómicos, múltiples de 12, 10, 52, 60, 72, 360, 1440 y otros periodos (V. en nuestra Cronologia, *ciclos*), á cuyo regreso la imaginacion de aquellos pueblos unió la idea de una renovacion de la materia, que, en su concepto era indestructible, atribuyendo al espacio lo que no parece propio sino del tiempo. (*Historia universal, por César Cantu, traducida directamente del italiano por D. Nemesio Fernandez Cuesta*, época primera, cap. 2, p. 11-12. Madrid 1854). Cfr. Riancey, (*Histoire du Monde*. Première periode, p. 27, nota).

(2) Riancey cum chaldaici initia imperii constituit anno circiter 2234 (A. C.); at Benedictini auctores operis *L'art de verifier les dates*, anno 2600. Cfr. Chantrel (*Nouveau Cours d'Histoire universelle*, tom. 1, chap. 3), Dunker, (*Historia de la antigüedad*... traducida por A. García Moreno... y Juan Ruvira, lib. 2, pág. 297, Madrid, 1875), Rev. D. Thomas (Op. cit. livr. 4.e chap. 4). Fabulosa illa, quæ Berosus narrat de primis Chaldæorum temporibus, ut non pauci auctores observant, vestigia quædam continent primævæ traditionis, mosaicam historiam confirmantis. Sane diluvium describit eodem ferme pacto quoad præcipua capita, ac Moyses: ante diluvium ponit decem reges, quorum singuli multa annorum millia vixisse dicuntur. Jam totidem Moyses Patriarchas antediluvianos refert: si vero *sarum*, quæ chaldaica temporis mensura est, interpretemur ex Suida periodum annorum 18 cum dimidio; tempus quo decem illos reges vixisse scribit Berosus, fere æquat tempus, quod ex versione Septuaginta fluxit ab Adamo ad diluvium. Vide cl. Vigouroux (*La Bible et les Découvertes modernes*, tom. 1. liv. 1, chap. 4), Riancey (Op. et loc. cit. pag. 135 in nota 2, ubi et alios scriptores in eamdem sententiam adducit), cl. D. Thomas (Op. cit. liv. 4, chap. 1 fin). Cfr. Dunker (Op. et loc. cit. pag. 279 et 284-288).

Ceterum traditionem diluvii et numerum decem primorum regum satis communem fuisse apud antiquos populos ostendit cl. Vigouroux, loc. cit. Cfr. cl. Thomas, Op. cit. 4.em, chap. 1 fin.

(1) Vide Riancey (Op. cit., chap. 8, pag. 410), Rev. D. Thomas (lib. 4. chap. 5), Dunker (lib. 1, pag. 20 seqq.), Cantu (*Histor.* t. 1, cap. 17, 18).

(2) Vide illos apud cl. Thomas, loc. cit., chap. 5, pag. 103.

(3) Clarissimus vir Champollion-Figeac (apud Card. Wiseman, in sua octava Orations super relationibus inter scientiam et religionem revelatam) testatur, nullum extare ægyptiacum monumentum bis mille ducentis annis anterius christiana ætate. Similia jam diu scripta reliquerat S. Augustinus (*de Civit. Dei*, lib. 18, cap. 40) post Varronem. Vide etiam Riancey (loc. cit., p. 411), Chantrel *Cours d' Histoire univ.*, 2.e part. chap. 2, p. 80, 81), Thomas (op. et lib. cit., chap. 5, p. 193-194).

Quod Ægyptum attinet, non parum laborant scriptores in conciliandis contradictionibus, quæ inter vetustiores historiagraphos ac varia monumenta adhuc extantia illius antiquissimæ gentis cernuntur, inque aliquo veritatis lumine e tot tenebris excutiendo (1). Et quamquam non desint, qui remotiorem antiquitatem requirant (2), alii tamen gravissimi historiographi et ægyptologi censent nullis sat certis indiciis nos cogi, ut initia populi ægyptiaci ad tria annorum millia (A. C.) assurgere, immo etiam bis mille annos multum excedere, credamus (3). Quæ antiquitas haud difficulter conciliari potest cum biblica narratione.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

De indorum exordiis magna est inter eruditos viros dissensio (1): Vera tamen historia vix ultra decimum aut duodecimum sæculum (A. C.) se porrigit (2). Paulo major creditur esse Arabum antiquitas, Persarum, Sinensium, Japonensium, aliorumque orientalium gentium (3), si eruditissimo viro Klaproth aliisque (4) fides adhibenda sit. De Græciæ originibus id unum sufficiat notare, primum Pelasgorum adventum in eam regionem accidisse videri vigesimo circiter (A. C.) sæculo (5). Quæ vero narrant de posterioribus migrationibus Cecropis, Deucalionis, Cadmi et Dardani ex Usserii (6) aliorumque (7) sententia, referenda videntur plus minus ad Moysis ætatem. Quæ cum ita sint, illud omnino concludere oportet, ex historia antiquissimarum nationum comprobari generis humani novitatem.

2.° Idipsum confirmat artium scientiarumque historia. Astronomia scientiæque naturales recentissimæ sunt, Philosophiæ initia vidimus in lumine hujus operis (8): Mathesis

(1) De fabulis Indorum circa suam vetustissimam antiquitatem vide Riancey (op. cit., 2.um periode, chap. 5, p. 255). Ab Aryis Indi progeniti creduntur Aryi autem in Indiam migrarunt ex Lenormant (*Hist. ant. des peuples d' Orient*, t. 3, p. 331) anno (A. C.) 2500, secundum alios vero mille annis posterius. Vide cl. Thomas, (loc. cit., chap. 4).

(2) Vide Cæs. Cantu, (*Historia*. . lib. 2, cap. 11), Thomas, chap. 4.

(3) Le savant Klaproth (*Essai sur l' autorité des historiens d'Asie*) a établi que *l' histoire veritable ne commence pour les Chinois qu' au IX.e siècle* (idem sentiunt alii apud Thomas) *avant J. C., pour les Japonais au VII.e*, pour les Georgiens au III.e, pour les Thibetans au I.er siècle après Fac., pour les Persans au III.e, *pour les Arabes au V.e, pour les Indiens et Mongols au XII.e siècle de notre ère. Le reste est d' histoire incertaine et conjecturale*. Riancey, Op. cit., Prem. period., p. 27, nota. Si tamen sermo sit, non de certis documentis, sed de magis minusve probabilibus conjecturis, quidam graves AA. longe vetustiorem tribuunt Sinensibus ætatem. Vide Thomas (loc. nup. cit.)

(4) Apud Cantù (op. cit., epoc. primera, cap. 2, fin. in nota.

(5) Vide Cæs. Cantu (op. et loc. cit., epoc. 2.ª cap. 28, pag. 234), Chantrel (op. cit., 3.ª part., chap. 1, p. 191).

(6) *Annal. Vet. et nov. Testam.*, pag. 12, Genov. 1722.

(7) Vide Riancey (Op cit., tom. 2, 3.ème period., chap. 1), Chantrel (loc. nup. cit.).

(8) Vol. 1, *Introductio in univer. Philos.*, § III.

non dudum maximos cæpit facere progressus. Liber omnium antiquissimus, qui extat, est Pentateuchus, a Moyse sexdecim circiter ante Christum natum sæculis conscriptus. Vetustissima pars sacri libri Vedarum in India sanscritico sermone exarati, testantibus peritissimis scriptoribus, non superat XIV (A. C.) sæculum (1). Homerus græcorum poëtarum primus circa nongentessimum aut millesimum annum ante Christum vixisse creditur. «Antiquissimus prophanus historicus, cujus extent opera, est Herodotus, qui florebat anno 440 ante Christum; historici, quos ipse consulere potuit, annis vix centum eum præcesserunt. Berosus et Manetho pertinent, hic ad tertium ante Christum sæculum, ille ad tertium vel quartum» (2). Quid ego loquor de Musica, de Pictura, de arte architectonica, militari, navali etc? (3). Quid de legibus ac legislatoribus? Atqui incredibile prorsus est sine his omnibus vixisse homines per sæcula infinita. Ergo valde recens esse genus humanum oportet.

Nec mihi obstrepes nescio quo sylvestri hominis statu, quem paulisper diuturno annorum tractu mutaverit transeundo per ætates *eolithicam* (4) *palæolithicam* (5) et *neolithicam* (6), donec tandem ad præsentem cultum et humanitatem progresus sit. Hæc enim nugas esse, nullis vel probabilibus nixas fundamentis, multi clarissimi viri demonstrarunt (7).

(1) Vide apud cl. Thomas, Op. cit. liv. 4.° chap. 4.

(2) Perrone, *de Deo Creatore*, part. 2, cap. 3, n. 206.

(3) Vide Strabonem (lib. ultim.), Plin. (lib. 7, cap. 56), Diodor. Sicul. (lib. 2, cap. 2).

(4) Hanc ætatem pertinere effutiunt ad terrena tertiaria, dumque ea duravit, hominem usum fuisse instrumentis lapideis sectis ad ignem.

(5) Hanc ætatem dicunt cœvam fuisse terrenis quaternariis, in eaque hominem adeo rudem fuisse blaterant, ut lapidea adhuc adhiberet instrumenta, quamvis aliquantulum elaborata.

(6) Hæc recentior est ætas, in qua fingunt patroni hujus doctrinæ hominem primo instrumenta ex lapide polito, mox ex ære, ac tandem ex ferro sibi apparasse.

(7) Vide hac de re copiose et erudite disserentem J. Chabas (*Etudes sur l' antiquité historique*, chap. 8), Reusch (Op. cit. loct. 32), cl. Hamard (*L' age de la pierre et l' homme primitif*), et artic. *Antigüedad del hombre* in Dictionario rev. D. Jaugey, ubi alii graves scriptores laudantur: item cl. Joann. Mir. (*La Creacion*, cap. 44).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3.° Temporaneam denique nec valde longævam ætatem humani generis probant geologicæ observationes. Quamquam enim multi prejudiciis imbuti, et gratuitis hypothesibus, immo et insanissimis erroribus freti, centena etiam annorum millia requirere non vereantur; at vero nullum e converso prostare hominis humanæve industriæ aut ingenii vestigium in terrenis quaternario vel recenti antiquioribus, communissima est vox saniorum Geologorum (1). Quare et Geologiæ et Archæologiæ certissima quæque inventa et artium scientiarumque monumenta, et historiæ diversorum populorum unanimi consensu in id conspirant, ut constantem ad hæc usque tempora catholicorum circa recentem humani generis ætatem persuasionem confirment (2). Quæ autem argumenta ad remotissimam hominis antiquitatem evincendam solent ex variis capitibus depromi, egregie soluta videri possunt apud apologetas catholicos (3); nos enim in iis confutandis hærere non possumus, tum quia etiamsi vera forent, non probant æternam hominis creationem: tum quia quamvis pro officio christiani Philosophi docere, ac notare sollicite conati sumus, quid tenere oporteat de humani generis ætate secundum communem sensum catholicorum, quem nulla adhuc certa ratio potuit evertere, etiam fatentibus eruditissimis recentiorum litterarum viris; prorsus a scopo hujus operis aberraremus, si ad objecta quæque adversariorum minutatim disolvenda ac directe tractanda converteremus orationem.

(1) Quæ vero quidam objiciunt ex alluvie ac sediminibus quibusdam fluviorum, et quibusdam terræ formationibus, quas *turbas* vocant, et ex calcareis crustis (*stalagmitas* appellant) quæ in cavernis cernuntur, soluta vide si lubet, apud cl. Hamard in Dictionario citato ad voces, *Antigüedad del hombre* et *Cronómetros naturales*. Vide etiam Reusch (loc. cit., pag. 552 seqq.), cl. Thomas (liv. 4.e chap. 6, pag. 200 seqq.).

(2) Quam ad rem verissime scripsit Leonhard (*Geologie* I, 282): *L' Histoire sainte aussi bien que la Géologie nous prouvent jusqu' à l' évidence que l' homme est une créature recente sur la terre.*

(3) Vide cl. Hamard (in Dictionario Apologetico R. Domini Jaugey, ad voces *Antigüedad del hombre* et *Cronómetros naturales)*, cl. Thomas (loc. cit.), Reusch (loc. cit.), cl. P. Mendive *(La Religion católica vindicada*, cap. 31), Chabas *(Etudes sur l' antiquité historique*, chap. VIII) etc.

Ætas reliquorum viventium.

Quoad reliqua viventia necesse non est multa addere. Primo enim si creatio mundi simul tota peracta est, vel saltem sex diebus viginti quatuor horarum spatio comprehensis, eadem hominis et reliquorum omnium viventium ætas dicenda erit. Si autem dies genesiacos longiores, et indeterminatas temporis periodos ex communissimo recentiorum scriptorum consensu interpretemur; adhuc ex geologis ac palæontologis pronuntiatis infertur temporanea viventium creatio. Nam variorum stratorum terræ dispositio Geologos ad opinandum induxit, strata illa successive alia post alia superficiem terræ constituisse. Quare si semper entia viventia terram incoluissent, in omnibus terrenis aliqua extarent vestigia illorum. Atqui in primitivis terrenis nullæ cernuntur viventium reliquiæ: quam ob rem ætas illa terræ *azoica* dicta est. Ergo ex ipsa Geologorum communi doctrina probabilissimum desumitur argumentum ad temporaneam viventium creationem.

Cæterum supposita, quam modo innuimus, latiori dierum mosaicorum interpretatione ac successiva terrenorum formatione, dicendum videtur varia strata fossilifera, nisi miraculo Deus usus fuerit, ex frequentissima Geologorum sententia plurium lapsu sæculorum eguisse, ut formarentur. Quæ doctrina minime dicenda est supputationes temporis biblicæ narrationi innixas evertere: siquidem argumenta, quæ hujusmodi supputationibus suppeditant sacræ Litteræ, omnia respiciunt hominem, atque adeo solum valere possunt ad hominis ætatem cognoscendam; nisi contendas aut rerum cunctarum simul peractam esse creationem, aut dies genesiacos intelligi non posse his nostris diebus durationi dissimiles, quorum utrumque haud facile, puto, probabis. Quanto autem tempore ante hominem reliqua viventia esse cæperint, certo ac positive definiri non potest. Id unum licet nobis statuere, eos qui plura centena annorum millia ad formationem stratorum fossiliferorum requisiverunt (1), nullis certis argumentis niti potuisse, sed hypothesibus plus æquo forte indulsisse, et quosdam etiam transformismi absurdis prejudiciis abreptos temere judicasse (2).

(1) Vide illos apud cl. P. Joan. Mir, *La Creacion*, cap. 25, art. 2 fin.

(2) Vide Reusch, Op. cit., lect. 17.

Ætas rerum vita carentium.

β) *Quod si viventia æterna non sunt, idem quoque dicendum est de non viventibus.* Primo quia nullum est argumentum naturale postulans æternam creationem materiæ inanimatæ, utpote quæ certe non eguit æterna duratione ad hoc, ut præpararetur ad recipienda viventia. Tum etiam quia si viventia, quæ longe perfectiora sunt non viventibus, temporanea sunt, non decuit absque ulla necessitate materiam inanimatam ab æterno existere.

Confirmatur 2.° propositio aliis argumentis congruentiæ α) Primum quia consonum esse videtur, ut creaturæ non æquarent duratione Creatorem. β) Deinde temporanea creatione magis innotescit libertas Dei in creando. γ) Ita etiam magis apparet Deum nullius egere, sed sibi plenissime sufficere. δ) Denique hoc pacto eripitur atheis omnis occasio fingendi mundum ens a se et improductum: si enim semper non fuit, nimis profecto liquet non potuisse illum esse a se, verum causa indiguisse, a qua crearetur, et quidquid habet entitatis et perfectionis et virium, legumque acciperet (1).

ARTICULUS III.

An potuerit mundus ab æterno creari.

Perperam dicuntur Scholastici cæce Aristotelem tamquam servum pecus secuti esse.

82. Hæc una illarum quæstionum est, quæ manifeste probant, quam vanum sit crimen illud Scholasticis impositum, quod Aristotelis auctoritate tamquam servile pecus abripi cæce se sinerent. Propugnaverat Philosophus necessitatem æternæ creationis; Scholastici autem non solum eamdem tamquam Fidei inimicam excluserunt, non solum mundum de facto conditum in tempore fuisse docuerunt, verum etiam ipsam possibilitatem æternæ creationis in dubium revocarunt. Qua in controversia multi, iique gravissimi Doctores negarunt mundum ab æterno creari potuisse: hæc est opinio

(1) Vide S. Thom. (*Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 35), et Benedictum Pererium (*de communibus principiis* etc. lib. 15 in procem.), Rubium (*Physic.*, lib. 8, quæst. 1, n. 13), Suarez (*de Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 2, n. 22).

Variæ Doctorum sententiæ: prima,

Alberti M. (1), S. Bonaventuræ (2), Guillielmi Parisiensis (3), Richardi (4), Henrici Gandavensis (5), Marsilii (6), Eugubini (7) aliorumque: quorum postea secuti sunt vestigia Card. Toletus (8), Gregorius de Valentia (9), Tanner (10), Rhodes (11), Petavius (12), ac Sylvester Maurus (13), et recentioribus temporibus Tongiorgi (14), cl. Palmieri (15), cl. Pesch. (16), cl. Lahousse (17), et cl. Van der Aa (18). Et pro hac sententia multa Patrum testimonia congeri solent, quæ longo ordine exposita videri queunt potissimum apud Petavium. Alia vero est opinio tenens aut non repugnare aut certe non demonstrari repugnantiam æternæ creationis: quam sequuntur S. Thomas (19), Durandus, Argentinas, Gregorius, Ockamus, Gabriel, Aegidius, Hervæus, Hispalensis (20), et communiter Thomistæ cum Capreolo (21), Soncinate (22), Javello (23), Cajetano (24), Ferrariensi (25), Dominico Soto (26),

secunda.

(1) 2.a dist. 1, art. 6 et 10; *Physicor.*, lib. 8, cap. 1.
(2) 2.a dist. 1, art. 1, quæst. 2.
(3) Lib. 1 de *Universo*.
(4) 2.a dist 1, art. 3, quæst. 4.
(5) *Quodlib.* 1, quæst. 7.
(6) 2.a dist. 1, quæst. 1, art. 2.
(7) *De perenni Philos.*, lib. 7.
(8) *Physicor.*, lib. 8, quæst. 2.
(9) In 1.am part. disp. 3, quæst. 13, punct. 2.
(10) Prim. part. disp. 6, *de Creat. mund.*, quæst. 1. dub. 3.
(11) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 7, quæst. 3, sect. 1, 2, 3.
(12) *Theologicor. Dogmat.*, t. 1, lib. 3, cap. 6.
(13) *Quæstion. Philos.*, vol. 2, lib. 3, quæst. 1.
(14) *Cosmolog.*, n. 286.
(15) *Cosmolog.*, thes. 31.
(16) *Philos natur.*, n. 533.
(17) *Cosmolog.*, n. 541.
(18) *Prælect. philosophicar.*, vol 3, *Theolog. natur.*, propos. 58.
(19) 1 part. quæst. 46, art. 2; *de Potent.*, quæst. 3, art. 14, *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 38, 2.a dist. 1, quæst. 1. art. 5; Opusc. *de Æternitate mundi contra murmurantes*.
(20) Apud Suarez, Conimbricenses etc.
(21) 2.a dist. 1.
(22) *Metaph.*, lib. 12, quæst. 31.
(23) *Metaph.*, lib. 2, quæst. 14.
(24) In 1.am part., quæst. 46, art. 2.
(25) *Physicor.*, lib. 8, quæst. 3.
(26) *Physicor.*, quæst. 2, in lib. 8.m

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Joanne a S. Thoma (1), Goudino (2), Cosma de Lerma (3), aliisque apud Complutenses, et Scotistæ communius (4), et Complutenses Carmelitani (5); itemque Nostrates cum Eximio Doctore (6), Vazquez (7), Molina (8), Conimbricensibus (9), Benedicto Pererio (10) et Rubio (11), quos sequuntur Martinon (12), Oviedo (13), De Benedictis (14), Soarez lusitanus (15), et alii plures, quibus adstipulantur e recentioribus cl. P. Mattheus Liberatore (16), cl. P. Sanctus Schiffini (17), et cl. P. Josephus Mendive (18). Hi omnes in eo conveniunt, quod non repugnet vel non ostendatur repugnantia creationis æternæ, saltem quoad aliquod genus entium; disputant autem utrum creatio dari ab æterno potuerit quoad omnia entium genera. Multi affirmant quod entia permanentia, et negant quoad successiva, v. g. quoad generationes et successiones et quoad motum ac tempus: ita Durandus (19), Dominicus Sotus, Molina Suarez, Conimbricenses, Rubius, Soarez lusitanus, Joannes a S. Thoma, Goudin, Mastrius, Frassen aliique multi. At alii non pauci, ut Vazquez, Pererius, De Benedictis, Pontius, et Complutenses, qui multos alios præterea pro se laudant, existimant non repugnare

quæ in duas alias mox scindatur.

(1) *Physic.*, quæst. 24.
(2) *Physic.*, secund. part., quæst. 1, art. 4.
(3) *Curs. Philos.*, tom. 3, lib. 8, quæst. 2.
(4) Vide Mastrium, *(Physicor.*, disp. 14, quæst. 1), Pontium., (tom. 2, disp. 21, quæst. 4), Frassen, *(Physicor.*, text. part., quæst. 2).
(5) *Physic.*, disp. 20.
(6) Disp. 20. *Metaphys.*, sect. 6; *de Oper. sex dies.*, libr. 1, cap. 2.
(7) In 1.^am part., disp. 179.
(8) In 1.^am part., quæst. 46, art. 2.
(9) *Physicor.*, libr. 8, cap. 2, quæst. 6, art. 2.
(10) *De communibus princip* etc., lib. 15, cap. 13.
(11) *Physicor.*, libr. 8, quæst. 2.
(12) *De Deo*, disp. 66. n. 33.
(13) *Physic.*, Controv. 10. penect. 1.
(14) *Philos. perip.*, tom. 3, libr. 1, quæst. 1, cap. 2.
(15) *Metaphys.*, tract. 7, disp. 2, sect. 1, paragr. 10 seqq.
(16) *Cosmolog.*, n. 46.
(17) *Disputationes Metaphysicæ specialis*, vol. 2, n. 544.
(18) *Cosmolog.* n. 248 seqq.
(19) Hic tamen solum quoad permanentia incorruptibilia tenuit hanc sententiam, ut videre est apud Suarez *(Metaph.* loc. cit., n. 15).

creationem etiam quoad entia successiva et generationes. Quamnam duarum istarum opinionum tenuerit S. Thomas, si scire cupias, varie respondent auctores diversis S. Doctoris verbis innixi. Quamvis enim proponat in quibusdam locis solutiones argumentorum, quæ contra æterutram creationem tum rerum permanentium tum successivarum objiciuntur; alias tamen non vult concedere, quod potuerint humanæ generationes ab æterno esse, propterea quod secus daretur actu infinita multitudo animarum: immo et expresse aliquando negat se agere de creationis æternæ possibilitate universaliter et respectu omnis generis entium (1). Quare ipsi Thomistæ divisi sunt in Aquinatis vera mente interpretanda (2). Illud autem credo penitus falsum et absque ullo fundamento a claro quodam scriptore nuper assertum, possibilitatem creationis æternæ a S. Thoma et Thomistis studio non discedendi ab Aristotele fuisse propugnatam. Immo vero ipsemet Angelicus aperte innuit, se non Aristotelis amore vel reverentia, sed honore catholicæ veritatis in propugnanda sua sententia duci, ne scilicet quis pro demonstrativis habendo rationes, quæ demonstrativæ non sunt, sed tantum probabiles, *præbeat materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere, quæ Fidei sunt* (3).

83. PROPOSITIO 1.^a **Non videtur absolute repugnare æterna creatio entium permanentium.**

Non videtur intrinsece repugnare creatio æterna entium permanentium.

Prob. 1.° Si creatio ab æterno entium permanentium absolute repugnaret, ea impossibilitas repetenda esset vel ex parte Dei creantis, vel ex parte ipsius termini, vel ex parte creationis. Atqui non ex parte Dei. Nam Deus semper est æque potens, nec unquam virtutem effectivam novam assequi potest; cum in Deo virtus et potentia sit ipsa ejus essentia. Ergo si in tempore potuit creare, ac porro creavit, potuit etiam, quantum est de se, creare ab æterno. Neque etiam ex parte termini, quia res non cæperunt in tempore esse

(1) Vide 1 p. quæst. 46, art. 6 ad 8.^um
(2) Vide v. g. Joannem a S. Thoma et Complutenses loc. cit.
(3) S. Thom. 1 1 p. quæst. 46, art. 2 fin. corp. Cfr. 2.^a dist. 1, quæst. 1, art. 5; lib. 2.^a *Contr. Gent.* cap. 38.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

intrinsece possibiles; neque adhuc excogitatum est ullum argumentum, propter quod res permanentes non potuerint, si Deus voluisset, ab æterno existere, quemadmodum patebit ex solutione difficultatum. Neque demum ex parte ipsius creationis, quia creatio est actio instantanea, quæ nullum motum nec successionem implicat. Verum hæc probatio possitiva neque evolvi convenienter neque confirmari potest, nisi explicatione argumentorum, quæ contra æternam rerum permanentium creationem fieri solent. Itaque

Excluditur repugnantia æternæ creationis petita ex parte Dei.

Prob. 2.° negative 2) Ex parte Dei creantis triplex afferri potest repugnantia. Primo, quod effectus nequeat esse causæ coævus. Secundo, quod si Deus non præcederet creatam rem duratione, non esset secundum eam perfectior ac superior creatura. Tertio, quod si Deus ab æterno crearet, non posset salva remanere libertas divina ad creandum vel non creandum: non enim ante ipsam actualem creationem, quia ante æternitatem nihil esse potest; nec in ipso actu creationis, quia non poterat creare simul et non creare; nec demum post creationem, quia post factum non datur amplius potentia ad non faciendum. Accedit, quod cum Deus agat ex electione, videtur debere duratione præcedere suum effectum.

Atqui evidens est hæc argumenta vim non obtinere. Primum enim constat ex dictis falsum esse: nam quamvis causa sit prior natura effectu, necesse tamen non est, ut sit prior etiam duratione; sed si causa sit ab ipso exordio suæ existentiæ virtute prædita, poterit illico agere, ut constat in igne, qui statim emittit splendorem. Quo exemplo declarat S. Augustinus (1) posse Filium a Patre productum esse simulque eidem coæternum, sicut *splendor*, inquit, *qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coævus est igni, et esset ei coæternus, si ignis esset æternus.* Quæ est etiam doctrina S. Thomæ: *Quod... primo dicitur agens de necessitate præcedere effectum, qui per suam operationem fit, verum est in his, quæ agunt aliquid per motum, quia effectus non est nisi in termino motus; agens autem necesse est esse etiam, quum motus incipit; in his autem, quæ in instanti agunt, hoc non est necesse;*

(1) Lib. 6 *de Trinit.*, cap. 1.

sicut simul, dum sol est in puncto orientis, illuminat nostrum hemisphærium (1).

Alterum etiam manifeste falsum est; quia æternitas Dei est per essentiam, creaturæ autem æternitas esset per participationem; deinde æternitas Dei est prorsus necessaria, immo Deus est sua æternitas, at æternitas creaturæ ab æterno productæ foret pure gratuita et contingens: denique æternitas Dei est plena et universalis, ut ita dicam, et prorsus immutabilis possessio vitæ, qualis certe non posset esse æternitas creaturæ. Id quod fuse dudum declaraverat Severinus Boëtius: *Non recte quidem cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo Conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud enim est per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexum esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est* (2). Ergo etiamsi creatura aliqua ab æterno produceretur, non ideo esset Deo par in duratione, sed longe inferior.

Tertium denique si verum foret, neganda esset non solum creationis æternæ, sed etiam actus liberi in Deo possibilitas. Certum enim est actus et decreta libera, salva sincerissima immutabilitate divinæ naturæ, esse non posse nisi ab æterno. Argumentum itaque contrarium, si quid probaret, ipsum divinæ libertatis dogma certissimum exscinderet. Libertas ergo Dei in ipso actu creationis æternæ constare post; quia ita Deus ab æterno crearet, ut posset etiam non creare: sicut de facto ita ab æterno voluit mundum creare in tempore, ut potuerit non velle quemadmodum suo loco declarabitur. Nec vero ad libertatem in actu ipso creationis salvandam requiritur, quod possit simul creatio et non creatio conjungi: sicut quod scriptio hæc mea vel cogitatio sit libera, nullatenus postulat me posse simul habere actum scribendi vel cogitandi, et ejus carentiam.

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 38.

(2) Boët. *de Consolat. Philos.* lib. 5, pros. 6. Cfr. S. August. *de Civit. Dei*, lib. 12, cap. 15; S. Thom. Opusc. *de Æternit mundi*, vers. fin.; 2.a dist. 1, quæst. 1, art. 5, ad 7.um *eorum, quæ in contrarium.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad illud autem, quod dicebatur, supposita æterna creatione Deum non potuisse antecedenter ad illud actum gaudere libertate non creandi; vera est propositio si sermo sit de præcedentia durationis, falsa si de præcedentia originis et ordinis. Nam in ipsa æternitate prius est origine quodammodo et ordine Deum esse objective indifferentem ad creandum vel decernendum creare, quam eligentem creationem, vel quodlibet aliud libere decernentem. Secus enim intelligi non posset, quomodo Deus libere ageret, et non prorsus necessario. Illud denique quod de electione adjiciebatur, nihil est. Electio enim solum in ente potentiali, mutabili et discursivo, quod eget deliberatione, successionem actuum habet, ac temporis moram requirit; nulla autem hujusmodi imperfectione vitiatur in ente actualissimo et immutabili.

et ex parte termini creabilis;

3) **Ex parte termini** deinde videtur æterna creatio repugnare. Nam omni creaturæ de se atque essentialiter convenit non esse, ut passim ab omnibus dicitur. Jam vero nulli creaturæ convenit non esse tum, cum actu est, secus enim esset simul et non esset; neque etiam entibus incorruptibilibus convenit non esse, postquam sunt, quia exigunt semper esse. Ergo reliquum est, ut id, quod dicitur, omni creaturæ de se atque essentialiter convenire non esse, intelligendum sit de aliqua duratione reali, antequam creetur: atque adeo nulla creatura potest ab æterno esse. Præterea si ens aliquod ab æterno crearetur, esset infinitum in duratione ac virtute, ac proinde etiam in ipsa essentia. Tertio testante Aristotele, quidquid æternum est, necessarium est. Ergo si quod ens ab æterno esset, eo ipso desineret esse contingens, et fieret necessarium ac tale, quod ne per omnipotentiam quidem Dei posset per æternitatem annihilari: quod infinitæ virtutis divinæ injuriosum est. Et probatur antecedens. Nam ens æternum nequit per æternitatem in nihilum verti, atque adeo necessarium est in existendo. Sane si posset ens tale per æternitatem annihilari, vel existeret infinita duratione antequam destrueretur, vel infinita. Si infinita, jam verum est, quod non annihilatum fuit per æternitatem, siquidem duratio infinita duratio æterna est. Si finita, falsum est, quod ab æterno creatum fuisset: nam si ex quo creatum est usque ad annihilationem, solum interfuit duratio finita, non potuit

præcedere æternitas. Et simili modo probari posset creaturam, si ab æterno crearetur, immutabilem fore.

Verum neque hæc quidpiam valent ad æternæ creationis quoad entia permanentia demonstrandam repugnantiam. Primum enim quod dicebatur creaturæ omni de se convenire non esse, hoc unum in sano sensu significat, creaturam non habere in se rationem sufficientem sui *esse*, ac proinde ab alio *esse* accipere debere; quod si non accipiat, sed sibi relinquatur, ne punctum quidem temporis posse existere. Id autem verissimum est, non solum quando creatura nondum existit, sed etiam cum actu existit: nec ut verum sit, requiritur, ut prius ab æterno non extiterit, sed æque verum foret, si ab æterno extitisset, ut per se patet. Ad secundum negatur sequela. Nam infinitas durationis non arguit infinitatem sive in essentia sive in virtute ipsius rei durantis ex donatione et conservatione causæ primæ, sed tantum infinitatem causæ ab æterno creantis et conservantis: duratio enim illa non est ex propriis meritis, sed ex puro beneficio Dei, magis adhuc quam æterna conservatio in *esse* a parte post substantiarum incorruptibilium et immortalium: siquidem hæ postquam semel creatæ sunt, exigunt quodammodo conservari in æternum; at nihil exigit esse *ab* æterno, præter Deum, ens necessarium. Tertium denique, quod in contrarium adducebatur, ambiguum est, nam quidquid est essentialiter æternum, profecto est etiam necessarium; at vero id, quod non est æternum nisi per participationem, solum est necessarium ex suppositione, et in hoc etiam sensu non potest annihilari nisi in tempore: id quod injuriosum dici Deo nequit. Nam sicut injuriosum Deo non est, quod rem in eodem instanti, in quo supponitur existere, non possit in nihilum redigere, ita injuriosum non est, quod rem, quam sine initio durationis creavit, nequeat perimere usque ad tempus; id enim non ex defectu potentiæ in Deo evenit, sed ex rei in seipsa repugnantia: quoniam si res ab æterno producitur, et ab æterno etiam destruitur, ab æterno simul est, ac desinit esse. Et simili modo res ab æterno creata non foret ex natura sua intrinseca immutabilis, sed tamen extrinsece maneret immutata per infinitam durationem propter argumentum factum. Quod vero id, quod ex sua propria natura mutabile est, de

facto nequeat mutari propter extrinsecum aliquod impedimentum, nihil profecto absurdi continet.

Item ex parte ipsius creationis.

γ) *Demum ex parte ipsius creationis* hæc præcipue incommoda consequi videntur. Creatio est productio rei ex nihilo, nempe transitus de non *esse* ad *esse*. Atqui transitus de non *esse* ad *esse*, requirit prius rem non esse, ac postea esse. Sane quod semper est, quomodo dici potest transire ad *esse*? Ergo repugnat in terminis creatio æterna. Præterea creatio versatur inter *esse* et non *esse;* nam per illam fit, et est res, quæ aliter non esset. Atqui esse et non esse contradictorie opponuntur, atque adeo simul esse nequeunt. Ergo creatio necessario requirit rem, quæ creatur, prius non esse, ac postea esse, ac proinde nequit esse æterna. Deinde repugnat productio sine principio. Principium autem importat initium durationis. Ergo creatio, utpote quæ productio quædam est, requirit durationis initium, et consequenter necessario temporanea est. Item si quid Deus ab æterno creasset, non posset creatio a conservatione differre. In hoc enim differt creatio a conservatione, quod creatio importet novitatem essendi, seu quod res tunc incipiat esse. Atqui si creatio æterna est, nunquam incepit esse, sed semper fuit. Ergo si creatio detur ab æterno, nequit a conservatione distingui: quod falsum est, et contra communem sensum.

Sed iterum argumenta ista rem non demonstrant. Et primo quidem creatio est productio rei ex nihilo, videlicet ex nulla præsupposita materia, ut omnes interpretantur. Non autem perinde est ex ipsis terminis rem produci absque ulla materia, et rem prius in aliqua duratione reali non fuisse, et postea *esse* accepisse. Immo vero datur veri nominis productio, nempe in divinis, quæ necessario est æterna, nec tamen potest ullo sensu præsupponere rem prius non fuisse: tales sunt processiones divinarum personarum. Apposite S. Thomas: *Ad rationem creationis pertinent duo: primum est, ut nihil præsupponat in re, quæ creari dicitur. Secundum est, ut in re, quæ creari dicitur, prius sit non esse, quam esse,* **non quidem prioritate temporis vel durationis, ut prius non fuerit, et postmodum sit, sed prioritate naturæ**, *ita quod res creata si sibi relinquatur, consequatur non esse, cum esse non habeat, nisi ex influentia causæ superioris. Prius enim unicuique inest naturaliter quod non ex alio habet, quam quod ab alio habet. Et ex hoc differt creatio a generatione æterna: sic enim non potest dici, quod Filius Dei si sibi relinquatur, non habeat esse, cum recipiat a Patre illud idem esse, quod est Patris, quod est esse absolutum, non dependens ab aliquo... Si autem accipiamus tertium oportere ad rationem creationis, ut scilicet etiam duratione res creata prius non esse, quam esse habeat, ut dicatur esse ex nihilo, quia est tempore post nihil, sic creatio demonstrari non potest..., sed per fidem supponitur* (1). Itaque negatur Major argumenti primi, donec ab adversariis probetur, quia petit principium.

Ad secundum eadem esto responsio. Creatio quidem concipitur a nobis ut quiddam medium inter *esse* et non *esse*, ita ut per illam creatura *esse* accipiat post non *esse;* ac talis etiam de facto est creatio, quia Fide certum est nihil Deum creasse ab æterno. Verum onus incumbit adversariis probandi, quod creatio id ex suo conceptu ac ratione requirat, ut res prius in aliqua reali duratione non fuerit. Tertium argumentum ambiguitate laborat. Verum namque est omnem productionem egere principio saltem originis; falsum autem est, quod repugnet productio sine principio durationis, sicut constat iterum in divinis processionibus, quæ sunt veri nominis productiones æternæ absque ullo initio vel principio inceptionis secundum durationem (2). Ad postremum responderi potest cum Suarez «nullum esse inconveniens concedere rem creari actione, qua conservatur... Deinde dicitur, etiam in creatione æterna posse ratione distingui creationem a conservatione. Ut enim illa creatio dicitur esse absoluta in ipsa æternitate, ut simplex participatio *esse* creati, habet rationem creationis; ut vero in illa concipimus quamdam successionem imaginariam, sic pro quolibet instante signato talis successionis habet rationem conservationis. Quod fere eodem modo apprehendimus in æterna Verbi generatione. Ut enim est in sua æternitate, est vera productio et generatio; ut vero

(1) S. Thom. 2.ª dist. 1. quæst. 1. art. 2. Cfr. *de Potent.*, quæst. 3, art. 14, ad 7.um et 10.um; Opusc. *de Æternit. mundi*, *Nunc restat videre*.

(2) Vide S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 4, ad 8.um

intelligitur cœxistens instantibus nostri temporis aut imaginariis, est, ut ita dicam, permanentia quædam in eadem generatione, nomen enim *conservationis*, quod imperfectionem denotat, illi tribuendum non est» (1). Quæ cum ita sint, in hunc modum concludit Angelicus: *Sic ergo patet, quod in hoc quod dicitur aliquid esse factum a Deo, et nunquam non fuisse, non est intellectus aliqua repugnantia. Si enim esset aliqua repugnantia, mirum est, quomodo Augustinus eam non vidit; quia hæc efficacissima via esset ad improbandam æternitatem mundi; cum tamen ipse multis rationibus impugnet æternitatem mundi in* 11.° et 12.° de Cevit. Dei. *Hanc autem unde omnino prætermittit? Quin immo innuere videtur, quod non sit ibi repugnantia intellectuum, unde dicit* 10.° de Civit. Dei, *cap. 31 de Platonicis loquens:* **Id quomodo intelligant, viderint non esse hoc temporis, sed substitutionis initium. Sicut enim, inquiunt, si pes semper ex æternitate fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium, quod tamen vestigium ex calcante factum nemo dubitarei; nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset. Sic, inquiunt, et mundus et dii in illo creati semper fuerunt, semper existente eo, qui fecit, et tamen facti sunt.** *Nec unquam dicit* (S. Augustinus) *hoc non posse intelligi, sed alio modo procedit contra eos...* (2).

Dices. Patres ac Doctores Ecclesiæ, quorum longo ordine testimonia scripta legere licet apud Gregorium de Valentia (3) et Petavium (4) sæpe adversus Arium, qui Verbum divinum creaturam esse blaspheme effutiebat, disputantes, erroris illum ex eo arguebant, quod Verbum æternum sit. Atqui argumentatio ista valere nequit, nisi ponatur nullam creaturam ab æterno esse posse. Ergo verum non est Sanctos Patres repugnantiam æternæ creationis non vidisse.—**Respondeo,** Patres sæpe numero locutos esse ex suppositione Fidei, quæ docet nihil ab æterno creatum esse, id quod non negabant Ariani. Quo posito egregie poterant argumentari

(1) Suar. disp. *Metaph.* 20, sect. 6, n. 20. Cfr. Bened. Pereira, *de Communib. principiis etc.*, lib. 15, cap. 13 ad 4.um

(2) S. Thom. Opusc. cit.

(3) Loc. cit.

(4) *Theologicor. Dogmat.*, vol. 1, lib. 3, cap. 6.

Patres, divinitatem Verbi ex ejusdem æternitate concludentes, quin ipsam quæstionem philosophicam de absoluta æterna creationis possibilitate aggrederentur, hoc fere pacto: Quidquid æternum est, creatura esse nequit, nempe supposito facto temporaneæ creationis, quod Fide docemur. Atqui Verbum est æternum. Ergo Verbum creatura esse non potest. Alias etiam loqui potuerunt excludendo a creatura æternitatem propriam et essentialem atque immutabilem (1), quemadmodum superius explicuimus ex Böetio (2). Si quis autem locus adducatur, in quo ex ipso creationis conceptu aliquis Pater concludere nitatur æternæ creationis repugnantiam evincere, alios Patres opponemus, ac nominatim S. Augustinum, quem perperam quidam in contrarium adducunt, et S. Thomam, qui talem repugnantiam perspicere nequiverunt. Frustra ergo sibi blanditur Petavius fore, ut contra sentientes, a se *dedocti* ex Patrum testimoniis, *errorem suum deponant*. Verum plura de his dabunt superius laudati veteres scriptores.

84. PROPOSITIO. 2.a **Probabilius videtur entia successiva, quales sunt generationes et motus ac tempus, non potuisse esse ab æterno.**

Entia successiva nequeunt ab æterno creari.

Prob. 1.° Enti succesivo essentiale est habere prius ac posterius in duratione. Atqui quæ sunt æterna, prius et posterius excludunt. Nam æternitate nihil prius fingi potest aut antiquius, et quod alio posterius est duratione, æternum esse nequit. Ergo quoniam successivum essentialiter componitur ex priori et posteriori, æternum esse non potest. Verbo, quæcumque sunt æterna, simul sunt. Sed ens successivum repugnat totum simul esse. Ergo etiam repugnat ab æterno esse. Et simili modo probari potest motum vel tempus ab æterno esse, quia hæc essentialiter successiva sunt, ac fluxu partium constant.

(1) Vide v. g. S. August., *de Civit. Dei*, lib. 12, cap. 15; lib. 8, *super Genes.*, cap. 23.

(2) Vide S. Thom. (Opusc. cit. vers. fin; *de Potent.* q. 3, art. 14, ad 1.um et 2.um, Suarez, (disp. Metaph. 20, sect. 6, n. 21), Joan. a S. Thom. (*Physic.* quæst. 24, art. 1, fin.), Rubium (*Physicor.* lib. 8, quæst. 2), etc.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Respondent 1.° Adversarii, quæ sunt ab æterno solum excludere prius et posterius certum et assignabile, non tamen incertum et non assignabile. Poterit ergo successio æterna esse, dummodo talis sit, quæ nullas habeat partes assignabiles ita priores aut posteriores, ut ante illas non habeat alias priores et posteriores.—**Verum responsio hæc** jam præoccupata manet argumentatione superius facta; et declaratur amplius in hunc modum. Nam ipsis etiam fatentibus adversariis, in successione datur aliquid prius et posterius, saltem incertum et non assignabile. Ergo «aut illud *posterius* est simul cum *priori*, aut non est simul, sed post illud. Si dices esse simul: ergo non est posterius. Vides implicantiam? Si dicas non esse simul, sed posterius. Ergo non est æternum, siquidem non est simul cum æterno. Sed neque *prius* est æternum. Nam aut distat a *posteriori* distantia finita: æternum autem distat a non æterno distantia infinita, est enim æternum infinitum in duratione, at vero infinitum distat a finito distantia infinita. Aut distat distantia infinita: et tunc quomodo continuatur cum posteriori, si inter unum et aliud mediat æternitas? Adde, quod parum refert, quod ipsum sit æternum; nam successio non constat ex illo solo, sed formaliter includit *prius* et *posterius*. Satis ergo est, quod *posterius* non sit æternum: ad hoc, ut successio æterna esse non possit» (1).

Respondent 2.° Non minus repugnat successio æterna a parte post, quam successio æterna a parte ante. Atqui non repugnat successio sine fine in æternum seu a parte post. Ergo neque repugnabit successio sine initio ab æterno vela parte ante.—**Sed neg. Major.** Nam successio *ab æterno* supponit extitisse de facto aliquid prius et posterius æternum seu infinitum secundum durationem; sed successio *in æternum* non supponit de facto extitisse, neque unquam esse extiturum prius et posterius æternum, sed tale, quod actu quidem semper sit finitum, sed in indefinitum continuo augescat.

Dices. Si hoc argumentum valeret quidpiam, probaret simili modo repugnare creationem æternam etiam entium permanentium. Nam etiam duratio talium entium successiva

(1) Soarez lusitan., *Metaph.*, tract. 7, disp. 2, sect. 2, § 12, n. 310.

est, in qua proinde distingui possunt instantia alia post alia. **Resp.** *neg.* assertum et probationem. Jam enim alibi probatur durationem entis permanentis successivam non esse (1).

Prob. 2.° Impossibile est seriem generationum esse ab æterno. Nam repugnat series generationum, quæ non procedat ab aliquo individuo, quod immediate productum sit a Deo solo. Hoc autem posito, nequit generationum series ab æterno esse.

Major constat ex eo principio, quod in Theologia naturali magis evolvetur, quod nempe in omni collectione plurium effectuum, nisi velimus aliquem eorum sui ipsius, vel proxime vel remote, causam esse, ratio sufficiens quærenda sit in aliquo ente extra ipsam collectionem, quod vel omnes illos immediate gignat, vel saltem unum illorum, unde series generationum ad cæteros producendos procedat. Vide interea Suarez fuse principium istud exponentem (2).

Minor probatur. Si enim tota series generationum procedit ab aliquo progenitore, immediata Dei actione producto, necessario sistendum est in aliqua prima generatione, «quæ æterna non fuerit, neque ab illa usque ad ultimam præcesserint generationes infinitæ a parte ante... Probatur hoc, quia necessario perveniendum est ad aliquam generationem factam ab homine v. g. non genito ab alio, sed immediate producto a Deo... Vel igitur homo ille factus est ab æterno, vel in temporis initio. Si in tempore, tollitur productio æterna. Si vero ille creatus ponatur ab æterno, necesse est, ut inter creationem illius et generationem prolis ab ipso productæ, æternitas quædam et infinita duratio imaginaria seu objective possibilis sucessive præcesserit. Ergo necessario danda est prima generatio propia in tempore facta. Minor probatur facile, quia homo creatus (a Deo immediate) et alius ab illo genitus non possunt esse simul duratione, quia generatio hominis non fit in instanti. Ergo necessario homo generans et non genitus antiquior est a se

(1) Cfr. *Ontolog.*, num. 365, pag. 1057.

(2) *De Oper. sex dier.*, lib. 1, cap. 2, n. 11 seqq. Idemque fuse probat Joan. B. de Benedictis, licet contraria: opinionis, ostendens argumentum istud perperam a quibusdam solvi negatione hujus principii. Vide *Philos. peripat.*, t. 3, lib. 6, q. 1, cap. 4, paragr. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

genito. Ergo præcedit duratione: ergo æternitate, si ab æterno ponitur creatus». Quæ ratio æque procedit, sive unus tantum homo sive plures in quocumque numero ponantur ab æterno creati, quia eadem proportione, si omnes genuerunt, in tempore genuerunt; ac proinde generationum successiones ab hominibus illis manantes, in numero tantum finito esse potuerunt, nec potuit illa series seu successio esse æterna quoad ipsas generationes» (1).

Confirmatur. Nam corruptiones non possunt esse ab æterno. Ergo nec generationes. Consequentia liquet ex illo proloquio, de quo inferius dicitur: *Generatio unius corruptio alterius;* generari enim nequit novum corpus, nisi corrupto priori. Antecedens vero probatur. Quia cum impossibile sit rem esse, et corrumpi in eodem instanti, corruptio essentialiter posterior est etiam duratione existentia rei corruptæ. Atqui quod essentialiter duratione posterior est alio, æternum esse nequit.

Respondent adversarii rem genitam et corruptam essentialiter supponere aliquid prius si sumantur divisive, non tamen collective; quia nempe singulæ corruptiones ac singulæ res genitæ singillatim sumptæ supponunt aliquid prius, non autem series integra rerum genitarum et corruptarum. **At responsio** hæc manifeste videtur falsa. Quia quod singulis membris collectionis alicujus essentiale est, removeri nequit a collectione, nisi ipsa collectio ad mutandum naturam singulorum concurrat. In præsenti autem materia collectio corruptorum entium efficere nihil potest, ut omnia et singula priusquam corrumpantur, existere debeant.

Prob. 3.° Si possibilis foret motus ac series generationum ab æterno, posset dari multitudo actu infinita. Atqui hæc, ut nunc supponimus, probabilius repugnat. Ergo...

Major probatur. Quia in ea hypothesi possent esse infinitæ generationes hominum, ac proinde manerent, etiam iis morientibus, animæ tot, quot essent ipsi homines generati, nempe actu infinitæ. Item in singulis diebus vel circulationibus vel partibus motus posset Deus angelum creare, vel

(1) Suarez, *de Oper. sex. dier.* lib. 1, cap. 2, n. 14.

lapidem, vel aliud quodvis ens permanens. Collectio autem omnium foret actu infinita, utpote tot complexa angelos vel lapides etc., quot sunt dies, vel circulationes vel partes motus, quæ profecto finitæ nequeunt esse, si ipse motus ab æterno esse fingatur.

Dices, aliarum quidem rerum dari posse, non autem hominum generationes ab æterno.—**Verum hoc effugium** unice excogitatum est ad vitandam infinitam animarum multitudinem, ac proinde non solvit, sed magis patefacit vim argumenti facti. Quemadmodum enim bene notant Suarez (1), Pererius (2), Joannes a S. Thoma (3), aliique si possibiles sunt generationes ab æterno, non minus possibiles sunt generationas hominum, quam aliarum rerum: nec minus infinitæ actu productæ erunt aliarum rerum formæ, quamvis actu non conserventur: immo vero si infinitæ actu producerentur, possent quoque saltem per miraculum conservari. Quare inconsequenter loquuntur, qui hominum ab æterno generationes negant, aliorum corporum concedunt (4). Et hæc sufficiant de re incerta nec sane maximi momenti. Qui plura cupiat, adeat pro hac secunda propositione Card. Toletum, aut Rhodes, aut Tongiorgium.

Quæ cum ita sint, dicendum videtur mundum quoad entia permanentia potuisse ab æterno creari, non vero quoad entia successiva, motus nempe, generationes ac tempus. Quamvis enim non defuit recentioribus temporibus, qui scriberet, si Deus potuit ab æterno mundum condere absque ullo motu, sive locali, sive augmentativo, sive generativo, *manifestum esse*, quod potuerit etiam condere cum motu; mihi certe id manifestum non est, nec manifestum fuit gravissimis aliis Doctoribus, quorum in hoc articulo secutus fui doctrinam. Optandum autem fuisset, quod præclarus ille scriptor id, quod manifestum esse dicitaverat, aliquo saltem argumento notum nobis redderet.

(1) *De oper. sex diez.*, loc. cit. n. 10.
(2) *De communibus* etc. lib. 15, cap. 13, *Tertia propositio.*
(3) *Physic.*, quæst. 24, art. 3.
(4) Alias absurdas veterum Philosophorum solutiones hujus argumenti vide apud S. Thom. lib. 2.° *Contr. Gent.* cap. 38.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objicies. Si Deus creasset ab æterno angelum, potuit jam tum elicere actum cognitionis vel amoris et unum actum post alium habere: quare daretur actuum successio. Item si potuit Deus creare lapidem, potuit etiam illum creare suspensum in aëre, qui proinde descenderet natura sua in terram. Ergo haberetur jam motus ab æterno. Potuit item ab æterno ignis produci applicatus stuppæ, qui profecto combureret illam: et sic daretur ab æterno generatio. Similiter si lux ab æterno esset, ab æterno illuminaret. Et generatim in creatura æterna accideret, vel certe possent accidere mutationes infinitæ, nam omne ens ab alio natura sua et intrinsece mutabile est. Ergo jam adesset infinita multitudo. Cum potissimum posset Deus pro numero possibilium illarum mutationum angelum creare, vel quamlibet aliam substantiam permanentem. Ergo distinctio illa entium permanentium et successivorum, quorum priora possint, posteriora non possint ab æterno esse, vana prorsus est; siquidem ex permanentium creatione sequuntur incommoda eadem, quæ nos ipsi ursimus adversus creationem successivorum.

Respondeo creaturas permanentes, quæ ab æterno crearentur, non posse ullas operationes, quæ motum ac successionem involverent ab æterno elicere, nec posse ab æterno ullam seriem mutationum pati. Et ratio est, quia ostensum est seriem omnem æternam motumque ac successionem repugnare. Itaque illa entia remanerent per infinitam durationem sine actione et mutatione, quamvis activa naturaliter et mutabilia essent ab intrinseco. Operationes autem nullam motum ac successionem continentes, qualis est v. g. illuminatio, potuerunt ab æterno elici; ita tamen ut nec mutari possent nec desinere esse per æternitatem seu infinita duratione. Et similiter potuisset Angelus ab æterno creatus; ab æterno etiam intelligere et amare, dummodo in illa operatione fixus et immutabilis perseveraret per æternitatem; nec posset seriem inchoare, nisi in tempore, nempe quando finita duratio initium habere posset. Cæterum, ut recte observat Eximius Doctor, hæc omnia ostendunt saltem a posteriori creationem æternam non esse consentaneam naturis etiam rerum permanentium, sive corruptibilium sive incorruptibilium, sed præternaturalem. Quia unaquæque res natura sua postulat existere

atque etiam fieri in ea mensura et in eo statu, in quo possit actiones suas exercere modo naturæ suæ accommodato. Res autem in æternitate factæ, pro ipsa æternitate nihil accommodatum sibi agere possent, vel certe non modo accommodato. Unde neque etiam postea ex se possent inchoare actionem et passionem: nam illa duratio infinita, pro qua necessario durarent in ipsa dispositione, in qua creatæ essent, non haberet certum terminum a parte post, sed ante quodlibet instans signatum posset finiri, et ita etiam ante quodlibet instans signatum posset actio creaturæ inchoari. Ergo non possent ex se inchoare actionem determinando instans, pro quo esset inchoanda; sed hoc ad Deum pertineret: quod etiam præternaturale est. Nihilominus supposita creatione æterna, dicimus hæc omnia naturali necessitate sequi: quod vero res ab æterno creatæ in eo statu et conditione manerent, simpliciter impossibile vel repugnans non est. Id quod sufficit, ut æternam entium permanentium creationem non probari absurdam aut repugnantem sustineamus (1). Atque hæc omnia produnt aperte intellectus nostri tenuitatem, qui cum æternum et infinitum contemplatur, obruitur objecti magnitudine ac præstantia, ut nequeat sæpe intelligere, quomodo sit illud ipsum, quod enuntiandum esse judicat.

DISPUTATIO TERTIA.

DE CAUSA FINALI ET EXEMPLARI MUNDI.

85. Exclusa materiali causa, declaratisque causis efficienti ac formali mundi, gradus faciendus est ad finalem et exemplarem: quamquam enim hæ possent ad Theologiam rejici, non incommode hic quoque tranctantur, suppositis quibusdam ex nobilissima illa disciplina, et alioquin ad materiæ complementum spectant.

(1) Vide Suarez (disp. *Metaph.*, 20, sect. 6, n. 17 et 18, et 21). Cfr. Rubius (*Physicor.*, lib. 8. cap. 2, quæst. 2 fin.). Soarez lusitan., (loc. cit., paragr. 12, n. 312 seqq.), Joan. a S. Thom., (loc. cit., art. 2, *Ad primum respondeo*).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

CAPUT I.

DE CAUSA FINALI MUNDI.

Finis ultimus duplex, proximus et remotus: uterque tractandus.

Finem duplicem distinximus in *Ontologia*, proximum et remotum vel ultimum. Finis ultimus communis est pluribus aut etiam omnibus entibus mundanis; proximi autem sunt singulorum proprii. Utrumque ergo genus finium hic tractare necesse est: ultimum quidem, quia sine illius cognitione manca et imperfecta maneret cognitio præstantissimæ hujus rerum universitatis. Proximos autem, quia quamvis nequeat illos singillatim determinare *Cosmologia*, eorum tamen existentiam generatim asserere ac demonstrare debet contra innumeros casus fortuiti patronos, qui, negata finium veritate, ordinem pulchritudinemque mundanam perimunt, essentiarum corporearum notitiam impossibilem reddunt, ac totam naturalem Philosophiam exscindunt.

ARTICULUS 1.

Utrum habeant entia mundana fines sibi præstitutos, ad quos tendant.

Necessitas hujus quæstionis tractandæ.

86. Quamquam elucet in mundo constantissima et ordinatissima series causarum et effectuum, per quam certæ res non procedunt, nisi ex certis ac determinatis aliis, certoque ac determinato modo; dubitari tamen adhuc potest, num vel quatenus asserendi sint causis fines, propter quos agant, et existant in rerum natura. Ex eo enim quod unum sequatur ex alio, vel fiat ab alio, non illico infertur illud fieri *propter* finem. Cum enim finis sit id, cujus gratia aliquid fit, tum solum causa finem sibi præstitutum habere dicenda est in essendo, vel in operando, quando est, vel operatur *propter aliquid*, intendendo nimirum illud. Unum autem fieri ab alio concipi potest absque intentione et ordinatione naturæ, ex mera nempe necessitate. Sic pluit, dicet quispiam, non *ut* segetes crescant, sed ex mera necessitate materiæ, videlicet *quia* vapores aquei aërem saturantes, cum frigescunt, liquefiunt, ac pondere suo deorsum necessario feruntur; quod

cum accidit, si forte satæ segetes beneficio pluviæ crescant, pluvia certe erit causa, cur segetes crescant, incrementum autem segetum non est *finis* pluendi. Non ergo pluit, *ut* segetes crescant, sed *quia* pluit, segetes crescunt. Quemadmodum etiam pluente cœlo, corrumpuntur quandoque segetes in area; et homines madefiunt, et agri inundant: et nihilominus nequit dici *ideo* pluere, *ut* hæc contingant; sed hæc contingere, *quia* pluit, sine intentione naturæ. Similiter dixerit quispiam, quod non habemus oculos, *ut* videamus; sed e converso videmus, *quia* oculos habemus: sicut non ideo cæcus aliquis est, *ut* non videat; sed non videt, *quia* cæcus est. Et idem dici posset de aliis generatim effectis naturalibus, ea casu et præter intentionem accidere (1).

Causarum finalium osores.

Et sic negarunt e veteribus causas finales in natura præter Anaxagoram et Empedoclem, qui prorsus tacuerunt de finibus (2), Democritus, Epicurus et Lucretius, et generatim materialistæ omnes, qui mundum ex atomis temere huc illuc volitantibus ac tandem in unum casu coëuntibus coaluisse commenti sunt. Quibus accinunt tum Spinoza (3) cum pluribus aliis pantheistis, tum Darwinistæ et evolutionistæ cum recentioribus materialistis ac positivistis; hi omnes tendentiæ omni *teleologicæ* tam infensum bellum indixere, ut operationem omnem effectumque naturæ, vel fortuito adjunctorum et circunstantiarum concursui vel cæcæ cuidam fatalique sese evolvendi necessitati adscribendum esse decernant. Kantius etiam scepticorum et idealistarum more, quamquam admitat finalitatem tamquam principium dirigens mentem in investiganda veritate, omnem tamen valorem objectivum denegat finalibus causis.

Alii vero fuerunt, qui sin minus negarent causas finales, saltem eas scrutandas non esse in scientiarum naturalium

(1) Vide apud Arist. (lib 2, *Physicor.* cap. 8, text. 76). Cfr. S. Thom. ib. (lect. 12, paragr. *b*), Mauri (in Comment. lib. 2 *Physic.* cap. 9, text 76), Tolet. (ibid.) Quam difficultatem veterum materialistarum carmine expressit Lucretius, (lib 4, vers. 822 seqq.).

(2) Apud S. Thom. (*Physicor.* lib. 2, lect. 12). Cfr. Aristot. (lib. 1, *Metaph.* cap. 4 et 6).

(3) *Ethic.* pars. 1 in appendice ad propos. 56.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

studio existimarunt (1): vel quia finium inquisitio ad Metaphysicum pertinet, ut scripsit Baco a Verulamio (2); vel quia nimis arrogans sit, fines investigare, quos Deus in rerum creatione intendit (3). Quare ea insedit quorumdam sciolorum animis post Baconem opinio, finium inquisitionem non modo sterilem esse, verum etiam nocere causarum efficientium cognitioni, eamque præpedire.

Vera sententia.

Contra hos omnes communi ore causas finales propugnarunt tum Peripatetici cum Socrate (4), Platone (5), Aristotele (6), Plutarcho (7) et Seneca (8), tum christiani Philosophi cum Patribus Ecclesiæ (9): et «recentioribus temporibus Leibnitzius potissimum, Bernouilli, Newton, Cuvier, alii patrocinium causarum finalium susceperunt, quin et pars haud exigua illorum rerum naturalium peritorum, qui nonnihil theoriæ *descendentiæ* favent, evolutionem istam.., non sine aliquo ejusdem principio *teleologico* evenisse censent» (10). Neque vero solum causas finales agnoverunt Philosophi christiani, sed etiam eas accurate inquirendas esse senserunt, easdemque aptissimas esse ad rerum essentias detegendas, demonstrandasque (11). Si enim dantur fines

(1) Ita inter alios Baco a Verulamio, Cartesius, Robinet, Buffon; Laplace apud P. Pesch. Op. cit. n. 84. 4.°

(2) *De Dignitate* et *Argumento scientiar.* lib. 3, quæst. 4 seqq., *Nov. Organ.* lib. 2, appor. 2.

(3) Cartes., *Princip. Philos.* part. 1 n. 28; part. 3. n. 2.

(4) Xenoph. *Memor.* 1, 4, 2 seqq.

(5) In *Phædon.* dial. p. 2; *de Legib.* lib. 12.

(6) Lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 76; *de Gener. et corrupt.* lib. 2; *Metaph.* lib. 1, cap. 4.

(7) *De Placit. Philos.*, lib. 1, cap. 5.

(8) *De Providentia.*

(9) Vide Clem. Alex. *(Stromat. 5)*, Athanas *(Advers. Gen.*, n. 35 seqq.), Gregor. Nanzianz. (Orat. 2 *de Theol.*), August (lib. 1 *de Ord.*, cap. 2; lib. 5 *de Genes. ad litter.*), Lactant. *(de Opif. Dei*, cap. 6), Basil. *(Hexaem)*, Ambros. *(Hexaem)*, Chrysost. *(de Providentia Dei)*, ac Theodoret (homil. 1 *de Provid.*), aliosque apud Conimbric. (lib. 2 *Physicor.* cap. 9, q. 1, art. 2 fin.), Rubium (lib. 2 *Physicor.* tract. 8, cap. 8, quæst. unic.), Pesch. Op. cip. lib disp. 2, sect. 2, n. 85 in nota).

(10) Pesch. ibid., ubi plures citantur finalium causarum patroni in nota 6, pag. 74, Fuburgi Brisgoviæ, 1880.

(11) Vide S. Thom. lib. 2 *Physicor.* lec. 15, paragr. 6.

rerum naturales, planum est eos essentiis consentaneas esse debere: quare cognitis rerum finibus, optimum suppetit argumentum ad essentias ipsas explorandas (1).

Quid inportet tendentia in finem, et quotuplici modo dari possit.

Cæterum antequam ad argumenta veniamus, animadvertere oportet tendentiam in finem importare inclinationem ac directionem ad aliquid obtinendum, ac duplici modo concipi posse: primo et perfectissimo modo ita, ut agens cognoscens finem ac proportionem mediorum, se *agat*, et moveat versus illum; et hic modus est proprius causarum intellectualium, Dei, angelorum, hominis. Secundo ita, ut agens feratur in finem, quasi motum ac directum ab alio, quia nempe ipsum cognoscere nequit rationem finis, ut se ad illum promoveat. *Aliquid movetur vel operatur propter finem dupliciter*, inquit S. Thomas: *uno modo* **sicut agens seipsum** *in finem, ut homo et aliæ creaturæ rationales; et talium est cognoscere rationem finis et eorum, quæ sunt ad finem. Alio modo aliquid dicitur operari vel moveri propter finem*, **quasi ab alio acum vel directum** *in finem, sicut sagitta movetur directa in signum a sagittante, qui cognoscit finem, non autem sagitta.* (2). Verum hæc amplius patefient in decursu tractationis.

87. Propositio. **In rerum natura omnia agunt propter finem, seu dantur causæ finales in mundo.**

Dantur causæ finales in mundo.

Prob. 1.° A priori. Tota natura tendit in aliquem finem, si Auctor illius eam ad aliquid ordinavit. Atqui Autor mundi non potuit eum et singulas ejus partes ad certum aliquid non ordinare; siquidem sapientissimus est, sapientis vero est nihil temere agere, sed omnibus operibus proprios fines assignare. Ergo...

Prob. 2.° Agentia vel sunt rationalia vel irrationalia. Atqui utraque agunt propter finem. Ergo...

De rationalibus patet res ex testimonio propriæ conscientiæ. Probatur autem de irrationalibus argumento S. Thomæ. *In his... quæ manifeste propter finem agunt, hoc dicimus esse finem, in quod tendit impetus agentis, hoc enim adipiscens*

(1) Vide S. Thom. *Poster. analytic.*, lib. 1, lect. 16.

(2) 1 p., q. 103, art. 1 ad 1.um Cfr. 1 p., q. 60, art. 1; 1. 2. quæst. 1, art. 2 in corp. et ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicitur adipisci finem, deficiens autem dicitur deficere a fine intento; sicut patet in medico agente ad sanitatem, et in homine currente ad certum terminum. Nec differt, quantum ad hoc, utrum quod tendit in finem, sit cognoscens vel non: sicut enim signum est finis sagittantis, ita est finis motus sagittæ. Omnis autem agentis impetus ad aliquid certum tendit; non enim ex quacumque virtute quævis actio procedit, sed a calore quidem calefactio, a frigore autem infrigidatio: unde et actiones secundum diversitatem activorum, specie differunt. Actio vero quandoque terminatur ad aliquod factum, sicut ædificatio ad domum et sanatio ad sanitatem; quandoque autem non, sicut intelligere et sentire. Siquidem actio terminatur ad aliquod factum, impetus agentis per actionem tendit in illud factum; si autem non terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit in ipsam actionem. Oportet igitur quod omne agens in agendo intendat finem, quandoque quidem actionem ipsam, quandoque aliquid per actionem factum (1).

Prob. 3.ª «Rursus hoc ipsum palam indicant in animalibus tot membra, tam ordinate, tam providenter effecta; tot partium descriptio, non ad speciem solum et elegantiam, sed etiam ad usum apta; tot organorum apparatus; tot vires et potentiæ: tot multiformi contextu instrumenta. Quæ omnia ad agendum, atque adeo alicujus finis gratia, tributa esse qui neget, amens est. Quid enim magis a ratione alienum esse potest, quam existimare ea, quæ humana arte fiunt, ad aliquem finem effici; ut navem ad navigandum, domum ad arcendas cæli injurias: quæ vero tam admirabili solertia, tam excellenti divinaque ratione perfecta sunt, ut ea nulla humana ars assequi imitando possit, vago et incerto fluitantis naturæ motu in eam formam ac speciem coaluisse, neque ad scopum ullum fuisse destinata? (2)

Probatio hæc fuse et erudite dilatatur a Paulo Janet, ubi declarat mirificam membrorum in corpore organico aptitudinem ad suas functiones, et correlationem partium inter se mutuumque juvamen ac proportionem ad suas actiones in bonum totius eliciendas. Neque vero solum partes organa

(1) S. Thom. 3.ª *Contr. Gent.*, cap. 2.
(2) Conimbric., *Physicor.*, lib. 2, cap. 7 et 8, quæst. 1, art. 1.

diversa constituentes aptissime connectuntur, sed operationes vel functiones quoque illorum arctissime invicem consertæ apparent ita, ut aliæ alias necessario præsupponant: sic respiratio requirit circulationem, quæ sanguinem ad organum respirationis deferat; circulatio vero præsupponit irritabilitatem musculorum, sine qua contrahi cor nequit, nec proinde sanguis moveri, irritabilitas denique ipsa nervorum actionem postulat (1). Quæ omnia simili modo considerari possunt in plantis, ac manifesta sunt indicia finalitatis.

Prob. 4.ª ex animalum instinctu. «Idem enim testatur brutorum animantium in fœtibus educandis ingenii plenus amor; in operibus conficiendis artificium; in quærendo cibo industria; in se suaque specie tuenda et conservanda sollicitudo; arma, astus, stratagemata, quibus hostem aut aggrediuntur, aut declinant. Quæ omnia cum tanto naturæ impetu et alacritate ab eis fiant, liquidum est, effici alicujus commodi et boni gratia, ac proinde ob aliquem finem» (2).

In natura inorganica non reperiuntur prima fronte tam manifesta vestigia finalium causarum. Nihilominus in phænomenis crystallizationis in variis proprietatibus elementorum et communibus ligibus naturæ, in ordinatissimis vicibus generationum corruptionumque corporeatum, in compositione aëris athmospherici, aquarum sive marinarum sive fluvialium, ac terræ vegetalis, in ordinatissimis astrorum motibus, in universo denique ordine mundano, quem superius per summa capita descripsimus, qui non agnoscat nativas rerum ad certos fines tendentias, sed cæcum dumtaxat casus opus consideret, scepticus plane sit, aut certe contrariis præjudiciis imbutus, necesse est: ex iis enim omnibus manifestum fit totam rerum universitatem præ se ferre speciem

(1) Vide Paul Janet (*Les causes finales*. Deuxieme edition., lib. 1, chap. 1), ubi hæc egregie declarantur. In eodem opere ac libro, cap. 2 ex structura oculi, auris, cordis aliorumque organorum causæ finales in eorumdem fabricatione demonstrantur. Bene etiam hæc declarat P. Pesch (*Los grandes arcanos del universo*. Version castellana de D. Eberardo Vogel, y D. J. M. Orti y Lara, vol. 1. part. 2, cap. 4).
(2) Conimbric. loc. nup. cit. Cfr. Paulus Janet, Op. cit. livr. 1, chap. 2, pag. 110. Paris. 1882; itemque cl. P. Pesch, qui fuse et erudite isto persequitur in cit. op. *Los grandes arcanos del universo*, vol. 1, part. 2, cap. 4.

cujusdam immanis organismi, in quo dum singula membra ad actus sibi proprios ex certissima naturæ propensione tendunt, ac determinantur, aliis quoque deserviunt, atque ad bonum commune et conservationem universalis ordinis miro consensu conspirant. Sic elementa corporea suis instructa viribus et affinitatibus, agunt invicem secundum certas leges, et composita chimica modo conflant, modo dissolvunt; utraque vero ad bonum viventium, sive vegetalium, sive animalium et hominis, ordinantur ita, ut perpetuo generationum et corruptionum circulo universalis ordo mundi conservetur. Unde quo magis naturales scientiæ progrediuntur, manifestius apparet omnia *in numero, pondere ac mensura* condita et constituta esse, atque ita omnino ordinata, prout certissime disponeret, ac dirigeret sapientissimus potentissimusque artifex, qui cognoscens proprietates, virtutes ac leges omnium corporum, quibus mundus coalescit, eadem, quæ nunc cernimus, phænomena, eosdem processus, eumdem cursum naturæ intenderet. Ergo omnia re vera præstitutos sibi fines habere fatendum est: velle enim hæc omnia puro casui adscribere vel fortuito causarum concursui, ridiculum prorsus est atque absurdum et prorsus communi sensui repugnans, ut per se patet, et ex superius scriptis circa mundanum ordinem creationemque ab intelligenti aliqua causa sapientissima peractam evidentius cognosci potest. Si enim valde improbabile est ex pluribus elementis ad varias dispositiones indifferentibus unam aliquam ad certum scopum aptam temere et absque illius dirigentis consilio resultare; quid, quæso, dicendum erit de infinita propemodum elementorum multitudine, quæ ad certa quædam munera exercenda ordinemque mundi constantissime conservandum accommodatissime constituta miramur? (1).

Dices fortase, posse revera omnia, quæ cernimus, utcumque ordinatissima videantur, per causam fortuitum explicari, si ponamus ab initio innumeras extitisse compositiones partium ac membrorum inutiles ac monstrosas, puta hominum semibovum, vel semiarborum, habentium oculos in pedibus, dentes in naso, vel ore carentuum aut aliis organis ad vitæ

(1) Vide supra n. 25 et 54.

conservationem necessariis: quæ compositiones quia ineptæ erant, perierunt, aliæ autem que utiles erant eoque pacto factæ, quo fieri potuissent per artem, remanserunt, ac deinceps propagatæ sunt. Ita Empedocles (1), cujus levissima commenta post tot sæcula, tamquam novum aliquod inventum in medium protulit Maupertuis (2).—**Resp.** absurdam prorsus istam esse hypothesim: 1.° quia nulla ratione fulcitur; nec ulla sunt indicia ineptarum illarum compositionum: 2.° quia nisi adfuisset jam inde ab initio finalitas, nec nunc foret, ac proinde etiam nunc cerni passim deberent ineptæ hujusmodi compositiones; immo vero hæ multo plures esse deberent, quam aptæ et utiles, hæ autem tanto rariores ac pauciores, quo minor est probabilitas ut ex plurimis partibus, quæ diversimode componi possunt, certa quædam ac determinata compositio resultet. Nec valet dicere, quod aptæ, quas nunc unice cernimus, a prima, quæ apta et utilis casu extitit, naturaliter propagentur. Nam posito casu et exclusa penitus finalitate, nulla prorsus supponi potest in apta aliqua compositione determinatio, ut solum sibi similes atque adeo aptas alias compositiones pariat: quare ratio nulla potest assignari, cur aptæ dumtaxat appareant nunc compositiones, et cur monstra nonnisi rarissime cernantur. 3.° Objectio denique supponit evidenter absurdum commentum mundanorum corporum casu et absque ullius sapientissimi Auctoris actione et interventu existentium, quod superius tamquam impium, hæreticum rationique naturali manifeste repugnans multis exclusimus.

Prob. 5.° Quæ non fiunt casualiter, fiunt propter finem. Sed effectus naturales non fiunt casualiter. Ergo fiunt propter finem.

«**Probatur Minor.** Quæ semper vel fere semper fiunt uno pacto, non fiunt casualiter: ex. gr. nemo dicit casualiter accidere, ut, sole existente in signo leonis, sint magni calores, quia accidit id semper, vel fere semper; sed si, sole existente in leone ningeret, diceretur id casualiter contigisse, quia raro contingit. Sed quod homines habeant oculos

(1) Apud Aristot. lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 76.
(2) *Cosmologie*, Œuvres, tom. 1, pag. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in fronte, et non in pedibus; quod habeant dentes anteriores acutos, maxillares latos, accidit semper, vel fere semper. Ergo non est casuale, sed oritur ex eo, quia natura et causæ hominis productivæ intendunt finem utilitatis resultantis ex dentibus ita se habentibus» (1). Hæc est prima ab Aristotele adducta in hanc rem ratio (2).

Prob. 6.° *Si agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quam illud. Ad hoc ergo, ut determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habeat rationem finis* (3). Atqui natura determinata est ad certos ac determinatos effectus certo ac determinato modo faciendos. Ergo agit propter finem.

Prob. 7.° Nisi natura ageret propter finem, non darentur monstra in mundo. Atqui dantur. Ergo...

Major. patet. Nam monstra se habent in natura, sicut peccata et errores in arte. Jam vero errore et peccatum in arte tunc solum obtinet, cum artifex non attingit finem intentum. *Si enim ars non ageret ad determinatum finem, qualitercumque ars operaretur, non esset peccatum, quia operatio artis æqualiter se haberet ad omnia* (4). En alteram ex rationibus Aristotelis (5).

Præclare Angelicus Doctor: *Peccatum non invenitur nisi in iis, quæ sunt propter finem: nec enim imputatur alicui ad peccatum, si deficiat ab eo, ad quod non est: medico enim imputatur ad peccatum, si deficiat sanando naturam, non autem ædificatori aut grammatico. Sed peccatum invenimus in his, quæ fiunt secundum artem, sicut cum grammaticus non recte loquitur; et in iis, quæ sunt secundum naturam, sicut patet in partibus monstruosis. Ergo tam agens secundum naturam, quam agens secundum artem et a proposito, agit propter finem* (6).

(1) Sylvester Mauri, Comment. in lib. 2 *Physicor.*, cap. 9. text. 77.
(2) Lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 77. Cfr. ib. S. Thom., Tolet., Conimbric. etc.
(3) S. Thom. 1, 2, quæst. 1, art. 2. Cfr. 3.° *Contr. Gent.* cap. 2 *Item, si agens non tenderet.*
(4) S. Thom. lib. 2 *Physicor.* lect. 14, initio.
(5) Aristot. lib. 2 *Physicor.* cap. 8, text. 82.
(6) S. Thom. lib. 3.° *Contr. Gent.* cap. 2, *Amplius, Peccatum.*

Idemque confirmat communis omnium sensus. Omnes quippe distinguunt inter ea, quæ sunt a casu, et inter ea, quæ sunt naturalia. Sed nequeunt hæc per aliud distingui, nisi quia naturalia, secus atque fortuita, sunt ex ordinatione et intentione naturæ certo processu certisque mediis, et semper, vel saltem plerumque, ita operantis. Nequeunt enim distingui ex eo solum, quod naturalia ex necessitate contingant, quia dantur etiam fortuita, quæ necessario accidunt quandoque (1). Unde scribente Aquinate cum Aristotele, *Ille qui... dicit naturam... non agere propter aliquid, destruit naturam et ea, quæ sunt secundum naturam. Hæc enim dicuntur esse secundum naturam, quæcumque ab aliquo principio intrinseco moventur continue, quousque perveniant ad aliquem finem, non in quodcumque contingens, neque a quocumque principio in quemcumque finem, sed a determinato principio in determinatum finem* (2). Vide plura apud Aristotelem (3) et veteres auctores (4).

Ex allatis argumentis plane cernitur inanem penitus esse rationem dubitandi initio quæstionis hujus propositam. Exemplum enim pluviæ ad rem conficiendam ineptum est. *Nam pluvia licet habeat necessariam causam ex parte materiæ, tamen ordinatur ad aliquem finem, scilicet ad conservationem rerum generabilium et corruptibilium; propter hoc enim est generatio et corruptio in istis inferioribus, ut conservetur perpetuum esse in eis. Unde augmentum frumenti inconvenienter accipitur in exemplum, comparatur enim causa universalis ad effectum particularem. Sed hoc etiam considerandum est, quod augmentum et conservatio terræ nascentium accidit ex pluvia, ut in pluribus, sed corruptio accidit ut in paucioribus. Unde*

(1) Cfr. Conimbric. lib. 2 *Physicor.*, cap. 8, 9, q. 1, art. 1, *Præterea...*
(2) S. Thom., Lib. 2 *Physicor.*, lect. 14, paragr. 6, super. Aristot. text. 86, cap. 8, lib. 2.
(3) Lib. 2 *Physicor.*, cap. 8, text. 77 seqq. Cfr. ibid. S. Thom., lect. 12 seqq.
(4) Conimbric. (lib. 2 *Physicor.*, cap. 8 et 9 quæst. 1), Tolet. (ibid. q. 12), Rub. (ibid., cap. 8, quæst. unic.), Suar. (disp. *Met.* 23, sect. 10), Molina (in 1. p., quæst. 2, art. 1, paragr. *Quarto et postremo loco, quoniam a fine)* Theophil. Raynaud. *(Theolog. natural.*, dist. 5. art. 6).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

licet pluvia non sit propter perditionem, non tamen sequitur quod non sit propter conservationem et augmentum (1).

Replica vero Empedoclis non refutationem, sed irrisionem meretur.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

88. **Objic. 1.°** Quæ fiunt propter finem, ordinata sunt. Atqui in mundo multa sunt præpostera et incomposita. Nam non raro vices temporum mutantur, calente hyeme et frigente æstate, itemque venti ac tempestates, inundationes agrorum, eruptiones vulcanicæ, terræ motus aliaque mala naturam universam affligunt, ac perturbant. Ergo...

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor.

Ad probationem *dist.* Et hæc accidunt ut plurimum in natura, *neg.*; quandoque *subdist.*; ita ut hæc ipsa finem aliquem habeant, *conc.*; secus, *neg.*

Itaque, quemadmodum in argumentis dicebamus ipsum monstrorum existentiam ostendere tendentiam naturæ in certos aliquos fines, ita nunc possumus dicere, has ipsas consueti ordinis exceptiones et interruptiones probare, quod adsit in mundo certus ac determinatus ordo, certæque causarum naturalium tendentiæ ad certos effectus. Cæterum hæ ipsæ usitati ordinis perturbationes non sunt sine fine et sine ordine. Nam vel contingunt ex exigentia causarum naturalium, vel præter exigentiam earumdem per miraculum. Si primum, adsunt fines in ipsa ordinatione naturali causarum exigentium illos effectus. Sin alterum, fiunt et ordinantur a Deo in fines sapientiæ et bonitatis infinitæ, ad ostensionem gloriæ suæ. Ergo nunquam deest ordo in effectibus hujusmodi, licet non semper appareat, ut docet Augustinus (2). Nam vel ipse naturalis ordo postulat, ut illi interdum accidant, vel Deus providentissimus ita ab æterno decrevit, ut fierent ad manifestationem suæ gloriæ (3).

(1) S. Thom., 2.ª *Physicor.*, lect. 12, fin.

(2) Lib. 3 *de Trinit.*, cap. 2; et lib. 5, *de Genes. ad litteram*, cap. 21.

(3) Vide Conimbric. loc. cit., q. 1, a. 3, *Ad secundum*.

Objic. 2.° Si omnia tenderent in finem aliquem, non darentur in mundo res inutiles. Atqui plura passim videntur prorsus inutilia (1). Ergo...

Resp. *dist.* Minor. Plura sunt inutilia, id est, quorum usus et finis non sit nobis compertus, *trans.*; quorum nullus sit revera usus, *neg.* Nam in primis ex summa utilitate innumerorum entium, jus est concludendi nihil esse sine sua utilitate, licet nos eam ob ingenii tarditatem ignoremus; cum potissimum non semel acciderit, ut quorum prius fines et usus latebant, postea progressu scientiarum utilissima et ordinatissima sapientissimaque reperirentur. Deinde, cum Deus, infinite sapiens rerum omnium sit auctor, non potuit non singulis suos assignare fines. Quam ad rem præclare more suo scripsit Magnus Augustinus: *Si quis in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, et, si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero, si in fornacem incautius inciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quæ ignorant; sed cum ea viderint, credunt necessaria et propter usus aliquos instituta: in hoc autem mundo, cujus conditor et administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt* (2). Denique et illud notandum est, naturam omnem corpoream mundi, ut mox ostendemus, in bonum hominis dirigi a Deo, quem in finem sapientissime provisum est, ut homo multa ignorare debeat in hac vita. Sic enim suam imbecillitatem agnoscit.

(1) Huc revocari possunt organa quædam in animalibus, quorum usus non apparet, et alia quæ dicuntur *rudimentaria*: de quibus videri potest Paulus Janet, Oper. cit. chap. 5.

(2) S. August. Lib. 1. *de Genes. contr. Manich.* cap. 16, ubi plura legi possunt sapienter ad rem nostram scripta.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 3.° Si natura propter finem ageret magis beneficam sese exhibuisset in homines, quam in belluas; quæ enim excellunt in perfectione, beneficentius tractentur, oportet, nisi naturam rerum præpostere constitutam velis. Atqui natura magis se beneficam præbet in belluas, quam in homines. Nam illis vestitum et apta pro natura cujusque arma, facultates et instinctus suppeditavit, hominem vero nudum produxit, inermem, innumerisque expositum morbis et ærumnis. Ergo...

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor.; et ad hujus probationem, *neg.* conseq. Nam homo pro indumento et armis accepit a Deo mentis excellentiam et sagax ingenium ad quærenda et excogitanda suis indigentiis remedia; accepit etiam manum, quæ est instrumentum instrumentorum ad eadem conficienda. Adde, quod homo animal sociale sit, et in societate multo facilius et securius sibi providere possit. Denique et illud præ oculis habendum est, ærumnas omnes, quibus affigitur humana vita, totidem nobis esse occasiones ad exercendam perficiendamque virtutem, ut a terrenis ad cælestia animum erigentes, præmia mereamur æterna (1).

Objic. 4.° Quidquid sit de homine, alia certe in mundo non tendunt in finem, vel non agunt propter finem. Nam homo non agit propter finem, nisi quatenus cognoscit illum. Atqui reliqua mundana entia nequeunt finem cognoscere, «vel quia omnino carent cognitione, sicut creaturæ insensibiles, vel quia non apprehendunt rationem finis, sicut bruta animalia» (2). Ergo...

Resp. *neg.* assertum. Ad probationem *dist.* Major. Homo non agit propter finem, tamquam seipsum agens et promovens ad illum, nisi quatenus cognoscit illum, *conc.*: homo non agit propter finem tamquam motus et directus ab alio, nisi quatenus cognoscit finem, *neg.*

Et *concessa* Minore, *dist.* conseq. Entia irrationabilia non tendunt in finem tamquam seipsa in illum promoventia, *conc.*: tamquam mota et directa ab alio, *neg.*

Itaque *quando homo per seipsum agit propter finem, cognoscit finem; sed quando ab alio agitur, vel ducitur, puta cum agit*

(1) Cfr. Conimbric. loc. cit. art. 3, *Ad primum.*
(2) Ap. S. Thom. 1, 2, quæst. 1. art. 2, arg. 1.

ad imperium alterius, vel cum movetur altero impellente, non est necessarium, quod cognoscat finem. Et ita est in creaturis irrationalibus (1). Rectissime enim solebat a veteribus res hæc illustrari non solum exemplo sagittæ, quod supra retulimus, sed etiam imperatoris, qui ita belli summam administrat, ut ipse ejus finem noverit, quem gregarii milites nesciant; quibus tamen cum imperatoris ductu regantur, sat est mandata ab eo acepta exsequi (2).

«**Dices:** quomodo potest esse, quod aliquid in certum finem tendat, et non præcognoscat illum? Non enim poterit ipsum attingere: sicut qui clausis oculis aliquo tendit» (3).

Resp. et «dico quod hoc convincit esse aliquam universalem causam omnes omnium fines providentem atque facientem et inclinantem omnia in proprios fines: et hic est gloriosus Deus. Ut enim sagittarius scopum inspiciens, impetum sagittæ imprimit, quo illo attingat, sic Deus gloriosus omnibus naturam dedit, qua etiam non prævisis finibus absque errore usque ad eos perducerentur. Et hoc est, quod dicit Aristoteles (4), hominem agere, cæteras res naturales potius agi, quam agere, id est, ab alia intelligentia, quæ ipsarum fines cognoscit, ad illos dirigi. Ob id dicitur opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis. Unde isti antiqui negantes naturam agere propter finem, in alio principio pejus errabant; non enim existimabant, Deum omnium esse causam universalem omnia providentem ac disponentem» (5). Et hæc causa est etiam, cur hodierni materialistæ atque athei tam acre bellum finalibus causis indixerint. Vident enim, agnita causalitate in natura, negari non posse causam aliquam ordinatricem extra mundum positam, quæ rebus omnibus et *esse* et ingenitas inclinationes ad suum cuique scopum indiderit. Et quia causam ejusmodi absque ulla ratione, immo contra omnem rationem, vanissimis præjudiciis insanissime

Cur opus naturæ dicatur opus intelligentiæ.

(1) S. Thom. ib ad 1.^m Cfr. loca S. Doctoris superius in prænotandis laudata, quibus adde quæst. 22 *de Verit.*, art. 1, ad 9.^um
(2) Conimbric., *Physicor.*, lib. 2, cap. 9, quæst. 2, art. 3.
(3) Apud Card. Tolet. 2.^a *Physicor.*, cap. 8, quæst. 12, vers. fin.
(4) 2.^a *Physicor.*, cap. 6, text. 58, 59; 1.° *Ethicor.*, cap. 13.
(5) Tolet. (ibid.) Cfr. S. Thom. (1, 2, q. 1, a. 2 ad 3.^m), Conimbr. (2.^a *Physicor.*, c. 8 et 9, q. 2, a. 2 et 3).

permoti, agnoscere detrectant, causas quoque finales, quantumvis evidentissimis factis compertas, respuendas sibi esse decernunt.

Objic. 5.° Si creatuta irrationalis non agit propter finem, nisi tamquam mota et directa a Creatore, non dantur in natura tendentiæ intrinsecæ, vel naturales appetitus ad certos ac definitos terminos, sed meræ externæ directiones, quales dantur etiam in motibus mechanicis, v. g. sagittæ in aliquem scopum extrinsecus ordinatæ. Id vero penitus destruit naturam.

Resp. *neg.* Major. Etenim *dupliciter contingit aliquid ordinari, et dirigi in aliquid sicut in finem; uno modo per seipsum, sicut homo, qui seipsum dirigit ad locum, quo tendit: alio modo ab altero... Sed hoc dupliciter contigit: quandoque nempe id, quod dirigitur in finem, solummodo impellitur, et movetur a dirigente, sine hoc quod aliquam formam a dirigente consequatur, propter quam ei competat talis directio vel inclinatio. Et talis inclinatio est violenta; sicut sagitta inclinatur a sagittante ad signum determinatum. Aliquando autem id, quod dirigitur, vel inclinatur in finem, consequitur a dirigente, vel movente, aliquam formam, per quam sibi talis inclinatio competat: unde et talis inclinatio erit naturalis, quasi habens principium naturale, sicut ille qui dedit lapidi gravitatem, inclinavit ipsum ad hoc, quod deorsum naturaliter fertur. Et per hunc modum omnia naturalia in ea, quæ eis conveniunt, sunt inclinata, habentia in seipsis aliquod inclinationis principium, ratione cujus eorum inclinatio naturalis est, ut quodammodo ipsa vadant, et non solum ducantur in fines debitos. Violenta enim tantummodo ducuntur, quia nihil conferunt moventi; sed naturalia vadunt in finem, in quantum cooperantur inclinanti et dirigenti per principium eis inditum* (1). Et quia qui dat naturalem virtutem et inclinationem alicui rei ad agendum, dicitur etiam causa actionum illius; *sicut percussio, quæ fit per sagittam, non tantum dicitur opus sagittæ, sed*

(1) S. Thom. *[de Veritat.*, quæst. 22, art. 1. Cfr. 1 p., quæst. 60, art. 1; et lib. 12 *Metaph.* lect. 12, par. *c]*; Tolet. (lib. 2, *Physic.* cap. 8, quæst. 12); Conimbric. (lib. 2 *Physicor.* cap. 89, quæst. 2, art. 2), Rub. (ibid. cap. 9, quæst. unic.)

projicientis; ideo omne opus naturæ dicitur a Philosophis opus intelligentiæ (1). Quamobrem in actionibus naturalibus entium irrationalium directio quidem in finem est ab extrinseco, tendentia vero in illum ab intrinseco. Et ob hoc principium intrinsecum operationum, quod Deus rebus impressit, docet alibi S. Thomas naturam subdi legi æternæ Dei (2): quia nempe istæ internæ tendentiæ ad proprios fines, ut inferius ex eodem Angelico Doctore statuemus, constituunt leges naturæ, quæ sunt participationes legis æternæ.

Objic. 6.° «Agere propter finem est ordinare suam actionem ad finem. Sed hoc est rationis opus. Ergo non convenit his, quæ ratione carent» (3).

Resp. *quod* **ordinare** *in finem est ejus, quod seipsum agit in finem; ejus vero, quod ab alio agitur in finem, est* **ordinari** *in finem, quod potest esse irrationalis naturæ, sed ab aliquo rationem habente* (4).

Objic. 7.° Si omnia agerent in natura propter finem, appeterent finem. Sed appetitus proprius est tantum modo entium cognitione præditorum, nam appetitus supponit deliberationem et electionem. Ergo...

Resp. *dist* Major. Appeterent finem, appetitu sive elicito sive innato ac naturali *conc.;* elicito, *subdist.;* si agerent propter finem seipsa promovendo, ac dirigendo ad illum, *conc;* secus *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg*, conseqq.

Objic. 8.° Si agentia naturalia agunt propter finem, dicendum est finem exercere suam causalitatem in illa; hæc enim duo correlativa sunt. Atqui finis nequit exercere causalitatem ullam in agentia non rationalia. Nam finis non causat nisi secundum esse intentionale, nempe quatenus cognoscitur; agentia vero irrationalia non cognoscunt finem.

Resp. *dist.* Major. Si agentia naturalia agunt propter finem seipsa ad illum promovendo, dicendum est finem exercere suam causalitatem in illa, *conc.;* si agunt propter

(1) S. Thom. *[de Verit.* quæst. 5, art. 2). Cfr. Albertus Magnus *[Physicor.* tract. 3, cap. 4), Suarez (disp. 23, *Metaph.* sect. 10), Conimbric. (lib. 2.° *Physicor.*, cap. 89, quæst. 2, art. 2).
(2) S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 5.
(3) Apud S. Thom. 1, 2, quæst 1, art. 2, arg. 2.
(4) S. Thom. 1, 2, quæst. 1, art. 2, ad 2.um

finem directa ab alio: *subdist.*; finis exercet suam causalitatem in illa, prout præcise eorum actiones spectantur, *neg.*; prout actiones eorum diriguntur, et ordinantur ab alia causa intelligenti, *conc.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam in actionibus naturalium agentium, ut ab eis procedunt, non est propria causalitas finalis, sed solum habitudo ad certum terminum; ut vero procedunt a Deo, simili modo est in eis causalitas finalis, sicut in aliis externis et transeuntibus actionibus Dei. Adæquatum enim principium harum actionum non est solum proximum agens naturale, nisi forte secundum quid, scilicet in tali ordine, tamen absolute præcipuum est prima causa: ideoque in adæquato principio talium actionum includitur intellectualis causa intendens finem earum (1).

Objic. 9.° Si natura ageret propter finem, intenderet semper bonum. Atqui non semper intendit bonum. Nam sæpe dantur corruptiones et interitus in natura, qui certe bonum non sunt, cum consistant in privatione et carentia boni.

Resp. *neg.* Minor. Nam corruptiones et interitus non directe intenduntur, sed indirecte, quatenus nempe intenditur generatio alterius. «Corruptio, inquit Toletus, dupliciter consideratur: uno modo ex parte ipsius corrupti, et sic non est propter finem; altero modo ex parte corrumpentis, et sic propter finem est; non quod ipsa sit intenta tamquam finis, sed quia agens corrumpit, ut generare possit, ac ob id in finem est ordinata» (2).

Hisce argumentis, quæ jam diu proposita et explicata fuerant a priscis Doctoribus, præoccupatæ manent præcipuæ difficultates a recentioribus objici solitæ (3). Verum quasdam alias non minus futiles a celebrioribus scriptoribus propositas, adhuc dissolvere oportet.

Objic. 10. Doctrina finalitatis pervertit ordinem naturalem causarum et effectuum, siquidem causam in effectum, et effectum vicissim convertit in causam. Sane cum unum

(1) Suarez (disp. *Metaph.* 23, sect. 10, n. 6).

(2) Tolet. lib. 2.° *Physicor.*, cap. 8, quæst. 12, *ad tertium*. Plura videri possunt apud S. Thom., locis cit.; et *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 2; 1. 2. quæst. 1, art. 2. Cfr. alii veteres auctores superius laudati.

(3) Cfr. etiam aliæ superius solutæ n. 26.

dicitur esse *propter* aliud, puta oculus videndi, auris audiendi gratia, oculus et auris, quæ causæ sunt visionis et auditionis, causalitati subjiciuntur sui proprii effectus (1).

Resp. Difficultas hæc nullam vim habet, ac tota quanta procedit ex ignorantia finalis causæ. Hæc enim non causat, nisi prout cognoscitur, vel prout existit jam intentionaliter in intellectu. Et quoniam potest aliquid cognosci antequam sit in rerum natura, et bonitate sua voluntatem ad sui desiderium allicere; nihil mirum, si finis in genere causæ finalis possit causare illud ipsum, a quo causatur in genere causæ efficientis. Sic optime concipitur, nec omnino repugnat, quod prima causa hominis volens illum visione præditum esse atque auditione, intuitu horum actuum affabre organa efficiat ad prædictum finem accommodatissima. Verum hæc abunde constant ex dictis in *Ontologia* (2).

Objic. 11. Inquisitio finalium causarum, ut ipsa scientiarum historia testatur, nocet causarum physicarum seu naturalium cognitioni. Nam veteres dum fines studiose perscrutarentur, veras causas naturales neglexerunt: unde etiam non raro falsos rebus fines assignarunt (3).

Resp. *neg.* assert. et anteced. et consequentiam probationis. Inquisitio finalium causarum non magis nocere potest causarum efficientium cognitioni, quam inquisitio v. g. vel studium cordis nocere possit cognitioni et studio pulmonum; sed e converso maxime perficit, et complet. Cum enim certum sit dari causas finales, accurata et completa cognitio naturæ cognitionem causarum omnium, atque adeo finalium requirit. Atque ita etiam sæpe numero videmus homines, postquam reliquas causas noverunt v. g. in artefactis, nondum quiescere, donec finis etiam, ad quem ordinantur, notitiam comparent. Cum potissimum ex fine optima ratio desumatur ad rerum intimam naturam rimandum: est enim finis mensura et regula, secundum quam artifex suam operi

(1) Ita Spinoza (*Ethica* 1.ª part. *Appendix*), et Buffon (*Histoire des animaux*, chap. 1), apud Paul Janet (Op. cit. *Appendice*, parag. VI). Et præiverat dudum Lucretius (lib. 4, carm. 822 seqq.).

(2) Vide *Ontol.* a num. 416, pag. 1174 seqq.

(3) Ita ex Bacone a Varulamio (*de Dignitate scientiar.* lib. 3, cap. 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consentaneam præscribit perfectionem: unde etiam commune illud profectum est effatum, secundum quod potentiæ dicuntur specificari per actus, actus vero per objecta, de quo alibi diximus (1). Quod autem prisci scriptores causas physicas propter finales neglexerunt, non puto verum omnino esse; nam summorum illorum Doctorum volumina legenti patet illico, eos nihil re vera *neglexisse* in inquisitione naturæ, quamquam non potuerunt propter vitium temporum, arcana omnia penetrare. Verum etiamsi illi propter finalium causarum physicas et efficientes neglexissent, ratio hæc Philosopho digna non esset, ut a finium inquisitione abstineremus. Mirum autem est Baconem, dum tale crimen Scholasticis objiceret, in contrarium vitium multo turpius incidisse; ipse enim, ut causas physicas et efficientes unice investigaret, finium considerationem non solum neglectam voluit, verum etiam penitus interdictam naturalibus scientiis; unde ansam præbuit et exemplum recentioribus materialistis, empiristis ac positivistis indignissime debachandi contra finales causas, non sine ingenti veræ scientiæ detrimento.

Instabis cum Cartesio. Causæ finales rerum supra captum nostrum positæ sunt. Ergo temerarium est illas inquirere; quæ proinde jure merito naturalibus scientiis interdicendæ sunt (2).

Resp. *dist. antec.*; aliquæ, vel si vis etiam multæ, *conc.*; omnes, *neg.* Et *neg.* conseq. In primis enim supremus omnium rerum creatarum finis demonstrari per rationem potest, ut videndum est in sequenti articulo; proximi autem fines

(1) Vide *Ontolog.* n. 224.

(2) «Dum hæc perpendo attentius, occurrit primo non mihi esse mirandum, si quædam a Deo fiant, quorum rationes non intelligam, nec de ejus existentia ideo esse dubitandum, quod forte quædam alia esse experiar, quæ quare, vel quomodo ab illo facta sint, non comprehendo; cum enim jam sciam naturam meam esse valde infirmam et limitatam, Dei autem naturam esse immensam, incomprehensibilem, infinitam, ex hoc satis etiam scio innumerabilia illum posse, quorum causas ignorem; *atque ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus, quod a fine peti solet, in rebus physicis nullum usum habere existimo; non enim absque temeritate me puto posse investigare fines Dei.* (Cartesius, *Meditationes*, meditat. 4.ª, pag. 26. Amstelodami 1678).

et remotiores etiam partim cognoscuntur, partim sperare licet fore, ut cognoscantur, quamvis non omnes in hac misera vita, progredientibus magis scientiarum naturalium inventis novisque inquisitionibus. Quare fines quidem, quos Deus libere potuit rebus imponere, præcisa revelatione, cognoscere non possumus: at finium naturalium, quantum ex naturæ mundanique ordinis contemplatione concludere licet, inquisitio non magis temeraria dicenda est, quam essentiarum ipsarum inquisitio; sed e converso valde consentanea est ingenio hominis, quippe qui rationem ideo divinitus accepit, ut ex variis rerum causis, essentias primum cognosceret, sicque demum ex visibilibus ad invisibilia, ex creatis ac finitis ad increatum et infinitum assurgeret.

Objic. 12. Denique ut alia omittam, contra finales causas sic fatur Spinoza: α) Ignorantia causarum efficientium impulit homines ad hypothesin fingendam finalium causarum, quæ β) non solum permiscet causam cum effectu, quemadmodum superius objectum est, verum etiam minus perfectum perfectiori subjicit. Sane res omnium perfectissimæ sunt illæ, quæ a Deo immediate efficiuntur, effectus autem eo imperfectiores existunt, quo plures causæ mediæ in eorum productionem concurrunt. Ergo si res a Deo immediate creatæ ad aliquem finem attingendum ordinarentur, eo ipso imperfectiores redderentur, utpote quæ intuitu aliarum, nempe finium, ac proinde illis subordinatæ, efficerentur. γ) Eadem hypothesis finium supponit Deum pauperem et egenum, qui mundo indigeat ad fruendum sua gloria. δ) Denique causæ, quæ finales dicuntur, plane cum efficientibus identificantur. Nam id, quod causæ finalis nomen accipit, aliud reapse non est, quam appetitus vel desiderium, quo quis ad aliquid obtinendum urgetur, atque impellitur: sic cum dicitur finis ædificandæ domus esse parare habitationem, id tantum significatur, quod animo sibi *repræsentans homo vitæ domesticæ commoda, domum exstruere exoptat.* Atqui appetitus vel desiderium hujusmodi, ad efficientem causam domus revocanda est. Ergo... (1).

Resp. Ad α) *neg.* simpliciter.

(1) Ita Spinoza apud Paulum Janet, Op. cit. *Append.* paragr. VII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad β) pariter *neg.* assertum quoad utrumque membrum. Ac de primo quidem nuper dictum est. Probatio vero alterius membri vanissima est. Primo quia necessarium non est omnes indiscriminatim res immediate a Deo profectas, vel per solam Dei actionem effectas, perfectissimas omnium esse: mixta enim corpora vel chimice composita simplicibus seu elementis, et animata inanimatis perfectiora sunt; et nihilominus elementa a solo Deo in prima mundi creatione, mixta vero a Deo simul cum ipsarum naturalium causarum concursu producta fuere, ut superius docuimus et communissime docetur nostris diebus; vel certe produci potuerunt. Ergo ex eo, quod priora immediate a Deo creata sunt, non sequitur non posse ad posteriora ordinari aut imperfectiora, quam ante fuerint, reddi. Præterea ut alibi contra evolutionistas probandum erit, immediata Dei actio ad primam viventium existentiam omnino requiritur. Ergo etiamsi verum foret in tota sua universalitate Spinozianum illud pronuntiatum, adhuc non sequeretur non posse et elementa et mixta inanimata ad viventia, itemque vegetalia ad animalia, et hæc omnia ad hominem tamquam ad finem magis minusve proximum, cuncta vero creata ad Deum tamquam ad ultimum finem dirigi et ordinari.

Ad γ) quod dudum sibi objecerat S. Thomas, solveratque (1), negatur prorsus assertum, prout sequenti articulo declarabitur.

Ad δ) denique negatur totum. Appetitus enim vel desiderium obtinendi aliquid non est ipse finis, sed effectus et causalitas finis, quemadmodum patet ex dictis in *Ontologia* (2).

ARTICULUS II.

Utrum detur aliquis finis ultimus mundi, et quis ille sit.

89. Ante omnia recolendæ animo sunt notiones ac divisiones finis in *Ontologia* enucleatæ (3), quas repetere hic

(1) 1 p. quæst. 44, art. 4, arg. 1.
(2) Vide *Ontol.* n. 422, 423, pag. 1186 seqq.
(3) A num. 416, pag. 1175.

iterum necesse non est. Revocandum item in memoriam est id, quod jam ibidem innuimus, in Deo respectu actuum ipsorum voluntatis finalem causalitatem habere locum non posse, sicut habet respectu creatæ voluntatis, posse autem respectu effectuum. Et ratio est, quia si respectu actus ipsius voluntatis divinæ daretur causa finalis, actus ille finaliter causaretur, atque adeo realiter dependeret a bonitate finis allicientis, et moventis ac determinantis ad volendum, sicut accidit in creata voluntate. Atqui nullus actus divinus causari quomodolibet potest, cum sit ipsa Dei essentia. Datur tamen respectu actus voluntatis divinæ ratio aliqua; quia quamvis in Deo omnia sint unum; at nostro modo intelligendi concipiuntur diversa attributa, ita ut alia in aliis radicem ac rationem habeant, sicut essentia concipitur esse ratio existentiæ, et necessitas æternitatis, veritas intellectionis, et similiter bonitas volitionis. Cum enim voluntatis objectum sit bonum, intelligi nequit actus voluntatis, qui non terminetur ad bonum, et consequenter bonitas infinita est ratio volitionis divinæ. At vero respectu effectuum habet locum in Deo finalis causalitas, quia ipsa increata et incausata volitio et amor bonitatis, simili modo se habet in ordine ad productionem effectuum procurationemque mediorum, ac se habet actus creatæ voluntatis a fine vere causatus, ac proinde objectum volitionis divinæ vere finaliter causare potest effectus ad extra, seu esse causa finalis, cur Deus operetur. «Consistit autem causalitas finis Dei respectu effectuum ad extra in hoc, quod Deus intuitu et amore suæ bonitatis effectus extra se producit: unde ipsamet operatio, quam ad extra habet, essentialiter pendet a Deo tum in ratione efficientis, tum etiam in ratione finis, quia respicit Deum et ut omnipotentem et ut summe bonum, qui ratione suæ bonitatis et dignus est, ut omnia ad ipsum ut ad finem ordinentur, et seipsum dicto eminenti modo inclinat ad communicandum aliis suam bonitatem propter ipsam» (1). Brevi, sicut finis in creatis vere causat in suo genere effectus, causando prius in voluntate amorem sui, quem deinde sequitur electio et applicatio mediorum et operatio externa; ita in Deo bonitas finis,

Respectu actus divinæ voluntatis non habet locum finalis causalitas.

et respectu effectuum voluntatis divinæ finalis causalitas non repugnat.

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 23, sect. 9, n. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quin causet quidpiam in voluntate, ut ametur, vere causat effectus ad extra.

Investigandus hic est communis et ultimus rerum omniam finis.

Hisce præhabitis, varii possunt in mundanis entibus considerari fines, siquidem «ununquodque pro naturæ suæ modo captuque hunc aut illum finem proxime respicit, particularia agentia privatum, universalia, quæ uberiori vi prædita sunt, communem. Exempli gratia, leo cum leonem gignit, ad formam leonis geniti, ut ad propinquum finem tendit, docente Aristotele (1); at simul etiam ad propriæ speciei conservationem, ut ad alterum huic innexum et cohærentem finem, aspirat. Providit nimirum salutis suæ appetens atque immortalitatis æmula natura, ut singularia dissolubilia, quia per se ab interitu vindicari non poterant, generationum beneficio et nascendi fecunditate servarentur, atque ita quodammodo sempiterna essent, non numero, sed specie: id quod 1.° *de Generatione animalium* (2) et 2.° *de Anima* (3), Aristoteles docet» (4). At quamquam nostrum non sit nunc singulorum entium mundanorum fines persequi, operæ tamen pretium est, atque ad nostrum institutum pertinet generatim ultimum et communem rerum omnium creatarum finem investigare. Duo itaque inquirenda nobis sunt, primo utrum detur aliquis ultimus finis mundi, secundo quisnam ille sit.

§ I.—ASSERITUR ULTIMUS MUNDI FINIS.

90. PROPOSITIO 1.ª **Datur aliquis finis ultimus omnibus mundanis entibus præstitutus.**

Datur aliquis ultimus finis a cunctis omnibus mundanis præstitutus.

Prob. 1.° Omne agens propter finem, necessario intendit finem aliquem ultimum. Ergo etiam Deus, qui proinde non potuit mundum condere, quin illum ad finem aliquem ultimum dirigeret, atque ordinaret.

Prob. antec. *In omnibus agentibus propter finem, hoc esse ultimum finem dicimus, ultra quod agens non quærit aliquid: sicut actio medici est ad sanitatem, ea vero consecuta, non conatur ad aliquid ulterius. Sed in actione cujuslibet agentis est venire ad aliquid, ultra quod agens non quærit aliquid; alias enim actiones in infinitum tenderent. Quod quidem est impossibile, quia cum infinita non sit pertransire, agens agere non inciperet; nihil enim movetur ad id, ad quod impossibile est pervenire. Omne igitur agens agit propter finem* (1).

(1) *Physicor.*, lib. 2, cap. 8, text. 81.
(2) Cap. 1.
(3) Cap. 4, text. 34.
(4) Conimbric., *Physicor.*, lib. 2, cap. 8 et 9, quæst. 2, art. 1.

Prob. 2.° Eamdem rationem magis evolvendo. In omni actione vel intenditur unicus finis, vel series finium, unius post et propter alium. In primo casu, jam adest finis ultimus. Sed in altero etiam casu finis abesse nequit; nam in omni serie ordinata, id est entium invicem pendentium, remoto primo removetur ultimum. Atqui in omni serie finium ultimus habet rationem principii, unde reliqui pendent. Ergo remoto ultimo fine, nullus alius potest intendi, ac proinde si supponantur plures fines, oportet, ut detur ultimus.

Minor per se patet. Nam in serie plurium finium ordinatorum hoc modo proceditur, ut primus appetatur propter secundum, secundus propter tertium, et ita porro usque ad ultimum, qui est finis omnium præcedentium: unde appetitio primi pendet a secundo, secundi a tertio, et reliquorum omnium ab ultimo. Et sic quoniam finis debet esse primum in intentione, ultimus finis habet rationem primi moventis respectu reliquorum. Quemadmodum si quis appetat studium Philosophiæ propter Theologiam, hanc vero propter lauream, lauream propter canonicatum, et hunc propter episcopatum aut cardinalatum; evidens est in hac serie a desiderio episcopatus aut cardinalatus pendere omnia præcedentia. Quod si quis non totam hanc seriem finium intendisset ab initio, sed solum canonicatum, vel lauream, illa foret in eo casu finis ultimus, ob quem reliqua appeterentur.

Argumentum porro fit de finibus inter se ordinatis, quia qui non sunt tales, possunt stare alii sine aliis, et singuli sunt ultimi saltem secundum quid, cum non ordinentur ulterius hic et nunc ad alium. Et ideo etiam in hujusmodi finibus, utpote qui per se non conjunguntur, procedi potest in infinitum, id est possunt alii et alii in indefinitum appeti.

(1) S. Thom. 3.ª *Contr. Gent.* c. 2. *Adhuc, in omnibus.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Totum hoc argumentum præclare expositum videatur apud S. Thomam (1).

Dices forte, argumentum istud non probare præcise quod detur finis aliquis simpliciter ultimus et communis pro toto mundo, sed tantum quod detur finis ultimus secundum quid, pro variis nempe seriebus et ordinibus entium.—**Resp.** *negando*. Incredibile enim est Deum toti rerum universitati et complexioni, quæ unitatem quamdam fert ordinis admirabilem, non præfixisse finem unum ultimum toti machinæ communem. Præterea statim probabitur Deum nihil posse agere nisi propter suam bonitatem et propter suam gloriam: ex quo manifeste habetur, ad unum tandem finem simpliciter ultimum a Deo totam rerum universitatem dirigi.

Objic. 1.° Deus non potest agere propter finem. Nam α) agere propter finem videtur proprium esse finem indigentis. Sed Deus nulla re indiget. Ergo nequit agere propter finem. β) Finis est perfectio agentis. Sed Deus nequit ab alio perfici, cum sit fons omnis perfectionis, a quo suam omnia perfectionem nanciscuntur. Ergo... (2).

Resp. *neg.* assert. Ad α) *dist.* Major. Agere propter finem tamquam bonum sibi acquirendum, *conc.;* tamquam bonum aliis communicandum, *neg.*

Et concessa Minore, *neg.* conseq. (3).

Ad β) *Concedi* potest totum, *negando* suppositum, videlicet quod Deus agat propter alium finem a se diversum. Apposite Aquinas: *Illud quod agit propter desiderium finis, habet finem extra se, quo perficitur. Hoc autem non convenit Deo, qui agit propter amorem finis, quia ipsemet est sibi finis, a se habitus et amatus: et ideo dicimus, quod divina voluntas non est perfecta quodam alio, sed seipsa, quia ipsa voluntas est bonitas* (4).

(1) 1. 2. quæst. 1, art. 2, 4. Cfr. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 74. *Præterea, principale*, lib. 3, cap. 17. *Amplius, in omnibus finibus ordinatis;* Suarez, disp. 24, *Metaph.* sect. 1, ubi fusc tota hæc res versatur.

(2) Vide apud S. Thom., 1 p., quæst. 44, art. 4, arg. 1.°; et 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 1, arg. 2.

(3) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 44, art. 4 ad 1.um

(4) S. Thom. 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 1 ad 2.um

Objic. 2.° Si creatio divina foret propter finem, ipse Deus ultimus ad finem ordinaretur, quod absonum est. Et probatur, quia actio creativa est ipsemet Deus vel divina substantia. Ergo si creatio est propter finem, ipsa divina substantia est propter finem.

Resp. *neg.* assert. Et probation. *dist.* Creatio entitativa et inadæquate considerata est ipsemet Deus vel divina substantia, *conc.;* adæquate ac terminative considerata, *neg.*, et *neg.* conseq. *Actio divina est essentia ejus*, inquit S. Tomas; *et ex hac parte non quæritur finis ejus, sed ex parte illa, qua effectum creaturæ communicat* (1).

§ II.—QUISNAM SI FINIS ULTIMUS RERUM CREATARUM.

Doctrina catholicorum.

91. Sententia fuit apud Pilosophos ac Theologos christianos communissima, Deum corpoream naturam in commodum creaturæ rationalis condidisse, omnia vero, non exclusa ipsa rationali creatura, in gloriam suam tamquam in primarium et supremum finem ordinasse: quare omnia Deum creasse propter suam bonitatem, non quidem acquirendam vel augendam in seipsa, sed aliis communicandam. Quam doctrinam bifariam impugnatam esse reperio a recentioribus: primo enim mundum ob solam hominis felicitatem conditum esse affirmarunt Moshemius, Wegscheider, Kant (2), Baylius (3), aliique, quibus postea adstipulati sunt Hermes (4)

bifariam impugnata a recentioribus.

(1) S. Thom. 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 1 ad 4.um

(2) Apud Em. Card. Mazzella, *de Deo creante*, disp. 1, art. 9, n. 177.

(3) Apud Spagni, *de Mundo*, n. 337.

(4) «Deus, inquit, creavit hominem propter hominem, et quidem ad ejus felicitatem; nam Deus, ut est ens moraliter perfectum et bonum, non potuit ei male, sed unice bene velle. Dixi *et quidem ad ejus felicitatem*, hoc est, non ad sensibilem felicitatem, nam fruitio sensibilis non habet valorem immutabilem pro ente rationali sensibili, et nunquam erit in eo digna, sed ad felicitatem, quæ oritur ex convenientia moraliter libere acquisita. Cætera omnia super terram non possumus admittere nisi propter hominem facta esse. Homo igitur erit inter omnes creaturas unicum ens, propter quod Deus hunc mundum condidit». Hermes, *Introduct. Philos.*, quæst. 2, paragr. 71). Alibi ambitione plenum esse scribit agere propter suum honorem. (*Dogmatica*, part. 2, cap. 3).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et Hegel (1). Aliorum castissimæ aures ferre non possunt, quod dicatur Deus ullo modo tantam rerum multitudinem magnitudinemque propter hominem creasse. Exemplum ita opinandi cæteris præbere potuit Cartesius, cavendum esse monens, ne nimis superbe de nobis sentiamus, propter nostrum dumtaxat usum creasse Deum omnia existimantes (2). Quamquam enim cogitatio hæc pia, quantum mores attinet, bona sit, plurimumque valeat ad excitandos homines de amorem et laudem Dei gratiarumque actionem, verisimile tamen non esse, ita Deum propter nos omnia creasse, ut nullum alium sibi propositum finem habuisset, cum potissimum innumera sint et fuerint in mundo, quæ nec cadere sub aspectum ullius hominis potuerunt, nec ullum eidem usum commodumve afferre (3). Cartesio applauserunt postea multi apud Paulum Janet, qui eisdem adhæret (4); nec defuerunt etiam auctores catholici ac cæteroquin graves, qui ita scriberent, ut veterum hac in re sententiam erubescere viderentur. Et quamquam doctrinam, quam Cartesius carpit, eo modo quo illam proponit, nullus, quem ego sciam, inter veteres catholicos scriptores tenuerit, quod enim homo sit *unicus aut certe supremus finis* creationis, vox est non catholicorum, sed heterodoxorum hominum; quidam tamen videntur illam iniquissime clarissimis sapientissimisque magistris appingere.

Ut ergo ad catholicam, eamque verissimam, veterum doctrinam regrediamur, illam paucis præclare complexus est Aquinas (5) in quodam loco, quem superius exscripsimus, agentes de ordine mundano (6); quo in testimonio duo continentur, nunc nobis propugnanda: primum, creaturam omnem irrationalem in bonum hominis conditam esse;

(1) «Hegel ipsam Sanctam Scripturam sugillat, inquit. Card. Mazzella, eo quod Deum amore proprio plenum et omnia ad gloriam suam trahentem proponat, neque hunc divinum egoismum blasphemis vocibus prosequi veretur». Card. Mazzella loc. cit.

(2) Cartesius, *de Principiis*, part. 3, n. 2.

(3) Ibid. n. 3.

(4) *Les causes finales*, *Appendice*, paragr. VIII.

(5) S. Thom. 1 p., quæst. 65, art. 2.

(6) Vide supra n. 25, pag. 59, in nota.

alterum, omnia prorsus creata tandem ad gloriam divinam ordinari tamquam ad ultimum finem. Ut hoc alterum melius declaretur, notandum est, quod gloria, ex S. Augustino (1), *est* **clara cum laude notitia**. *Est enim sciendum, quod sicut Augustinus dicit super Joannem* (2), *gloria claritatem quamdam importat, unde glorificari et clarificari pro eodem in Evangelio sumuntur. Claritas autem importat evidentiam quamdam, secundum quam aliquid fit conspicuum et manifestum in suo splendore: et ideo gloria, importat quandam manifestationem in bono. Si autem manifestatur malum alicujus jam non dicitur gloria, sed magis ignominia: et propter hoc Ambrosius dicit super epistolam ad Roman., quod gloria est* **clara cum laude notitia**... *Consideratur autem gloria secundum triplicem statum... nam secundum maximum sui statum gloria consistit in hoc, quod bonum alicujus multitudini manifestatur: hoc enim clarum esse dicimus, quod ab omnibus vel a multis perspicue videri potest. Unde Tullius dicit* (3), *quod gloria est frequens fama cum laude... Sed tamen secundo modo gloria dicitur secundum aliquem sui statum, prout bonum unius vel paucis vel uni soli manifestatur. Tertio modo gloria dicitur secundum quod bonum alicujus consistit in consideratione sui ipsius, scilicet quod aliquis considerat bonum suum sub ratione cujusdam claritatis, ut manifestandum et admirandum multis. Et secundum hoc aliquis dicitur gloriari, cum aliquis appetit, vel etiam delectatur circa manifestationem sui boni vel ad multitudinem vel ad aliquos paucos, sive ad unum vel ad seipsum tantum* (4). Et quoniam ad laudem et commendationem rei spectat non sola notitia, verum amor etiam et gaudium de ejusdem possessione ac perfectione; gloria complectitur non solos actus cognitionis verum etiam amoris aliosque similes. Hinc vides, quomodo se habeat gloria respectu honoris ac laudis, cum quibus sæpe solet etiam permisceri propter arctissimam, qua cum iisdem tenetur, necessitudinem: nam *gloria est quidam effectus honoris et laudis, ex hoc enim quod aliquis laudatur, vel*

Quid gloria.

quæque actus complectatur.

discrimen ejus ab honore ac laude.

(1) *Contr. Maxim.*, lib. 3, cap. 13.

(2) Tract. 82 et 100 a princip. et 104 vers. fin.

(3) *De Inventione*, lib. 2.

(4) S. Thom. *de Malo*, quæst. 9, art. 1. Cfr. 2, 2, quæst. 132, art. 1; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 29.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæcumque reverentia ei exhiberetur, redditur clarus in notitia aliorum (1).

Gloria interna et æterna, formalis et objectiva.

Cæterum gloria sumi potest non solum in sensu formali, sed etiam in sensu objectivo, nec solum pro gloria interna ipsius personæ laudatæ, sed præterea de illa, quæ extrinsecus advenit. Quare multi post P. Leonardum Lessium divinam gloriam primo dividunt in internam et externam et utramque mox in formalem et objectivam seu fundamentalem. «Objectiva gloria Deo intrinseca est ipsa divinitas seu splendor et excellentia divinitatis et Personarum divinarum; ob hanc enim dignissimus est, qui ab omnibus cognoscatur, ametur, laudetur etc. Sic passim in Scripturis excellentia divinitatis et omnia hujus excellentiæ signa dicuntur gloria Dei. Formalis gloria Deo intrinseca est cognitio, amor et gaudium Dei de seipso; sive quod ipse a seipso infinite et adæquate cognoscatur, ametur, et cum infinito gaudio ac suavitate gustetur, infinite enim major est gloria Dei, quod ipsius bonitas et perfectio a se cognoscatur, ametur, æstimetur, quam si amaretur et laudaretur ab infinitis angelis et hominibus». Gloria externa objectiva «consistit in excellentia et pulchritudine rerum creatarum, sed maxime filiorum Dei, ut sunt omnes beati. Sicut enim gloria Principis sæcularis dicitur consistere potissimum in splendore et multitudine aulicorum; ita externa gloria Dei objectiva consistit potissimum in splendore et multitudine aulicorum cœlestium, secundario in aliis rebus creatis....» Gloria formalis sita est in actibus cognitionis, amoris et laudis, admirationis, venerationis et gaudii, quibus creaturæ intellectuales prosequuntur divinam excellentiam, sive nunc in mundo corporeo tamquam

(1) S. Thom. 2, 2, quæst. 132, art. 2. Cfr. ibid, quæst. 103, art. 1, ad 3 um Alibi hæc scribit idem S. Doctor: *Laus autem distinguitur ab honore dupliciter: uno modo quia laus consistit in solis signis verborum, honor autem in quibuscumque exterioribus signis; et secundum hoc laus in honore includitur. Alio modo quia per exhibitionem honoris testimonium reddimus de excellentia bonitatis alicujus absolute, sed per laudem testificamur de bonitate alicujus in ordine ad finem, sicut laudamus bene operantem propter finem. Honor autem est etiam optimorum, quæ non ordinantur ad finem, sed jam sunt in fine, ut patet per Philosophum in 1.° Ethicor.*, cap. 5. (S. Thom. 2. 2. quæst. 103, art. 1 ad 3.um

in speculo relucentem, sive postea in seipso inspectam per visionem beatificam, ut nunc supponimus ex doctrina Fidei (1).

Idem valet, quoad rem ipsam, Deum omnia creasse propter suam bonitatem, ac creasse propter suam gloriam, vel omnia tendere ad divinam similitudinem.

Sæpe dici solet etiam a Theologis ac Philosophis catholicis, Deum creasse mundum propter suam bonitatem, vel etiam omnia tendere ad divinam similitudinem, tamquam ad ultimum finem. Verum hæ formæ loquendi, quamvis diversas rationes præ se ferant, quoad rem ipsam idem valent, ac illa nuper declarata, secundum quam Deus dicitur omnia propter suam gloriam creasse. Quid enim? Deus certe creavit mundum propter suam bonitatem, non quidem acquirendam vel augendam, sed aliis communicandam, prout secundum Fidem divinam tenent omnes catholici scriptores. Et quoniam divina bonitas nequit communicari rebus creatis, nisi secundum participationem entitatis ac perfectionum, quæ divinam quamdam similitudinem gerant; plane sequitur perinde esse Deum creare propter suam bonitatem, ac creari, ut sint alia quoque entia divinas perfectiones imitantia, seu ut alia Deo assimilentur. Jam vero eo ipso, quod adsint alia entia divinam bonitatem modo prædicto participantia, jam relucet in his omnibus divina gloria objectiva extrinseca, quam intuentes creaturæ rationales ascendant ad cognoscenda in hac vita abstractive divinam gloriam internam, eamque laudandam et amandam; sicque sancte vivendo disponuntur ad eamdem intuitive videndam, et amore consentaneo amandam in cœlo cum ineffabili gaudio et jucunditate. Ergo iterum eadem doctrina exprimitur quoad rem ipsam, dicendo Deum creasse mundum propter suam bonitatem, ac dicendo creasse propter suam gloriam: quamvis prius videatur a nobis concipi communicatio divinæ bonitatis, ac postea gloria Dei tamquam corollarium prioris, et sic quidam veluti gradus distingui possint, prout innuit Angelicus in illis verbis superius recitatis: *Totum universum cum suis partibus ordinatur in Deum*, **in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repræsentatur ad gloriam Dei (2).**

(1) Vide P. Leonardum Lessium, *de Perfectionibus moribusque divinis*, lib. 14, cap. n. 7.

(2) S. Thom., 1 p., quæst. 65, art. 2.

Hisce pro terminorum sententiæque declaratione præli-batis, sit

92. Propositio 1.a **Finis proximus atque immediatus mundi corporei verissime dicitur esse bonum creaturæ rationalis, ac nominatim hominis.**

Homo est finis proximus atque immediatus corporei mundi.

Hic probandum nobis est solummodo hominem esse finem mundi corporei; quod enim non sit primarius et ultimus simpliciter, sed tantum secundarius, constabit ex dicendis in sequenti propositione.

Propositio hæc videtur ipsis sacris Litteris haud obscure significari: *Ecce dedi vobis*, ait Deus ad protoparentes nostros, *omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut* **sint vobis** *in escam, et cunctis animantibus terræ etc.* (1). Item: *Omne quod movetur, et vivit,* **erit vobis** *in cibum: quasi olera viventia* **tradidi vobis omnia** (2): quare etiam dedit Deus homini dominium super terram: *Crescite et multiplicamini et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram* (3). Et alibi: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (4). In quibus vides aperte Deum in creatione regni vegetalis et animalis intendisse bonum et utilitatem hominis. Audi nunc ipsum Deum idem satis significantem de cœlestibus corporibus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem,* **et sint in signa et tempora, et dies et annos,** *ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras* (5) Et alibi: *Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et*

(1) *Genes.* cap. 1, v. 29, 30.
(2) *Genes.* cap. 9, v. 3. Cfr. ibid. cap. 1. v. 26; et *Psalm.* 103, ubi plura in hanc rem reperies; *Isaiæ* cap. 45, v. 18.
(3) *Genes.* cap. 1, v. 28.
(4) *Psalm.* 8, v. 7 et 8.
(5) *Genes.* cap. 1, v. 14.

colas, **quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt** (1).

Quare nihil mirum si ecclesiastici scriptores communi consensu doctrinam hanc tradiderint. Quod Theologos attinet, unum aut alterum in exemplum laudare sufficiat. Magister Sententiarum hæc habet: *Et sicut factus est homo propter Deum, id est, ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret, ut acciperet utrumque, et refluere tot um et bonum hominis, et quod accepit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus ab homine serviri, ut ea servitute non Deus, sed homo serviens juvaretur; et voluit ut mundus serviret homini, et exinde similiter juvaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod factus est ipse* etc. (2).

Sed audiatur pro reliquis omnibus S. Tomas: *Finis alicujus rei dicitur dupliciter: vel in quem tendit naturaliter, vel ex eo quod ad ipsum sicut ad finem ordinari dicitur, ut utilitatem aliquam consequatur secundum intentionem et ordinem agentis. Utroque autem modo homo finis creaturarum dicitur: et primus quidem ex parte operis, sed secundus ex parte agentis* (3). *Differenter tamen homo dicitur finis, et divina*

(1) *Deuteron.* cap. 4, v. 19.
(2) Lib. 2.° *Sentent.* dist. Cofr. S. Bonaventura, 2.° dist. 1. 2.° part. art. 2, quæst. 1.
(3) Hic excluditur scrupulus quorumdam recentiorum, qui negant Deum in modo creando habuisse *finem*, quem dicunt *operantis*. S. Thomas aperte contrarium profitetur, ut vides, nec ullibi apud antiquos DD. memini me exclusum reperisse in creatione mundi finem operantis. Cæterum passim occurrunt exempla finium operantis in divinis operibus. Abrahам creavit, et elegit Deus in auctorem sui populi electi Moysen in ducem Israelitarum, Saulem ac Davidem in reges Israel; Josias *est directus divinitus in pœnitentiam gentis* (*Eccl.* cap. 47, v. 3). Apostoli ut *essent in lucem gentium et in salutem usque ad extremum terræ* (*Isaiæ*, cap. 49, v. 6; *Act.* apost. cap. 13, v. 47), ac nominatim S. Paulus *vas electionis, ut portaret nomen* Domini *coram gentibus et regibus et filiis Israel.* Denique ut infinita alia omittam, ignem æternum Deus paravit diabolo et angelis ejus (*Matt.* cap. 25, v. 41), ut eos cruciaret. In his omnibus præter finem operis, illum nempe ad quem opus ex natura sua dirigitur, relucet finis operantis. Præterea ordinatio et elevatio hominis in ordinem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bonitas: quia ex parte agentis divina bonitas est finis rerum, sicut ultimum intentum ab agente; sed natura humana non est intenta a Deo, quasi movens voluntatem ejus, sed sicut ad cujus utilitatem est ordinatus effectus ejus. Ipse enim duplicem ordinem in universo instituit: principalem scilicet, et secundarium. Principalis est, secundum quod ordinantur in ipsum, et secundarius est, secundum quod una juvat aliam in perveniendo ad similitudinem divinam etc. (1). Quibus affinia sunt hæc: *sicut una pars exercitus ordinatur ad aliam, et ad ducem; ita corporalis creatura ordinatur et ad perfectionem spiritualis creaturæ juvandam, et ad divinam bonitatem repræsentandam* (2). Ex qua sententia S. Thomas rationem repetit, cur post resurrectionem hominis secundum carnem, corporeus quoque mundus innovandus sit, atque in melius commutandus, quemadmodum superius docuimus. *Omnia*, inquit, *corporalia propter hominem facta esse creduntur: unde et omnia dicuntur ei esse subjecta. Serviunt autem ei dupliciter: uno modo ad sustentationem vitæ corporalis; alio modo ad profectum divinæ cognitionis, in quantum homo per ea, quæ facta sunt, invisibilia Dei conspicit, ut dicitur* Rom. 1.° etc. (3). Hujus denique propositionis doctrinam expressit S. Parens noster Ignatius in libello Exercitiorum (4).

Probatur autem 1.° Corporeus mundus propter hominem, tamquam propter finem immediatum et secundarium, creatus recte dicitur, si totus in ejus commodum et bonum cedit. Atqui ita se res habet. Ergo...

Major videtur constare. Nam nullo manifestiori signo cognoscitur finis ab artifice in fabricando opere intentus.

Minor perspicue declaratur a S. Thoma. *Quia... eadem res generatur et conservatur in esse; secundum ordinem*

supernaturalem tota quanta afferri potest in exemplum finis operantis. Equidem capere non possum, quomodo Deus nequeat præter fines, ad quos opus naturaliter dirigitur, alios quoque intendere ad majorem suam gloriam secundum benevolentissimæ sapientiæ suæ consilium.

(1) S. Thom. 2.ª dist. 1. quæst. 2. art. 3 in corp. Cfr. ib. ad 1.^um et 2.^um

(2) S. Thom., *de Potent.* quæst. 5. art. 4, ad 2.^um

(3) S. Thom. 4.ª dist. 48, quæst. 2, art. 1. Cfr. *Contr. Gent.* lib. 4, cap. ult.; *de Potent.* quæst. 5, art. 9; *de Anima*, lib. 2, lect. 7, paragr. *f.*

(4) In *Princip. et Fundam.*

præmissum in generationibus rerum, est etiam ordo in conservationibus. Unde videmus, quod corpora mixta (chimice composita) *sustentantur per elementorum congruas qualitates; plantæ vero ex mistis corporibus nutriuntur; animalia ex plantis nutrimentum habent; et quædam etiam perfectiora et virtuosoria ex quibusdam imperfectioribus et infirmioribus. Homo vero utitur omnium rerum generibus ad sui utilitatem, quibusdam quidem ad esum, quibusdam vero ad vestitum (unde et a natura nudus est institutus, utpote potens ex aliis sibi vestitum præstare: sicut etiam nullum sibi congruum nutrimentum natura præparavit nisi lac, ut ex diversis rebus sibi cibum conquireret); quibusdam vero ad vehiculum, nam in motus celeritate et in fortitudine ad sustinendos labores multis animalibus infirmior invenitur, quasi aliis animalibus ad auxilium sibi præparatis. Et super hæc omnibus sensibilibus utitur ad intellectualis cognitionis perfectionem. Unde et de homine in Psalmis* (1) *dicitur ad Deum directo sermone:* **Omnia subjecisti sub pedibus ejus** (2).

Unde sic argumentari licet. Incredibile est Deum in creatione mundi non intendisse tamquam finem secundarium ea, quibus homo eget, vel certe summopere juvatur ad vitam suam et physicam et intentionalem per scientiarum acquisitionem, immo et ad finem suum ultimum assequendum. Atqui talis est corporeus mundus respectu hominis. Nam aliis eget, vel juvatur proxime vel remote ad nutrimentum, habitationem, vestitum, commoditatem, honestam recreationem aliosve usus; quare etiam non prius conditus est homo, quam terra copiosissimo rerum omnium, ad vitam domini sui sustentandam necessariarum vel utilium, apparatu quasi dignum rege domicilium magnificentissime instructa esset. Sic ergo omnia serviunt hominis aut necessitati, aut utilitati, aut oblectationi, omniaque possunt esse media ad virtutem æternamque salutem attingendam, sive contemplatione, ascendendo a creaturis ad cognitionem et amorem Dei; sive usu, utendo illis secundum leges honestatis rectæque rationis; sive abstinentia, compescendo appetitum eorum.

(1) *Psalm.* 8, v. 8.

(2) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 22. Cfr. 1 p. quæst. 96, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ usurpata nocere virtuti possent (1). Decebat enim, ut Deus, amantissimus providentissimusque Pater, qui hominem in mundo constituebat tamquam in palæstra, in qua per virtutis exercitationem felicitatem æternam tamquam præmium mereretur, res ita ordinaret ad disponeret, ut nihil illi nocere, omnia, si ipse vellet, ad eum finem assequendum juvare possent. Quapropter in exponendo fine secundario hujus mundi negligendus non est, sed præcipua quadam ratione respiciendus, ordo moralis et exercitatio virtutis, quam Deus in homine creando non potuit non intendere, ut ei quem principem *super opera manuum suarum* (2) præfecerat, sive in prosperis sive in adversis *omnia*, si ipsemet vellet, *cooperarentur in bonum* (3).

Prob. 2.° Propositio ex eo, quod homo sit quodammodo meta et scopus naturæ in serie generationum. Nam ut egregie declarat S. Thomas, *quanto aliquis actus est posterior et magis perfectus, tanto principalius in idipsum appetitus materiæ fertur. Unde oportet, quod in ulteriorem et perfectissimum actum, quem materia consequi potest, tendat appetitus materiæ, quo appetit formam, sicut in ultimum finem generationis. In actibus autem formarum, gradus quidam inveniuntur. Nam materia prima est in potentia primum ad formam elementi; sub forma vero elementi existens, est in potentia ad formam mixti, propter quod elementa sunt materia mixti; sub forma autem mixti considerata, est in potentia ad animam vegetabilem, nam talis corporis anima actus est. Itemque anima vegetabilis est in potentia ad sensitivam, sensitiva vero ad intellectivam, quod processus generationis ostendit; primo enim in generatione est fœtus vivens vita plantæ, postmodum vero vita animalis, demum vero*

(1) Vide R. P. Joan. Roothaan in expositione *Principii et Fundamenti* Exercitior. S. Ignatii. *Cœlum, terra et mare*, inquit S. Prosper, *omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de tot contemplatione specierum, de experimento tot bonorum ad cultum et dilectionem sui imbueretur Auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur, et sumus. De Vocat. Gent.* lib. 2, cap. 4.

(2) Cfr. *Psalm.* 8.

(3) Cfr. *Rom.* cap. 8. v. 28.

vita hominis. Post hanc autem formam non invenitur in generabilibus et corruptibilibus posterior forma et dignior. Ultimus igitur generationis totius gradus est anima humana, et in hanc tendit materia sicut in ultimam formam. Sunt ergo elementa propter corpora mixta, hæc vero propter viventia, in quibus plantæ sunt propter animalia, animalia propter hominem, homo enim est finis totius generationis (1).

Ut vides prima duarum istarum probationum ostendit hominem esse finem *cui*, altera finem *qui* secundarium reliquæ visibilis creationis. Cæterum his non obstat, quominus ipse homo ulterius ordinetur, tamquam ad finem ultimum secundum quid, ad bonum et conservationem mundi; cujus est pars præcipua et nobilissima (2); partes enim alicujus totius, licet possint esse aliæ propter alias, sicut materia propter formam, ulterius tamen omnes ordinantur ad *esse* ac bonum totius ipsius.

93. **Objic. 1.°** Nemo ordinate operans intendit id, quod se vilius est. Sed homo infinite Deo vilior est. Non potuit ergo Deus omnia propter hominem facere.

Resp. *dist.* Major.: tamquam finem præcipuum vel ultimum, *conc.*; tamquam minus præcipuum et secundarium *neg.*

Et *concessa* Minore, *dist.* similiter conseq. (3).

Objic. 2.° Sicut universale agens non potest esse, nisi primum agens, ita finis universalis non potest esse, nisi finis ultimus. Atqui homo non est finis ultimus creaturæ corporeæ, sed solum bonitas vel gloria divina, ut mox probandum erit. Ergo nec potest esse universalis finis omnis corporei mundi.

Resp. *dist.* Minor. Homo non est finis simpliciter ultimus, ac proinde primarius, *conc.*; secundum quid ultimus et secundarius, *neg.* Et similiter *dist.* conseq. (4)

Objic. 3.° Sapientis artificis non est facere multa magna instrumenta propter aliquid parvum. Sed humana natura est

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 22. Cfr. 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 3; Conimbric. cap. 8-9. quæst. 2, art.

(2) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 65, art. 2; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 86.

(3) S. Thom., 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 3 ad 1.um

(4) S. Thom., ibid. ad 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
GENERAL DE BIBLIOTECAS

quasi quoddam minimum in universo. Ergo videtur ridiculum, quod totum universum propter hominem factum sit (1). Hoc argumentum, quod dudum sibi objecerat S. Thomas, ac dissolverat, movit multos recentiores ad negandam communem, quam tuemur, sententiam veterum.

Resp. cum eodem Angelico Doctore, *quod omnis creatura corporalis, quantumcumque sit magna quantitate, est tamen inferior homine ratione intellectus. Unde non est inconveniens* (2), *si homo est finis omnis creaturæ, non sicut ultimo intentum ab omni creatura, sed sicut illud, cui provenit utilitas ex omni creatura* (3), et quidem utilitas prævissa et ordinata a Deo (4). Immo vero in hoc sensu docet S. Thomas ipsos angelos, quantumvis homine nobiliores secundum conditionem naturæ, posse dici esse propter hominem, *sicut ex quibus provenit homini utilitas, velut si diceretur regem esse constitutum propter aliquem rusticum, cui provenit utilitas pacis propter leges regis* (5).

Objic. 4.° «Illud, quod non juvat ad id, propter quod fit, est superfluum et inane. Sed multa sunt in universo, quæ sunt homini nociva, ut serpentes, spinæ et hujusmodi: multa sunt etiam, ex quibus nullum juvamentum habet, sicut aliqui pisces in profundo maris existentes. Ergo cum nihil sit vanum in operibus Dei, videtur quod non omnia propter hominem facta sunt» (6). Ita iterum sibi objiciebat S. Thomas, et ita etiam plures recentiores objiciunt, qui obliti rerum innumerarum, quæ manifestissima homini afferunt commoda, quasdam alias opponunt, quarum non habetur cognitio nec usus.

Respondeo cum Angelico, *quod hujusmodi non fuerunt a principio homini nociva, sed postea per peccatum nociva sibi facta sunt; ex quibus tamen aliqua utilitas sibi provenit, dum per hoc humilior fit, et in talibus etiam visibilibus gloriam et sapientiam Dei considerat. Et sic in utilitatem cedunt ea, quæ*

(1) Apud S. Thom., ibid. arg. 3.
(2) S. Thom., 2.° dist. 1, quæst. 2, art. 3 ad 3.um
(3) S. Thom., ibid. ad 2.um
(4) Cfr. S. Thom., ibid. in corp. articuli.
(5) S. Thom., ibid. ad 3.um
(6) Apud S. Thom. 2.° dist. 1, quæst, 2, art. 2, arg. 4.

in usum operis ejus non veniunt, dum de eis aliquam cognitionem habet, vel in universali vel in particulari (1).

94. PROPOSITIO 2.ª **Finis primarius ac simpliciter ultimus mundi et omnium creatorum vel creabilium non potest alius esse, quam Deus vel divina bonitas, non quidem acquirenda vel augenda, sed aliis communicanda; ac proinde res omnes creatæ sunt, ut divinæ voluntati assimilentur.**

Finis ultimus mundi est Deus vel bonitas divina.

Probatur prima pars: *finis ultimus mundi est Deus vel bonitas divina.* Ille est primarius ac simpliciter ultimus finis mundi, quem in eo creando sibi ultimo proposuit Deus. Ut enim scribit Aquinas, *idem finis est agentis et patientis* (i. e. recipientis) *in quantum hujusmodi, sed aliter et aliter. Unum enim et idem est, quod agens intendit imprimere, et quod patiens intendit recipere* (2). Atqui Deus nihil potest efficere nisi propter bonitatem, tamquam primarium et simpliciter ultimum finem. Ergo...

Minor probatur multifariam. α) Finis, ac potissimum ultimus, comparatur ad voluntatem, sicut movens ad motum. Si ergo Deus posset quidquam efficere nisi propter suam bonitatem, adesset aliquid aliud Deum movens. Atqui id repugnat prorsus enti a se independentissimo et absolutissimo (3).

β) Finis, ac potissimum ultimus, est causa prima in ordine causarum, quemadmodum ostendimus in *Ontologia*. Sed repugnat aliquid extra Deum habere rationem causæ primæ in divinis operationibus. Ergo...

γ) Ens summe ordinatum debet omnia velle et amare secundum ordinem bonitatis atque amabilitatis. Atqui Deus est supra omnia bonus et amabilis, neque est aliquid bonum et amabile, nisi per participationem divinæ bonitatis. Ergo nihil potest velle Deus, nisi propter suam bonitatem (4).

(1) S. Thom. ibid ad 4.um
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 44, art. 4.
(3) Vide S. Thom. 1.° *Contr. Gent.* cap. 74, *Item, appetibile.*
(4) Vide S. Thom. 1.° *Contr. Gent.* cap. 74. *Præterea, principale;* lib. 3.°, c. 17, *Præterea, finis inter alias causas.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

δ) Finis simpliciter et absolute ultimus necessario est summum bonum. Solus autem Deus est summum bonum. Sane finis ultimus est ille, ad quem cæteri subordinantur, ipse vero nequit ulterius ad alium ordinari. Jam in recto ordine non potest majus bonum ordinari ad minus, vel appeti propter minus, sed e converso minus bonum ordinari debet ad majus, et illud quod jam nequit ulterius ordinari, debet esse omnium summum et maximum. Quoniam ergo finis est bonum, ultimus simpliciter debet esse summum bonum (1).

ε) «Ratio causæ finalis perfecta est, et de se pertinet ad perfectionem simpliciter. Ergo convenit Deo in summo gradu perfectionis; tum quia omnis perfectio simpliciter, est in Deo in summo gradu; tum etiam quia cum bonitas sit ratio causandi finaliter, et Deus sit summum bonum, necesse est, ut rationem et perfectionem finalis causæ in summo habeat. Sicut autem summa perfectio in ordine efficientium est, quod sit primum et universalissimum; ita in ordine finium, quod sit ultimus et universalissimus. Ergo talis perfectio necessario tribuenda est Deo» (2).

Plura si cupis, adi S. Thomam (3). Estque doctrina hæc tradita in sacris Litteris, in quibus legitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (4). Et: *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis* (5).

Mundus non est conditus ad augendam, sed ad communicandam aliis divinam bonitatem, ac proinde ut divinæ bonitati assimiletur.

Secunda pars: *mundus conditus est non ad augendam, sed ad communicandam aliis divinam bonitatem, ac proinde ut divinæ bonitati assimiletur.*

Prob. 1.° Deum agere propter suam bonitatem, vel omnia tendere in divinam bonitatem, posset intelligi ita, ut agat propter bonitatem acquirendam et augendam: id est, ut

(1) Vide S. Thom. lib. 3. *Contr. Gent.* c. 16, 17; Suar. disp. 24, sect. 1, n. 14.
(2) Suarez loc. sup. cit.
(3) Vide S. Thom. 3.a *Contr. Gent.*, c. 17 seqq.; 1 p., q. 19, a. 1 ad 1.um; a. 2, ad 2.um; 1 p., q. 44, a. 4; q. 65, a. 2; 2.a dist. 1, q. 2, a. 2; 4.a dist. 49, q. 1, art. 2, solut. 2; *Compend. Theol.* cap. 101, et alibi. Cfr. Suar. disp. 24 *Metaph.*, sect. 1, n. 14; sect. 2, n. 11.
(4) *Proverb.* cap. 16, v. 4.
(5) *Apocal.* cap. 1, v. 8.

loquitur S. Thomas (1), *ex desiderio suæ bonitatis*, vel propter bonitatem suam aliis impertiendam, id est, ex *amore bonitatis suæ*. Atqui Deus, utpote perfectissimus et infinite bonus, nequit agere ad acquirendam vel augendam bonitatem, ex desiderio nempe bonitatis, qua careat. Ergo non potest agere, nisi ad eam aliis communicandam; quia nimirum cum amet et infinite delectetur perfectione sua, vult etiam alios ejusdem participes efficere. Atqui nequit Deus aliis bonitatem ac perfectionem suam in individuo vel in specie, ut ita dicam, communicare. Ergo sequitur, ut illam communicet secundum similitudinem, largiendo creaturis bona, quæ similitudinem, utcumque deficientem, gerant cum divina bonitate.

Audiatur Angelicus: *Agere hoc modo* (propter finem) *est dupliciter, vel propter desiderium finis, vel propter amorem finis: desiderium enim est rei non habitæ, sed amor est rei, quæ habetur, ut Augustinus dicit* (2). *Et ideo omni creaturæ convenit agere propter desiderium finis, quia unicuique creaturæ acquiritur bonum ab alio, quod ex se non habet. Sed Deo competit agere propter amorem finis, cujus bonitati nihil addi potest. Ipse enim bonitatem suam perfecte amat, et ex hoc vult, quod bonitas sua multipliciter per modum, qui possibilis est, ex sui scilicet similitudine, ex quo provenit utilitas creaturæ, in quantum similitudinem divinæ bonitatis recipit. Et ideo dicitur in Littera* (in textu nempe Magistri Sententiarum), *quod Deus fecit* creaturam propter bonitatem suam, *considerando finem operantis*, et propter utilitatem creaturæ, *considerando finem operis. Et propter hoc etiam dicit Augustinus* (3), *quod* in quantum Deus est bonus, sumus: *Et Dionysius dicit* (4), *quod* divinus amor non dimisit eum sine germine (5).

(1) 2 dist. 1, quæst. 2, art. 1 in corp., et ad 2.um et 3.um
(2) *Super Psalm.* 118, serm. 8, prope fin.
(3) *De Doctr. Christ.* c. 13.
(4) *De divin. Nomin.* cap. 4.
(5) S. Thom. 2.a dist. 1, quæst. 2, art. 1. Cfr. *Contr. Gent.*, lib. 2, c. 75, *Ad hoc autem inquirendum*; et lib. 3. *Contr. Gent.* cap. 18, *Amplius*... et *Adhuc*...; *Compend. Theol.* cap. 103. *Præterea, si sint multa agentia*, 1 p. quæst. 44, art. 4; quæst. 47, art. 1.

Prob. 2.° Quicumque finis assignetur mundo mundanisque rebus, semper erit aliquod bonum vel perfectio sibi conveniens. Atqui omne bonum omnisque perfectio est imago et similitudo infinitæ bonitatis Dei. Ergo... (1).

Prob. 3.° Omne agens agit sibi simile, ac proinde omnis effectus natura sua tendit ad exprimendam efficientis causæ similitudinem: et in hoc sensu forma generati est finis generationis. Atqui Deus efficit omnia. Ergo etiam omnia tendunt ad divinam similitudinem, tamquam in ultimum finem. Apposite S. Thomas: *Agens dicitur esse finis effectus, in quantum effectus tendit in similitudinem agentis: unde forma generati est finis generationis. Sed Deus ita est finis rerum, quod est etiam primum agens earum. Omnia igitur tendunt, sicut ad ultimum finem, Deo assimilari* (2).

Prob. 4.° *In omnibus rebus evidenter apparet, quod esse appetunt naturaliter: unde et si qua corrumpi possunt, naturaliter corrumpentibus resistunt... Secundum hoc autem esse habent omnia, quod Deo assimilantur, qui est ipsum esse subsistens, cum omnia sint solum, quasi esse participantia. Omnia igitur appetunt quasi ultimum finem, Deo assimilari* (3).

Quomodo dicantur omnia divinam appetere similitudinem.

Hinc omnia dicuntur divinam appetere similitudinem (4). Intendunt autem assimilari Deo tum in essendo, tum in operando et causando. Etenim sicut *omnibus creaturis commune est, ut divinam bonitatem repræsentent, in quantum sunt, ita omnibus commune est, ut per operationes suas consequantur divinam similitudinem in conservatione sui esse, et communicatione sui esse ad alterum. Unaquæque enim creatura in sua operatione, primo quidem se in esse perfecto secundum quod possibile est, conservare nititur, in quo suo modo tendit in similitudinem divinæ perpetuitatis. Secundo vero per suam operationem unaquæque creatura suum esse perfectum alteri communicare conatur secundum suum modum, et per hoc tendit ad similitudinem divinæ causalitatis. Sed creatura rationalis per suam operationem tendit in divinam similitudinem singulari quodam modo præ cæteris, sicut et præ cæteris creaturis nobilius esse habet. Esse enim creaturarum cæterarum, cum sit per materiam constrictum, infinitatem non habet, nec actu nec potentia. Omnis vero creatura rationalis infinitatem habet, vel actu vel potentia, secundum quod intellectus continet in se intelligibilia. In nobis igitur intellectualis natura in suo primo esse considerata, est in potentia ad sua intelligibilia, quæ cum sint infinita, infinitatem quamdam habet in potentia... Natura vero intellectualis in Deo infinita est in actu, utpote in se præhabens totius entis perfectionem... Creaturæ vero aliæ intellectuales medio modo se habent inter potentiam et actum. Tendit igitur intellectualis creatura per suam operationem in divinam similitudinem, non in hoc solum, quod se in esse conservet, vel suum esse quodammodo communicando multiplicet, sed ut in se habeat actu, quod per naturam in potentia habet. Est igitur finis intellectualis creaturæ, quem per suam operationem consequitur, ut intellectus ejus totaliter efficiatur in actu secundum omnia intelligibilia, quæ in potentia habet; secundum hoc enim maxime Deo similis erit* (1). Adde aliam etiam excellentiam creaturarum intellectualium in tendendo ad similitudinem divinam, in eo repositam, quod cognoscendo et amando Deum, beatitudinem suam consequantur: id quod nulli creaturæ irrationali competere potest (2).

Et in hoc diverso gradu, secundum quem res omnes ad divinam similitudinem adspirant, tandem sistit diversitas et immensa varietas mundanorum entium (3).

95. **Objic. 1.°** Nihil tendit naturaliter ad id, quod assequi nequit. Sed nihil potest divinam bonitatem assequi, cum illa non recipiatur, ut perfectio vel forma alicujus creaturæ. Ergo res creatæ non ordinantur ad Deum, tamquam ad ultimum finem.

(1) Vide S. Thom. 3.ª *Contr. Gent.* c. 19. *Adhuc, omnis res; Comp. Theol.* cap. 103; 1. p. q. 44, a. 4 ad 3.um

(2) S. Thom. 3.ª *Contr. Gent.* c. 19. *Amplius, agens dicitur...; Compend. Theol.* cap. 101; *Item finis generationis.*

(3) S. Thom. 3.ª *Contr. Gent.* cap. 19, *Item, in omnibus.*

(4) Vide S. Thom., 1 p., q. 44, a. 4 ad 3.um; 1. 2. q. 2, a. 5 ad 4um; 2.ª *Contr. Gent.*, cap. 19, 20, 21, 22.

(1) S. Thom. *Compend. Theolog.*, cap. 103.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 1, art. 8, fin. corp.; quæst. 2, art. 5 ad 3.um; 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 2.

(3) Vide S. Thom., *Compend. Theolog.*, cap. 73 et 102; 1 p., quæst. 47, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* Minor. Nihil potest assequi divinam bonitatem in seipsa spectatam, *conc.*; participatam in similitudine sua, *neg.* (1).

Objic. 2.° Omnis res est propter suam operationem, et substantiæ spirituales propter suum *esse* sempiternum, ut habetur apud Philosophum (2). *Esse* autem et operatio rei, non est extra ipsam rem, sicut est bonitas Dei. Ergo bonitas Dei non est finis, ad quem omnia ordinentur.

Resp Operatio est ultima perfectio, in qua res existit; habitus enim et potentia imperfectionem dicunt. Et ideo idem est rem esse propter suam operationem, et propter divinam bonitatem, ad quam maxime accedit, secundum quod maxime est in actu perfecto. Similiter etiam ipsa sempiternitas essendi est quædam assimilatio bonitatis. Et propter hoc perpetuitas specierum vocatur a Philosophis divinum *esse* (3).

Objic. 3.° «Finis generationis et forma generati et agens non incidunt in idem numero, ut dicitur 2.° *Physicorum* (texto 70), quia finis generationis est forma generati. Sed Deus est primum agens omnium. Non ergo est causa finalis omnium» (4).

Resp. *Forma generati non est finis generationis, nisi in quantum est similitudo formæ generantis, quod suam similitudinem communicare intendit. Alias forma generati esse nobilior generante, cum finis sit nobilior his, quæ sunt ad finem* (5). Quare potest Deus esse causa finalis omnium, non quidem ut ponendus in *esse*, vel acquirendus tamquam forma aliqua realis, sed ut imitandus, ac similitudine exprimendus.

Objic. 4.° «Finem omnia appetunt. Sed Deum non omnia appetunt, quia neque omnia ipsum cognoscunt. Deus ergo non est omnium finis» (6).

Resp. Omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quodcumque bonum, sive appetitu intelligibili, sive naturali, qui

(1) Vide S. Thom. 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 2 ad 1.^um
(2) Lib. 2, *de Cœl. et Mund.*, text. 17.
(3) Vide S. Thom. 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 2, ad 2.^um
(4) Apud S. Thom., 1 p., quæst. 44, art. 4, argum. 2.
(5) S. Thom., loc. nup. cit., ad 2.^um
(6) Apud S. Thom. ibid., argum. 3.°

est sine cognitione. Quia nihil habet rationem boni et appetibilis, nisi secundum quod participat divinam similitudinem (1).

Objic. 5.° Si Deus omnia ageret propter seipsum et propter suam bonitatem, etiam ad eumdem finem dirigeret actiones peccaminosas, quas simul cum causis liberis elicit. Atqui hoc indecens videtur et impossibile. Indecens quidem, quia indecens est, Deum tales atciones velle: multo ergo magis velle propter se ipsum. Impossibile vero, quia illæ actiones sunt intrinsece repugnantes sumæ Dei bonitati Quomodo ergo possunt in illam referri, ut in ultimum finem?

Resp. in primis negari posset Major, intellecta de actionibus peccaminosis, prout tales sunt: nam actiones hujusmodi, ut sic, repugnant divinæ bonitati, nec proinde sunt a Deo ut ab ultimo fine, sicut nec sunt ab eodem, ut a primo agente, quia peccaminosæ actiones prout tales, non sunt actiones, sed defectus actionis. **Respondetur** secundo actiones hujusmodi, quantumvis peccaminosas respectu causæ secundæ, secundum suam physicam realitatem, seu prout actiones sunt, esse etiam actiones ipsius Dei, et ut sic esse per se et immediate ex fine ultimo et propter finem ultimum, nam ut sic nullum defectum vel malitiam includunt, ratione cujus repugnent summæ bonitati finis ultimi. Et quamvis Deus efficaciter et absolute non velit illas, propter respectum, quem absolute sumptæ habent ad causam secundam, cum quo et ex quo habent concomitantem malitiam; tamen vult ad illas concurrere, et ita vult illas quatenus actiones suæ sunt, et hoc modo ordinat illas in se ut in finem ultimum, quia in illis sub hac ratione spectatis relucet maxime bonitas Dei, quæ ad omnia se diffundit, quatenus aliquid boni habent, et potens est ita influere in bonitatem, ut quantumvis illi sit cunjuncta malitia, illam non attingat, neque ipsi ulla ratione imputanda sit. In quo et manifestat omnipotentiam et sapientiam suam, immo et quodammodo justitiam, vel quia jure suo utitur offerendo concursum suum etiam illis, qui illo abusuri sunt, vel quia unicuique principio

(1) Vide S. Thom., ibid. ad 3.^um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dat concursum ei naturaliter debitum, et unumquodque secundum suum modum agere sinit. Sic igitur nulla est actio creaturæ causata a fine proximo, quæ non sit simul causata per se et immediate a fine ultimo, saltem respectu primi agentis. Legatur D. Th. 3 *cont. Gent.* c. 17 præsertim ratione 6, nam ibi virtute continet totam doctrinam hujus assertionis (1).

Objic. 6.° Divina bonitas est Dei beatitudo. Sed beatitudinis divinæ non est capax nisi intellectualis creatura. Ergo non omnis creaturæ finis est divina bonitas.

Resp. Cum S. Thoma. *Cum bonitas Dei sit finis rerum, ad ipsam res diversimode se habent. Ipse enim Deus habet eam perfecte secundum suum esse; unde summe bonus est, etiam secundum suam operationem, qua perfecte eam cognoscit, et amat, unde beatus est, quia beatitudo est operatio perfecta, secundum Philosophum (lib. 7 Mor., cap. 13, et lib. 9, cap. 10, et lib. 10, cap. 18). Creatura autem intellectualis non attingit ad eam secundum suum esse, ut ipsa sit summum bonum, sed secundum operationem intelligendo et amando eam; unde particeps est beatitudinis, et non tantum bonitatis divinæ. Sed creatura irrationalis accedit ad eam secundum aliquam assimilationem, quamvis non pertingat, neque secundum operationem neque secundum esse; unde est particeps bonitatis, sed non beatitudinis* (2).

96. PROPOSITIO 3.° **Deus mundum condidit ad gloriam suam, non quidem intrinsecam, sed extrinsecam, cui ipsa hominis beatitudo subjicitur.**

Deus omnia creavit in gloriam suam.

Propositio hæc quamvis eamdem re ipsa, quam præcedens, veritatem exprimat, ut jam inde ab initio notatum reliquimus, otiosa tamen non est, quia hæc formula loquendi, cum familiaris est sacris Litteris atque ecclesiasticæ traditioni, tum clarius fortasse atque uberius rem demonstrat. Et re quidem vera: *Omnem qui invocat nomen meum*, inquit Dominus Deus, *in gloriam meam creavi eum* (3). Item: *Faciat*

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 24, sect. 2, n. 13. Cfr. Lessius, *de Perfection divin.* lib. 14, cap. 3, n. 56.

(2) S. Thom. 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 2 ad 4.um

(3) *Isaiæ* cap. 43, v. 7.

le (Deus) *excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem et nomen et gloriam suam* (1). Patres similiter loquuntur (2), et cum eis S. Thomas (3) et S. Bonaventura (4). Communem vero Ecclesiæ doctrinam hisce verbis ante paucos annos tradidit Vaticanum Concilium: *Hic solus verus Deus, bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad* manifestandam perfectionem **suam** *per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam* (5). Et mox in Canonibus: *Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit* (6).

Ratio vera est aperta.—I. *In primis enim Deus non potuit condere mundum propter gloriam suam intrinsecam;* quia secus aliquid sibi internum quæreret per suam operationem, quod nefas est cogitare. non intrinsecam, sed extrinsecam,

II. *Deinde omnia condidit propter gloriam suam externam objectivam seu fundamentalem;* quia ut diximus in præcedenti propositione, Deus creavit ad bonitatem suam aliis communicandam, vel multiplicandam quodammodo in similitudine et imagine. Atqui in hoc consistit gloria externa Dei fundamentalis. *Hinc cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (7), *ac plena est omnis terra gloria ejus* (8), quia *divinæ gloriæ celebrandæ materiam tibi tamquam liber scriptus suggerit orbis hic universus* (9); estque quasi speculum, in quo Deum videmus *in ænigmate* (10). tum objectivam seu fundamentalem,

(1) *Deuteron.* cap. 26, v. 19. Cfr. *Eccli.* cap. 17, v. 7, 8; *Psalm.* 105, v. 8.

(2) Quos vide, si lubet apud Em. Card. Mazzella *(de Deo creatore,* disp. 1, art. 9, n. 188, pag. 129, 130. Romæ 1880) et cl. P. Palmieri *(de Deo creante et elevante,* thes X, pag. 99. Rom. 1878).

(3) 1 p., quæst. 47, art. 1; quæst. 65, art. 2, etc.

(4) 2.ª dist. 1, secunda pars, art. 2, quæst. 1.

(5) Concil. Vat. Constit. dogmat. *de Fid. Cathol.*, cap. 1.

(6) Ibid. *in Canonib.* paragr. 1, can. 5.

(7) *Psalm.* 18, v. 1.

(8) *Isaiæ*, cap. 6, v. 3. Cfr. *Eccli.* cap. 42, v. 16.

(9) S. Gregor. Nyssen. Orat. 2, in verbum: *Faciamus hominem.*

(10) 1 *Corinth.* cap. 13, v. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

siquidem *invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (1): *Etenim omnium pulchritudo quodammodo vox eorum est, confitentium Deum. Clamat cælum Deo:* **Tu me fecisti, non ego.** *Clamat terra:* **Tu me condidisti, non ego.** *Quomodo clamat ista? Quando considerantur, et hoc invenitur: ex tua consideratione clamant, ex voce tua clamant... Cum vides hæc, et gaudes, et attolleris in artificem, et invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, intellecta contueris, confessio ejus in terra et in cœlo etc.* (2).

Porro quo præstantior fuerit res creata, quo perfectior operatio, eo majorem præ se fert gloriam Dei, quia eo nobilius et proprius infinitam majestatem imitatur: quare speciali quadam ratione relucet gloria divina in ordine supernaturali gratiæ, ac nominatim in illo stupendo divinæ miserationis opere, quo Dei Filius naturam humanam assumpsit, in eaque passus acerbissimos cruciatus mortem oppetiit, ut nos pretioso suo sanguine redimeret a dæmonis potestate, cœloque insereret, visione divina æternum beandos.

Finis formalem. III. *Præterea Deus mundum fecit in gloriam suam externam formalem.* Nam Deus nequit non intendere tandem, ut homo ex rebus creatis ascendat ad earum auctorem,

(1) *Roman.* cap. 1, n. 20.

(2) S. August. *Enarrat. in Psalm.* 148, n. 15. Cfr. S. Prosper. *De vocat. Gent.* lib. 2, c. 4, explicans illud *Actuum Apostolorum* (cap. 14): *Non sine testimonio semetipsum reliquit.* Vere pulcherrime et eloquentissime hanc eadem sententiam expressit insignis ille scriptor, decus Hispaniæ, Donoso Cortes: «Los cielos cantan su omnipotencia, su grandeza los mares, la tierra su fecundidad, las nubes con sus altísimos promontorios figuran la peana, en que descansa su pié. El relámpago es su voluntad, el trueno es su voz, el rayo es su palabra. El está en los abismos con su sublime silencio, y con su ira sublime en los huracanes bramadores, y en los torbellinos impetuosos. *El nos pintó*, dicen las flores de los campos, *El me dió*, dicen los cielos, *mis moradas esplendidas;* y las estrellas: *Nosotras somos centellas caidas de su resplandeciente vestidura.* Y el angel y el hombre: *Al pasar por delante de nosotros, su hermosísima figura quedó en nosotros estampada.* De esta manera unas cosas representan su grandeza, otras su magestad, otras su omnipotencia; y el angel y el hombre especialmente, los tesoros de su bondad, las maravillas de su gracia y los resplandores de su hermosura.»

Donoso Cortés *Ensayo sobre el Catolicismo*, cap. 7.

cognoscendo illum, amando, laudando, reverendo, eique suum exhibendo servitium. At in hoc est præcise gloria externa Dei formalis. Ergo... Sane homo tendit tamquam in ultimum finem in cognitionem Dei; tum quia decet a filio cognosci Patrem suum; tum quia in hac cognitione, quæ ob præstantiam objecti excellentissima omnium est, præcipua hominis perfectio et summum bonum consistit; tum quia in hoc est maxima illius cum Deo assimilatio, ad quam creatura rationalis pertingere potest, ut nuper vidimus ex Angelico (1); tum quia homo naturæ suæ impetu fertur ad cognoscendam ex effectibus causam, eamque non qualemcumque, sed primam.

Adde, quod nisi adesset creatura rationalis in mundo, quæ ex rebus creatis veniret in cognitionem causæ primæ, non esset, cui Deus gloriam suam manifestaret: non enim sibi manifestaret, ut patet; non creaturis irrationalibus, quæ incapaces sunt cognitionis divinarum perfectionum; non rationalibus creaturis, quæ tunc non forent. Ideoque similis esset Deus regi, qui divitias ac thesauros suos depromeret; ac pulcherrimo in ordine sollicite collocaret, quos nemo esset contemplaturus, totaque rerum universitas esset instar musici instrumenti, quod a nemine posset sonari, vel instar scenicæ fabulæ nullis spectatoribus exhibitæ. Quare intellectualis creatura est complementum necessarium mundi, non solum, quia est præstantissimum ens naturæ, sed quia prorsus requiritur ad hoc, ut irrationalis ac bruta natura rite valeat Deum glorificare, quemadmodum colligitur ex Nysseno, Augustino et Prospero superius laudatis. Itaque plerique Theologi (2) censent Deum non potuisse condere mundum sine rationalibus entibus, quæ gloriam Auctori suo redderent (3). Non potuit ergo Deus non intendere, ut *invisibilia ipsius ab homine per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerent.*

(1) *Compend. Theol.* cap. 103. Vide superius n. 92 fin.

(2) Apud Spagni, *de Mundo*, propos. 9, n. 338.

(3) Cfr. Sylvest. Mauri. *(Quæstphilos.*, lib. 3, quæst. 2. *Utrum mundus sit perfectus)*, Mayr *(Philosoph. peripat.* pars. 2.ª disp. 1, quæst. 5, n. 389, *Dices* 2.º)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quod si finis ultimus hominis est cognoscere Deum, consequenter erit etiam amare ipsum, laudare, omnique veneratione, obedientia et servitio prosequi, quemadmodum passim nos docent sacræ Litteræ, ac ratio persuadet. Et hæc agendo in hac vita, suam homo tandem assequetur felicitatem, quæ etiam reposita est et ipsa in perfectissima cognitione et in amore Dei. Est ergo finis totius creationis ultimus tandem gloria Dei externa formalis: quæ quidem gloria inchoatur in hac vita, at perficitur, et consummatur in visione beatifica per excellentissimam cognitionem et amorem Dei: qua de re vide P. Lessium pulcherrime suavissimeque disserentem (1). Quæ cum ita sint, patet nullum finem a nobis operibus nostris proponi posse præstantiorem gloria Dei, nullus quippe præstantior esse potest illo fine, quem Deus omnibus operibus suis præstituit.

Nullus finis in operandis a nobis intendi potest præstantior gloria Dei.

Hinc nihil mirum, si sæpe sacræ Litteræ ex operibus divinis nos ad laudem et amorem summi conditoris cohortentur (2), et Christus Dominus nos docuit petere, ut *sanctificetur nomen Dei*, præcepitque, ut *sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est* (3). Et S. Paulus sic conclusit: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (4). Et regius Psaltes dudum precati docuerat: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (5).

cui ipsa hominis beatitudo subjicitur.

IV. *Denique ipsa hominis beatitudo subjicitur, ac subordinatur gloriæ Dei.* Etenim beatitudo vel sumitur pro eo, in quo essentialiter sita est ipsa, nempe pro cognitione, aut etiam pro amore Dei, ut præscindamus hunc ab omni controversia; vel pro eo, quod substantiam beatitudinis consequitur, nimirum pro ineffabili jucunditate et expletione affectuum omnium, quæ possessionem infiniti boni comitatur. Et in utroque sensu felicitas hominis ad gloriam Dei ordinatur.

(1) In Op. *de Perfectionibus divinis* lib. 14, cap. 5, n. 82 seqq.
(2) Vide *Psalm.* 135, et alibi passim.
(3) *Matt.* cap. 5, v. 16. Cfr. S. Petr. c. 2, v. 12.
(4) 1 *Cor.* cap. 10, v. 31. Cfr. *ad Colos.* cap. 3, v. 17.
(5) *Psalm.* 113, v. 1.

Licet enim hominis beatitudo, saltem essentialiter inspecta, realiter sit gloria Dei extrinseca, nam actus cognitionis et amoris Dei, qui beatitudinem hominis constituunt, et complent, sunt re vera ipsa glorificatio Dei; nihilominus hæc saltem ratione distinguuntur. Quandoquidem actus illi, quatenus sunt laus et gloria Dei, rationem habent boni divini, licet extrinseci; quatenus autem hominem beatum reddunt et cum fine suo intime unitum, perfectio ejus intrinseca sunt summumque bonum ejusdem. Quatenus itaque distinguuntur hominis beatitudo et gloria Dei, æquum est huic illam subjici ac subordinari. Primo quia minus bonum majori cedere debet, et majus magis æstimari ac præcipue intendi. Atqui bonum Dei, quantumvis externum, majus certe est, quam quodvis bonum creaturæ (1). Idque vel ex eo confirmatur, quod etiam inter homines honor et gloria principis pluris æstimetur, quam bona intrinseca civium, sæpeque cives, ut honori serviant Principis, bonorum suorum jacturam, dictante recta ratione, faciant. Accedit, quod nisi ultimus finis foret gloria Dei, cui vel ipsa hominis felicitas subordinetur, haud raro Deus fine suo frustraretur. Non enim omnes homines beatitudinem assequuntur, sed plures ob ipsorum culpam, æternas dabunt pœnas in inferis. Si autem gloria divina statuatur supremus finis totius creationis, semper Deus finem suum obtinebit etiam in iis, qui voluptatibus indulgere atque adeo æterna supplicia pati, quam Deo servire, Deoque in æternum frui maluerunt. Non enim minus resplendet gloria Dei in operibus divinæ justitiæ, peccata pro merito punientis, quam in operibus misericordiæ, bonis amplissima præmia largientis: ideoque non minus laudandus est Deus noster ob suam summopere timendam justitiam, quam ob suam dulcissimam et amabilissimam misericordiam.

Quod si jam beatitudo et felicitas hominis intelligatur pro suavissima illa quiete castissimaque voluptate, quæ divinam cognitionem naturaliter consequitur, multo evidentius patet hanc esse non posse finem ultimum divinorum operum, cum non sit nisi consectarium et velut proprietas quædam beatitudinis essentialis.

(1) Vide Lessium, *de Perfection divin.*, lib. 14, cap. 2, n. 56.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Itaque impossibile est, ut Deus gloriam suam abjiciat, aut etiam ulli alteri bono cujuslibet creaturæ postponat. Et merito largissimus Dominus ac Deus noster, dum omnia sua bona effussissimo amore contulit homini in utroque ordine, naturali et supernaturali, gloriæ tributum sibi reservavit: *Et gloriam meam alteri non dabo* (1): quod si non faceret, re vera inordinate ageret, ut patet ex dictis.

Illud autem vere mirabile est in hac re, quod ut egregie explicat Lessius, dum Deus spectat suam summam gloriam, eo ipso necessario spectat, et intendit summum bonum nostrum: quia summa ejus gloria est summum bonum nostrum, et summum bonum nostrum non potest esse nisi summa ejus gloria. Ratio est, quia summa ejus gloria externa est, ipsum a nobis perfecte cognosci, amari, et gustari. Unde consistit in tribus actibus vitalibus: et in iisdem formaliter consistit summum bonum nostrum et vita æterna et essentia beatitatis (2). Summum enim bonum nostrum et formalis beatitas est Deum videre, amare, gustare, seu quod idem uno verbo dici potest, Deo frui. Itaque in summa Dei gloria extrinseca formaliter et intrinsece includitur summum bonum nostrum ita, ut sine illo concipi nequeat: et hoc ipso, quod Deus illam gloriam intendit, et quærit, intendit, et quærit summum bonum et commodum nostrum. Unde non minus Deo gratias agere debemus, quod quærat gloriam suam, quam quod quærat salutem nostram. Hoc in hymno angelico Ecclesia insinuat, cum ait: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam:* beneficia enim ipsius in nos, sunt gloria ejus» (3).

Quæ cum ita sint, ut omnia in hoc articulo disputata uno verbo comprehendamus, facile jam cernitur gloriam ac bonitatem divinam esse ultimum finem *qui* vel *cujus* creationis divinæ; finem autem *cui* ultimum ac supremum esse Deum, in cujus obsequium et honorem ordinatur tota

Divina bonitas est finis *qui* vel *cujus*; Deus finis *cui* supremus.

(1) *Isaiæ*, cap. 42.

(2) Id tamen alii negant, nempe omnes illi, qui beatitudinem nostram *essentialiter* in sola visione divinæ essentiæ reponunt cum S. Thoma (1. 2, quæst. 3, art. 4): qua de re non est nunc locus disputandi.

(3) Lessius Op. cit. cap. 3, n. 60.

creatio, quique est verissime *alpha et Omega*, *principium et finis* (1) homo vero est finis *cui* proximior, in cujus utilitatem et commodum servit tota corporea natura.

homo autem finis *cui* proximus mundi.

97. **Objic. 1.°** Finis, quem Deus creando mundum intendit, non potuit esse aliquid finitum et creatum. Atqui gloria Dei externa finitum quiddam et creatum est. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Finis *cui*, *conc.*; finis *qui* vel *cujus*, *neg.*

Et *concessa* Minore, *dist.* eodem modo conseq. Nam Deus quidem est illud, ad quod omnia tandem ordinari necesse est. Verum id, quod Deus obtinet etiam tamquam finem *qui* supremum, creando, non potest esse ipsa bonitas increata Dei vel gloria interna, sed solum manifestatio et communicatio bonitatis increatæ in gradu finito et gloria externa, sive objectiva sive formalis, quæ pariter finita est et creata, ut patet ex dictis.

Objic. 2.° Nequeunt multa et diversissima ad unum finem ultimum ordinari. Ergo neque bonitas neque gloria divina sunt finis ultimus rerum omnium mundanarum.

Resp. *dist.* Multa nequeunt ad unum finem ultimum objectivum ordinari, *neg.*; formalem, *conc.*, et *neg.* conseq. Omnia enim ad unum idemque ordinantur, licet diversimode illud assequuntur, unumquodque secundum naturam et gradum perfectionis assimilando se fini communi (2).

Objic. 3.° Explicata a nobis sententia eo tandem adducit, ut imminuatur in nobis æstimatio divinorum beneficiorum, cum in illis Deus non tam bonum nostrum, quam suum quærere videatur. Sane si dominus splendidis vestibus sua mancipia induat, non ob ipsorum commodum vel gloriam, sed solum ob gloriam suam, ut ipse omnibus sit admirationi, non censetur valde liberalis aut beneficus in illa mancipia (3).

Resp. *neg.* assertum; jam enim superius diximus Deum non posse non agere omnia propter suam gloriam, cum qua nostra conjungitur felicitas: quare stultum et impium foret, exigere ut Deus ad nostrum bonum tamquam ad ultimum

(1) *Apocal.*, cap. 1, v. 8.

(2) Cfr. Suarez, disp. 24 *Metaph.*, sect. 1, n. 16.

(3) Apud Lessium, loc. cit., cap. 3, n. 58.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

finem beneficia sua ordinaret. Accedit quod Deo «nihil commodi proveniat ex omnibus, quæ nobis donat, vel pro nobis facit, sed in illis omnibus solum quærat commodum nostrum. Nos soli sumus, in quorum commodum omnia facta sunt.» Quare exemplum de domino mancipiorum simile non est. «Ille enim non quærit commodum suorum mancipiorum, sed solum gloriam suam; unde non ex affectu benevolentiæ, sed ex amore sui illis beneficium præstat. Deus vero ita quærit gloriam suam, ut simul quærat commodum nostrum, et ex affectu benevolentiæ erga nos illud conferat; immo summam gloriam suam in summa benevolentia et beneficentia erga nos constituit. Sicut si aliquis Princeps potentissimus et nullius egens, omnem gloriam suam constitueret in beneficentia et liberalitate erga subditos, et summam eorum felicitatem, summam duceret esse suam gloriam, quis non summo amore summaque laude prosequendum diceret hunc Principem, eo quod tali modo quærat gloriam?» (1).

Objic. 4.° Revera intelligi non potest ex prejacta doctrina, quomodo Deus hominem diligat amore benevolentiæ atque amicitiæ, ut certe diligit. Nam amor hujusmodi postulat, ut amans diligat alterum unice propter illum, non autem propter se. Ergo si inter Deum, et hominem detur benevolentia et amicitia, oportet, ut Deus homines non ad se ordinet aut ad suam gloriam, sed sistat in bono ac felicitate ipsorum.

Resp. *neg.* assertum, et probationis *dist.* antecedens: amor ejusmodi postulat, ut amans diligat alterum unice propter illum, ita ut per hoc excludatur ordinatio amoris in commodum et utilitatem ipsius amantis, *conc.*: ita ut per hoc excludatur etiam suprema et ultimata ordinatio amoris illius ad Deum, *neg.* Et *neg.* conseq.

Res patet ex eo, quod amor charitatis v. g., quo unus homo prosequitur alterum propter Deum, certe non est concupiscentiæ, sed summæ benevolentiæ, et nihilominus refertur ad Deum ulterius, quia est propter Deum. Ergo amor benevolentiæ non debet excludere ultimam ordinationem ad Deum, sed solummodo ordinationem ad proprium emolumentum. Cum potissimum nullus possit esse amor honestus

(1) Lessius, loc cit., cap. 3, n. 60, 61.

ac rite ordinatus, qui ultimo sistat in creatura. Jam vero amor divinus *ideo ipse solus est maxime liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem* (1). Ad rem M. Augustinus: *Diligit nos Deus... Quomodo ergo diligit? ut nobis utatur, an ut fruatur? Sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit; omne enim bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est. Cui autem obscurum est, non egere lucem rerum harum nitore, quas ipse illustraverit? Dicit etiam apertissime prophetа:* **Dixi Domino: Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.** *Non ergo fruitur nobis, sed utitur. Nam si neque fruitur neque utitur, non invenio, quemadmodum diligat. Sed neque sic utitur, ut nos: nam nos, quibus utimur, ad id referimus, ut Dei bonitate fruamur. Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert. Quia enim bonus est, sumus, et in quantum sumus, boni sumus... Ille igitur usus, qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram utilitatem refertur; ad ejus autem tantummodo bonitatem* (2).

Objic. 5.° Si homo in beneficio præstando intenderet cognosci, et laudari ab aliis, opus faceret non laude dignum. Ergo a pari Deus non recte, vel saltem minus perfecte, facit suam quærendo gloriam.

Resp. *neg.* conseq. et paritatem. Quia *periculosum est sibi placere, cui cavendum est superbire*, inquit S. Augustinus. *Ille autem, qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non extollit se. Nobis namque expedit, nosse Deum, non illi: nec eum quisque cognoscit, si non se indicet ipse, qui novit* (3).

Objic. 6.° Agere propter gloriam suam est ambitiosum, vanum et superbum. Ergo id indignum prorsus est Deo, qui est ipsa sanctitas (4).

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 44, art. 4 ad 1.um Cfr. 1.° *Contr. Gent.* cap. 93, *Amplius, sicut.*

(2) S. August. *de Doctr. christian.*, lib. 1, cap. 31.

(3) S. August. tract. 58 *super Joann.* a prine. exponens illa verba: *Vos vocatis me: Magister et Domine: et bene dicitis.* Joann. c. 13, v. 13. Ceterum posse hominem quandoque honeste quærere suam gloriam, ubi utilitas divini servitii vel ædificationis proximorum id suadet, sententia est catholicorum DD. cum S. Thoma. (2. 2. quæst. 132. art. 1 ad 3.um).

(4) «Exigitne moralis ratio, ut ego honorem meum quæram eumque ut finem constituam operum meorum, et quo magis eum:

Resp. *dist.* Agere propter gloriam vanam, *conc.;* propter gloriam veram ac debitam, *neg.*

Tripliciter potest dici gloria vana, primo quidem quando aliquis gloriatur falso, puta de bono quod non habet: unde dicitur prima ad Corinthios: **Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?** (1). *Secundo dicitur gloria vana; quando aliquis gloriatur de aliquo bono, quod de facili transit, secundum illud Isaiæ quadragesimo:* **Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus sicut flos fœni** (2). *Tertio modo dicitur gloria vana, quando gloria hominis non ordinatur ad debitum finem* (3), videlicet *ad honorem Dei vel proximi salutem* (4). Jam vero nihil horum reperitur in gloria, quam Deus quærit; illa enim sibi debita est, et ulterius ordinari ad alium finem nequit.

Objic 7.° S. Thomas hæc habet in quodam loco: *Deus suam gloriam non quærit propter, se sed propter nos* (5) Ergo ex mente S. Doctoris gloria divina non est ultimus finis, cui etiam felicitas nostra subordinetur.

Resp. Sensus S. Doctoris est hic, ut satis colligitur ex contextu, quod Deus non quærit gloriam suam *propter suam utilitatem, sed propter nostram.*

quæro, sim perfectior? Cum magnus esse volo in oculis aliorum, et ita me minuo coram mea propria ratione, ego me imperfectum efficio. Qui honorem quærit, etsi illum mereatur, est ambitiosus; ambitio autem secundum rationem et revelationem est reprehensibilis et prohibita». (Hermes, *Dogm.* 2 p., *paragr.* 177).

(1) 1 *Corinth.* cap. 4, v. 7.

(2) *Isaiæ* cap. 40, v. 6.

(3) S. Thom. *de Mal.*, quæst. 9, art. 1. Alibi S. Doctor (nempe 2. 2. quæst. 132, art. 1) tres modos vanæ gloriæ refert, in quorum primo videntur duo isti priores contineri, secundum autem modum repetit *ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium non est certum.*

(4) S. Thom. 2. 2. quæst. 132, art. 1.

(5) 2. 2. quæst. 112. art. 1. ad 1.um

CAPUT II.

DE CAUSA EXEMPLARI MUNDI.

98. Cum inter causas ad effectionem rerum influentes exemplaris forma numeretur, cujus imaginem ac veluti lineamenta opus fabricatum referat, plena de causis mundi tractatio haberi nequit, nisi exemplarem etiam, si qua sit, investigemus. Exemplaris causa vocatur *idea exemplaris*, vel simpliciter *idea*, sumpta hac voce non in significatione cognitionis speculativæ, prout nunc vulgo sumitur, sed in significatione cognitionis practicæ atque operis directivæ: definiturque forma vel similitudo aut imago mente præconcepta, ad cujus imitationem opus aliquod fit, non casu, sed ex intentione operantis. Qua de re fusius actum est in *Ontologia* (1) Idea ergo exemplaris prout ibidem declaratum manet, propria est agentium dumtaxat rationalium et respectu eorum, quæ non casu aut ex naturæ necessitate, verum ex intentione et electione libera operantur. Quare pantheistæ ac materialistæ et positivistæ, ac generatim omnes illi, qui Democriti, Empedoclis et Epicureorum vestigiis insistentes, aut casu mundum effectum esse, aut certe non a causa libera, effutiunt, nullam queunt exemplarem causam mundi agnoscere. Contra quos omnes dudum Plato ideas, quasi typos rerum faciendarum, necessarias prorsus esse decrevit; erravit tamen, si illas, ut multi referunt (2), extra Deum et extra individua per se existentes finxit, quemadmodum jam in *Logica* diximus (3). In eo etiam erravit Plato, quod ideas dumtaxat specierum ac substantiarum admisit, accidentium autem et generatim singularium omnium negaverit (4). Pejus errarunt illi, qui, ut refert S. Tomas,

Quid exemplaris causa.

Ejus esse.

(1) A n. 425, pag. 1191 seqq.

(2) Vide S. Justin (*Cohortat. ad Gent.*), Tertullian. (*de Anima*). Nazianzen. (*Orat.* 27), Eliam Cretens. *In Orationem* 10.am Nazianzeni.

(3) Num. 154, pag. 662. Vide S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 1; 1.a dist. 36, quæst. 2, art. 1.

(4) Vide apud S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 7 et 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* Agere propter gloriam vanam, *conc.;* propter gloriam veram ac debitam, *neg.*

Tripliciter potest dici gloria vana, primo quidem quando aliquis gloriatur falso, puta de bono quod non habet: unde dicitur prima ad Corinthios: **Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?** (1). *Secundo dicitur gloria vana; quando aliquis gloriatur de aliquo bono, quod de facili transit, secundum illud Isaiæ quadragesimo:* **Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus sicut flos fœni** (2). *Tertio modo dicitur gloria vana, quando gloria hominis non ordinatur ad debitum finem* (3), videlicet *ad honorem Dei vel proximi salutem* (4). Jam vero nihil horum reperitur in gloria, quam Deus quærit; illa enim sibi debita est, et ulterius ordinari ad alium finem nequit.

Objic 7.° S. Thomas hæc habet in quodam loco: *Deus suam gloriam non quærit propter, se sed propter nos* (5) Ergo ex mente S. Doctoris gloria divina non est ultimus finis, cui etiam felicitas nostra subordinetur.

Resp. Sensus S. Doctoris est hic, ut satis colligitur ex contextu, quod Deus non quærit gloriam suam *propter suam utilitatem, sed propter nostram.*

quæro, sim perfectior? Cum magnus esse volo in oculis aliorum, et ita me minuo coram mea propria ratione, ego me imperfectum efficio. Qui honorem quærit, etsi illum mereatur, est ambitiosus; ambitio autem secundum rationem et revelationem est reprehensibilis et prohibita». (Hermes, *Dogm.* 2 p., *paragr.* 177).

(1) 1 *Corinth.* cap. 4, v. 7.

(2) *Isaiæ* cap. 40, v. 6.

(3) S. Thom. *de Mal.*, quæst. 9, art. 1. Alibi S. Doctor (nempe 2. 2. quæst. 132, art. 1) tres modos vanæ gloriæ refert, in quorum primo videntur duo isti priores contineri, secundum autem modum repetit *ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium non est certum.*

(4) S. Thom. 2. 2. quæst. 132, art. 1.

(5) 2. 2. quæst. 112. art. 1. ad 1.um

CAPUT II.

DE CAUSA EXEMPLARI MUNDI.

98. Cum inter causas ad effectionem rerum influentes exemplaris forma numeretur, cujus imaginem ac veluti lineamenta opus fabricatum referat, plena de causis mundi tractatio haberi nequit, nisi exemplarem etiam, si qua sit, investigemus. Exemplaris causa vocatur *idea exemplaris*, vel simpliciter *idea*, sumpta hac voce non in significatione cognitionis speculativæ, prout nunc vulgo sumitur, sed in significatione cognitionis practicæ atque operis directivæ: definiturque forma vel similitudo aut imago mente præconcepta, ad cujus imitationem opus aliquod fit, non casu, sed ex intentione operantis. Qua de re fusius actum est in *Ontologia* (1) Idea ergo exemplaris prout ibidem declaratum manet, propria est agentium dumtaxat rationalium et respectu eorum, quæ non casu aut ex naturæ necessitate, verum ex intentione et electione libera operantur. Quare pantheistæ ac materialistæ et positivistæ, ac generatim omnes illi, qui Democriti, Empedoclis et Epicureorum vestigiis insistentes, aut casu mundum effectum esse, aut certe non a causa libera, effutiunt, nullam queunt exemplarem causam mundi agnoscere. Contra quos omnes dudum Plato ideas, quasi typos rerum faciendarum, necessarias prorsus esse decrevit; erravit tamen, si illas, ut multi referunt (2), extra Deum et extra individua per se existentes finxit, quemadmodum jam in *Logica* diximus (3). In eo etiam erravit Plato, quod ideas dumtaxat specierum ac substantiarum admisit, accidentium autem et generatim singularium omnium negaverit (4). Pejus errarunt illi, qui, ut refert S. Tomas,

Quid exemplaris causa.

Ejus esse.

(1) A n. 425, pag. 1191 seqq.

(2) Vide S. Justin (*Cohortat. ad Gent.*), Tertullian. (*de Anima*). Nazianzen. (*Orat.* 27), Eliam Cretens. *In Orationem* 10.am Nazianzeni.

(3) Num. 154, pag. 662. Vide S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 1; 1.a dist. 36, quæst. 2, art. 1.

(4) Vide apud S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 7 et 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unam tantum putarunt a Deo creatam esse intelligentiam, a qua deinde anima, orbis et altera intelligentia producta sint, et ab his reliqua omnia: isti unam posuerunt in Deo ideam primæ illius intelligentiæ, alias autem ideas singularum rerum proprias ac distinctas solis causis secundis attribuerunt (1). At verò catholicorum omnium Philosophorum ac Theologorum doctrina est, in Deo esse ideas mundi, atque adeo rerum omnium faciendarum, quas quidem S. Dionysius *existentium rationes substantificas* dixit, *et prædefinitiones... existentium prædeterminativas et effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnium prædefinivit, et produxit* (2).

Vera sententia.

99. PROPOSITIO 1.° **Existit causa mundi exemplaris, eaque continetur ideis Dei, qui essentiam suam contemplando, formas rerum omnium, quascumque facturus unquam est, secundum totam suam entitatem distinctissime repræsentatrices excogitat.**

Datur mundi causa exemplaris.

Probatur prima pars: *datur mundi causa exemplaris.* Quæ non casu fiunt vel ex naturæ necessitate, causa exemplari egent seu idea, quæ propriam illorum perfectionem mensuret, ac determinet, quemadmodum ostendimus in *Ontologia* (3). Atqui mundus et omnia, quæ in ipso sunt, aut unquam erunt, vel fuerunt, non casu a Deo nec ex naturæ necessitate facta sunt. Ergo necesse est causam illorum exemplarem agnoscere. Apposite S. Thomas: *Ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem, quod ea, quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet, quod reducatur sicut in primum principium in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit. Et ideo oportet dicere, quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas supra* (quæst. 15, art. 1) *diximus ideas, id est formas exemplares in mente divina existentes* (1).

Præclare S. Augustinus in hanc rem: *Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici, et credi non potest, restat, ut omnia ratione condita, nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus* (2). Et alibi: *Faber facit arcam: primo in arte habet arcam; si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit..... Sic ergo, fratres carissimi, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia* etc. (3).

quæ non est extra Deum, sed ideis divinis continetur.

Probatur secunda pars: *Causa mundi exemplaris non est extra Deum, sed ideis Dei essentiam suam contemplantis continetur.* Ratio vero est, tum quia antequam Deus mundum conderet, nihil erat, a quo ideas rerum faciendarum mutuaretur, tum quia Deus summe independens est, sicut in essendo, ita etiam in operando, non autem esset summe independens in operando, si formas faciendarum rerum aliunde conquirere deberet. Quare ita pergit S. Augustinus post verba superius relata: *Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuetur, ut secundum id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est* etc. (4). Et S. Anselmus omnino egregie rem totam declarat: *Quamvis summam substantiam constet prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam secundum eamdem, et per eamdem suam intimam locutionem conderet: quemadmodum faber prius mente concipit, quod postea secundum mentis conceptionem opere perficit; multum tamen in hac similitudine intueor dissimilitudinem. Illa namque* (divina locutio) *nihil omnino aliunde assumpsit, unde vel eorum, quæ factura erat, formam in seipsa*

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 2; *de Verit.*, quæst. 13, art. 2; 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 3.

(2) Dionysius, *de divinis Nominibus*, cap. 5.

(3) Vide num. 426, pag. 1193.

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 44, art. 3. Cfr. 1 p., quæst. 15, art. 1.

(2) S. August. *Lib. 83 Quæstionum*, quæst. 46.

(3) S. August., *In Joann.* tract. 1, n. 17. Aliorum Patrum in hanc rem loca lege, si lubet, apud Ens Mazzella (*de Deo creatore*, disp. 1, art. 7) et P. Palmieri (*de Deo creante et elevante, thes.* 9.ª).

(4) S. August. *Lib. 83 Quæstion.*, quæst. 46.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

compingeret; vel ea ipsa, id quod sunt, perficeret: faber vero penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul, aut per partes, ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit; nec opus mente conceptum perficere, si desit aut materia, aut aliquid, sine quo opus præcogitatum fieri non possit; quamquam enim homo tale aliquod animal possit cogitando vel pingendo, quale nusquam sit, confingere: nequaquam tamen hoc facere valet, nisi componendo in eo partes, quas ex rebus alias cognitis in memoriam attraxit. Quare in hoc differunt ad invicem illæ in creatrice subtantia et in fabro suorum operum faciendorum intimæ locutiones; quod illa nec sumpta, nec adjuta aliunde, sed prima et sola causa sufficere potuit suo artifici ad suum opus perficiendum: ita vero nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum incipiendum. Quapropter ea, quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid quod non sunt per illam. Quæ vero per istam fiunt, penitus non essent, nisi essent aliquid, quod non sunt per ipsam (1).

Quomodo idea Dei multiplex esse possit.

Itaque idea Dei est ipsa essentia divina, non quidem præcise et absolute considerata, sed prout ab aliis entibus imitabilis ac participabilis; et quoniam imitabilis est ac participabilis secundum infinitam varietatem, ideo dicuntur ideæ esse plures, quamquam ex parte Dei, seu secundum id quod idea dicit in Deo, non possit esse nisi una: quare dici solet idea Dei *subjective una* et *objective multiplex*, quæ multiplicitas divinæ simplicitati officere nequit. Rem dilucide exponit Aquinas: *Hoc quomodo divinæ simplicitati non repugnet, facile est videre, si quis consideret ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur, non autem sicut species qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum in materia format. Non est autem contra simplicitatem divini intellectus, quod multa intelligat; sed contra simplicitatem ejus esset, si per plures species ejus intellectus formaretur.*

Unde plures ideæ sunt in mente divina ut intellectæ ab ipsa: quod hoc modo potest videri. Ipse enim essentiam suam perfecte

(1) S. Anselm. *Monolog.* cap. 11. Cfr. S. Thom., *de Verit.* quæst. 3, art. 1.

cognoscit: unde cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est. P[illegible] autem cognosci non solum secundum ad in[illegible]ordine, quod est participabilis secundum [illegible]re ideam, q[illegible]a creaturis. Unaquæque autem [illegible]ra habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat divinæ essentiæ similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem, et ideam hujus creaturæ: et similiter de aliis. Et sic patet, quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quæ sunt plures ideæ (1).

Rerum omnium quæ unquam facturus est, habet Deus ideam.

Tertia pars. *Denique diximus omnium prorsus rerum, quas unquam Deus facturus est, esse ideam exemplarem in mente divina:* idque patet ex primæ partis probatione. Si enim nihil operatur Deus casu, nihil ex necessitate naturæ; necesse est, ut omnium prorsus rerum ideas præconceptas habeat. *Si ipse ordo universi est per se creatus ab eo,* inquit Angelicus, *et intentus ab ipso, necesse est, quod habeat ideam universi. Ratio autem alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur propriæ rationes eorum, ex quibus totum constituitur; sicut ædificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cujuslibet partium ejus. Sic igitur patet, quod in mente divina sint propriæ rationes omnium rerum* (2). Nominatim

et primo quidem singularium,

α) *Deus habet ideam singularium,* distinctissime repræsentantem illa secundum rationes, tum genericas, tum specificas, tum individuales; quia Deus efficit illa secundum totam suam entitatem. Nec obstat, quod quædam singularia casu contingant in rerum natura; non enim casu contingunt respectu agentis, qui omnia præcognoscit, sed tantum respectu agentis proximi, seu causæ secundæ (3). Notat autem S. Thomas exemplar prius respicere in mente divina rationem speciei, quam rationem individui, quia prius etiam ac

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 2. Cfr. 1.us dist. 36, quæst. 2, art. 2; *de Verit.*, quæst. 3, art. 2; *Quodlib.* 4, art. 1.

(2) S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 2. Cfr. ibid. art. 3; 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 3.

(3) Vide S. Thom. *de Verit.* quæst. 3, art. 8 per totum. Cfr. 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 4um quæst. 22, art. 2, et 3; 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 3 ad 3.um

principaliter intendit ponere agens in esse rationem specificam, utpote perfectiorem (1).

deinde accidentium.

β) *Deus habet ideam accidentium propria* est etiam illorum causa immediata Deus, secundum *mente* con omnibus causis secundis operatur, et omnes effectus secundi ex ejus prædefinitione provenunt (2). Solum notarat S. Thomas accidentia propria, quæ nempe ex principiis subjecti fluuntur, quia una operatione in *esse* producuntur cum eo subjecto, nec ab eo secundum *esse* separantur, unam quoque completam cum eodem subjecto ideam habere; non autem distinctam ac separatam. Cum enim idea sit forma rei operabilis in quantum hujusmodi, ea quæ una adæquata operatione efficiuntur; oportet, ut unam adæquatam ideam habeant in mente artificis. E converso accidentia communia, sicut non pertinent ad naturale complementum rei, nec insunt necessario eidem, nec proinde una communi operatione producuntur, distinctam ac separatam ideam postulant: neque enim artifex formam rei excogitans, ea quoque in idea sua exhibere debet, quæ ad naturalem integritatem non spectant, sed contingenter possunt adesse vel abesse, cum possit sine illis produci et esse. Quæ doctrina connexionem quidem habet cum illa quæstione circa proprietatum resultantiam vel dimanationem, quam in *Ontologia* tractatam reliquimus; sustineri tamen quoad rem ipsam potest, ut mihi quidem videtur, in quacumque opinione.

et materiæ primæ.

γ) *Materia quoque prima habet aliquo modo ideam in Deo.* Rem declarat S. Thomas similiter ac ideam proprietatum. *Necesse est*, inquit, *ponere quod aliquo modo sit idea in Deo; cum quidquid ab ipso causatur, similitudinem ipsius utcumque retineat. Sed tamen si proprie de idea loquamur, non potest poni, quod materia prima per se habeat ideam in Deo, distinctam ab idea formæ vel compositi; quia idea proprie dicta respicit rem, secundum quod est producibilis in esse, materia autem non potest exire in esse sine forma, nec e converso. Unde proprie idea non respondet materiæ tantum, nec formæ tantum; sed composito toti respondet una idea, quæ est factiva totius, et quantum ad formam et quantum ad materiam. Si autem large accipiamus ideam pro similitudine vel ratione, tunc illa possunt per se distinctam habere ideam, quæ possunt distincte considerari, quamvis separatim esse non possint; et sic nihil prohibet materiæ primæ etiam secundum se ideam esse* (1).

(1) Vide ipsum S. Doctorem, *Quodlib.* 8, art. 2.

(2) S. Thom. *de Verit.* quæst. 3, art. 7; 1.^um dist. 36, quæst 2, art. 3 ad 4.^um

Quid dicendum de possibilibus.

δ) Circa pure possibilia potest esse quæstio, utrum Deus illorum habeat ideam exemplarem. At quoniam exemplar proprie importat cognitionem practicam, respicitque opus prout faciendum, pure autem possibilia nunquam fient, quamvis possent fieri; docet S. Thomas non dari horum ideam in mente divina: *Eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum. Unde respectu eorum non est idea in Deo, secundum quod idea significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem* (2), *id est cognitionem vel principium cognitionis.*

Malorum ac privationum Deus non habet ideam.

ε) Ob oppositam rationem non potest Deus malorum et privationum ideam habere. Ratio, quia *malum in quantum malum, nihil est, cum sit privatio quædam, sicut cæcitas. Et ideo rei malæ idea quidem in Deo est non in quantum mala est, sed in quantum res est, et ipsum malum* (nempe rationem malitiæ) *per oppositum bonum cognoscitur a Deo, a quo res privationi subjecta deficit* (3). Similiter cum Deus non faciat per se mala, utpote quæ privationes sunt, sed bona; non habet etiam ideam, quatenus idea importat exemplarem causam (4).

Objectiones solvuntur.

Objic, 1.^o Divina essentia nequit esse rerum omnium exemplaris causa, si non omnia fiunt ad similitudinem Dei. Atqui non omnia fiunt ad similitudinem Dei; nam passim videmus in rebus corporeis alias ad aliarum similitudinem secundum creata exemplaria fieri. Ergo...

(1) S. Thom. *de Verit.*, quæst. 5, art. 3. Cfr. 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 3.^um; 1.^o dist. 36, quæst. 2, art. 3, ad 2.^um

(2) S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 3 ad 2.^um Cfr. *de Verit.*, quæst. 3, art. 6.

(3) 1.^o dist. 36, quæst. 2, art. 3 ad 1.^um

(4) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 3 ad 1.^um; *de Verit.*, quæst. 3, art. 4 ubi plura require.

Resp. *dist.* Minor. Non omnia fiunt ad similitudinem Dei, saltem tamquam primi exemplaris *neg.*; proximi, *conc.* Et *neg.* conseq.

Possunt quidem *in rebus creatis quædam aliorum exemplaria dici, secundum quod quædam sunt ad similitudinem aliorum vel secundum eamdem speciem secundum analogiam alicujus imitationis.* At semper *ipse Deus est primum exemplar omnium* (1), utpote fons et plenitudo omnis possibilis perfectionis.

Objic. 2.ª Perfectius est agens, quod non eget, quam quod eget exemplari. Atqui Deus est perfectissimum ens. Ergo exemplari uti nequit.

Resp. *dist.* Major. Quod non eget extrinseco exemplari, *conc.*; quod non eget intrinseco, *neg.* Sed e converso maximam in Deo arguit perfectionem, *quod essentia sua exemplar omnium rerum ponatur, et intuendo essentiam suam omnia producat* (2).

Objic. 3.ª Essentia divina nequit esse rerum omnium exemplar. Primo quia unum idemque nequit esse forma diversissimarum rerum. Atqui res creatæ infinitam præ se ferunt varietatem. Præterea exemplatum oportet, proportionem habeat ad exemplar. At res creatæ proportionem nullam habere queunt ad essentiam divinam. Ergo...

Resp. *neg.* assert.

Ad primam probation. *dist.* Major. Unum idemque nequit esse forma diversissimarum rerum, quæ perfecte formam illam imitentur, *conc.*; quæ imperfecte imitentur, *neg.* Nam divina essentia est *similitudo singularum rerum, secundum quod diversæ res diversimode et particulariter ipsam imitantur secundum suam capacitatem, quamvis ipsa se totam imitabilem præbeat; sed quod perfecte non imitantur eam creaturæ, sed difformiter, hoc est ex earum diversitate et defectu* (3).

Ad alterum *dist.* pariter Major. Saltem proportionem, quæ habitudinem dependentiæ ac participationis et imitationis importet, *conc.*; proportionem, quæ vel æqualitatem vel mensuram certi ac definiti excessus aut distintiæ importet, *subdist:* si exemplar sit finitum, *trans.*; si sit infinitum, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Divinam siquidem essentiam nihil potest ita imitatione assequi, ut vel æquet illam in perfectione, vel certa aliqua et mensurabili distantia ab ea separetur; quidquid enim fit, quantavis speciei nobilitate polleat, semper infinite distabit ab immetato exemplaris divini pelago omnis perfectionis.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 44, art. 3.
(2) S. Thom. 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 1 ad 2.um
(3) S. Thom. 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 2.

100. PROPOSITIO 2.ª **Inest omnibus mundanis entibus aliqua, utcumque deficiens repræsentatio et similitudo Dei, major aut minor pro majore vel minore eorumdem perfectione: ac similitudo quidem entium irrationalium** VESTIGII, **similitudo vero rationalium et intelligentium nomen** IMAGINIS **apud Theologos accepit.**

Inest mundanis omnibus entibus essentiæ divinæ aliqualis representatio.

Prima pars est corollarium præcedentis propositionis Nam si ipsa divina essentia est exemplar omnium quæcumque Deus fecit, aut facturus unquam est, fieri nequit, ut res omnes creatæ aliquam similitudinem cum Deo non gerant; exemplatum quippe simile sit exemplari, oportet. Idemque patet ex eo, quod Deus sit causa et principium rerum omnium; omnis enim effectus aliquo modo causæ similis est.

major vel minor pro majori vel minori eorumdem perfectione.

Quia verò nihil potest esse in rebus perfectionis, quam non paticipent a Deo, plane sequitur, quo perfectius est aliquod ens, eo magis ad divinum exemplar accedere. Quamvis similitudo, quæ rebus creatis inest cum Deo, univoca esse nequeat, sed analoga dumtaxat, propter infinitam eminentiam exemplaris. Hinc est, quod quemadmodum scribit S. Dionysius, *eadem similia sunt Deo et dissimilia, similia quidem secundum quod imitantur ipsum, proul contingit eum imitari, qui non perfecte imitabilis est; dissimilia autem secundum quod deficiunt a sua causa* (1). Et propterea etiam sacræ Litteræ quandoque negant quidpiam esse simile Deo (2). Hinc est, quod licet ex creatis rebus veniamus in cognitionem Dei divinorumque attributorum; cognitio tamen hujusmodi

(1) S. Dionys., *de divin. Nomin.*, cap. 9.
(2) Vide *Psalm.* 82, v. 2; *Psalm.* 85, v. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

imperfectissima est, non solum quia discursum continet, sed etiam quia medium demonstrativum, cum tantopere distet a re ipsa demonstranda, nequit præbere nisi notitiam imperfectissimam.

Præclare rem hanc declarat Angelicus: *Cum similitudo attendatur secundum convenientiam, vel communicationem in forma, multiplex est similitudo secundum multos modos communicandi in forma. Quædam enim dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma secundum eamdem rationem et secundum eumdem modum: et hæc non solum dicuntur similia, sed æqualia in sua similitudine, sicut duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine: et hæc est perfectissima similitudo. Alio modo dicuntur similia, quæ communicant in forma secundum eamdem rationem, et non secundum eumdem modum, sed secundum magis et minus; ut minus album dicitur simile magis albo: et hæc est similitudo imperfecta. Tertio modo dicuntur aliqua similia, quæ communicant in eadem forma, sed non secundum eamdem rationem, ut patet in agentibus non univocis. Cum enim omne agens agat sibi simile, in quantum est agens, agit autem unumquodque secundum suam formam; necesse est, quod in effectu sit similitudo formæ agentis. Si ergo agens sit contentum in eadem specie cum suo effectu, erit similitudo inter faciens et factum in forma, secundum eamdem rationem speciei, sicut homo generat hominem. Si autem agens non sit contentum in eadem specie erit similitudo, sed non secundum eamdem rationem speciei; sicut ea quæ generantur ex virtute Solis, accedunt quidem ad aliquam similitudinem Solis, non tamen ut recipiant formam Solis secundum similitudinem speciei, sed secundum similitudinem generis. Si igitur sit aliquod agens, quod non in genere contineatur, effectus ejus adhuc magis remote accedet similitudinem formæ agentis; non tamen ita quod participet similitudinem formæ agentis secundum eamdem rationem speciei, aut generis, sed secundum aliqualem analogiam, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo illa, quæ sunt a Deo, assimilantur ei, in quantum sunt entia, ut primo et universali principio totius esse* (1).

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 4, art. 3. Cfr. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 29; *de Potent.*, quæst. 17, art. Recole etiam quæ scripta sunt in *Ontologia*, n. 59, *Objec. 1.ª*, pag. 181.

Quid differat vestigium ab imagine.

Ad declarandam postremam partem propositionis, notandum ante omnia est, quid differat *vestigium* ab *imagine*. *Vestigium secundum quod hic sumitur, metaphorice accipitur, et sumitur ad similitudinem vestigii proprie dicti, quod est impressio quædam confuse ducens in cognitionem alicujus, cum non repræsentet ipsum nisi secundum partem, scilicet pedem, et secundum inferiorem superficiem tantum. Tria ergo considerantur in ratione vestigii: scilicet similitudo, imperfectio similitudinis, et quod per vestigium in rem, cujus est vestigium, devenitur* (1). Ad rationem imaginis tria requiruntur: primo similitudo; secundo, quod similitudo sit secundum speciem vel certe signum speciei, quale potissimum existimatur esse figura; tertio origo ab alio. Sicut enim exponit S. Thomas, *de ratione imaginis* est similitudo. Non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis (2), *sed similitudo quæ est in specie rei, vel saltem in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura. Videmus enim, quod diversorum animalium secundum speciem sunt diversæ figuræ, non autem diversi colores. Unde si depingatur color alicujus rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit vel figuræ, sed requiritur ad rationem imaginis origo; quia, ut Augustinus dicit* (3) **unum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum.** *Ad hoc ergo quod vere aliquid sit imago, requiritur, quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei* (4). *Æqualitas autem non est de ratione imaginis; quia ut Augustinus ibidem dicit,* ubi est **imago, non continuo est æqualitas**, *ut patet in imagine alicujus in speculo relucente. Est tamen de ratione perfectæ imaginis: nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini, quod insit illi, de quo expressa est* (5). Hisce conditionibus solet

(1) S. Thom. 1.ª dist. 3, quæst. 2, art. 1.
(2) Cfr. S. August. in lib. 83 *Quæstion.*, quæst. 74.
(3) In lib. 83 *Quæstion.*, loc. cit.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 35, art. 1. Cfr. 1 p., quæst. 93, art. 1 et art. 2, dist. 3, quæst. 3; 1.ª dist. 28, quæst. 2, art. 1; 2.ª dist. 16, quæst. 1, art. 1 et seqq.; *de Verit.*, quæst 10, art. 7 fin.; epist. *ad Coloss.*, lect. 4; et epist. *ad Hebr.* lect. 2.
(5) S. Thom. 1 p., quæst. 93, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adjungi quarta ad rationem perfectæ imaginis secundum naturam vel rationem specificam, ut nempe id, quod alterius imago dicitur, vi ipsius productionis vel originis habeat similitudinem illius: quo pacto filius est imago patris vi generationis, quæ natura sua tendit ad simile secundum naturam producendum. Quare vistigium dicitur repræsentare solam *causalitatem* rei, nempe facit cognoscere, quod detur causa, imago autem repræsentat formam ipsam causæ. *Omnis effectus aliqualiter repræsentat suam causam, sed diversimode. Nam aliquis effectus repræsentat solam causalitatem causæ, non autem formam ejus, sicut fumus repræsentat ignem: et talis repræsentatio dicitur esse repræsentatio vestigii, vestigium autem demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus repræsentat causam quantum ad similitudinem formæ ejus, sicut ignis generatus ignem generantem, et statua Mercurii Mercurium: et hæc est repræsentatio imaginis* (1).

Imago Dei est solum in entibus intellectualibus, vestigium in omnibus.

Quare facile est probare in omnibus quidem rebus inesse vestigium Dei, imaginem tamen solum in entibus intellectualibus. Nam ubicumque est aliqua repræsentatio vel similitudo ex alio expressa, oportet, ut sit saltem vestigium ejus. Atqui adest in omnibus rebus aliqua divinæ naturæ similitudo ac repræsentatio, ut vidimus. Ergo in omnibus prorsus creatis rebus agnoscendum est saltem vestigium Dei. At imago non quamcumque similitudinem importat, sed similitudinem secundum rationem specificam; similitudo vero speciei attenditur secundum ultimam differentiam, quæ exprimit præstantissimum, quod est in re. Atqui præstantissimum, quod apparet in divina natura, est, quod sit spiritualis et intellectualis, immo ipsa intellectio per se subsistens. Ergo ea tantum entia, quæ intellectualem naturam participant, nempe angeli et homo secundum animam rationalem, perfectius quidem illi quam iste, divinam imaginem mente impressam præ se ferunt secundum ipsam naturalem substantiam. Quare etiam in sacra Pagina dicitur homo creatus ad *imaginem* et *similitudinem Dei* (2). Qua de re sæpe

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 45, art. 7. Cfr. 1 p., quæst. 93, art. 6.

(2) *Genes.* cap. 1, v. 26–27; *Sapient.* cap. 2, v. 23; *Eccli.* cap. 17, v. 1.

scripsit S. Thomas (1), ac Theologorum est fusius disputare (2).

Vestigium et imago Sanct. Trinitatis.

Cæterum tum vestigii tum imaginis rationem considerant Theologi non solum respectu naturæ divinæ unius, sed etiam respectu Sanctissimæ Trinitatis: et vestigium quidem, *in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in divinas personas sicut in causam* (nempe per appropriationem), quia videlicet omnia suum habent esse cum certa specie et ordine, factaque sunt in numero, pondere et mensura, prout fusius declaratum videbis apud S. Thomam (3). Imaginem vero, vel quia in homine insunt tres potentiæ, memoria, intellectus et voluntas, in una anima existentes, ut explicat Magister Sententiarum (4), et sumitur ex S. Ambrosio (5) et S. Augustino (6); vel ut indicat Angelicus (7), quia sicut in divinis processio est per intellectum et voluntatem, simili modo est actus intellectus et volitionis in anima, quæ sic intelligendo producit verbum, et diligendo, amorem; id quod late prosequitur S. Augustinus (8), et attigit S. Hilarius (9).

Dices. Si omnium Deus habet ideam exemplarem, quam perfectissime res omnis imitatur, nec illa idea est aliud ab ipsa Dei essentia, prout nos ipsi superius docuimus; ergo quælibet creatura divinam naturam perfecte repræsentat, atque adeo non solum vestigium, sed imaginem quoque Dei in se habet.

Resp. *neg.* conseq. Quia quamvis idea divina, prout est in Deo, identificetur cum ipsa ejus essentia; nihilominus nulla

(1) 1 p. quæst. 93, art. 1; 2, 3; 1.^a dist. 3, quæst. 3; 2.^a dist. 16, quæst. 1, art. 1 et seqq.

(2) Vide S. Bonavent 2.^a dist. 16, ac Theologos generatim in eumdem locum Sententiarum, vel in 1.^am p. Summ. S. Thom. quæst. 93; Suarez, *de Oper. sex dier.* lib. 3, cap. 8; Petav. *de Opific. sex dier.* lib. 2, cap. 1 et 2.

(3) 1 p. quæst. 45, art. 7.

(4) 1.^a dist. 3.

(5) *De dignitat. human.* cap. 2.

(6) *De Trinit.* lib. 10, cap. 1.

(7) 1 p., quæst. 45, art. 7; et quæst. 93, art. 6.

(8) *De Trinit.*, lib. 14, cap. 7 seqq.

(9) *De Trinit.* lib. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

idea exhibet essentiam adæquate, sed inadæquate ac deficientissime; singulæ namque ideæ exprimunt divinam essentiam, prout certo gradu imitabilem ad extra. Quare etiam non omnes exemplares ideæ Dei repræsentant, quidquid in ejus ineffabili essentia quasi gradus essendi perfectissimus consideratur a nobis, sed solum ideæ intellectualium naturarum. Quamquam ergo omnia entia secundum suam cujusque naturam perfectissime imitentur exemplar divinum, possintque respectu illius dici imago, non tamen omnia perfecte repræsentant ipsam naturam divinam, prout jam declaratum est (1). Verum hæc nobis delibasse sufficiat.

DISPUTATIO QUARTA.

DE LEGIBUS NATURÆ.

Ultima jam aggredienda est disputatio ad generalem de mundo tractationem spectans, legibus enim reguntur non singulæ solum naturæ, sed plurium quoque naturarum complexiones, atque adeo tota mundana machina, cujus varia membra mutuis devinciuntur vinculis relationum secundum ratus et stabiles motuum actionumque variarum normas. Et quamquam leges istæ singillatim a peculiaribus scientiis indicandæ ac probandæ sint, hic tamen necesse est earum rationem et attributa enucleare, ut exinde possit et illud decerni, num derogationem vel suspensionem per miraculum pati valeant.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 93, art. 2 ad 4.um

CAPUT I.

DE LEGUM NATURÆ RATIONE ET ATTRIBUTIS.

ARTICULUS I.

Ratio et veritas legum naturæ.

Quid naturæ nomine veniat.

101. Nomine *naturæ*, omissis aliis acceptionibus alibi aperiendis, venit hic quodlibet ens mundanum, vel etiam quodlibet ens creatum in ordine ad operationem inspectum; nam quæ de legibus naturæ deque earum derogatione dicturi sumus, applicari fere possunt ad entia cuncta creata, sive corporea sive spiritualia. At quidnam, quæso, est lex? Nihil magis in ore habent multi naturalium scientiarum cultores, nihil tamen minus explicant, quam legis conceptum: multi etiam aut perperam illum, aut certe non omnino accurate, discribunt. Si vero priscos illos sapientiæ magistros audias,

Quid sit lex generatim.

lex generatim est *quædam regula... et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur* (1); duo proinde complectitur, rationem normæ dirigentis ac præscribentis actus faciendos vel omittendos, et vim coactivam, qua legem accipiens obligatur ad sic et non aliter operandum (2). Verum bifariam potest esse lex in aliquo; *essentialiter* vel sicut in regulante et mensurante, ac *participative* vel sicut in regulato et mensurato. Et quia regulare ac dirigere actiones proprium est rationis, ideo essentialiter ac sicut in regulante lex solum est in ratione, participative autem est *in eo, quod mensuratur et regulatur; ita quod omnis inclinatio vel ordinatio, quæ invenitur in his, quæ subjecta sunt legi, participative dicitur lex* (3). Lex in regulante est ipsum dictamen practicum rationis in imperante,

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 90, art. 1.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 90, art. 1, quæst. 93, art. 4 ad 4.um; quæst. 96, art. 5.

(3) S. Thom. 1. 2. quæst. 91, art. 6. Cfr. ibid. art. 2; et quæst. 90, art. 1 ad 1.um, art. 3, ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

normam præscribens operandi; at lex in regulato est participatio normæ operandi ab imperante applicatæ iis, quibus lex imponitur. Planum porro est leges naturæ hic intelligendas non esse eas, quæ sint in natura sicut in regulante, sed sicut in regulato; nec aliud proinde esse possunt, quam inclinationes vel determinationes existentes in natura ad certo quodam modo et non aliter operandum. Ut ergo melius percipiantur, considerandæ non sunt seorsim et in se, sed quatenus sunt participationes, quales re vera sunt, ipsius legis æternæ, qua Deus cuncta creata, sive rationalia sive irrationalia, gubernat, et ad suos quæque fines sapientissime dirigit, ac perducit. Certum enim est, ut modo supponimus, cuncta creata divinæ providentiæ subjacere, atque a Deo gubernari, non solum in communi, sed etiam in particulari. Jam *sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ constituuntur per artem; ita etiam in quolibet gubernante oportet, quod præexistat ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subduntur. Et sicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur ars vel exemplar rerum artificiatarum; ita etiam ratio gubernantis actus subditorum rationem legis obtinet*, servatis cæteris conditionibus, quas non est hujus locis explicare (1). Ergo, *sicut ratio divinæ, sapientiæ in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis vel exemplaris vel ideæ; ita ratio divinæ sapientiæ, moventis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis* (2). Hæc est lex æterna Dei, quæ definitur a S. Thoma: *ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum* (3).

quid leges naturæ.

Quid lex æterna Dei.

Huic legi æternæ, in mente Dei sicut in regulante existenti, respondet in rebus creatis aliqua paticipatio. Nam cum *omnia, quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur, et mensurentur... manifestum est, quod omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines* (4); singula secundum modum suæ capacitatis ac naturæ, rationalia quidem

(1) Vide interea S. Thom. 1. 2. quæst. 90.
(2) S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 1. Cfr. quæst. 91, art. 1.
(3) Ibid.
(4) S. Thom. 1. 2. quæst. 91. art. 2.

intellectuali modo, quatenus per lumen naturæ apprehendunt, quid sibi faciendum vel omittendum sit, irrationalia vero modo non cognoscitivo, quatenus, quin ipsa divinum præceptum legis æternæ apprehendant, inclinantur ad sic et non aliter operandum. Nam *sicut homo imprimit denuntiando quoddam interius præceptum actuum homini sibi subjecto; ita etiam Deus imprimit toti naturæ principia propriorum actuum. Et ideo per hunc modum Deus dicitur præcipere toti naturæ; secundum illud Psalmi* 148 (vers. 6): **Præceptum posuit, et non præteribit.** *Et per hanc etiam rationem omnes motus et actiones totius naturæ legi æternæ subduntur* (1). Participatio itaque legis æternæ in creatura rationali vocatur *lex naturalis;* participatio vero ejusdem æternæ legis in creaturis irrationalibus, dici solet *lex naturæ* vel *lex physica*, de qua hic nobis est sermo. Nihilominus quia rationalis creatura participat æternam legem intellectualiter et rationaliter, ideo participatio legis æternæ in *creatura rationali proprie vocatur lex, nam lex est aliquid rationis* (2); *in creatura autem irrationali non participatur rationaliter, unde non potest dici lex nisi per similitudinem* (3) et analogiam; quia nempe cum natura eodem modo subsit, et fidelissime sequatur divinitus impressam inclinationem, ac si Creatoris sui rationem et voluntatem re vera cognosceret, non quidem proprie obedit, sed tamen speciem gerit et similitudinem obedientis ac jussa exsequentis, ac proinde ratio ipsa et ordinatio divinæ providentiæ etiam respectu creaturæ irrationalis dici potest per metaphoram præceptum, imperium, lex. Ac propterea docet S. Thomas, quod quamvis *creaturæ irrationales non participant ratione humana, nec obediunt ei, participant tamen* per modum obedientiæ *ratione divina; ad plura enim se extendit virtus rationis divinæ, quam virtus rationis humanæ. Et sicut membra corporis humani moventur ad imperium rationis, non tamen participant ratione, quia non habent aliquam apprehensionem ordinatam ad rationem; ita etiam creaturæ irrationales moventur a Deo, nec tamen propter hoc sunt rationales* (4). Homines

eidem respondet in creatura rationali lex naturalis; et in creatura irrationali lex physica vel lex naturæ.

quæ solum dicitur lex per analogiam et metaphoram.

(1) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 5.
(2) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 90, art. 1.
(3) S. Thom. 1. 2. quæst. 91, art. 2, ad 3.um
(4) S. Thom. 1, 2. quæst. 93, art. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quidem, et etiam angeli, nequeunt naturæ ullum præceptum imponere etiam in sensu metaphorico, quia nec possunt imperium suum eidem denuntiare vel promulgare, sicut possunt aliis entibus ratione præditis, nec illam intrinsecus inclinare ac determinare ad id, quod volunt. Deus vero tamquam Auctor naturæ, inserendo activa principia convenientia, inclinat eam, quo ratio æternæ providentiæ inclinandam esse judicat: quæ inclinatio vices gerit quodammodo promulgationis. Etenim testante Angelico, *hoc modo se habet impressio activa principii intrinseci quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines: quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum* (1).

Colligitur ex dictis definitio legis naturæ.

Quæ cum ita sint, quæ dicuntur *leges naturæ* vel *leges physicæ*, aliud non sunt nisi participationes quædam divinæ legis æternæ, similique modo se habent respectu naturæ, sicut lex naturalis respectu entium rationalium: ac describi jure merito possunt naturales inclinationes vel determinationes rebus a Deo impressæ, ut ad proprios fines secundum suam quæque naturam certo et uniformi modo tendant: ac proinde quoad rem ipsam confunduntur cum naturalibus tendentiis et cum appetitu naturali, quo res quæque ad suum bonum, atque adeo ad agendum vel patiendum certo modo et gradu naturæ suæ consentaneo dirigitur adque impellitur (2). *Sic igitur sub Deo legislatore diversæ creaturæ diversas habent naturales inclinationes; ita ut quod uni est quodammodo lex, alteri sit contra legem: ut si dicam quod furibundum esse est quodammodo lex canis, est autem contra legem ovis vel alterius mansueti animalis* (3). Non ergo lex naturæ est operatio ipsa constans et uniformis, nec proprie modus constans et uniformis operandi, sed ratio sufficiens ejusdem seu internum principium, unde uniformis et constans operatio fluit. Et probatur, quia de legibus naturæ judicandum est per analogiam ad proprie dictam legem; nam non sunt proprie leges, sed solum per metaphoram eo donantur nomine. Atqui lex

Operatio naturæ constans et uniformis non est lex, sed effectus legis.

(1) S. Thom. ibid. ad 1.^um
(2) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 103, art. 1 ad 3.^um; et art. 8. corp.
(3) S. Thom. 1. 2. quæst. 91, art. 6.

veri nominis non consistit in ipsis actionibus certo modo constanter elicitis, sed in norma rationis ad certo modo operandum obligans. Ergo simile quiddam de naturæ legibus dicendum est. Norma autem ad certo modo operandum obligans naturas intelligendi vi destitutas, aliud esse non potest, quam quædam tendentia vel inclinatio vel necessitas divinitus impressa determinans et mensurans gradum et modum agendi singularium entium naturalium, ut ad præscriptos sibi fines assequendos certo dirigantur. Quare, quamvis leges naturæ soleant sæpe exprimi et enuntiari instar facti vel eventus alicujus uniformis, ut cum dicimus, *corpora calore dilatari, attractionem decrescere proportione inversa quadrati distantiarum, terram singulis diebus gyrum peragere circa suum axem ab occidente versus orientem, etc.*; semper subaudienda est interna aliqua exigentia vel determinatio in subjecto existens ad talia facta vel eventus: illa enim proprie non sunt lex, sed effectus legis.

Probatur legum physicarum existentia.

102. Jam quod dentur hujusmodi leges naturæ sive physicæ extra dubium est, ut patet vel ipsa experientia, quæ passim detegit ope inductionis certos ac determinatos modos operandi in omnibus entibus naturalibus: quod si dantur modi certi ac determinati operandi, necesse quoque est, insitas naturis exigentias et propensiones ad sic operandum agnoscere; nisi velis vel casu semper eodem modo operari naturales causas, vel Deum illas absque ullo interno principio ad uniformes motus incitare, quorum primum in præcedenti disputatione exclusum est, alterum ad occasionalismum adducit. Præterea si Deus voluit etiam suas causis secundis vires et activitates largiri, finesque proprios assignare, ad quos omnia per providentiam suam sapientissime promovet ad mundanum ordinem conservandum; oportuit, ut consentaneas quoque inclinationes rebus imprimeret, quibus ad prædictos fines certissime assequendos spontaneo appetitu ac tendentia perducerentur. Quare conveniunt omnes Philosophi ac naturalium scientiarum cultores in admittendis legibus naturæ, saltem nomine tenus et quoad effectus; immo vero physicarum disciplinarum studiosi toti sunt in hujusmodi legibus perscrutandis ac detegendis. Dixi *saltem nomine tenus et quoad effectus*, quia positivistæ, quamvis *leges* phænomenorum

quæ saltem nomine tenus communiter admittitur.

factorumve se velle in natura cognoscere profiteantur, nomine tamen *legum* non intelligunt ullum internum nexum vel insitam exigentiam certi alicujus phænomeni vel operationis, quæ ab aliqua natura procedat, sed tantum phænomena vel operationes certo modo et ordine vel gradu existentes ad præsentiam quorumdam entium: nempe admittunt id, quod revera est effectus vel consectarium legis, idque legem appellant, veram autem internam legem inficiantur. Verum de positivistarum fatuis ineptiis in limine *Ontologiæ* dictum est.

Existunt ergo leges naturæ, iisdemque regitur regnum minerale et vegetale et animale, immo et ipsum ens rationale, quippe quod quamvis intelligentia præditum sit, non desinit esse natura quædam creata, et prout talis præter legem naturalem, quam cognoscitivo modo participat ad *honeste* operandum, aliis eget legibus et inclinationibus, quibus in suis *naturalibus* operationibus etiam ipsius intellectus et voluntatis dirigatur. Neque solum genera et species, verum singula individua, legibus specificæ suæ naturæ consentaneis instruuntur; immo vero in viventibus organicis varia quoque membra ejusdem individui peculiaribus et harmonicis inclinationibus ad certas functiones et operationes constantissime et uniformiter exercendas sponte naturæ propelluntur, unde totius entis bonum efflorescit et vitæ conservatio. Hoc pacto v. g. variæ functiones vitæ vegetativæ ac sensitivæ suis propriis legibus reguntur: et generatim quo major est corporum perfectio, eo complicatior est varietas organorum et operationum, quæ ut rite fines suos assequantur, certis egent normis ab Auctore naturæ impressis. Horum omnium legum studium, cui diligenter incumbunt Physici, mirifice confert ad naturæ cognitionem, maximumque affert commodum usibus vitæ artibusque; siquidem corpora pro variis proprietatibus et legibus alia ad alios usus applicantur, sive ad vitam sustentandam, sive ad conficienda instrumenta, sive ad artificiosas ex pluribus apte elaboratis et inter se connexis membris extruendas machinas, quibus miri sæpe ac portentosi effectus industria hominum, ut passim cernimus, obtinentur.

Duo genera legum physicarum.

Cæterum ad duo genera videntur omnes leges posse revocari: aliæ enim immediate efflorescunt ex ipsa proprii

subjecti natura, tales sunt v. g. leges chimicarum combinationum et innumeræ aliæ rebus singulis peculiares. Aliæ vero resultant ex certa aliqua variorum corporum dispositione et ordine; earumque illustre suppeditant exemplum planetarii motus hujus nostri systematis solaris. Neque enim leges motuum, quibus aut terra aut alia siderea corpora animantur, ex eorum natura immediate profluunt; nam profecto potuerunt illa, salva essentia, aut nullum plane motum, aut alium diversum in alia mundi constitutione habere; verum supposito, quem in æthereis spatiis accepere, situ ac positione, supposita virtute attractiva et pristino motu projectionis, non potuerunt aliter moveri, ac proinde in præsentibus adjunctis in hoc variorum corporum systemate adest necessitas et exigentia tales ac tali ordine constantissimo edendi motus, quos astronomi describunt, et omnes ingenti admiratione contemplamur, utilissimosque vitæ nostræ experimur.

Leges particulares et universales.

Distingui quoque possunt leges particulares et singulis corporibus pro sua specie propriæ ac peculiares, et leges universales, quæ pluribus vel omnibus corporibus sint communes. Verum hæc fusius persequi necesse non est. Illud tantum noto solere a quibusdam leges *cosmicas* dici eas, quæ non tam sunt leges naturæ, quam formulæ constantem et uniformem modum operandi Auctoris naturæ exhibentes. Harum legum sex enumerat P. Salvator Tongiorgi (1): prima est *lex utilitatis*, quæ a priscis Philosophis illo axiomate exprimebatur: *Natura nihil facit frustra*. Secunda est *lex medii naturalis*, secundum quam *quæ medianle operatione causarum secundarum fieri possunt, Deus immediata sua operatione non facit*. Tertia est *lex continuitatis*, quam sic enuntiavit Dionysius: *Supremum inferioris naturæ attingit infimum superioris* (2): eamdem post Leibnitzium hoc modo efferunt recentiores: *Natura non facit saltus*; eaque non parum abutuntur transformistæ ad lentam specierum evolutionem mutationemque obtrudendam. Quarta est *lex unitatis*, quæ in finium

leges cosmicæ.

prima.

secunda.

tertia.

quarta.

(1) *Cosmolog.* n. 409 seqq. Cfr. el. P. Tilmann Pesch. *Philos. natural.*, n. 310.

(2) *De divin. Nomin.* cap. 7.

quinta et sexta.

subordinatione præsertim elucet. Quinta *lex pulchritudinis; sexta est constantiæ* in uniformi operandi modo. Verum hæc innuisse sufficit.

In quo consistant leges naturæ, et an a viribus ac proprietatibus distinguantur.

103. Sed enim quæret aliquis: quid tandem rei sunt istæ leges naturæ, quarum hactenus notionem explicuimus, et existentiam demonstravimus? Suntne ipsæ vires ac proprietates naturales, an vero aliquid ab eis distinctum? Sunt qui vim cum lege confundant (1), quibus repugnat cl. P. Tilmanus Pesch. Verum saltem conceptu eas distinguere oportet: vis enim principium dumtaxat operationis significat, atque ex suo latissimo conceptu videtur præscindere ab insita propensione ad determinato aliquo modo et uniformi operandum in ordine ad finem, quam ratio legis importat: proprietas etiam ex suo primo conceptu non implicat prædictam ordinationem et inclinationem, sed tantum rationem accidentis fluentis necessario ex intimis, ut ita dicam, visceribus naturæ. Unde legem concipimus instar normæ cujusdam ac regulæ, cui vis in operando subjicienda est. Fundamentum autem distinguendi habetur primo ex eo, quod non repugnat conceptui vis aut virtutis, ut ad nullum determinatum modum operandi alligetur, et adstringatur, quemadmodum plane innotescit in virtute appetitiva voluntatis nostræ, unde etiam veri nominis leges solis entibus liberis imponuntur, et respectu eorum actuum, qui non sunt ex naturæ necessitate determinati, sed poni vel omitti possunt vel diversimode effici. Conceptus ergo vis activæ non secum identificat rationem legis. Præterea leges latius patere videntur, quam vires, siquidem considerari possunt non solum in ordine ad agendum, sed etiam in ordine ad patiendum et resistendum; ac proinde ultra vires activas ad ipsum quoque principium vel potentiam passivam extendutur, ut patet v. g. in lege inertiæ, quæ non activitatem, sed passivitatem importat, et in vario gradu, quo varia corpora eodem caloris gradu dilatantur. Si ergo non omnis lex in viribus naturalibus consistit, necesse est dicere leges a viribus conceptu saltem distingui. Leges itaque concipio tamquam inclinationes naturis

(1) Ita v. g. Fechner et H. Helmholtz apud P. Pesch. loc. cit. n. 67, 5.um

divinitus impressas, ut fines suos assequantur, vires autem tamquam media et instrumenta, per quæ leges executioni mandentur. Et sic naturales hujusmodi inclinationes seu leges, non video, cur necesse sit re distinguere ab ipsa natura; a viribus autem et propietatibus distinguuntur, sicut natura ipsa distinguitur ab illis. Ex quo facile intelligitur, quomodo etiamsi natura supponatur per miraculum proprietate aliqua vel viribus spoliata, id quod possibile esse docuimus in *Ontologia* (1), non ideo tamen concipienda sit legibus quoque privata; quia nempe adhuc in tali natura est exigentia et inclinatio naturalis habendi vires et consentaneas proprietates, ac per eas modo suæ speciei debito operandi. Certe si ignis calore privaretur divinitus, non ideo posset dici indifferenter se habere ad habendum vel non habendum calorem, ad calefaciendum vel non calefaciendum, licet de facto non posset calefacere donec virtute sibi debita donaretur. Hanc forte sententiam innuit S. Thomas illis verbis: *Necessitas naturalis inhærens rebus, qua determinantur ad unum, est impressio quædam Dei dirigentis ad finem; sicut necessitas, qua sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis, et non sagittæ. Sed in hoc differt, quia id quod creaturæ a Deo recipiunt, est earum natura, quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur præter earum naturam, ad violentiam pertinet* (2). Et hæc quidem de legibus illis simplicibus, quæ corporibus singillatim sumptis insunt, videntur satis plana esse. Leges vero aliæ complexæ, quæ ex simplicium compositione efflorescunt, non quidem adæquate identificantur cum natura singulorum seorsim sumpta; sed complexum variorum corporum requirunt, ultra quam, si debita adsint adjuncta, nihil aliud videtur esse addendum. Nam lex v. g. peragendi annuum gyrum circa solem in singulis planetis, quid aliud est, si res bene perpendatur, quam lex ipsa inertiæ, qua, impulsu semel accepto, urgentur ad motum, modificata per actionem solaris attractionis?

Ordo et cursus naturæ

Cum legibus naturæ intimam habet necessitatem et cognationem *ordo* et *cursus naturæ*. Ordo naturæ consistit in

(1) Vide n. 322, pag. 986.
(2) S. Thom. 1 p. quæst. 103. art. 1 ad 4.um

mutuis, quæ inter varia corpora intercedunt, relationibus ratione legum: sic inter ignem et ferrum hic adest ordo, ut ferrum certo gradu et mensura calefieri ac delitari debeat, si igni applicetur. Cursus naturæ est consecutio eventuum in natura secundum normam et exigentiam legum.

ARTICULUS II.

De legum naturæ constantia et necessitate.

104. Duæ nunc tractandæ sunt quæstiones ad leges naturæ pertinentes: prima, sintne illæ constantes et universales; secunda, an et quomodo sint necessariæ. De utraque breviter agendum ex ordine.

§ 1.—AN LEGES NATURÆ SINT UNIVERSALES ET CONSTANTES.

Constantia et universalitas legum physicarum.

Prima istarum controversiarum, si teneantur quæ de legum naturæ existentia dicta sunt, fere otiosa est. Quid enim, quæso, aliud est leges dari in natura, et leges hasce constantes esse atque universales? vel undenam probabis leges constanter servari ubique, ac porro servatum iri, nisi ex eo quod adsint rationes sufficientes, in rebus certum operandi modum exigentes, nempe ex eo quod re vera dentur leges? Nihilominus frequentius et communius est apud eruditos viros leges naturæ agnoscere, quam earum etiam universalitatem et in futurum constantiam largiri: leges concedunt omnes saltem nomine tenus, ut jam innuimus, at constantiam quidam negant, aut certe in dubium revocant. Primum enim Lockius putavit conclusiones, quæ inductione colliguntur, certas non esse, sed solum probabiles (1): unde concludendum foret, quoniam leges naturæ fructus inductionis sunt, certitudine atque adeo constantia minime pollere. Similis fuit Christiani Wolfii opinatio (2). Humius vero, negata, ut retulimus in *Ontologia* (3), realitate notionis causæ,

a quibusdam perperam negata.

(1) Apud Tongiorgi, *Cosmolog.*, n. 419.
(2) *Logic.* part. 2, paragr. 674.
(3) Num. 387, pag. 1103.

solaque asserta phænomenorum successione absque ullo principio interno ea exigente et inferente, concessit quidem nos, ob assuetudinem quamdam et associationem idearum ex eventibus præteritis, minime dubitare de aliorum similium in posterum repetitione; negavit tamen hanc persuasionem ullo niti reali fundamento, aut probari ratione posse. Hæc enim, inquit, enuntiatio: *Transacto futurum consimile erit*, neque experientiam vadem habet, nec rationem aliquam a priori; non experientiam, quia futurum, quamdiu tale est, experiri non possumus; non rationem, quia profecto in conceptu præteritorum eventuum non continetur similitudo cum futuris, cum potissimum innumeros videamus eventus, qui non solent perpetuo uniformi constantia accidere. Alii quamvis legum universalitatem et constantiam agnoscant, eam tamen ex falso et infirmo principio derivant. E quorum numero est Joannes Stuart Mill, qui consequenter ad suam illam absurdam doctrinam, quam in *Ontologia*, explosimus (1), negantem omnem veri nominis causalitatem et internum nexum inter causam et effectum, non aliud tandem assignat fundamentum legi universalis causalitatis, cui fatetur inniti omnis inductio et omnis lex naturæ (2), præter experientiam (3). Unde logice concludit ipsam legem causalitatis universalis, secundum quam omnis effectus habet causam, certam nobis esse non posse pro illis casibus, quorum adjuncta cadere sub sensus nostros nequeunt: ac proinde temerarium fore illum, qui eadem certitudine prædictam legem extenderet ad regionem stellarum (4). Similis est opinio

(1) Vide n. 387, 388, pag. 1104 et 1106.
(2) Vid *Systeme de Logique... par John Stuart. Mill. Deuxième édition traduite... par Luis Peisse*, tom. 1, liv. 3, chap. 3, 4, 5, tom. 2, liv. 3, chap. 21.
(3) Vid. op. cit., liv. 3, chap. 21.
(4) «Il faut remarquer en même temps que nous n' avons pas les mêmes motifs de confiance pour les cas dont les circonstances nous sont inconnues et placés hors du champs de notre expérience. Dans ces parties reculées des régions stellaires, où les phenomènes peuvent être entièrement différents de ceux que nous connaissons, *il sera insense d' affirmer hardiment l' empire de la loi de causalité*, pas plus que celui des lois spéciales reconnues universelles sur notre planète, *L' uniformité dans la succession des évènements, en d' autres termes*

H. Lotze et Ottonis Liebmann apud cl. P. Pesch (1); et idem teneant, necesse est, omnes positivistæ, ac generatim omnes qui negant inesse rebus ipsis internum aliquod principium necessitatis naturalis, exigens constantem ubique et semper operandi modum. Ut peregrinæ huic doctrinæ, quæ ipsam de medio tollere naturam, scientiisque universali dubitatione minitari videbantur, murum opponeret Thomas Reidius cum schola Scotica, ad sensum communem cæcumque instinctum confugiendum esse judicavit, quo ineluctabili naturæ impetu feramur ad legum constantiam cæterorumque principiorum certitudinem amplectendam. Verum quia jam in *Logica* cæcum ejusmodi instinctum exclusimus (2), aliter constantia legum physicarum propugnanda est.

105. PROPOSITIO 1.ª **De constantia et universalitate legum physicarum ambigi nequit.**

vindicatur.

Probatur 1.º Constantia et universalitas legum physicarum bifariam accipi potest: α) relate ad omnia individua ejusdem speciei, ita ut omnia iisdem legibus regantur, v. g. quod omnis ignis comburat, omne ferrum gravius sit aqua, etc.: β) relate ad idem individuum, quamdiu duratin suo *esse*. Atqui utrovis sensu leges naturæ constantes sunt atque universales.

Prob. α) *relate ad individua omnia ejusdem speciei*. Ubicumque natura eadem datur, proprietates quoque ac vires et inclinationes vel tendentiæ naturales ad certos fines eædem sint, oportet. Atqui in omnibus individuis alicujus speciei, sive præsentibus, sive præteritis, sive futuris, eadem est natura. Ergo in omnibus prorsus individuis eædem sunt

la loi de causalité, doit être acceptée comme une loi non de l'univers, mais seulement de cette partie de l'univers, ouverte pour nous à des investigations suivies, avec extension à un degré raisonnable, aux cas adjacents. L'étendre plus loin, c'est faire une supposition sans preuve, et dont il serait oiseux, en l'absence de toute base expérimentale, de vouloir évaluer la probabilité. Stuart Mill. Op. cit t. 2, liv. 3, chap. 21 fin.

(1) *Los grandes Arcanos de la naturaleza*, tom. 1, part. 2, cap. 3, paragr. 2, n. 163, pag. 276.

(2) Vide *Logic. Major*. n. 87, pag. 536.

vires naturales ac proprietates et inclinationes vel tendentiæ ad certos fines, atque adeo leges physicæ, ut patet ex præmissa declaratione.

Prob. β) *reale ad idem individuum*. Quamdiu individuum aliquod in suo *esse* durat, eamdem servat ubique naturam. Ergo etiam iisdem ornatur proprietatibus vel viribus naturalibus ac tendentiis, nempe iisdem regitur legibus. Quod si leges eædem sunt in omnibus ejusdem speciei individuis, quamdiu in suo *esse* perseverant, ad easdem quoque semper operationes incitabunt, nam non sunt liberæ nec indifferentes, sed natura sua determinatæ ad operandum certo modo et gradu. Ergo nisi obstet impedimentum aliquod extrinsecum, vel si adsint omnes conditiones, secundum quas prædictæ leges natæ sunt operari, certum prorsus est, quod semper et ubique operabuntur eodem modo. Constantes ergo et universales sunt leges naturæ. Quare si qua lex naturæ, in sensu composito prærequisitorum omnium, constantia careret atque universalitate, reapse non esset lex: ac proinde supposita legis existentia, nullum re vera superesse potest dubium de illius universalitate et constantia, sed difficultas tota consistit in cognoscenda vera lege ope inductionis. Quemadmodum enim jam in *Logica* docuimus, cum Inductionem explicaremus, legis physicæ existentiam pronuntiare non licet, donec iteratis observationibus et experimentis constet phænomenum uniformis alicujus modi operandi, quod in individuis cujusvis speciei cernimus, in ipsa rei natura vel in naturalibus viribus proprietatibusque suam causam habere (1).

Prob. 2.º Si leges naturæ non forent universales et constantes, multa sequerentur eaque gravissima incommoda: α) Primo enim nullius rei naturam cognoscere possemus, non enim aliter intus latentes essentiæ nobis panduntur, nisi mediis viribus ac proprietatibus legibusque, quæ vicissim per uniformes et constantes operationes innotescunt. Unde vanus foret in homine naturalis appetitus cognoscendi naturas, vanæque omnes scientiarum inquisitiones. β) Miserrima foret hominis conditio super terram, si corporea natura,

(1) Recole, si lubet, dicta in *Logica Minori*, n. 170, pag. 158 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

quæ in ejus gratiam, ut superius vidimus, condita est, nullis stabilibus legibus regeretur. «Fac enim dubiam esse legum naturalium constantiam: jam nulla foret experientiæ utilitas, nulla providentia futuri, nullus in humanis actibus ac relationibus ordo; nullumque certum consilium, sive parandis, quæ vitæ necessaria sunt, sive arcendis, quæ noxia, sive remediis adhibendis; omnia plena dubitationis essent, plena terroris; hominumque societas consistere non posset» (1). γ) Hinc vero quis posset recte sentire de divina providentia sapientiaque? Ad sapientiam enim aptamque gubernationem pertinet, finem stabilem operi præstituere, mediaque apta procurare ad illum assequendum. Ubicumque autem in regni vel operis cujusvis administratione, aut finem certum, aut firmum et constantem ordinem ac directionem desiderari videmus, omniaque in horas mutari, statim aut insipientiam notamus, aut certe inconstantiam, levitatem vel impotentiam magistratus vel administri, qui nesciat finem excogitare, mediave rite ordinare, vel temere illa commutet, vel non possit illorum exsecutionem urgere. Jam vero finem a divina providentia mundo assignatum in præcedenti disputatione consideravimus, media autem ad illum assequendum naturis assignata, sunt vires ac proprietates tendentiæque naturales, quibus omnia mirifice conspirant ad mundanum hunc ordinem servandum. Ergo nefas est divinæque providentiæ ac sapientiæ injuriosum, inconstantiam vel ancipitem fluctuationem in legibus physicis suspicari.

Prob. 3.ª denique propositio, experientia et communi omnium et sapientium et indoctorum sensu. Nemo enim pene est, qui legem agnoscat in natura, et non constantem atque universalem existimet; et huic persuasioni tota ferme hominum vita practica innititur. Opinio vero adversariorum, aut negantium aut dubitantium de hac veritate, ex triplici errore derivari potest, vel ex eo quod denegentur causis secundis veræ activitates, naturis earum consentaneæ; vel ex eo quod omnis causalitas in mera phænomenorum successione absque ullo interno nexu inter antecedens et consequens reponatur; vel demum ex eo quod motivum assensus

(1) Tongiorgi, *Cosmolog.* n. 423.

in generalibus naturæ legibus scientiarumque principiis ex sensili experientia repetatur: qui omnes totidem sunt errores alibi profligati (1).

§ II.—AN ET QUOMODO SINT NECESARIÆ LEGES NATURÆ.

Status quæstionis.

106. Ex dictis hactenus colligitur aliquam inesse naturæ legibus necessitatem: nam constantia et universalitas rationem aliquam sufficientem habeat, necesse est; quæ cum nequeat esse aliquid ad utrumlibet indifferens et indeterminatum, ut per se patet, nec fortuitus aliquis casus, quippe qui stare nequit cum superius demonstrata finalitate causarum naturalium, omnino in aliqua necessitate sive intrinseca sive extrinseca reponenda est. Et nos quidem utramque hanc necessitatem nuper in ipsa legum constantia probanda agnovimus, et implicite asseruimus, cum rationem illius et ex interna legum conditione ac necessaria cum naturis rerum connexione, et ex divinæ providentiæ sapientiæque certitudine atque immutabilitate derivavimus. Ecce autem illud statim quærere occurrit, suntne leges naturæ ita necessariæ atque ineluctabiles, ut nihil in ulla prorsus hypothesi contra eas accidere queat? Affirmat Spinoza (2) et pantheistæ, quibus quidquid in rerum natura evenit, aliud non est, quam necessaria et fatalistica evolutio unius substantiæ divinæ. Affirmant etiam deistæ, materialistæ, rationalistæ ac revelatæ religionis osores, qui ex hoc capite firmissimum argumentum ad miraculorum veritatem possibilitatemque impugnandam repeti posse arbitrantur. Sententia tamen catholicorum omnium tenet, leges naturæ non ita necessarias esse, ut in nulla hypothesi quidpiam fieri contra ipsarum normam valeat: quæ nobis doctrina exponenda et pro viribus propugnanda est.

error pantheistarum aliorumque.

veritas catholica.

(1) Vide *Ontolog.* n. 387 seqq.; et n. 393 seqq.; *Logic. Major.* n. 210.

(2) *Tract. theolog. polit.* cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

107. PROPOSITIO 2.a **Leges physicæ hypothetice dumtaxat necessariæ sunt, necesse tamen absolute ac metaphysice non est conditiones, unde pendent leges istæ, semper apponi: quare neque absolute ac metaphysice impossibile est aliquid præter naturæ ordinem fieri, vel cursum naturæ aliquam pati quandoque exceptionem.**

Leges naturæ sunt hypothetice dumtaxat necessariæ.

Prima pars: *leges naturæ sunt hypothetice dumtaxat necessariæ*. Quæ ut probetur, duo evincere oportet. α) leges physicas pendere semper ab aliqua conditione: β) leges physicas positis iis, unde pendent conditionibus, necessarias prorsus esse.

α) Probatur primum horum. Nam leges executioni mandantur per consentaneas actiones, ope naturalium virium elicitas a causis secundis. Jam vero omnis creata causa requirit semper ad agendum certas aliquas conditiones vel prærequisita, de quibus fuse actum in *Ontologia* est (1). Leges ergo executioni mandari, seu operationes causarum naturalium ad normam legum fieri nequeunt, nisi suppositis quibusdam conditionibus: sic ignis v. g. comburere non potest, nisi materiam apte dispositam et convenienter applicatam habeat. Harum porro conditionum duplex est genus: quædam enim se tenent ex parte causæ primæ, nempe concursus divinus, sine quo metaphysice repugnat ullam creaturam operari, atque adeo leges naturæ executioni mandari, ut suo loco probandum erit. Reliquæ conditiones se tenent ex parte causarum secundarum, atque ab iisdem apponuntur. Cumque leges naturæ constantes esse dicuntur, supponitur semper servari omnes hujusmodi conditiones se tenentes ex parte secundarum causarum: nemo enim dixerit adesse in aliqua natura necessitatem et internam exigentiam certo modo operandi, v. g. in igne comburendi, nisi in sensu composito, ut ajunt, conditionum omnium naturaliter requisitarum. Cum ergo adhuc suppositis omnibus naturalibus prærequisitis, quæ ex parte causarum secundarum in actu primo proximo constituunt naturas ad agendum ad normam legum physicarum, requiratur præterea divinus concursus ad

(1) Vide n. 400 seqq. pag. 1152.

eas executioni mandandas, plane conficitur leges naturales, quantumvis constantes et universales sint, solum hypothetice necessarias esse relate ac actualem operationem et executionem. Quod erat primum in hac priori parte propositionis demonstrandum.

Probatur jam β) leges physicas positis iis, unde pendent, conditionibus necessarias prorsus esse. Et re quidem vera, hæc est indoles causarum necessarium, ut positis omnibus prærequisitis, nequeant non agere. Ergo si supponantur omnes conditiones ex parte causarum secundarum apponendæ, naturæ, quantum est de se, nequeunt non agere; et concursus etiam divinus aderit, saltem naturaliter loquendo, ac proinde leges executioni certissime mandabuntur. Deus enim dedit virtutes naturales causis secundis, ut agerent; et consequenter, nisi forte aliqua specialis ratio quandoque contrarium suadeat, vult quoque, ut agant pro suæ naturæ conditione: quare cum positis reliquis conditionibus ad agendum requisitis solus desiderari possit concursus divinus, dabit illum profecto gloriosus ac providentissimus Deus. Leges ergo naturæ in sensu composito conditionum ad agendum requisitarum, non possunt non executioni mandari, seu necessariæ sunt. Et hæc est radix constantiæ legum physicarum, quam superius demonstravimus.

Non est tamen absolute necessarium, conditiones, unde pendent leges, semper apponi.

Secunda pars: *non est absolute ac metaphysicæ necessarium, conditiones, unde pendent leges naturæ, semper apponi*. Et controversia solum potest versari circa conditiones se tenentes ex parte causæ primæ, nempe circa concursum divinum. Certum enim est conditiones naturales sæpissime non apponi, nec vero necessitas executionis vel constantia in legibus naturæ adest, ut jam modo innuimus, nisi suppositis omnibus ejusmodi prærequisitis, quæ si absint non solum non sequitur ulla operatio, verum ne potest quidem naturaliter sequi. Dubitatur ergo, utrum ubi appositæ manent naturales omnes conditiones, necesse sit *absolute* ac *metaphysice* concursum divinum adesse. *Absolute*, inquam, et *metaphysice*, nam *physice* ac *naturaliter* constat necessarium esse; cum enim causæ necessariæ inclinatæ sint ad agendum, ubicumque præsto adsunt prærequisita ex parte causarum naturalium secundarum apponenda, naturaliter exigunt, ut sibi offeratur

divinus concursus, quo solo jam egent ad operandum. Cumque Deus auctor omnis ordinis sit, non potest, saltem communiter loquendo, non velle pro sua providentia sapientiaque creaturarum suarum indigentiæ succurrere, ac naturalibus exigentiis, quas ipsemet indidit, satisfacere. Unde videmus etiam rem semper ita solere de facto fieri. Volumus ergo nunc probare id, quamvis ex communiter contingentibus ita sit, absolute tamen ac metaphysice necessarium non esse.

Non est absolute ac metaphysice necessarium, ut conditiones, unde pendent leges naturæ, de facto apponantur, si stantibus hisce legibus, potest Deus causis secundis denegare concursum ad operandum; vel non talem conferre, qualem ipsæ causæ secundæ naturaliter postulant. Atqui potest Deus stantibus hisce legibus concursum suum denegare, aut alium diversum ab eo, qui eisdem pro naturæ suæ conditione conveniret, præstare. Ergo...

Major patet ex terminis ipsis.

Minor probatur. α) Deus est summe independens in operando ab omni creatura. Atqui non foret summe independens, si ex eo quod creatura, ubi adsunt in promptu reliqua prærequisita, naturaliter postulet divinum concursum, non posset eum ullo modo denegare, vel alium præstare diversum ab eo, qui earum naturis competit. Ergo...

Præterea β) Deus pro ratione omnipotentiæ suæ potest facere, quidquid repugnantiam vel contradictionem non involvit. Atqui quod Deus neget concursum ad hoc, ut leges executioni mandentur per consentaneas operationes, nullam repugnantiam vel contradictionem involvit. Nam essentia causarum secundarum profecto non consistit in operatione, possuntque creaturæ esse, ac porro sunt sæpe, sine operatione, videlicet quotiescumque deest aliqua conditio naturalis necessaria ad operandum. Immo vero creaturam operari non est creaturam instructam esse omnibus naturalibus prærequisitis ad operandum; hæc enim omnia spectant ad actum primum proximum, ac tantum denominant creaturam potentem operari, non vero actu operantem. Præterea certum est concursum divinum esse aliquid diversum ab omnibus conditionibus ex parte causarum secundarum requisitis; ac certum pariter est absque divino concursu actualem operationem

creaturæ dari non posse. Ergo aliud est causam secundam esse suis legibus ornatam omnibusque conditionibus naturalibus ad operandum requisitis instructam, et aliud est ipsam actu operari. Ergo etiamsi Deus denegaret concursum, nihil contradictorium vel repugnans accideret, quia exinde solum sequeretur creaturam actu esse et exigere operari, actu tamen non operari, quorum certe alterum non est alterius negatio.

Simili modo si Deus causæ secundæ, naturaliter certam operationem vel certum gradum operationis postulanti, transeunter imprimeret aliam diversam virtutem, vel concursum præstaret ad diversam vel robustiorem operationem, v. g. manui hominis ad sustentandum ingens pondus mille chilogrammorum; quid, quæso, essentiis rerum repugnans vel contradictorium efficeret? An ideo manus hominis desineret esse id, quod est, quia virtus ejus augetur per potentiorem concursum Dei, quam natura sua postularet? Itemque si igni Deus retraheret concursum ad comburendum, simulque vel impressa illi transeunter diversa virtute, vel si mavis, per solum extrinsecum concursum eo uteretur non ad comburendum, sed ad refrigerandum, nihil absurdum aut repugnans fieret. Ubinam enim est contradictio? an quia ignis in ea hypothesi combureret simul et non combureret, vel refrigeraret simul et non refrigeraret? Atqui ignis tunc non *combureret*, licet *exigeret* naturaliter comburere, et non *exigeret* naturaliter *refrigerare*, quamvis de facto per virtutem non sibi propriam, sed ex indebito dono superadditam *refrigeraret*. An quia virtus refrigerandi naturam ignis destrueret? Verum in primis jam dixi, ut igne Deus uteretur ad refrigerandum, necesse non esse, ut eidem novam virtutem insereret naturali virtuti combustivæ contrariam, sed posse rem explicari per extrinsecum concursum, scilicet per actionem refrigerandi, quam solus Deus ad præsentiam et contactum ignis efficeret. Deinde non video, cur virtus refrigerandi transeunter impressa igni debeat *essentialiter* illum perimere. Nam non aliter profecto illum perimeret, nisi agendo in eum. Fac ergo Deum non concurrere cum illa virtute refrigerativa ad igem extingendum; et nihil poterit huic illa nocere. Sicut etiam poterunt ignis et aqua frigidissima sese

contingere, ac penitus incorrupta manere, scilicet si Deus mutuam inter eas naturas actionem, retrahendo concursum, impediat. In omnibus ergo his et infinitis aliis similibus casibus, qui fingi possunt, leges naturæ, ob defectum conditionis ex parte Dei requisitæ, executioni de facto non mandarentur.

Quod autem probatum est de legum per consentaneas operationes executione ope virium naturalium, probari similiter posset de ipsarum harum virium et proprietatum in suis naturis existentia. Si enim vires ac proprietates non dimanant a naturis propriis sine actione et concursu Dei, et sunt a naturis realiter distinctæ, productio et *esse* talium virium non est productio et *esse* ipsarum naturarum; poterit ergo Deus absolute loquendo absque repugnantia vel contradictione concursum suum ad *esse* ac productionem naturarum exhibere, ac negare ad virium ac proprietatum *esse* et productionem. Verum in hoc non tantopere insisto, nam sunt catholici Doctores, ut notavimus in *Ontologia*, qui negant naturas proprietatibus suis posse, etiam divinitus, spoliari: et controversia, cum de necessitate legum physicarum agitur, potissimum respicit executionem ipsarum per constantem et uniformem evolutionem cursus naturæ. Quæ cum ita sint, certum est id, quod in secunda parte propositionis probandum assumpsimus, videlicet non esse absolute ac metaphysice necessarium, ut conditiones, unde pendent naturæ leges, semper apponantur. Hinc sponte fluit tamquam corollarium.

Quare nec absolute impossibile est, aliquid præter naturæ ordinem fieri, aut leges naturæ aliquam interdum pati exceptionem.

Tertia pars propositionis: *absolute ac metaphysice impossibile non est aliquid præter naturæ ordinem fieri, cursumve naturæ aliquam interdum pati exceptionem.* Nam cursus naturæ consistit in legum executione, id est in uniformi serie operationum ad normam et exigentiam legum. Si ergo cursus iste essentialiter requirit consentaneum interventum et concursum causæ primæ, hic vero interventus et concursus potest aliquando, si sermo sit de absoluta et metaphysica possibilitate, deficere, quemadmodum declaratum et probatum manet, cursus naturæ talis non est, qui nequeat quandoque aliquam exceptionem pati. Eatenus porro naturæ cursus exceptionem patitur, quatenus aliquid fit præter ordinem naturæ, quippe qui ea causarum naturalium ad suos effectus

habitudine continetur, quam leges physicæ præ se fuerunt.— Et hactenus de legumna turalium necessitate, quam ego controversiam summi momenti judico ad miraculorum tuendam veritatem.

108. **Objicies 1.°** Propositio hæc reapse constantiam et universalitatem legum physicarum pessumdat; et consequenter omnem naturalem certitudinem eripit. Si enim leges absoluta necessitate non gaudeant: ergo exceptiones pati possunt. Quod autem exceptiones pati potest, profecto nec universale nec constans dici meretur. Inde porro fit posse nos dubitare, aut saltem nescire cum certitudine, num servandus sit in posterum naturæ cursus, donec quid de facto contingat, ipsi experiamur (1).

Resp. *neg.* assert.

Ad probation. *dist.* Major. Si leges naturæ non gaudent absoluta necessitate, exceptiones pati possunt raro et præter naturæ ordinem et ob rationem dignam, *conc.*: sæpe et indifferenter et absque ratione gravi, *subdist.*: si sola spectaretur absoluta et metaphysica rei possibilitas, *trans.*, si ratio habeatur ordinis naturæ ac divinæ sapientiæ providentiæque, *neg.*

Et *contradist.* Minor. Quod pati potest plerumque et indifferenter et absque ulla ratione exceptiones, nec universale nec constans dici meretur, *conc.*; quod raro et præter naturæ ordinem atque ob rationem gravem, *subdist.*; non meretur dici universale nec constans universalitate et constantia naturali, *neg.* metaphysica et omni prorsus exceptioni repugnante, *conc.*

Quod vero infertur in probatione de dubio vel certitudinis defectu circa naturæ cursum, *dist.* per partes. Ex præjacta doctrina sequitur posse nos prudenter dubitare, utrum hic et in singulis casibus lex naturæ servanda sit, *neg.*; imprudenter, *trans.* Prudens enim non est dubitare, ubi nullum cernitur vel leviter probabile periculum exceptionis, etiamsi

(1) Ita fere objiciunt contra miracula Kantius (*La Religion considérée dans les limites de la Raison*, II, sect. 2.ª). Feuerbarch et Froschamer (apud cl. Hettinger, Op. et loc. cit., paragr. 22 fin.) Huc etiam revocatur unum ex argumentis, quæ objicit Petrus Larousse in suo impio *Dictionario*, ad vocem *Miracle*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

posset absolute loquendo exceptio dari. Ubi autem adest naturalis exigentia certi alicujus modi operandi, ita ut exceptio solum a Deo fieri valeat, qui non potest profecto spectata sua sapientia et providentia naturæ ordinem absque gravi ratione invertere ac perturbare; quamdiu nulla appareat ratio exceptionis, manifestum est nullum cerni periculum vel leviter probabile.

Distinguo pariter alteram partem illati. Non possemus scire cum certitudine, num servandus sit in posterum naturæ cursus generaliter loquendo, *neg.* Nam spectata Dei sapientia certum est metaphysice ordinem et communem naturæ modum operandi non mutatum iri. Non possemus scire cum certitudine pro singulis casibus particularibus, num servandus sit naturæ cursus; *subdist.*: cum certitudine metaphysica, *conc.*; cum vera certitudine physica omnem prudentem formidinem excludente, *neg.* Resque tota patet tum ex modo dictis in probationibus, tum ex iis, quæ de physica certitudine disputata sunt in *Logica Majori* (1).

Objic. 2.° *Deus, conditor et creator omnium naturarum, nihil contra naturam facit*, ut scribit S. Augustinus (2). Sed quod est præter ordinem naturaliter rebus inditum atque adeo contra leges, contra naturam est. Ergo impossibile est, ut aliquid unquam, etiam spectata divina omnipotentia, præter ordinem naturæ fiat (3).

Resp. *dist.* Major. Deus nihil facit contra naturam, id est contra particulares et specificas inclinationes rebus impressas, *neg.*; contra communem et universalissimam habitudinem plenissimæ dependentiæ ac subjectionis ad suum auctorem, sive in essendo sive in operando, quæ rebus cunctis essentialis est, *conc.*

Et *contradist.* Minor. *neg.* conseq. Natura enim quamquam suas habeat naturales propensiones ad proprios effectus modumque convenientem operandi, Dei tamen dominio ac dispositioni subjecta penitus est. Hæc enim est suprema

(1) Vide n. 64 seqq., pag. 499 seqq.

(2) *Contr. Faustum.* lib. 26, cap. 3, ante med.

(3) Cfr. apud S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 6, arg. 1; *de Potent.* quæst. 6, art. 1, arg. 1.°

lex totius creationis, nihil posse esse vel operari nisi ad nutum et cum concursu et interventu Dei: quare propensiones, quas cernimus in natura, si rem intime perpendamus, revera non sunt, nec possunt esse absolutæ respectu Dei, sed conditionatæ; quia cum essentialiter dependeant a conditione divini interventus, non exigunt expleri assequendo de facto suos naturales terminos, nisi supposito quod Deo placuerit concurrere, vel non obstare. In hoc ergo sensu quidquid fiat præter ordinem naturæ, quamvis sit contra particulares inclinationes, potest dici non esse contra naturam, intelligendo hac voce habitudinem illam dependentiæ ac subjectionis essentialem, quæ rebus inest respectu Dei, sive in essendo, sive in operando pro arbitrio æternæ sapientiæ. Et ideo idemmet S. Augustinus ibidem rationem hanc reddit, cur Deus nihil contra naturam faciat, quia *id est cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus numerus et ordo naturæ.* Et hæc potissimum dicta sint ad mentem M. Augustini declarandam tuendamque: fateor tamen naturam non solere communiter in ea significatione sumi, ac proinde secundum usitatissimam vocis acceptionem, posse similiter dici Deum agere contra naturam (1). Verum plura de his inferius.

Dices 1.° Si Deus aliquid contra naturam particularem faceret, etiam contra essentiam faceret; nam essentia idem est, ac natura. Atqui solemne est axioma in Philosophia nihil posse contra rerum essentias fieri vel ab ipso Deo. Ergo. **Resp.** *neg.* Major. Probation. *dist.* Essentia idem est re cum natura, *conc.*: ratione, *neg.* Nam essentia dicitur de primo *esse* rei absolute et in se considerato; natura vero de *esse* primo rei relate ad operationem. Atque hæc sola distinctio sufficit, ut aliud significet apud Philosophos esse aliquid *contra essentiam*, et esse *contra naturam*. Contra essentiam rei intelligitur id, quod primo *esse* rei repugnat. Et quia primum *esse* rei, dum res ipsa permanet, immutabile est, nihil potest fieri contra essentiam rei, scilicet ipsa re permanente; secus enim essentia mutaretur, atque adeo simul esset et non

Non est idem aliquid esse contra essentiam, atque contra naturam rei;

(1) Cfr. etiam, quæ in hanc rem scribit S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 6, corp. et ad 1.um; *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 1.um

esset: esset, quia supponitur res permanere; et non esset, quia res non potest esse sine sua essentia. Hoc pacto Deus nequit facere hominem irrationalem vel circulum quadratum. At contra naturam rei intelligitur esse id, quod repugnat modo consentaneo essendi et operandi rei: et hoc modo spoliari v. g. rem suis proprietatibus vel non sinere illam operari, cum adsunt omnia prærequisita naturalia, vel facere ut aliter operetur, ac ipsi secundum gradum essentiæ suæ convenit, dicitur esse contra naturam. Jam vero supposita reali distinctione essentiæ a suis proprietatibus: licet res privaretur illis, posset adhuc essentiam suam retinere; et similiter, licet impediretur operari suo modo consentaneo. Ergo non ideo, quia aliquid est, vel fit contra naturam, est, vel fit etiam contra essentiam, ex communi usu loquendi: ac propterea alterum prorsus repugnat, primum non absolute ac metaphysice repugnat, sed solum physice; quia nempe nulla est vis creata in natura, quæ possit naturalem modum causarum secundarum, ubi adsunt omnia prærequisita, impedire; sed solum Deus. Eodem modo distinguuntur quoque ex communi sensu *essentiale* et *naturale*.

nec idem prorsus valet essentiale ac naturale.

Dices 2.° Si Deus contra naturam etiam modo prædicto ageret, naturæ vim inferret, itemque naturæ jura violaret. Atqui id certe contra divinam bonitatem ac justitiam videtur esse.—**Resp.** *neg.* Minor. Relate ad primum eorum, quæ objiciuntur, controvertitur inter DD. Catholicos, possitne Deus vim afferre creaturæ; qua de re inferius agendum erit, ubi de naturali et violento (1). Quod vero spectat naturalium jurium violationem, negandum prorsus est assertum. Quia natura nullum jus strictum habet erga Deum, nec Deus erga naturam proprie obligatur. Quando natura ex sua conditione connectitur cum certa aliqua forma vel operatione, dicitur exigere, ac postulare illam. Verum quia exigentia hujusmodi data est a Deo, et insuper expleri nequit sine ulteriori operatione ac dono tali naturæ collato, non se habet instar juris activi, ut ita dicam, in illa existentis adversus Deum, sed instar indigentiæ naturalis supplendæ ab universali Parente ac Provisore omnium rerum. Quare hujusmodi exigentia est

Utrum Deus vim naturæ inferre dici possit; et utrum natura jus pro, rium habeat erga Deum.

(1) Lib. 2; disp. 1, cap. 4, art. 3.

quidem ratio objectiva, cur Deus, qui sic naturam creavit, ulterius operetur conferendo ea, quæ necessaria sunt ad satis eidem faciendum; obligare tamen ipsa sola non potest Deum, qui Dominus est omnium, et naturales hujusmodi appetitus rebus largitur explendos vel non explendos in aliquo casu particulari pro æternæ sapientiæ bonitatisque consilio. Quod si Deus tenetur communiter agere secundum leges et exigentias naturales, non est quia debeat quidpiam ipsi naturæ, sed quia debet sibi ipsi, nimirum quia id decet æternam sanpientiam, et quia ita decrevit agere, salvis exceptionibus quibusdam in generalibus legibus aliquando apponendis ad ostensionem gloriæ suæ.

Objic. 3.° Si quid contra ordinem naturæ fieret, leges mutarentur. Atqui leges sunt immutabiles: nam fluunt necessario ex essentiis rerum, quas immutabiles esse solet in *Ontologia* ostendi.

Resp. *neg.* Major. Num ex eo quod aliquando cursus naturæ non servetur, nequit inferri leges ipsas in sese mutari, sed tantum quod exceptionem patiantur. Apposite S. Thomas: *Licet Deus faciat aliquem effectum præter actionem causæ naturalis, non tamen tollit ordinem causæ ad suum effectum: unde et in igne fornacis* (babylonicæ) *remanebat ordo ad comburendum, licet non combureret tres pueros in camino* (1). Si autem sermo sit de legum executione, ex eo quod aliquando cursus naturæ non servetur, nequit inferri leges ipsas mutari, sed tantum exceptionem in casu particulari pati.

Objic. 4.° «Sicut ordo humanæ justitiæ derivatur a divina justitia, ita ordo naturæ derivatur a divina sapientia, ipsa enim est, quæ disponit omnia suaviter. Sed contra ordinem humanæ justitiæ Deus facere non potest; sic enim esset causa peccati, quod solum ordini justitiæ repugnat. Cum ergo non minor sit Dei sapientia, quam ejus justitia, videtur quod nec contra ordinem naturæ facere possit» (2).

Resp. *Licet Deus possit facere contra ordinem, qui est unius creaturæ ad aliam, quod est quasi naturæ particularis respectu*

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 20.^m

(2) Apud S. Thom., *de Potent.*, quæst. 6, art. 1, arg. 3. Cfr. 1 p. quæst. 105, art. 6, arg. 2.

ipsius; non tamen potest facere contra ordinem creaturæ ad seipsum. Justitia autem hominis consistit principaliter in debito ordine hominis ad Deum. Unde contra ordinem justitiæ Deus facere non potest. Cursus autem naturæ est secundum ordinem unius creaturæ ad aliam; et ideo contra cursum naturæ Deus facere potest (1).

Objic. 5.° Cursus naturæ spectat ad bonum universi. Sed Deus non potest facere contra bonum universi; quia ex sua bonitate summa provenit, quod omnia sint valde bona secundum ordinem universi. Ergo Deus non potest facere contra cursum rerum naturalium (2).

Resp. *Deus faciendo præter cursum naturæ non removet* totum *ordinem universi, in quo consistit bonum ipsius, sed ordinem* alicujus particularis causæ *ad suum effectum* (3).

Objic. 6.° Quod est contra naturam, inordinatum est. Sed Deus nihil inordinatum facere potest. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Id est, non est ordinatum secundum particularem naturam, *conc.*; nullum prorsus ordinem habet, *neg.* Nam Deus quotiescumque præter ordinem naturæ operatur, exceptionem ad altiorem ordinem dirigit, quemadmodum agendo de finali causa miraculorum declarabitur.

Objic. 7.° Dedecet ens infinite sapiens, ut leges faciat, quas deinceps violet. Nam id ostenderet eas ad suum finem perfectas non esse, ideoque correctione indigere, idque Deum ab initio non prævidisse, vel certe mutasse suum consilium relate ad earumdem executionem: quæ omnia prorsus nefas est cogitare.

Resp. *neg.* assert. et probationem. Etenim leges naturæ ineptæ non sunt, sed aptissimæ sufficientissmæque ad finem suum assequendum. Verum quia Deus æterno providentiæ bonitatisque suæ consilio, præter naturales fines rerum ad universalem mundi ordinem conservandum directos, potuit alios quoque intendere ad majorem suam gloriam majusque bonum rationalis creaturæ; potuit quoque ad horum altiorum finium assecutionem inter alia media suspensionem

(1) S. Thom., *de Potent.*, loc. cit. ad 3.um Cfr. 1 p., quæst. 105, art. 6 ad 2.um

(2) Vide apud S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1, arg. 7.

(3) S. Thom. ibid. ad 7.um

physicarum legum exceptionemque naturalis cursus identidem factam ordinare. Et ita re vera Deum aliquando egisse, ex certissimis historiis compertum est. Suspensio ergo legum naturalium in casu aliquo particulari nullatenus probat eas imperfectas esse, aut correctione indigere. Multoque minus argueret Deum aut suspensionem aliquando faciendam non prævidisse, aut mutasse unquam consilium. Ipse namque simul æterno sapientiæ suæ decreto et leges toti naturæ constanter servandas præscripsit, et exceptiones, cum opportunissimum foret, faciendas assignavit. Apposite Aquinas: *Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat* (1).

Verum plura de his inferius, ubi de miraculorum possibilitate. Vide interea, si lubet, S. Thomam (2).

CAPUT II.

DE MIRACULIS.

Controversia hæc, quantumvis theologica, non tamen aliena est a Philosophia, nec prætermittenda nobis in hoc loco. Primo enim intime conserta est cum iis, quæ de naturæ legibus modo disputavimus; ac supposita veritate revelatæ religionis, quidquid ad naturam miraculorum pertinet, fere potest naturali lumine rationis demonstrari. Aliunde vero quæ rationalistæ ac generatim acatholici scriptores hac in re blasphemantes effutiunt, necessariam prorsus reddunt tractationem; vix enim alia est quæstio, in qua revelatæ doctrinæ osores suam miserabilius prodant ignorantiam, impietatem ac malam fidem: ignorantiam quidem, quia tota ferme illorum ratiocinatio vitiari solet eo sophismate, quod Logici

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 6.um Cfr. *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 98.

(2) *De Potent.*, quæst. 6, art. 1; 1 p., quæst. 105, art. 6.

ipsius; non tamen potest facere contra ordinem creaturæ ad seipsum. Justitia autem hominis consistit principaliter in debito ordine hominis ad Deum. Unde contra ordinem justitiæ Deus facere non potest. Cursus autem naturæ est secundum ordinem unius creaturæ ad aliam; et ideo contra cursum naturæ Deus facere potest (1).

Objic. 5.° Cursus naturæ spectat ad bonum universi. Sed Deus non potest facere contra bonum universi; quia ex sua bonitate summa provenit, quod omnia sint valde bona secundum ordinem universi. Ergo Deus non potest facere contra cursum rerum naturalium (2).

Resp. *Deus faciendo præter cursum naturæ non removet* totum *ordinem universi, in quo consistit bonum ipsius, sed ordinem* alicujus particularis causæ *ad suum effectum* (3).

Objic. 6.° Quod est contra naturam, inordinatum est. Sed Deus nihil inordinatum facere potest. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Id est, non est ordinatum secundum particularem naturam, *conc.*; nullum prorsus ordinem habet, *neg.* Nam Deus quotiescumque præter ordinem naturæ operatur, exceptionem ad altiorem ordinem dirigit, quemadmodum agendo de finali causa miraculorum declarabitur.

Objic. 7.° Dedecet ens infinite sapiens, ut leges faciat, quas deinceps violet. Nam id ostenderet eas ad suum finem perfectas non esse, ideoque correctione indigere, idque Deum ab initio non prævidisse, vel certe mutasse suum consilium relate ad earumdem executionem: quæ omnia prorsus nefas est cogitare.

Resp. *neg.* assert. et probationem. Etenim leges naturæ ineptæ non sunt, sed aptissimæ sufficientissmæque ad finem suum assequendum. Verum quia Deus æterno providentiæ bonitatisque suæ consilio, præter naturales fines rerum ad universalem mundi ordinem conservandum directos, potuit alios quoque intendere ad majorem suam gloriam majusque bonum rationalis creaturæ; potuit quoque ad horum altiorum finium assecutionem inter alia media suspensionem

(1) S. Thom., *de Potent.*, loc. cit. ad 3.um Cfr. 1 p., quæst. 105, art. 6 ad 2.um

(2) Vide apud S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1, arg. 7.

(3) S. Thom. ibid. ad 7.um

physicarum legum exceptionemque naturalis cursus identidem factam ordinare. Et ita re vera Deum aliquando egisse, ex certissimis historiis compertum est. Suspensio ergo legum naturalium in casu aliquo particulari nullatenus probat eas imperfectas esse, aut correctione indigere. Multoque minus argueret Deum aut suspensionem aliquando faciendam non prævidisse, aut mutasse unquam consilium. Ipse namque simul æterno sapientiæ suæ decreto et leges toti naturæ constanter servandas præscripsit, et exceptiones, cum opportunissimum foret, faciendas assignavit. Apposite Aquinas: *Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat* (1).

Verum plura de his inferius, ubi de miraculorum possibilitate. Vide interea, si lubet, S. Thomam (2).

CAPUT II.

DE MIRACULIS.

Controversia hæc, quantumvis theologica, non tamen aliena est a Philosophia, nec prætermittenda nobis in hoc loco. Primo enim intime conserta est cum iis, quæ de naturæ legibus modo disputavimus; ac supposita veritate revelatæ religionis, quidquid ad naturam miraculorum pertinet, fere potest naturali lumine rationis demonstrari. Aliunde vero quæ rationalistæ ac generatim acatholici scriptores hac in re blasphemantes effutiunt, necessariam prorsus reddunt tractationem; vix enim alia est quæstio, in qua revelatæ doctrinæ osores suam miserabilius prodant ignorantiam, impietatem ac malam fidem: ignorantiam quidem, quia tota ferme illorum ratiocinatio vitiari solet eo sophismate, quod Logici

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 6.um Cfr. *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 98.

(2) *De Potent.*, quæst. 6, art. 1; 1 p., quæst. 105, art. 6.

dicunt *ignorationem elenchi*; impietatem, quia præclarissimum divinæ potentiæ bonitatisque opus blasphemantes impugnant; malam denique fidem, quia innumeros de hoc argumento sapientissime conscriptos libros contemnunt, objectaque veterum sexcenties diluta et pene protrita, iterum iterumque proponere non erubescunt.

ARTICULUS I.

Germana miraculi notio declaratur.

Exclusa latiori et impropria miraculi acceptione,

109. Solet quandoque nomen miraculi latius extendi ad ea opera significanda, quæ in proprio et apud sapientes usitato sensu miracula non sunt, nec in controversiam adducuntur, quando de miraculi possibilitate vel existentia disputatur. Hoc pacto quivis effectus insolitus a causa occulta vel certe modo nobis ignoto procedens miraculum dicitur; alias vero isto nomine significantur ea opera, quæ causam quidem notam habent, modo tamen exquisitiori fiunt atque adeo admirationem intuentium extorquent: talia sunt quæ *miracula artis* appellant. Verum hæc aliaque id genus *mira* quidem esse possunt, sed miraculi nomen nullatenus merentur; si enim vera forent miracula, frustra tam acriter disputaretur inter catholicos et acatholicos scriptores de miraculorum possibilitate. Enimvero quis est, qui non agnoscat *miracula artis*, vel generatim effectus, quorum aut causæ aut modus efficientiæ nos latet? Aliqua ergo alia res significatur sub nomine miraculi, a qua tantopere abhorrent rationalistæ, quam toto animi conatu et ineluctabili argumentorum pondere propugnant catholici Doctores, et nos quoque pro viribus, divina aspirante gratia, declarandam ac tuendam suscipimus. Omissa itaque vulgari et impropria descriptione, quæ verum miraculum minime demonstrat, classicam et scientificam inquiramus.

germana notio traditur;

110. PROPOSITIO. **Miraculum est opus sensibile divinitus factum superans ordinem totius naturæ creatæ.**

declaratur,

Hæc est definitio communis inter scriptores catholicos secundum Angelici doctrinam, qui: *Miracula*, inquit, *simpliciter loquendo dicuntur... cum aliqua fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ* (1). Probatur autem simul et explicatur.

Miraculum in primis dicitur *opus sensibile*, quia ut mox agendo de fine miraculi magis explicabitur, patratur a Deo, ut aliquid homini significet; ac proinde notum illi fieri possit, oportet. Atqui homini miraculum innotescere nequit, nisi aliquo modo sensibile sit. Cæterum necesse non est, ut miraculum sit opus in seipso sensibile, sed satis est, ut ex effectibus sensibile reddatur. Sic miraculosa dici potuit scientia Apostolorum divinitus infusa, quia *quamvis secundum se non fuerit manifesta, manifestabatur tamen in effectibus, ex quibus mirabilis apparebat* (2).

Deinde additur in definitione: *divinitus factum*, quia licet omnia opera etiam naturalia causarum secundarum Deus faciat, miraculum tamen cum sit præter ordinem totius naturæ creatæ, atque adeo a solo Deo efficiatur, ut mox probandum erit, speciali ratione opus divinum dici meretur (3).

Tertio miraculum dicitur *superare ordinem totius naturæ creatæ*, vel esse *præter ordinem naturalem creaturis indilum*, quemadmodum loquitur S. Thomas (4).

Nempe miraculum est opus aliquod supernaturale: idque significat ad rationem miraculi requiri, ut opus fiat diverso vel contrario modo, ac natum est fieri, spectata indole et exigentia naturæ. Quare *nec requiritur, nec sufficit* ad rationem miraculi generatim sumpti, ut non sint in natura vires aptæ ad effectum illum producendum. *Non requiritur*, quia quamvis adsint vires in natura, si tamen actu hic et nunc vel omnino non adhibeantur, vel adhibeantur insolito modo, verissime effectus præter naturæ ordinem erit; ut v. g. si combustio fiat vel in materia non combustibili, vel non

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 110, art. 4 in corp. Cfr. ibid ad 2.^um et 4.^um; *Compend. theolog.* cap. 130; 1 p. quæst. 104, art. 4; quæst. 105, art. 7; lib. 3.^o *Contr. Gent.* cap. 101; *De Potent.* quæst. 6, art. 2.

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 105, art. 7, ad 3.^um

(3) Cfr. S. Thom. *de Potent.* quæst. 6, art. 2; 1 p. quæst. 110, art. 4.

(4) 1 p. quæst. 110, art. 4, corp. et ad 2.^um et 4.^um; quæst. 114, art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

applicato igne aliave causa naturali, vel applicato ad justo longiorem distantiam, vel demum quin materia flammis absumatur. *Non sufficit*, quia quamvis nullæ sint in natura vires effectui edendo pares, si tamen ille producatur eo modo, quo solet ex natura et indole ipsius produci, quantumvis superet vires creatas, nequit tamen dici superare ordinem naturæ: quare creatio animæ rationalis, quidquid in contrarium dicere potuerit Leibnitzius (1) aliique, quamvis solius Dei propria est, si tamen peragatur mediante ordinario modo generationis humanæ, miraculosa non est, quia illa est via naturalis ad rationalis animæ productionem: et similiter loquendum est de impii justificatione, si mediis ordinariis fieret (2), esset autem miraculosa si fieret extra solitum ordinem (3). Ad rationem ergo miraculi dicitur requiri, ut sit eventus supra vel præter universum ordinem naturalem, ideoque a solito naturæ cursu devians, vel quia res ipsa est supra vires et solitum morem naturæ, vel quia fit non ab illis causis vel certe non eo modo, quo natum est fieri, ut magis patebit, cum varii modi ac species miraculorum declarabuntur.

et probatur

Id porro probatur, quia ut superius innuebamus, ea est germana miraculi ratio, quam omnes communissime semper intellexerunt, et adversarii cum irriderent atque impugnarent, et patroni cum illius realitatem tuerentur. Atqui ejusmodi ratio præsertim in eo sita est, quod miraculum superet ordinem totius naturæ creatæ. Et re quidem vera certum est hanc semper præcipuam in Theologia et Philosophia circa miracula controversiam agitari, utrum possibilia sint. Jam vero nisi miraculum superet naturæ ordinem modo jam explicato, sed intra ordinem naturalem, exigentiam potentiamque sive activam sive passivam contineatur; ne

(1) *Theodic*, paragr. 249.

(2) *Creatio*, inquit Angelicus, *et justificatio impii, etsi a solo Deo fiant, non tamen propriæ loquendo miracula dicuntur; quia* non sunt nata fieri per alias causas; *et ita præter ordinem naturæ non contingunt, cum hæc ad ordinem naturæ non pertineant.* 1 p., quæst. 105, art. 7 ad 1.um Cfr. *de Potent.* quæst. 6, art. 2 ad 5.um et 6.um; 2.° dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 1.um; 1. 2. quæst. 13, art. 10.

(3) Cfr. S. Thom. 2.° dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 2.um

minimum quidem dubium restare potest de miraculi possibilitate. Quod enim sint in natura effectus naturales vere mirabiles et stupendi, quorum causæ penitus latent, nemo sanus negaverit. Ergo nomine miraculi, non effectus aliquos naturales, quantumvis mirabiles et insolitos, nec etiam effectus, quorum ratio præscindat ab hoc, quod sint secundum naturam vel præter naturam, intelligere oportet, sed effectus præter omnem naturæ modum et ordinem productos.

Idem præterea probari potest ex ipso vocis etymo cum S. Thoma. Etenim miraculum, a verbo *miror*, est opus admiratione plenum, seu eximia quadam ratione mirabile. Atqui opus speciali et insigni modo mirabile est, non quidem illud, ad quod ponendum est in ipsa dispositio et causa, quamvis nobis ob nostram ignorantiam occulta, sed illud, ad quod non est in ipsa natura dispositio nec causa, sed contrarius ordo; tunc enim vere causa illius non solum respective, sed etiam absolute occultissima est, saltem ratione modi operandi, nempe Deus, qui in omnibus secretissime operatur. Ergo illa sola proprie dicenda sunt miracula, quæ superant ordinem totius naturæ creatæ, vel sunt præter ordinem naturalem creaturis inditum: quæ vero non superant omnem naturæ ordinem, quantumvis causa eorum naturalis ignoretur, *mira* quidem dici poterunt, vel etiam miracula *quoad nos* et *secundum quid*, non tamen *simpliciter* et *secundum se* (1).

Præclare totam hanc miraculi definitionem probat et illustrat Doctor Angelicus: *Respondeo dicendum, quod miraculi nomen a mirando est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt, ut potest accipi ex verbis Philosophi in principio Metaph.* (lib. 1, cap. 2, *circa med.*): *quorum unum est, quod causa illius, quod admiramur, sit occulta: secundum est, quod in eo, quod miramur, appareat aliquid, per quod videatur contrarium ejus debere esse, quod miramur; sicut aliquis posset*

(1) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 105, art. 7; *de Potent.* quæst. 6, art. 2; *Cont. Gent.* lib. 3, cap. 101; 2.° dist. 17, quæst. 1, art. 3; *Compend. Theol.* cap. 136. Cfr. Suarez, *de Angelis*, lib. 4, cap. 30, n. 8.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
BIBLIOTECA GENERAL DE HUMANIDADES

mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam, ignorans calamitæ virtutem, cum videatur quod ferrum naturali motu debeat tendere deorsum. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo secundum se; alio modo quoad nos. Quoad nos quidem, quando causa effectus, quam miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic vel illi; nec in re, quam miramur est dispositio repugnans effectui, quem miramur secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis: et ex hoc contingit, quod id, quod est uni mirum vel admirabile, non est mirum vel admirabile alteri, sicut sciens virtutem calamitæ per doctrinam vel per experimentum, non miratur prædictum effectum; ignorans autem miratur. Secundum se autem aliquid est mirum vel admirabile, cujus causa simpliciter est occulta, et quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet; et ista non solum possunt dici mira in actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima et remotissima a nostris sensibus est divina, quæ in rebus omnibus secretissime operatur, et ideo illa, quæ sola virtute divina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula; ea vero, quæ natura facit, nobis tamen vel alicui nostrum occulta, vel etiam quæ Deus facit, nec aliter nata sunt fieri nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira vel mirabilia. Et ideo in definitione miraculi ponitur aliquid, quod excedit naturæ ordinem, in hoc quod dicitur **supra facultatem naturæ**, *cui ex parte rei mirabilis respondet, quod dicitur* **arduum**. *Et ponitur etiam aliquid, quod excedit nostram cognitionem in hoc quod dicitur* **præter spem admirantis apparens**; *cui ex parte rei mirabilis respondet, quod dicitur insolitum. Nam per consuetudinem aliquid in nostram notitiam familiarius venit* (1).

Discrimen miraculi a signis, virtutibus, portentis ac prodigiis.

Hactenus de natura miraculi: quod vero diversa ejus nomina spectat, vocatur etiam *signum, virtus, portentum*, et *prodigium*: quarum appellationum hanc reddit rationem Angelicus Doctor: *In miraculis duo possunt attendi. Unum quidem est id, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturæ: et secundum hoc miracula dicuntur* **virtutes**. *Aliud est id, propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale: et secundum hoc communiter dicuntur* signa; *propter excellentiam autem dicuntur* portenta *vel* prodigia, *quasi procul aliquid ostendentia* (1). Alibi tamen idem S. Doctor innuit signa et prodigia dari posse, quæ non sint veri nominis miracula (2).

(1) S. Thom. *de Potent.* quæst. 6, art. 2. Cfr. loca nuper citata.

Ex præjacta porro miraculi notione, facile distingues miraculum verum ab effectu *miro*, a *præstigio* et ab *opere magico*. A miro quidem effectu, quia miracula sunt contra vel præter ordinem naturæ, sive superent, sive non superent vires naturæ, quoad ipsam facti substantiam. Mirus autem effectus non postulat esse præter naturæ ordinem, sed satis habet, si a causa occulta et ignota procedat, quamvis ea naturalis sit. Præstigium non est, nisi mera illusio per immutationem ab aliquo agente intelligente et invisibili effecta in organis sive sensuum exteriorum sive imaginationis, ut aliter res aliqua appareat, ac est in se: unde etiam dictum est præstigium *ex eo, quod oculi hominum perstringuntur*, inquit S. Thomas. Magia demum est ars mira patrandi sive per occultas vires naturæ, sive per occultam industriam sive ex dæmonis interventu: quare opus magicum nihil in se continet, quod re vera superet ordinem totius naturæ creatæ. Verum adversus allatam miraculi notionem.

item que a miro effectu, præstigiis et opere magico.

Objicies 1.° Magis mirum est, quod aliquid fiat a minus potente, quam a potentiori. Sed Deus est potentior, quam natura. Ergo si id quod natura operatur, non dicitur esse miraculum, v. g. sanatio alicujus febris, multo minus miraculum dici poterit, si illud Deus faciat.

Resp. *dist.* conseq. Si Deus illud faciat vires et modum naturalem adhibendo, *conc.*; secus *neg.* Ea enim quæ fiunt a natura, fiunt etiam a Deo; sed ea quæ Deus miraculose facit, non fiunt a natura: et ideo ratio non procedit. Et præterea natura operans est causa manifesta nobis, Deus autem est causa occulta; et propter hoc magis miramur opera Dei, quam opera naturæ (3).

(1) S. Thom. 2. 2. quæst. 178, art. 1 ad 3.um

(2) S. Thom. *de Potent.* quæst. 6, art. 5, ad 1.um Cfr. ib. corpus articuli.

(3) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 2 ad 7.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Objicies 2.° Monstra quoque fiunt contra naturam, nec tamen dicuntur miracula. Ergo non omnia, quæ contra naturam fiunt, miracula dicenda sunt.

Resp. *dist.* Monstra fiunt contra naturam universalem, seu contra omnem ordinem naturæ, *neg.*; contra naturam particularem, *conc.* Nam licet monstra sint contra ordinem et exigentiam causæ efficientis; tamen spectatis his adjunctis naturalibus aliarum causarum, quæ impediunt, ne causa efficiens debito modo operetur, non possunt non fieri; ac proinde ratione habita omnium causarum et adjuctorum ad efficientiam quomodolibet concurrentium monstra reapse naturalissima sunt. Et propterea diximus ad rationem miraculi requiri, ut superet ordinem totius naturæ creatæ, non autem hujus vel alterius particularis naturæ. Non *sufficit*, inquit S. Thomas, *ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis, quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ* (1).

Objic. 3.° Miraculum ex doctrina S. Augustini debet esse aliquid *arduum et insolitum, supra facultatem naturæ, et præter spem admirantis apparens* (2). Atqui secundum allatam a nobis explicationem miraculum non est necessario ejusmodi. Nam *præter vel supra naturæ ordinem* fieri in primis possunt quædam, quæ *ardua non sunt*, sed valde levia, ut patet v. g. in sanatione febriculæ, vel in sustentatione lapidis in aëre absque fulcro, hæc enim sunt opera, quæ facillime per causas naturales fieri possunt. Deinde si ad miraculum satis est, ut sit supra naturam; ergo non necessario requiritur, ut raro fiat seu *insolitum* sit; et ita de facto frequenter evenisse miracula constat ex historiis, ut cum infirmi in plateis ponebantur, ut ad umbram S. Petri prætereuntis sanarentur (3). Item si miraculum est præter ordinem dumtaxat, non præcise requiritur, ut sit *supra facultatem* vel potentiam ac vires naturæ;

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 110, art. 4. Cfr. *de Potent.*, quæst 6, art. 2 ad 8.um

(2) Vide S. August. *de Utilitate credendi*, cap. 16.

(3) *Act. Apost.*, cap. 5, v. 15.

atque adeo sanatio febris v. g. miraculum esse non poterit. Denique quamvis aliquid sit præter ordinem naturæ, non illico necesse est, ut sit *præter spem admirantis*, quemadmodum definit S. Augustinus; nam resurrectio mortuorum profecto præter naturam est, at nihilominus eam fideles omnes speramus. Ergo vel S. Augustini doctrina vel nostra circa rationem miraculi rejicienda erit.

Defenditur et explicatur definitio miraculi data a S. Augustino An et quomodo miraculum sit opus arduum.

Resp. doctrinam S. Augustini, si recte intelligatur, egregie cum S. Thoma ac nostra conciliari. **Nam arduum,** *quod ponitur in* (Augustiniana) *definitione miraculi, non pertinet ad magnitudinem secundum se consideratam, sed per comparationem ad facultatem naturæ. Unde quod in quacumque parva re Deus operatur, quod creatura operari non potest, hoc arduum reputatur* (1).

insolitum.

Deinde a San Augustino *insolitum dicitur miraculum, quia est contra consuetum cursum naturæ, etiamsi quotidie iteraretur; sicut transubstantiatio panis in Corpus Christi frequentatur quotidie, nec tamen desinit esse miraculum: magis enim debet dici solitum, quod in toto ordine universali communiter accidit, quam quod in una sola re contingit* (2).

supra facultatem

Tertio *supra facultatem dicitur aliquid non solum propter substantiam facti, sed etiam propter modum et ordinem faciendi* (3), ut patet ex dictis, magisque declarabitur, cum variæ miraculorum species exponentur.

et præter spem admirantis

Denique *supra spem... naturæ miraculum esse dicitur, non supra spem gratiæ, quæ est ex Fide, per quam credimus resurrectionem esse futuram* (4).

Excluduntur prævosteræ miraculi descriptiones datæ a Benedicto Spinoza.

111. Antequam ad divisiones miraculi gradum faciamus placet quasdam falsas descriptiones ejusdem improbare, quarum aliæ ab hostibus, aliæ a propugnatoribus ejusmodi operum proponuntur. Primum namque Benedictus Spinoza

(1) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 1.um Cfr. 1 p., quæst. 105, art. 7 ad 2.um

(2) S. Thom. *de Potent.*, loc. cit. ad 2.um Cfr. 1. p., quæst. 105, loc. cit.; 2.ª dist. 18. quæst. 1, art. 3 ad 2.um

(3) S. Thom., 1 p., quæst. 105. art. 7 ad 2.um Cfr. *de Potent.*, loc. cit. ad 3.um; 2.° dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 4.um

(4) S. Thom., 1 p., quæst. 105, art. 7 ad 2.um Cfr. *de Potent.*, loc. cit. ad 3.um; 2.ª dist. 18. quæst. 1, art. 3 ad 3.um

docuit nomen miraculi «non nisi respective ad hominum opiniones posse intelligi, et nihil aliud significare, quam *opus cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus*, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit aut narrat» (1). A qua non multum discrepat Lockii doctrina dicentis miraculum esse «operationem sensibilem, quæ *cum spectatoris captum superet, ipsiusque opinione cursui naturæ constituto contraria sit, ab eo pro divina habetur*» (2). Similem miraculi conceptum exposuere Kantius, Wegscheider, Gotlob Paulus aliique (3). Verum in his aliisque id genus miraculi definitionibus aperte supponitur miraculosum effectum causam naturalem habere, quamvis spectatori occultam. In quo vides illico fraudulentam horum hominum rationem loquendi et ratiocinandi. Si enim miracula non sunt nisi effectus naturales, cur tanto horrore illorum veritatem impugnant? Et si tam absurda sunt tamque indigna, ut a viro erudito admitti queant, cur effectus naturales esse dicuntur? Itaque si vera sunt, quæ modo probavimus, omnes istæ descriptiones miraculi tamquam falsæ respuendæ sunt. Cæterum isti auctores, qui miraculum opus naturale esse scribunt, non omnes conveniunt in assignando peculiari charactere naturalium effectum, quibus nomen miraculi appingatur. Spinoza enim et Locke, ut ex eorum verbis apparet, rationem appellationis subjectivam afferunt, desumptam ex ignoratione causæ, quam tamen naturalem esse contendunt: alii eam repetunt ex necessitate quadam psychologica, qua vel ex pietate (4), vel ex affectu animi ærumnis obnoxii (5), ad opera quædam Deo adscribenda adiguntur homines: alii rationem miraculi derivant ex fine, nimirum

Lockius.

Kantio, Wegscheider, Gotlob Paulo

(1) Spinoza, *Tract. theolog. polit.*, cap. 6.

(2) Lockius, tract. *de Mirac.*, inter opera posthuma.

(3) Apud cl. Hettinger, *Teologia fundamental... traducion directa del aleman*, tom. 1, lib. 1, trat. 3, paragr. 21, pag. 211. Madrid 1883.

(4) Ita Paulus et Schleiermacher, quorum hæc est apud cl. Hettinger (loc. cit.) sententia: «La piedad puede hacer surgir la necesidad de considerar que un hecho depende de Dios, suprimiendo su dependencia y conexion con la naturaleza en general».

(5) Ita Feuerbach apud eumdem Hettinger: «El milagro es el postulado del corazon humano con sus necesidades y flaquezas.»

ex eo quod effectus quidam naturales, ad finem religiosum, ad patefaciendam videlicet efficientiam providentiæ, a Deo dirigantur (1). Verum hæ omnes explicationes non aliud probant, quam irritos conatus hominum a veritate aberrantium, qui cum videant aliquid esse in miraculo quibuscumque naturalibus operibus longe excellentius, nolintque cedere evidentiæ, veram illius indolem manifestissime demonstranti, effugium aliquod sollicite quærunt, quo se recipiant, ut dum veritatem miraculorum indignissime adoriuntur, nomen saltem retinere liceat. Et primo quidem quod nos ignoremus causam effectus alicujus, naturam certe illius non immutat: quare si effectus in seipso naturalis est, quantumvis nos causa lateat, mirus quidem esse poterit, et etiam miraculosus respective et quoad nos, non autem absolute ac simpliciter. Atque idem dic de psychologica illa, quam fingunt alii, necessitate effectus quosdam soli Deo attribuendi; donec ejusmodi necessitatis non agnoscatur objectiva ratio. Falsum quoque manifeste est effectum posse dici vere miraculosum ex eo solum, quod nobis efficientiam divinæ providentiæ demonstret; nisi velis universam naturam miraculum appellare. Quid enim est in natura, quin divinæ providentiæ operationem clamet?

Amandanda quoque procul est eorum opinio, qui quidquid operationem et interventum divinum sapiat vel in ipso naturali ordine, miraculosum vocant, eoque nomine aspernantur.

et ab aliis.

Reprehensionem præterea merentur miraculi descriptiones aliorum scriptorum, qui quamvis bono fine ducerentur, minus tamen caute gravissimam quæstionem pertractarunt. Samuel Clarkius cum omnem eripuisse: materiæ vim et activitatem, omnia in natura fieri a Deo statuit, vel immediate per se vel per creaturas intelligentes, ac proinde naturæ cursum proprie loquendo non aliud esse, quam voluntatem Dei, prouti constanti quadam et uniformi ratione operatur. Hinc miraculum definivit: *effectum consueto naturæ ordini contrarium, ab alicujus entis intelligentis hominique superioris insueto interventu productum* (2). Verum doctrina hæc in primis falsissimo

itemque a Samuele Clarkio,

(1) Ita Wegscheider (*Instit.* paragr. 48).

(2) Clarcke, *On the existence of God.*, chapt. 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

occasionalismi fundamento innititur. Deinde supponit posse miracula etiam ab angelis patraari: quod falsum esse mox probabitur. Tertio falso supponit nullas esse in natura vires, nullas leges: ideo enim cursum naturæ in voluntate Dei uniformiter operantis reponit. Quamobrem effectus, quem dicit naturæ ordini contrarium, si res bene perpendatur, non est re vera *contrarius ordini naturæ*, sed *diversus* ab uniformi operandi modo, quem Deus ex libera sua voluntate servat. Verbo miraculum Clarkii miraculum non est.

Carolo Bonnet.

Excludenda pariter est notio miraculi a Carolo Bonneto data, secundum quem miraculum dici potest: *effectus consueto naturæ cursui contrarius, ex occulto causarum naturalium ordine, Deo præparante, promanans*. Existimavit enim hic scriptor duos a Deo constitutos esse ordines duasque causarum series, ex quarum prima consuetus naturæ cursus dimanet, ex altera vero insueti effectus ac præter consuetum naturæ cursum in certis quibusdam locorum, temporum personarum adjunctis a Deo paratis, originem habeant» (1). Quamobren conclusit miracula comprehendi intra sphæram legum naturæ, esseque modificationes earumdem legum (2)

Houtteville.

A Bonneto parum discrepat quoad substantiam rei Houtteville: qui quamvis communem catholicorum Theologorum notionem miraculi minime rejiciret, ex qua etiam Spinozam refellit, aliam tamen excogitavit, ut se magis directe batavo Pantheistæ opponeret. Arbitratur enim Deum ab initio sic naturales causas disposuisse, ut ex legibus semel positis procederent omnes eventus, sive qui naturales, sive qui miraculosi a nobis dicuntur, qui tamen non minus naturales sunt, quam priores (3). Verum doctrina ista post hactenus dicta non eget peculiari refutatione; nam ex utriusque scriptoris opinione miraculum non est, nisi eventus mirus atque stupendus ex naturali, quamvis nobis incognita, legum harmonia ac temperatione profectus.

(1) Tongiorgi. *Cosmolog.*, n. 452, 2.° Cfr. Perrone, *de vera Religione*, cap. 3, n. 114 in nota.

(2) Vide Bonnet, *Palingenesie philosophique*, p. 17, cap. 5, 6; *et Recherches philosophiques sur les preuv. du christianisme*, chap. 5.

(3) Vide Houtteville, *La Religion chretienne prouvée par les faits*, livr. 1, chap. 5.

Denique ut nullam omittamus ex præcipuis hac de re sententiis, non pauci Theologi acatholici miraculum putant esse tale opus, quod quantumvis naturale in se sit, conferat tamen ad naturam lapsam pristinæ integritati restituendam efficiendamque organum spiritus (1). Verum quamvis concedi possit vera miracula, utpote quæ ad ordinem supernaturalem pertinent, religionisque revelatæ sunt præstantissima criteria vel notæ credibilitatis, eo ipso spectare ad ordinem elevationis ac restitutionem hominis ad pristinam integritatem, unde per peccatum exciderat; nihilominus miraculi descriptio exinde repetita in primis nimis vaga est; nec convenit soli definito, quia sunt intra supernaturalem ordinem multa opera, quæ miracula nequeunt proprie dici, ut v. g. collatio gratiæ per Baptismum vel alia sacramenta, et justificatio impii communi modo peracta, quia ut superius explicuimus quidquid fit eo modo quo natum est fieri, quamvis a solo Deo fiat miraculum proprie non est. Præterea miracula si sunt effectus causarum intra naturalem ordinem contentarum, ut supponunt adversarii, quamdiu nihil eisdem insit, quod naturam superet, vel quoad rei substantiam, vel certe quoad effectionis modum; revera non possunt pertinere ad ordinem supernaturalem, ut constat ex communi Theologorum doctrina. Relinquantur ergo omnes novitates, quæ naturam miraculi non explicant, sed depravant, immo et penitus evertunt.

et ab alia.

Miraculi definitio.

112. Restat ut miraculi divisiones exponamus. Sæpe audies miraculum quoad nos vel respectivum, distinguere a miraculo quoad se et absolute. Sed ut ex dictis satis patet, hæc non est veri miraculi divisio; nam miraculum quod tale sit respective dumtaxat et quoad nos, non est opus naturæ ordinem superans, ideoque vere naturale est; quamvis nos causa illius lateat.

(1) «Muchos teologos protestantes modernos, inquit cl. Hettinger, consideran el milagro como un hecho natural por virtud del cual la naturaleza caida es restituida *in integrum* y *convertida nuevamente en organo del espiritu*. Rosenkranz, *Enciclopedia*, p. 261. Olshausen, *Comentario biblico I*, p. 287. Lange, *Dogmatica filosofia*, § 64. Liebner, *Dogmatica cristiana*, § 17. Martensen, *Dogmatica cristiana*, § 17. Ebrard, *Dogmatica*, § 143. (Hettinger, loc. cit. pag. 211 fin.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

primo. Primo itaque dividuntur miracula in ea, quæ superant vires naturæ ratione sui, seu quoad subtantiam facti, vel ratione subjecti in quo fiunt, vel ratione modi, quo patrantur: quæ tria membra egregie declarat S. Thomas: *Secundum quod magis excedit facultatem naturæ, secundum hoc majus miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter. Uno modo quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur; quod nullo modo natura facere potest: et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio cæcorum et similia: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, et potest præstare visum, sed non cæco; et hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad modum et ordinem faciendi, sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione, et consueto processu naturæ in talibus; ut cum statim aer divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliæ (I Reg. XII, et III. Reg. XVIII.); et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis. Quælibet tamen horum habent diversos gradus, secundum quod diversimode excedunt facultatem naturæ* (1).

secunda. Alia est divisio miraculorum in ea, quæ sunt *supra* naturam, *contra* naturam et *præter* naturam, prout idem S. Doctor alibi explicat: *Circa ea, quæ Deus miraculose facit, talis solet adhiberi distinctio, quod quædam dicantur fieri supra naturam, quædam contra naturam, quædam præter naturam. Supra naturam quidem, in quantum in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo potest: quod quidem contingit dupliciter, vel quia ipsa forma inducta a Deo, omnino a natura induci non potest; sicut forma gloriæ, quam inducet Deus corporibus electorum, et sicut etiam incarnatio Verbi; vel quia etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam: sicut ad causandum vitam natura potens est, sed quod in hoc mortuo natura vitam causet, hoc*

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 105, art. 8.

facere non potest. Contra naturam esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit, sicut quando conservavit pueros illæsos in camino, remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in ea; et simile est, quod virgo peperit. Præter naturam autem dicitur Deus facere, quando producit effectum, quem natura producere potest, illo tamen modo, quo natura producere non potest, vel quia deficiunt instrumenta, quibus natura operatur, sicut cum Christus convertit aquam in vinum (Joan. II): quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutrimentum vitis assumpta, suo tempore in succum vvæ per digestionem producitur, vel quia est in divino opere major multitudo, quam natura facere consuevit, sicut patet de ranis, quæ sunt productæ in Egipto; vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad invocationem alicujus sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive, et in alio tempore, non in isto curare posset; et sic accidit in miraculo inducto de socru Petri. Unde patet, quod omnia hujusmodi, si accipiatur et modus et factum, facultatem naturæ excedunt (1).

ARTICULUS II.

De causa efficiente et finali miraculorum.

113. Quoniam de miraculorum causa materiali et formali nulla specialis occurrit difficultas, ad solam efficientem et finalem animum convertimus, quarum tractatio ad ipsam miraculorum naturam magis illustrandam haud parum juvabit. Cæterum in his, quæ dicenda sunt, sæpe quidem ita loquemur, ut si miracula reapse non repugnarent, quemadmodum non repugnare inferius invicte demonstrabimus, et novimus etiam ex Fide. Quæcumque ergo ad majorem rei explicationem dicentur supponendo possibilitatem, immo et existentiam miraculorum, nunc concedi vel permitti nobis postulamus. Ac postea probabimus non repugnare miracula

(1) S. Thom. *de Potent.* quæst. 6, art. 2 ad 3.um Cfr. *Cont. Gent.* lib. 1, cap. 101; 2.o dist. 18, quæst. 1, art. 3.

talia, qualia hactenus descripsimus, talesque causas efficientes ac finales habentia, quales in præsenti articulo describendas assumimus.

§ I.—Efficiens causa miraculorum.

Status quæstionis aperitur.

Hic animo recolendæ sunt ante omnia divisiones causæ efficientis in principalem et instrumentalem, et in physicam et moralem, quas in *Ontologia* descripsimus (1). Non enim est controversia de causa instrumentali, sed de principali; nec de morali, sed de physica. Convenit enim apud omnes posse homines sanctos, nedum angelos, precibus obtinere miracula, eademque etiam patrare tamquam ministros Dei vel tamquam instrumenta per altiorem virtutem divinitus acceptam. Dubitatur autem, utrum saltem angeli, sive boni sive etiam mali, sua propria et ingenita virtute, nec solum ut ministri Dei, sed tamquam principalis causæ, possint vera efficere miracula; nam de hominibus certum compertumque est apud omnes, quod non possint. Ideo etiam solet hæc controversia et sub illis terminis proponi, utrum ad rationem miraculi requiratur, quod superet virtutem totius naturæ creatæ, tum visibilis et corporeæ, tum invisibilis et incorporeæ, an vero solum quod excedat vires dumtaxat naturæ visibilis et corporeæ, ita ut quæcumque res saltem eo modo, quo peragitur, fieri non possit per corpoream dumtaxat naturam, illico verum ac proprium miraculum habendum sit, etiamsi potuerit fieri ope substantiarum creatarum invisibilium, angelorum, per suam naturalem virtutem. Opinio prima. Avicenna eo innixus falso principio, quod angeli efficiant in corporibus formas substantiales, habeantque virtutem suo imperio imprimendi materiæ aliquas formas etiam præter ordinem corporalium agentium, ut videre est apud Angelicum Doctorem (2), arbitratus est posse angelos edere miracula. Non desunt etiam nostris temporibus graves scriptores, qui videantur Angelis largiri virtutem edendi miracula *vera*, quamvis *minora* vel *relativa* vel *secundi ordinis*,

(1) Vid. *Ontolog.*, n. 391, 392, pag. 1116 seqq.
(2) *De Potent.*, quæst. 6, art. 3 et alibi.

quæ nempe vires et facultatem excedant naturæ visibilis et corporeæ: unde etiam ad rationem miraculi non requirunt, quod superet ordinem et facultatem *totius naturæ creatæ*, sed visibilis et corporeæ dumtaxat (1).

Communior tamen doctrina Theologorum cum S. Thoma (2), S. Bonaventura (3), Alexandro Halensi (4), Suarezio (5), cui perperam aliqui contrarium appingunt, Bellarmino (6) ac cæteris Scholasticis, tenet angelos propria virtute miracula patrare non posse, atque adeo solum Deum esse causam eorumdem efficientem. Et ita video etiam multos sentire recentiores Theologos et Philosophos, ut Em. Card. Mazzella (7), Tongiorgi (8), cl. Liberatore (9), cl. Lahousse (10), cl. Schiffini (11), Hettinger (12), quorum mihi probabilior sententia videtur. aliora communior et probabilior.

114. Proposio 1.a **Solus Deus potest miracula proprie dicta patrare.**

Prob. 1.a Cum S. Thoma. *Miraculum propie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ. Sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis: quia sic cum aliquis proficit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem non potest facere nisi* Solus Deus potest miracula patrare.

(1) Ita v. g. cl. P. Pesch (*Philosoph. natur.*, n. 660, 662), cl. P. Van der Aa (*Theolog. natur.*, prop. 67, 70), cl. P. Mendive (*Cosmolog.*, n. 144 seqq.), Cuevas (*Cosmolog.*, n. 241), quibus omnibus præverant Benedictus XIV, vel Prosper-Lambertini (*de Servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*, lib. 4, part. 1, cap. 1).
(2) 1 p., quæst. 110, art. 4; lib. 3.o *Contr. Gent.*, cap. 102, 103; *de Potent.*, quæst. 6, art. 3.
(3) 2.o dist. 7, part. 2, art. 2, quæst. 2.
(4) 2 p., quæst. 42, 43.
(5) *De Angelis*, libr. 4, cap. 19, n. 2.
(6) *De notis Ecclesiæ*, IV, 14.
(7) *De Religione*, disp. 1, art. 9.
(8) *Cosmol.*, n. 439.
(9) *Cosmolog.*, n. 170.
(10) *Cosmolog.*, n. 591.
(11) *Metaphys. specialis, Theol. natur.*, n. 600.
(12) *Theol. fundamental.* 1.a part., lib. 1, sect. 2, tract. 3, prægr. 2.

Deus: quia quicquid facit Angelus, vel quæcumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturæ creatæ: et sic non est miraculum. Unde relinquitur quod solus Deus miracula facere possit (1).

Prob. 2.am Angeli tam boni, quam mali, sive per se sive per homines possunt quidem efficere per modum artis quædam mira opera, quæ sint miracula *quoad nos*, non autem quæ talia sint *in se* proprie ac simpliciter. Ergo solus Deus propria virtute miracula vera patrare potest.

Consequentia patet. Nam de solis angelis, sive bonis sive malis, est hic in re dubium et controversia inter auctores: si autem probatur negandam illis esse potestatem veri nominis miracula efficiendi, a fortiori neganda erit entibus sequioris conditionis.

Angeli possunt virtute sua efficere

Antecedentis ergo probatur prima pars: *Angeli tam boni, quam mali, possunt efficere per modum artis quædam opera mira vel miracula quoad nos*. Sane ut ex Theologia nunc supponimus, habent spiritus angelici cognitionem perfectissimam naturæ corporeæ vimque maximam, qua et attollere valeant corpora etiam immanis molis ac ponderis, et alio celerrime transferre; cumque aliunde invisibiles sint, possunt occulte multa efficere prorsus insolita et contra ordinem particularem corporeæ naturæ; vel sublimem arripiendo hominem ac celeriter movendo, quasi volaret, vel corpora ex oculis subito eripiendo, aut invisibilia reddendo, vel ignem aliunde advectum subito domui applicando, vel panem, frumentum, aliud quidvis procul distans celerrime in medium proferendo, quasi tum miraculose produceretur; vel insignia phænomena et spectacula ope lucis et electricitatis aliaque similia exhibendo; vel corpus hominis aut animalis aliud quodvis ingrediendo, et in illo loquelam imitando et plura agendo supra facultatem humanæ naturæ posita; item activa passivis applicando, varias possunt corporum combinationes peragere, morbosque adhibitis aptis medicaminibus curare. Hæc aliaque id genus duplici ex capite mira spectatoribus existere possunt, vel quia insolita sunt et portentosa, vel quia ea ipsa, quæ communia sunt, et a causis corporeis fieri sæpe

multa mira et insolita.

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 110, art. 4.

solent naturaliter, occulte et insolito modo fiunt, et omnino quasi nullam causam naturalem haberent; quia nempe neque ipsi angeli, cum sint spirituales, neque causæ physicæ, quas celerrime applicant, patere corporei oculi obtutibus queunt. Cæterum tota hæc operatio angelorum est per modum artis; nam artis est per vias ac principia naturalia apte et ordinate adhibita, effectus obtinere, qui eo saltem modo a natura sibi relicta non possent produci. Hoc modo per machinas periti artifices naturam quodammodo elevant ad plura suis viribus scite compositis ac directis fabricanda opera, utilissima sane ac mirabilia, ope vaporis aquei, electricitatis aliorumque agentium naturalium: itemque chimici applicando activa passivis, corpora nempe, quæ certas habent invicem affinitates chimicas ad compositiones vel dissolutiones peragendas, et medici convenientia remedia adhibendo quædam faciunt eo modo ac tempore vel ordine ac perfectione, qua non posset natura sine artis directione. Simili ergo pacto angeli mira efficiunt per modum artis; *quamvis in effectibus hujusmodi producendis ars angeli boni vel mali efficacior est, et meliores effectus facit, quam ars humana;* tum quia propter perfectiorem rerum cognitionem possunt aptius eligere tempora et adjuncta convenientia operandi, tum quia ipsas *virtutes activas et passivas in corporibus inferioribus melius noverunt, quam homines, et facilius ac celerius applicare possunt ad effectum, utpote qui imperio suo corpora localiter movent* (1).

per modum artis.

Et hæc quidem dicta sint de realibus effectibus, quos angeli efficere possunt instar miraculorum. Præterea possunt illudere fingendo ea, quæ non dantur a parte rei. Idque bifariam efficere valent: primo per præstigias immutando phantasiam

itemque multa fingere quæ non sunt, illudendo sensibus.

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1. Alium quoque modum excellentiæ artis angelicæ supra humanam adjungit (ibid. et lib. 3.° *Contr. Gent.*, cap. 103, in fine) S. Thomas, huatenus nempe angelus uti possit natura corporea tamquam instrumento ad operandum, unde illa virtutem aliquam ad majus quidpiam efficiendum sortiatur, ut instrumentum substantiæ spiritualis. Hic tamen modus non omnibus auctoribus arridet. Vid. Suar. *de Angelis*, lib. 4, cap. 39, n. 9.

hominis interius (1), vel sensus externos (2), ut aliquid appareat, quod reapse non adest; possunt enim species sensibiles olim perceptorum objectorum in imaginationis thesauro servatas excitare magna vi, vel etiam novas in externos sensus, imprimere aptas corporibus non præsentibus repræsentandis: quorum alterutrum si fiat, illico sensibus apparebunt objecta, quæ vel jam non existunt, vel remotissimo in loco versantur. Alio modo, quia et possunt angeli ex ære aut alia materia corpus cujuscumque formæ et figuræ assumere, ut in eo visibiliter appareant, quemadmodum explicat S. Thomas (3).

Quousque hac uti naturali virtute liceat angelis.

Quod vero attinet usum hujus potestatis naturalis, quam habent angeli, sive boni sive mali: boni quidem tum ex divinæ providentiæ ordinatione, tum etiam ex insito bonitatis ac veritatis amore non faciunt, nisi jubente Deo, quidpiam, quod corporearum ac visibilium causarum ordinem perturbaret. At mali, quamvis integram retineant etiam post peccatum naturalem virtutem, eaque vellent sæpe abuti, omnia sus deque vertendo in perniciem generis humani, divino tamen imperio ligantur, quasi rabidi canes, ne mordeant, neve plurima, quæ possent, mala inferant, præter ordinem naturæ visibilis. Quare scribit Angelicus: *Sicut Angeli boni per gratiam aliquid possunt ultra naturalem virtutem; ita Angeli mali minus possunt ex divina providentia reprimente, quam possint secundum naturalem virtutem: quia ut Augustinus dicit (3.° lib. de Trinit., cap. 9 a med.), quædam quæ Angeli mali possent facere, si permitterentur, ideo facere non possunt, quia non permittuntur. Unde secundum hoc* ligari *dicuntur, quod impediuntur ab illis agendis, ad quæ eorum naturalis virtus se extendere posset;* solvi *autem, cum permittuntur agere divino judicio, quæ secundum naturam possunt.* (4). Qua de re

(1) S. Thom. 1 p., q. 111, art. 3, ubi quomodo id fieri possit declarat.

(2) S. Thom. 1 p., q. 111, art. 4; *de Malo* quæst. 16, art. 11. Cfr. *de Verit.* quæst. 11, art. 3, quæst. 12, art. 8; 2.° dist. 8, quæst. 1, art. 5 ad 4.um

(3) 1 p., quæst. 51, art. 2 et 3; 2.° dist. 8.ª quæst. 1, art. 2, 3, 4, 5; 1 p. quæst. 114, art. 4 ad 2.um

(4) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6. art. 5. Cfr. 1. 2. quæst. 80, art. 2; et Suarez, *de Religion.*, lib 2, cap. 16, n. 2.

videri potest S. Augustinus (1). Quandoque tamen Deus ob secretissimos fines permittit malis angelis naturali sua virtute uti ad patranda quædam mirabilia, ut cum Christum Dominum *assumpsit... diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi* (2); et cum universam *familiam Job cum gregibus pecorum uno impetu consumpsit*, et turbo domum dejiciens filios ejus occidit (3).

Et ita etiam *tempore Antichristi potestas diaboli solvenda dicitur* (4), *in quantum ei multa facere permittentur, quæ modo non permittuntur: unde et operabitur multa ad eorum seductionem, qui hoc meruerunt, non acquiescendo veritati* (5). Quo etiam spectant quædam mirabilia, quæ sinuntur patrare dæmones per operationes magorum aliorumque similium nebulonum (6). Huc revocari possunt multa, quæ narrantur de Simone Mago, de Apollonio Tyanæo aliisque, ac nostris diebus de Magnetismo et Spiritismo.

Possunt ergo angeli, tam boni quam mali, per modum artis multa mira facere.

Veri tamen nomine miracula nequeunt angeli sua virtute efficere.

Probatur secunda pars antecedentis: *Angeli nequeunt facere vere ac proprie dicta miracula.* Triplex genus operationum mirabilium, quæ in angelorum sunt potestate retulimus in prima parte probationis: primum consistit in fictis phænomenis edendis sive per illusionem sensuum, tum interiorum tum exteriorum, sive assumendo corpora; alterum est verorum effectuum physicorum per appositionem naturalium causarum, applicando activa passivis; tertium genus

(1) *De Civit. Dei*, lib. 2, cap. 23, n. 2; lib. 18, cap 18, n. 2; *de Trinit.*, lib. 3, cap. 9.

(2) *Matt.*, cap. 4, v. 5.

(3) *Job.*, cap. 1, v. 19 seqq. Vide S. Thom., 1 p., quæst. 114; et S. August., *de Civit. Dei*, lib. 20, cap. 19 pop. fin. Cfr. de his Benedictus XIV, op. cit., lib. 4, cap. 3, n. 12.

(4) Cfr. *2 Thessalonic.*, cap. 2, v. 8.

(5) *De Potent.*, quæst. 6, art. 5 fin. Cfr. 2.° dist. 7, quæst. 3, art. 1; 2.ª 2.æ quæst. 178 art. 1 ad 2.um

(6) Vide S. Thom., *de Potent.*, quæst. 6. art. 10; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 105, 106, 107; Benedict. XIV *de Serv. Dei Beatific.* etc., lib. 4, cap. 3, n. 3; De Bonniot, *La Miracle et ses Contrefaçons, Deuxième partie*, 2 pag. 120, 2.ª edit. Paris 1888; et passim etiam Theologos in tract. *de Religione*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

operationum comprehendit motus locales corporum summa et impercepta celeritate peractos. Jam quidquid primo modo fiat, certum est miraculum non esse; miracula enim sunt vera ac realia opera, non meræ illusiones.

Probatur autem facile, quod neque effectus physici a naturalibus causis procedentes nomen miraculorum mereantur. Nam si quod opus fiat applicando aptas causas naturales, nequit re vera dici in seipso superare ordinem et vires naturæ etiam visibilis et corporeæ. Pone v. g. esse remedium efficacissimum in natura ad certum morbum depellendum, illudque occulte ab angelo adhiberi, ac mox ejusdem virtute morbum sanari. Quid, quæso, discreparet essentialiter sanatio eo pacto ab angelo peracta a sanatione, quam medicus eodem adhibito medicamine posset obtinere? Profecto nihil, nisi quod remedium ab angelo applicatum non videretur ab adstantibus; ac proinde sanatio illa vere esset effectus naturalis a causa naturali et corporea, quamvis occulta et latente, productus. Atqui effectus in se naturalis, et hic et nunc virtute naturali et corporea productus, miraculum dici nequit, ut patet ex communi catholicorum sententia, præposteras quorumdam miraculi definitiones respuentium, ut superius vidimus. Ergo effectus physici, qui ab angelis per applicationem virium naturalium, quantumvis occulto et invisibili modo obtinentur, miracula veri nominis non sunt; sed tantum dici poterunt miracula *quoad nos* vel respectiva.

Restat, ut probemus neque effectus mechanicos naturali angelorum virtute editos rationem miraculi attingere. Probatur autem eodem argumento. Etenim effectus, qui a naturalium causarum quantumvis invisibilium et occultarum, virtute ac modo eidem virtuti consentaneo proficiscuntur, minus recte dicuntur miracula, si vocem hanc in proprio sensu accipere velimus (1). Atqui angeli etiam causæ naturales sunt, quamvis invisibiles et occultæ, effectusque mechanici, quos propria virtute producunt, modo eorum activitati prorsus consentaneo procedunt. Ergo effectus mechanici, quos angeli naturali virtute possint edere, sive in altum attollendo,

(1) Cfr. S. Thom., lib. 3.^a *Contr. Gent.*, cap. 102, *Item*.

ac sustentando corpora, sive in alium locum celerrime transvehendo, quamvis stupendi nobis videantur, non sunt in sensu proprio et stricto miracula.

Confirmatur. Nam nulla ratio apparet, cur ea, quæ supra vel contra naturam aliquam particularem v. g. ab homine, manu tenente lapidem, ne ruat in terram ratione gravitatis, vel ab aqueo vapore, ingentes machinas celeriter movente, non sint miracula; ea vero, quæ a substantia spirituali fiunt supra vel contra quamlibet visibilem et corpoream naturam, miracula dici debeant. Quid enim est peculiare in angelo, nisi vel quod virtus eorum se extendat ad magis ingentes effectus, quam hominis vel vaporis vel cujusvis alterius corporis virtus, vel quod celerrime operetur ac modo invisibili? Verum si prima vel altera ratio quidpiam valeret, illi soli angelorum effectus mechanici, qui superiores sint totius corporeæ naturæ viribus, dicendi essent miraculosi, non esset autem miraculum si v. g. hominem angelus e terra sublimem teneret, lenteve alio transferret: quod certe neque admittent, puto, adversarii, nec videtur possibile, siquidem effectus ab eadem angeli virtute procedens, sive major sive minor in se sit, sive magis aut minus celeriter obtineatur, ejusdem est speciei ac naturæ. Neque etiam valet, quod angeli modo invisibili nobis operentur propter suam spiritualitatem. Jam enim sæpius diximus ubicumque effectus pure naturalis adest, hic et nunc a causa et virtute naturali procedens, licet ea nos lateat, miraculum in se esse non posse. Plura dabunt de his S. Tomas et Suarez (1).

Itaque *si miraculum* **proprie accipiatur, dæmones miracula facere non possunt, nec alia creatura; sed solus Deus:** *quia miraculum* **proprie** *dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine continetur omnis* **omnis virtus creata**. *Dicitur tamen quandoque miraculum* **large**, *quod excedit humanam facultatem et considerationem: et sic dæmones possunt facere miracula, quæ scilicet homines mirantur, in quantum eorum facultatem et cognitionem excedunt. Nam et unus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem*

(1) Locis superius citatis.

et cognitionem alterius, ducit alium in admirationem sui operis, ut quodammodo miraculum videtur operari (1).

115. PROPOSITIO 2.a **Virtute divina possunt patrare miracula tum angeli tum etiam homines.**

at virtute divina possunt non solum angeli, sed etiam homines.

Propositio hæc constat ex narratione sacrarum Litterarum aliorumque librorum fide dignissimorum, qui multa referunt miracula a viris sanctis et ab angelis effecta. Cum ergo hi propria virtute naturali tantam potestatem non habeant; necesse est dicere divinæ gratiæ auxilium in talibus operibus intervenisse. Cæterum tres modos generatim assignat S. Thomas, secundum quos Angeli boni miracula queant divinitus facere, precibus impetrando, materiam disponendo, et coagendo instar instrumenti: e quibus secundus modus proprius cælestium spiritum est, primus ac tertius cum illis communis est sanctis quoque hominibus. Sed præstat audire Aquinatem: *Angeli supra naturalem potestatem, quam habent agendi, possunt aliquid per donum gratiæ, in quantum sunt divinæ virtutis ministri. Et potest dici, quod ad miracula facienda Angeli tripliciter operantur: uno modo precibus impetrando, qui modus est angeli et hominibus potest esse communis. Alius modus est, secundum quod angeli materiam disponunt sua virtute naturali ad hoc, quod miraculum fiat; sicut dicitur, quod in resurrectione colligent pulveres mortuorum, qui divina virtute reducentur ad vitam. Sed hic modus proprius est Angelorum: nam humani spiritus cum sint corporibus uniti; in exteriora operari non possunt nisi corpore mediante, ad quod sunt quodammodo alligati. Tertius modus est, quod operentur etiam aliquid coagendo..... Qualiter autem hoc esse possit, considerandum est. Constat autem, quod Deus solo imperio miracula operetur. Videmus autem, quod imperium divinum ad inferos rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet Angelis, pervenit, ut in legis veteris latione apparet; et per hunc modum per spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eas quodammodo naturæ præsentetur divinum præceptum; et sic*

et quidem tripliciter,

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 114, art. 4. Cfr. 2.a dist. 18, quæst. 1, art. 3 ad 5.um

agant quodammodo spiritus humani vel angelici ut instrumentum divinæ virtutis ad miraculi perfectionem: non quasi aliqua virtute habitualiter in eis manente, vel gratuita vel naturali, in actum miraculi possint; quia sic quandocumque vellent, miracula facere possent, quod tamen Gregorius (1) *non esse verum testatur, et probat per exemplum Pauli, qui stimulum a se removeri petiit, nec impetravit et per exemplum Benedicti, qui detentus fuit contra suam voluntatem per pluviam sororis precibus impetratam. Sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in Sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur, quæ non permanent nisi per præsentiam agentis principalis, sicut lumen in aëre et motus in instrumento* (2), impressus nempe illi a causa principali. Et sic *verum est, etsi solum Deus miracula faciat per auctoritatem*, id est *propria virtute*, ut ipsemet S. Doctor vocem istam explicat (3), *et potestatem miracula faciendi creaturæ communicat secundum capacitatem creaturæ et divinæ sapientiæ ordinem, ita quod creatura per gratiam miracula ministerio operetur* (4). Hinc est etiam, quod operatio miraculorum inter gratias, quas dicunt *gratis datas*, numeretur ex theologica doctrina (5).

Et quoniam potest Deus gratiam hujusmodi secundum ordinem suæ sapientiæ cuilibet communicare, possunt etiam mali homines divinitus miracula facere, invocato nomine Dei, ad veræ Fidei ostensionem vel ad confirmationem revelatæ doctrinæ (6): idque videtur diserte doceri in sacro Evangelio (7). Dæmonibus autem negat S. Thomas communicari unquam potestatem vel virtutem faciendi quidpiam, quod sit supra facultatem ipsorum (8).

(1) In 2.o *Dialog.*, cap. 30.
(2) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 4. Cfr. 1 p., quæst. 110, art. 4 ad 1.um
(3) S. Thom., Opusc. 11, *Responsio ad Lectorem Venetum*, art. 18.
(4) S. Thom. *de Potent.*, loc. cit. fin.
(5) Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 178.
(6) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 110, art. 4 ad 2.um; 2. 2. quæst. 178, art. 2; *de Potent.*, quæst. 6, art. 5 ad 9.um; Quod lib. 2, art. 6 ad 4.um
(7) *Matt.*, cap. 17, v. 22. Qua de re videatur Benedictus XIV, op. cit., lib. 4, cap. 3, a. n. 15.
(8) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Utrum sancti sint causæ solum morales, an etiam physicæ, miraculorum.

Illam tamen quæstionem Theologis discutiendam relinquimus, utrum sancti homines, cum tamquam instrumenta dicuntur hoc tertio modo assumi a Deo ad operandum, immo utrum ipse Christus Dominus secundum suam Humanitatem, sint causæ dumtaxat morales, an vero physicæ miraculorum. Qua de re non una est auctorum sententia: alii enim existimant sanctos homines, et idem intellige de sacratissima divini Verbi Humanitate, causas esse dumtaxat morales ita, ut ad vocem vel tactum vel præsentiam eorum solus Deus operetur; alii vero cum S. Thoma (1), Suarez (2), multisque præstantissimis Doctoribus, arbitrantur sanctos vere etiam concurrere ad miraculum actione reali ac physica, dum manu contingunt v. g. ægrotum ad sanandum etc. Verum hæc Philosophiæ limites transcedunt.

116. **Dices 1.°** De mente S. Thomæ hac in re jure merito dubitari potest. Nam quamvis doceat miraculum esse præter ordinem totius naturæ creatæ, mox tamen addit, *quia non omnis virtus naturæ creatæ est nota nobis; ideo cum aliquid fit* **præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam, esse miraculum quoad nos.** Ac subinde veritatem explicat illius Augustinianæ sententiæ (3): *Magi faciunt miracula per privatos contractus; boni christiani per publicam justitiam; mali christiani per signa publicæ justitiæ* (4). Alibi (5) idem Aquinas concedit causas naturales, cum ab Angelis applicantur ad aliquos effectus miros occulte per modum artis producendos, aliquam virtutem majorem ab ipsis participare, sicut solent instrumenta ex motu et applicatione causæ principalis. *Et hoc*, inquit *magis accedit ad rationem miraculi*. Atqui «ex his... inferri videtur, effecta insolita et admiranda, quæ excedunt vires et facultatem naturæ creatæ visibilis et corporeæ nobis notæ, miracula esse, etsi non excedant vires et facultatem naturæ creatæ invisibilis et incorporeæ; miracula, inquam, minora miraculis, quæ

(1) Vide S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 4 etc.
(2) *De Incarnatione*, disp. 31, sect. 3.
(3) S. August. in lib. 83 *Quæstion.*, quæst. 79 a med.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 110, art. 4 ad 2.um
(5) Vide v. g. *de Potent.*, quæst. 3; et lib. 3.° *Contr. Gent.*, cap. 102 fin.

excedunt vires et facultates naturæ non modo visibilis et corporeæ, sed invisibilis et incorporeæ». Ita Benedictus XIV vel Card. Prosper Lambertini (1), qui mox in ejusdem doctrinæ patrocinium advocat inter paucos alios minoris nominis Ferrariensem (2) et Eximium Doctorem (3).

Resp. Verum pace dicam tanti viri, mihi nullum dubium remanet hac in re de mente Aquinatis. Sæpe enim S. Thomas data opera quæstionem istam versans, constanter respondet *solum* Deum miracula proprie ac simpliciter dicta patrare (4). Unde in ipso primo loco, qui objicitur, diserte docetur ad rationem proprie miraculi requiri, ut superet ordinem *totius naturæ creatæ* (5): id quod non raro repetit, ut cum scribit *miraculum, si* **proprie** *accipiatur, dæmones miracula facere non posse*, **nec aliquam creaturam**, *sed* **solum Deum** (6); *et* **vera** *miracula non posse fieri nisi virtute divina* (7); ex qua etiam doctrina concludit, quod miracula per Christum facta argumentum fuerunt ejusdem divinitatis, quia nempe propria auctoritate et imperando faceret ea, quæ sola divina virtute fieri possunt (8). Hinc tandem miracula proprie ac simpliciter talia contraponit miraculis, quæ sunt talia *large* et solum *quoad nos*, aut per *modum artis* efficiuntur (9). Audi insignem locum S. Doctoris, qui huic quæstioni sibi propositæ: *An omnia miracula, quæ fiunt ab aliqua creatura*

(1) Oper. citat., lib. 4, part. 1, cap. 1, num. 14.
(2) In 3.um lib. *Contr. Gent.*, cap. 103.
(3) *De Angelis*, lib. 4, cap. 39, n. 10.
(4) Vide 1 p., quæst. 110, art. 4; quæst. 114, art. 4; 1. 2. quæst. 113, art. 10; *de Potent.*, quæst. 6, art. 3, 5; lib. 3. *Contr. Gent.*, cap. 102 seqq., et alibi.
(5) Relege integrum locum, qui nuper exscriptus est ad probandam primam propositionem.
(6) 1 p. quæst 114, art. 4; 1. 2. quæst. 113, art. 10; 3.° *Contr. Gent.* loc. cit.; *Compend. Theol.* cap. 136.
(7) 1. 2. quæst. 113, art. 10; 2.° 2.° quæst. 178, art. 2; 3 p. quæst 43, art 2.
(8) 3.° dist. 16, quæst. 1, art. 2, corp. et ad 4.um; 3 p., quæst. 43, art. 4, corp. et ad 3.um
(9) S. Thom. 1 p., q. 110, art. 4 ad 2.um; q. 114, art. 4; *Comp. Theol.* c. 136; lib. 3.° *Cont. Gent.* c. 102, *Item; de Potent.* q. 6, art. 3, corp. et ad 10um; art. 5, corp. et ad 1.um et 5.um

ministerio, fiant auctoritate Dei, idest per virtutem ejus, sine qua nihil potest fieri; sic respondet: *Dicitur quod verum est, si de veris miraculis intelligatur; et dico* **vera** *miracula, quæ* **nulla naturali virtute alicujus creaturæ** *fieri possunt. Sunt tamen aliqua* **non simpliciter** *miracula, sed* **quoad aliquos,** *qui eorum causas ignorant, sicut quædam* **arte humana** *facta miracula ignorantibus artem videntur, et multo magis* **arte angelica;** *et talia possunt fieri virtute alicujus creaturæ, licet non exclusa virtute divina* (1). Ex primo ergo loco Aquinatis, qui objiciebatur, mihi certum est nihil posse concludi contra stabilitam doctrinam.

Verum neque ex altero: dicere enim quædam opera angelorum *magis accedere ad rationem miraculi*, certe non est dicere illa *rationem miraculi habere*, nisi velis *accedere* perinde esse, ac *assequi* vel *attingere*. Cæterum quomodo interpretanda sit illa S. Augustini doctrina, scribentis magos *facere miracula per privatos contractus* etc. lege ipse, si vis apud S. Thomam (2).

Ferrariensis autem sententiam Doctoris Angelici in loco objecto sequitur, itemque Suarezius, qui hanc sibi tuendam propositionem suscipit, *non posse Angelos propria virtute vera miracula facere* (3), quam doctrinam dicit *certam censeri in Theologia* (4), esseque *communem* inter Theologos, eamque *veram* (5). Quomodo ergo potuit secum pugnare in eodem capite? Nec juvat opponere verba hæc Eximii Doctoris: *In quo etiam considerandum est in præsenti sermonem esse de operibus sensibilibus, quæ hominibus miraculosa apparent, de quibus* **concedi potest et debet, ut sint vera miracula, necessarium et sufficiens esse, ut superent omnem naturalem virtutem causarum naturalium visibilium et corporalium** (6). Nam ibidem pergit sic idem gravissimus scriptor: *Quia hinc evidenter concluditur etiam esse* (ejusmodi opera) **supra omnem virtutem angelicam, cum hæc non possit,**

(1) S. Thom. in *Responsion. ad Lectorem Venetum*, art. 18.
(2) 1 p. quæst. 110, art. 4 ad 2.um
(3) Loc. cit. n. 9.
(4) Ibid. n. 2.
(5) Ibid. n. 5.
(6) Suarez, ibid. n. 10.

nisi applicando naturales et corporeas causas activas passivis, hujusmodi effectus sensibiles efficere. *Unde cum Augustinus et S. Thomas dicunt posse dæmones efficere aliquos effectus supra totam ordinem naturæ corporeæ, non intelligunt supra totam virtutem naturæ corporeæ; sed per* **ordinem** *intelligunt illam applicationem et concursum corporalium causarum, qui per communem cursum naturalium agentium eveniret, si ab Angelis non immutaretur. Cum autem hæc immutatio per solum motum localem fieri possit, ad veritatem miraculi non sufficit, ut explicatum est.* Quid clarius?

Dices 2.º Hæc sunt verba S. Thomæ: *Tempore Antichristi aliqua vera miracula fient virtute dæmonum, permissione divina, in illis tamen, ad quæ virtus dæmonis se extendit: tamen dicuntur omnia mendacia ex parte finis, quia ad decipiendum sunt* (1). En disertis verbis docet S. Thomas posse a dæmone *propria virtute* fieri *vera miracula*.

Resp. *dist.* antec. Tempore Antichristi virtute dæmonum fient aliqua vera miracula, veritate facti vel effectus, *conc.*, veritate miraculi, *neg.* Et *neg.* conseq.

Nullus, opinor, doctrinæ S. Thomæ fidelior interpres est, quam ipsemet S. Thomas. Hæc ergo est ipsius S. Doctoris doctrina: Miracula, *quæ fienda sunt tempore Antichristi...* **vera...** *dicuntur, quia ipsæ res* (quæ fient) *veræ erunt, sicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas et veros serpentes* (2): **non tamen habebunt veram rationem miraculi, quia fient virtute naturalium causarum** (3). Mirabilium enim operationum, quas dæmones propria virtute facere possunt, duo distinxit genera; earum, quæ sunt puræ illusiones vel præstigiæ, quibus nulla respondet extra sensus spectatoris realitas et aliarum, quæ realem aliquem effectum operantur. Et utraque opera negat esse vera miracula, vel vera secundum veritatem miraculi; secunda vero docet esse vera facta,

(1) S. Thom. 2.ª dist. 7, quæst. 3, art. 1 ad 1.um Cfr. 1 p., quæst. 114, art. 4 ad 1.um
(2) Quæ alibi (*de Potent.*, quæst 6, art. 5 ad 8.um; 1 p., quæst. 114, art. 4 ad 2.um) docet idem Angelicus cum S. Augustino a dæmonibus facta esse naturaliter collectis aliunde seminibus ranarum ac serpentum: alii autem ea meris præstigiis adscribunt.
(3) S. Thom. 2. 2. quæst. 178, art. 1 ad 2.um

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

seu vera secundum veritatem facti; prima demum falsa et secundum factum et secundum rationem miraculi. Lege S. Doctorem (1).

Dices 3.° Cum Angelis, ex S. Thoma (2), corpora obediant «ad motum localem, ecquis erit, qui nonnulla ardua, insolita et admiranda, quæ proveniunt ab ea corporum obedientia ad motum localem, miraculo non adscribat, licet vires et facultatem naturalem Angeli, et sic naturæ invisibilis et incorporeæ, non excedat?» Ita iterum Prosper Lambertini, qui rem subinde confirmat et variis operibus, quæ ab Angelis patrata narrant sacræ Litteræ, nec naturalem eorum potestatem videntur superare; et nihilominus vera miracula habenda sunt (3).

Resp. *neg.* assert. cum S. Thoma, Suarez et communissima veterum Theologorum sententia, qui omnes quamvis vim corpora loco movendi concederent Angelis, negarunt tamen vera miracula efficiendi potestatem.

Quod vero attinet facta mirabilia, quæ ab Angelis patrata leguntur, quoniam nec ago interpretem divinæ Scripturæ, neque est hic locus de natura factorum illorum disserendi, unum verbum liceat mihi respondere. Necesse non est, ut omnia quæ per Angelos, sive in commendationem virtutis sive in scelerum vindictam, effecta esse edocemur, verum miraculum contineant. P. Augustinus Calmet contendit, quæ demones in corpora fecisse testatur divina revelatio, sine prodigio seu miraculo fieri potuisse: «quæ vero bonis Angelis auctoribus in Scriptura gesta leguntur, inquit, sicut et animarum extra corpus per visum oblatæ species, ea quoque *citra prodigium facta esse non raro suspicamur*, quod et in corpora agendi et elementa subigendi insita sit spiritibus virtus». Illud etiam adjungo: facta ista, quæ objiciuntur, tunc aliquid valitura esse contra nostram doctrinam, si vel ex sacris Litteris vel ex alia irrefragabili auctoritate notum foret, ea veri ac proprii miraculi rationem obtinere, et insuper illa ex sola naturali Angelorum virtute

(1) 2. 2. quæst. 178, art. 2, init. corp.; *de Potent.*, quæst. 6, art. 5 fin.

(2) 1 p., quæst. 110 art. 3.

(3) Benedict. XIV, *de Servor. Dei Beatific.* etc., lib. 4, cap. 1, n. 16.

contigisse constaret. Verum quamdiu duo hæc comperta non fuerint, nihil conficitur. Vel enim opera illa facta sunt ex influxu divinæ virtutis, vel secus. Si primum dicas, dubium nullum remanebit, quominus vera miracula sint; non quod mediis angelis gesta fuerint, sed quia divina virtus interfuit. Sin alterum eligas, ex effectibus hujusmodi lis dirimi non poterit; sed adversarii quidem affirmabunt, nos vero cum S. Thoma negabimus, ea veri nominis miraculorum attingere dignitatem, solumque concedemus ea esse miracula quoad nos.

Dices 4.° Atqui hinc plane sequitur: α) multa vel omnia fere, quæ tamquam miracula narrantur vel in sacris Litteris vel in aliis libris fide dignissimis de Moyse, de Apostolis, de aliis viris sanctis non fore miracula: talia quippe sunt, quæ vires dumtaxat naturæ corporeæ ac visibilis, non autem angelicæ, superent. β) Sequitur insuper vix posse vera a falsis miracula discerni.

Resp. ad α) *negando* prorsus illatum. Nam nos nunquam diximus ad rationem miraculi requiri, ut quoad substantiam rei excedat vires totius naturæ creatæ. Solum hoc tenemus, opus, quod vires naturæ sive corporeæ sive angelicæ minime in se superat, si mediis hisce viribus efficiatur, miraculosum esse non posse; miraculosum autem esse, si ex peculiari divinæ virtutis interventu procedat. Ergo ea ipsa opera, quæ a Moyse, vel Apostolis, vel aliis sanctis viris gesta narrantur, quamvis talia forent, quæ naturali potestate angelorum per modum artis, immo et per ipsa agentia naturalia sine angelorum interventu fieri potuissent; si tamen nulla harum causarum intercedente contigerunt, procul dubio miraculosa dicenda sunt. Jam vero quod nulla causarum corporearum, ex cujus naturali virtute opera illa effici potuissent, apposita de facto sit, satis constat: quod autem neque occulta quædam angelorum actio interfuerit, supponi omnino debet. Ubi enim Scriptura silet de angelis, sed actio auctoribus sanctis hominibus tribuitur, non licet nobis angelorum interventum confingere. Ergo ex nostra doctrina minime sequitur imminui quidpiam de veritate miraculorum, quæ vel a Moyse, vel ab Apostolis, vel a sanctis viris in sacris Litteris aliisque gravissimis libris patrata leguntur.

Ad β) pariter *neg.* assertum, ut abunde patebit ex dicendis mox circa miraculorum criteria.

§ II.—FINIS MIRACULORUM.

Aliquis finis patrandorum miraculorum necessario admittendus

117. De fine, propter quem miracula patrari possunt, pauca dicere necesse est. 1.° Et primo quidem quod aliquis adesse debeat patrandi miraculi finis, manifestum est; nam est opus Dei, sapientissime in omnibus, atque adeo propter finem certum, agentis. 2.° Finis autem iste non continetur in ordine ipso physico conservando. Sane supponi nequit «naturæ ordinem indigere aliquando posse miraculo, ut conservetur: hoc enim ostenderet in supremo opifice prævisionis defectum, quemadmodum in humano artifice, cum in machina a se exstructa aliquid emendare cogitur, ne illa dissolvatur aut inutilis fiat» (1). Quare post Arago et Laplace communiter deseritur ab Astronomis opinio Newtoni, existimantis systema nostrum planetare non posse durare in perpetuum, quin Deus identidem speciali et immediata sua actione interveniat; fere sicut horologia vel aliæ machinæ pergere in suis motibus et officiis nequeunt, nisi adsit peritus artifex, qui naturales illarum defectus suppleat, et corrigat.

qui tamen non continetur in ordine physico.

Falsa opinio Newtoni circa mundani ordinis conservationem

Nec mihi obiciat aliquis sententiam Astronomorum et quorumdam etiam Physicorum arbitrantium, prout superius innui (2), mundum hunc cum iis viventium generibus inque eo statu, quem in præsentiarum tenet, non posse naturaliter perpetuo subsistere. Ex eo enim id unum inferre licet quod catholica tenet doctrina et nos ibidem monuimus, mundum hunc secundum præsentem rerum ordinem finem aliquando esse habiturum. Quamdiu autem ex divino decreto duraturus ille est, non indigebit miraculoso ullo Dei interventu ad hoc, ut conservetur; quod si voluisset Deus, ut hic ordo physicus in æternum duraret, reperisset profecto in sapientiæ suæ thesauris apta præsidia, quibus posset sine fine conservari absque miraculis. Conservatio ergo mundani ordinis pure physici nequit esse finis miraculorum Deo dignus.

(1) Tongiorgi, *Cosmolog.*, n. 447.
(2) Nnm. 35.

Proprius finis miraculorum assignatur.

3.° Miracula ergo ad altiorem divinæ providentiæ ordinem diriguntur in bonum hominis, ad ordinem videlicet moralem ac supernaturalem; fiunt enim, ut Deus ostendat suam gloriam, virtutem, bonitatem, providentiam, ac præsertim ad demonstrandum veritatem revelatæ doctrinæ sanctitatemque servorum suorum (1). Deus enim peculiarem et specialem gerit providentiam circa rationalem creaturam, quam etiam ex infinita bonitatis suæ largitate ad finem supernaturalem visionis beatificæ evexit, dogmata et religionem excellentiorem edocuit, aptisque præsidiis ad facilem præclarissimi finis assecutionem instruxit. Verum quia homo non potest naturali suo lumine veritatem ac sanctitatem assequi supernaturalis religionis ac doctrinæ revelatæ, decrevit Deus, inter alias notas credibilitatis, quædam opera præter solitum naturæ cursum patrare, quibus tamquam indubiis ac veracissimis divinitatis indiciis et voluntas sua cunctis patesceret, et veritas dogmatum, vel ministrorum suorum sanctitas, manifesta redderetur; ideoque vocantur *signa*. Quare Apostoli dicuntur in Evangelio profecti, ut ubique legem Christi Domini prædicarent, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (2). *Naturale est*, inquit Angelicus, *homini, ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales; ita per aliquos supernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur* (3). Et Alibi: *Vera miracula non possunt fieri nisi virtute divina; operatur enim Deus ad hominum utilitatem: et hoc dupliciter: uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem, alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis*, etc. (4). Quæ fusius adhuc alibi evolvit idem sanctus Magister:

(1) Suarez, *de Mysteriis Vitæ Christi*, disp. 31; Benedict. XIV. Op. cit. lib. 4, cap. 4.
(2) S. *Marc.*, cap. 16, v. 20.
(3) S. Thom. 2. 2. quæst. 178, art. 1. Cfr. *Quodlib.* 2, art. 6; et lect. 2 in epist. 2.am ad *Thessalonic.* fin. Qua de re plura vide apud Benedict. XIV, Op. cit., lib. 4, cap. 4, n. 4.
(4) S. Thom. 2. 2. quæst. 178, art. 2 et in resp. ad 3.um

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ® CENTRAL DE BIBLIOTECAS

Divinitus conceditur hominimiracula facere propter duo: primo quidem et principaliter ad confirmandam virtutem, quam aliquis docet. Quia enim ea, quæ sunt Fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet, quod probentur per argumentum divinæ virtutis; ut dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur, esse a Deo: sicut cum aliquis defert litteras annulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse, quod in illis continetur. Secundo ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti; ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam (1). Cum ergo Deus nec decipere nec decipi queat, si quod opus in confirmationem doctrinæ vel virtutis edat, illa profecto verissima est habenda; cumque miraculum verum a solo Deo patrari possit, nec ab alio mendaciter confingi, invictum existit semper argumentum ac sigillum veritatis (2).

Miraculum semper est sigillum veritatis.

(1) S. Thom. 3 p., quæst. 43, art. 1. Cfr. libr. 3.° *Contr. Gent.*, cap. 99. *Ordo enim inditus rebus*, usque ad fin. Cfr. Bellarmin. de *Sacrament. in genere*, lib. 1, cap. 14; Card. Lugo, de *Fide*, disp. 2, sect. 2, n. 25.

(2) Preclare in hanc rem scripsit Em. Card. Pie, Episcopus Pictaviensis: «Le miracle qui appartient à l'ordre des faits, est infiniment plus probant pour les multitudes que tous les autres genres d'arguments; c'est par lui qu'une religion révélée s'impose et se populari se... la plupart de doctrines révélées se donnant elles mêmes pour de mystères, et ne pouvant avoir l'évidence intrinsèque en leur faveur, il en résulte, que le thaumaturge disparu, les objections rationelles et les fins de non recevoir abondent à l'encontre du révélateur. Guerre donc et guerre à mort au miracle; tel est le mot d'ordre, telle est la consigne de la coalition rationaliste. Pas de raison à alleger. C'est ici un principe premier dont on n'a pas le droit de demander la preuve: le miracle n'existe pas, le miracle n'est pas possible; quiconque admet le miracle devient le transfuge de la raison, le maudit de la philosophie, l'excommunié de la critique; il y a un abime entre lui et la science positive». (Card. Pie, *Œuvres*, vol. 5, *Troisième Instruction* etc. pag. 106 seqq.)

Utrum autem Deus non quidem de ordinaria, quam dicunt, potentia, sed de absoluta; nec in præsenti, sed in alio providentiæ ordine, potuerit verum patrare miraculum ad falsum aliquid confirmandum: disputabant veteres Theologi, quibusdam affirmantibus, negantibus pluribus. Vide Suarez (*de Mysteriis Vitæ Christi*, disp. 31, sect. 2, *Hæc argumenta*), Ripalda (*de Ente supern.*, disp. 11, sect. 6, n. 33).

ARTICULUS III.

Utrum miracula sunt possibilia.

Quinam negent miracula esse possibilia.

118. Negavit miraculorum possibilitatem Benedictus Spinoza, quem uno agmine sequuntur rationalistæ, materialistæ, increduli, deistæ, positivistæ, uno verbo naturalistæ omnisque atheorum et impiorum hominum turba: hi omnes nihil volunt supra naturalem rerum ordinem positum agnoscere. Eminent inter miraculi osores post Spinoza, Voltairius, Tolandus, Emmanuel Kantius, Wegscheider, D. F. Strauss, Renan, Julius Simon Feuerbach, aliique, ac recentissime Petrus Larousse in suo *Dictionario*. Non defuerunt etiam, qui cum Josia Bunsen (1) miraculorum possibilitatem nomine tenus concederent, reipsa denegarent, distinctis duobus miraculorum generibus, quorum alia sint possibilia, impossibilia alia. Inter possibilia autem sola facta insolita complectitur, quæ præter consuetum rerum ordinem naturalium virtute causarum contingunt; impossibilia vero dicit ea omnia, quibus solis ex catholicorum doctrina ratio ac nomen miraculi proprie convenit (2). Miraculorum quoque repugnantiam supponunt omnes illi scriptores, qui eo nervis omnibus contendunt, ut miracula omnia, quæ sacræ Litteræ testantur, tamquam facta naturalia irrito conatu explicent. Jam enim obsoletæ sunt insanæ illæ miraculorum impugnationes, quibus olim impii homines Evangelistis ac cæteris Hagiographis fraudis ac mendacii crimen impudentissime appingebant: veritas enim ac sinceritas narrationis tanto lumine refulsit omnium oculis, ut jam minime liceret tale genus telorum contra miracula intorquere. Veracitatem ergo sacrorum scriptorum fatentur multi christianæ religionis hostes: id unum

Lugo (*de Virtut. Fidei divinæ*, disp. 2, art. 1, n. 15 seqq.); Albertin. (*Theologicor. corollar.*, tom. 1, quæst. 3 ex 3.° *princip. Philos.*, dub. 2) etc.

(1) *Das ewige Reich Gottes und das Leben Jesu:* opus posthumum a M. Holtzmann anno 1865 editum Lipsiæ.

(2) Apud cl. Vigouroux, *La Cosmogonie Mosaique II*, chap. 2. Paris, 1880.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magna gravitate observant, portentosa illa facta, quæ ab illis narrantur, perperam esse intellecta, ob temporum videlicet tristitiam hominumque ignorantiam, qui vera miracula esse crediderunt ea, quæ vere miracula non sunt, sed phænomena mere naturalia, licet extra solitum ordinem posita, ex sola causarum naturalium virtute secundum statas et immutabiles leges profecta. Novum istud non minus stultum bellandi genus aggressi sunt in Germania Joannes Gottfried Eichhorn (1) et Henricus Eberhard Gottlob Paulus (2): quorum primus Veteris, alter Novi Testamenti miracula omnia tamquam facta naturalia interpretanda sibi proposuere (3). Nos veritatem miraculorum, quibus pleni sunt sacri libri, Theologis vindicandam relinquimus, possibilitatem autem omni ope studioque propugnare conabimur; ut decet christianos Philosophos, quibus nihil carius et gloriosius esse debet, quam ut quidquid in servitium catholicæ religionis ratio naturali lumine disputando assequi potest, evincere totis viribus connitatur.

Miracula possibilia sunt.

119. PROPOSITIO. **Miracula possibilia sunt** (4).

Prob. 1.° A posteriori. A facto enim ad *posse*, ut ajunt, valet consequentia. Atqui ex historiis omni fide dignissimis constat plura facta contigisse in mundo identidem præter et contra ordinem omnem naturalium causarum. Ergo... Verum quia Minor nequit a nobis probari nec defendi, nisi longa instituta disputatione circa sinceritatem ac veritatem sacrorum librorum naturamque ipsorum mirabilium factorum, quæ in eisdem narrantur, de quibus omnibus Theologi copiosissime solent disputare, ad alia nobis magis philosophica argumenta properandum est.

(1) *Repertorium für biblische und morgendländische Litteratur; Allgemeine Bibliotek der biblischen Literatur; Enleitung in das Alte Testament.*

(2) *Philologisch-Kritischer und historischer Commentar über das Neue Testament; Leben Jesu etc.; Exegetisches Handbuch über die drei ersten Evangelien.*

(3) Vide cl. Vigouroux, Op. cit, II, chap. 4, 5 seqq.

(4) Fuse de hoc S. Thom. *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 99; *de Potent.*, quæst. 6, art. 1; 1 p., quæst. 105, art. 6.

Prob. 2.° Si Deus est causa essendi aliis omnibus rebus, habetque singularum propriam ac distinctam cognitionem et providentiam, qua illas ad fines suos promoveat, atque ad omnes earum cooperetur actiones, nec denique agit ex necessitate naturæ, potest certissime miracula patrare. Atqui Deus reapse et est causa cæterorum omnium, et providentiam eorum gerit, ac libere operatur. Ergo...

Minor licet jam probata manet quoad primum membrum; tamen quoad omnia tria fuse probanda erit in Theologia naturali tamquam certissima veritas.

Major patet, tum quia fere omnia adversariorum argumenta tandem petuntur, sive ex eo quod mundus sit a se causæque naturales prorsus independenter a Deo et necessario operentur, sive ex eo quod Deus careat libertate agendi in mundo aliter, ac agit servando naturæ cursum (1); tum quia hisce tribus principiis concessis, plane intelligitur, quomodo possit *Deus operari præter causas creatas, sicut et ipse operatur in omnibus causis creatis...; et operando præter causas creatas possit operari eosdem effectus, quos eisdem mediantibus operatur et eodem ordine; vel etiam alios et alio ordine; et sic possit aliquid facere contra communem et solitum cursum naturæ* (2).

Probatio hæc Angelici Doctoris est: *Hisce tribus habitis*, inquit, *scilicet quod Deus sit rebus naturalibus causa essendi, et quod propriam cognitionem et providentiam habeat de unoquoque, et quod non agat ex necessitate naturæ; sequitur quod potest præter cursum naturæ aliquid agere in particularibus effectibus, vel quantum ad esse, in quantum aliquam novam formam inducit rebus naturalibus, quam natura inducere non potest, sicut formam gloriæ; aut huic materiæ, sicut visum cæco; vel quantum ad operationem, in quantum retinet operationes rerum naturalium, ne agant, quod natæ sunt agere, sicut quod ignis non comburat, ut patet* Danielis *cap. 3.°, vel quod aqua non fluat, ut patet de aqua Jordanis,* Josue, *cap. 5.°* (3).

(1) Vide S. Thomam *(de Potent.* quæst. 6, art. 1) ex hoc triplici capite repetentem errorem eripientium Deo facultatem operandi in rebus creatis præter causas naturales vel contra cursum naturæ.

(2) S. Thom. loc. nuper cit. initio corp.

(3) S. Thom. loc. nup. cit. fin. corp.

Dices, quamvis tria prædicta principia concedantur, adhuc non sequi possibilitatem miraculi. Nam est quidem Deus absolute et antecedenter liber; at semel decreto hoc ordine mundano, nequit jam præter istum naturæ cursum agere, nisi velis, ut vel suam retractet æternam voluntatem, vel eamdem ipsemet violet.—**Verum respondeo** *negando* assertum. *Deus enim non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æterna sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat* (1). Verum operæ pretium est, ut probationem istam, quæ firmissima est ac fundamentalis, magis evolvamus, ac sub aliis formis proponamus, ut res tanti momenti magis magisque illustretur. Itaque

Prob. 3.° Miraculum est opus superans ordinem totius naturæ creatæ; potest autem opus aliquod ordinem totius naturæ superare, vel quoad rei substantiam, vel quoad subjectum in quo fit, vel solum ratione modi, quo fit, secundum primam e divisionibus in præcedenti articulo explicatis. Atqui potest Deus profecto tria hæc operum genera efficere. Ergo...

Prob. Minor. Certum est ex probatis in *Ontologia* (2) non omnia intrinsece possibilia existere, itemque possibilia esse entia hisce creatis perfectiora (3). Ergo potest Deus efficere, quæ superant quoad ipsam rei substantiam ordinem totius naturæ creatæ. Et re quidem vera virtus ac potentia Dei se extendit, qua late patet imitabilitas naturæ divinæ. Atqui naturæ divinæ imitabilitas non est exhausta per hunc mundum, et per effectus intra virtutem naturalium causarum contentas. Ergo...

Præterea sicut Deus omnia creavit e nihilo, ita potest supplere per se omnem creatæ causæ activitatem, atque adeo ipse solus efficere quidquid possunt causæ naturales

(1) S. Thom. loc. sup. cit. ad 6.um. Cfr. 1 p. quæst. 105, art. 6, ad 3.um

(2) Num. 234, pag. 648.

(3) Vide quæ superius scripsimus contra Optimismum, n. 27 seqq. Cfr. disputata in *Ontologia* n. 204 seqq., pag. 588 seqq.

operari; nisi sermo sit de quibusdam actionibus, quæ in suo conceptu involvunt ordinem ad creaturam, qualis est v. g. actio peccaminosa. Absurdum quippe foret omnipotentem causam non posse per se facere id, quod possunt causæ naturales (1). Quare potest Deus ea, quæ naturam superant solum ratione modi, quo fiunt; potest nempe comburere v. g. sine igne, sanare momento temporis, nullo adhibito remedio, efficere, ut lapis sursum levetur, vel suspensus hæreat absque naturali fulcro. Etenim docente Aquinate, *hoc ipsum, quod causæ secundæ ordinantur ad determinatos effectus, est illis a Deo: unde Deus, qui alias causas ordinat ad determinatos effectus, potest etiam determinatos effectus producere per seipsum sine quocumque alio* (2). Ex quo etiam plane sequitur posse Deum ea, quæ naturam superant ratione subjecti, in quo fiunt. Sane cur v. g. secundum naturalem ordinem putridum cadaver anima informari, vel organum corruptum cæci nequit potentia videndi donari? Quia materia illa disposita non est hic et nunc, nec potest per vires naturales statim disponi, ut sit subjectum capax recipiendi animam vel vivendi potentiam. Atqui potest profecto Deus illico materiam apte disponere ad ejusmodi formarum receptionem: sicut initio limum terræ disposuit ad recipiendum spiraculum vitæ cum omnibus sensibus ac facultatibus in Adamo, et quotidie disponit per medias causas naturales semina præparando et evolvendo pedetentim, donec stato tempore generetur homo. Id ergo faciat gloriosus Deus, et illico Lazarus reviviscet (3), et oculi illius, qui cæcus natus fuerat aperientur, ut videant (4), et virga Moysis verti poterit in colubrum coram Pharaone (5).

Prob. 4.° Potest Deus, stantibus, hisce legibus naturalibus certas actiones certosque modos operandi exigentibus, efficere: α) ut nullus sequatur effectus; vel β) ut effectus producatur, quando non deberet produci, vel producatur longe præstantior, quam naturales causæ postularent; vel γ)

(1) Cfr. S. Thom. 1, quæst. 105, art. 6. Cfr. ibid. art. 2.

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 105, art. 1 ad 3.um

(3) *Joann.*, cap. 11.

(4) *Joann.*, cap. 9.

(5) *Exod.*, cap. 7.

ut contrarius effectus existat. Atqui quidquid horum contingat, verum habebitur miraculum. Ergo...

Minor patet.

Major probanda est per partes: α) *stantibus hisce legibus potest nullus effectus sequi, etiamsi adsint omnia prærequisita naturalia ad operandum necessaria*. Nam, ut agentes de genere necessitatis naturalium legum notavimus, ordo causarum naturalium hic est, ut agere nequeant nisi cooperante Deo; Deus autem in agendo ad extra, atque adeo in præbendo creaturis concursu ad operandum, liber est, ut possit quotiescumque pro infinita sua sapientia ita videbitur, non agere, nec concursum ad agendum exhibere. Ergo stantibus hisce legibus potest non sequi operatio vel effectus, qui sequi debuisset: hoc pacto si Deus nolit igni cooperari ad comburendum, mediis flammis homo illæsus abibit. β) *Stantibus hisce legibus potest produci effectus, quando non deberet produci, vel longe præstantior quam par esset*. Nam quamvis is ordo naturæ sit, ut effectus naturales non gignantur, nisi ex certis causis certove modo, Deus tamen, qui omnia de nihilo creavit, poterit præter ordinem naturalium causarum aliquid efficere, et sic multiplicari poterunt quinque panes, ut quinque hominum millia saturentur (1), vel e saxo fons, percutiente virga Moysis, scaturire (2), vel manna e cœlo pluere inter silentia noctis, quo vescantur filii Israel per desertum (3). Præterea quamvis Deus concursum suum creaturarum pro specifica varietate viribus et exigentiis accommodet, potest nihilominus etiam virtuosius cooperari causis secundis agentibus. Hoc modo potuit Samson suis manibus dilacerare leonem, quasi hædum in frusta discerpens, et asini maxilla mille viros de Philistiim interficere, concussisque fortiter columnis, quibus innitebatur domus plena virorum ac mulierum, diruere illam, moriens cum ingenti strage Philisthinorum (4).

γ) Denique *stantibus hisce legibus potest existere contrarius effectus*. Nam leges non sunt ipsæ actiones, verum normæ

(1) *Joann.*, cap. 6.
(2) *Exod.*, cap. 7
(3) *Exod.*, cap 16.
(4) *Judic.*, cap. 14, 15, 16.

vel determinationes, secundum quas naturæ cum viribus consentaneis operari solent. Quoniam ergo causæ creatæ, ut secundum prædictas leges operentur, egent divino concursu; si paratis omnibus prærequisitis naturalibus decernat Deus concursum consentaneum denegare, simulque transeunter contrariam vim imprimere, vel certe concursum talem exhibere, qualis conveniret causæ contrariam virtutem habenti, contrarius sequetur effectus. Sic Eliseus ferrum securis in aquam prolapsæ fecit enatare; *Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis neque contristavit, neque quidquam molestiæ intulit* (1).

Denique ex doctrina Fidei constat posse Deum miracula patrare, prout sæpe testantur sacræ Litteræ Patrumque constans traditio, ac tandem definivit Vaticanum Concilium in hæc verba: *Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; anathema sit* (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

120. Objic. 1.° «Id quod Deus vult, sive determinat, æternam necessitaem et veritatem involvit. Ostendimus enim, ex eo quod Dei intellectus a Dei voluntate non distinguitur, idem nos affirmare, cum dicimus Deum aliquid velle, ac cum dicimus Deum id ipsum intelligere. Quare eadem necessitate, qua ex natura et perfectione divina sequitur, Deum rem aliquam, ut est, intelligere, ex eamdem sequitur, Deum eamdem, ut est, velle. Cum autem nihil nisi ex solo divino decreto necessario verum sit; hinc clarissime sequitur, leges naturæ universales mera esse decreta Dei, quæ ex necessitate et perfectione naturæ divinæ sequuntur. Si quid igitur

(1) *Daniel*, cap. 30, v. 49, 50.
(2) Concil. Vatican., *Constit. de Fide Cathol., Canones*, parag. 3, *de Fide*. Can. 4; apud Denzinger. *Enchirid.*, num. 1660. Cfr. Syllab. num. 7, apud Denzinger, n. 1154.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA TEOLÓGICA SAN JUAN DE ÁVILA

in natura contingeret, quod ejus universalibus legibus repugnaret, aut si quis statueret Deum contra leges naturæ agere; is simul etiam cogeretur statuere, Deum contra suam naturam agere, quo nihil absurdius.» Ita Spinoza (1).

Resp. *dist.* Major. Quidquid Deus vult, æternam necessitatem et veritatem involvit absolute et antecedenter, id est, ita vult omnia ut non potuerit non velle, vel velle aliter, ac vult de facto, *neg.*, conditionate et consequenter, id est supposito quod Deus libere ab æterno decrevit aliquid, jam illud in sensu composito talis decreti, non potest non esse, *conc.*

Neg Minor, quod nempe nihil sit verum nisi ex necessario decreto Dei; tum quia omnes veritates ordinis intelligibilis essentialia prædicata enuntiantes, tales sunt independenter ab omni decreto vel actu divinæ voluntatis ut constat ex probatis in *Ontologia* circa essentiarum proprietates et internam rerum possibilitatem (2); tum quia ipsa entium actualis existentia licet pendeat a divino decreto, non tamen a decreto necessario.

Consequens *distinguo*. Leges naturæ universales mera sunt decreta Dei formaliter, seu ipsi actus divini intellectus, vel lex æterna subjective spectata, *neg.:* sunt effectus divinorum decretorum, seu participatio legis æternæ (3), *subdist.;* ita ut ex perfectione divinæ naturæ sequatur, quod dentur in creaturis tales leges, *trans.;* quod semper et ubique absque ulla exceptione observentur, *neg.* Tum *neg.* ultimum conseq.

Ad probationem Majoris *neg.* antec. et conseq. Quamvis enim velle et intelligere idem sint re ipsa in Deo, ratione tamen distinguuntur, neque est idem Deum aliquid velle, ac Deum aliquid intelligere: unde quamvis quidquid est, Deus necessario intelligat, prout est hic et nunc, non tamen quidquid vult, necessario vult ita esse, prout est actu; sed potuit aliter velle. Verum de his in *Theologia naturali* agendum est.

(1) *Tract. Theolog. polit.*, cap. 6.

(2) Vide n. 21, et 242; pag. 60 et pag. 673.

(3) Recole superius scripta n. 90, pag. circa rationem et conceptum legum physicarum vel naturalium.

Objic. 2.° «Cum virtus et potentia naturæ sit ipsa Dei virtus et potentia, leges autem et regulæ naturæ ipsa Dei decreta, omnino credendum est, potentiam naturæ infinitam esse, ejusque leges adeo latas, ut ad omnia, quæ ab ipso divino intellectu concipiuntur, se extendant. Alias enim quid aliud statuitur, quam quod Deus naturam adeo impotentem creaverit, ejusque leges et regulas adeo steriles statuerit, ut sæpe de novo ei subvenire cogatur, si eam conservatam vult, ut res ex voto succedant?» Ita iterum Spinoza (1), quem secutus est Voltairius (2).

Resp. *neg.* prorsus primum membrum asserti, scilicet quod virtus naturæ sit ipsa virtus Dei eaque infinita; id enim pantheisticum est.

Alterum membrum *dist.* Leges naturæ adeo latæ sunt, ut ad omnia, quæ a divino intellectu concipiuntur, se extendant, quoad aptitudinem et quantum est de se, *conc.*; quoad actum, *neg.*: excipiendi enim sunt casus, in quibus Deo placuit, ut ordo naturæ non servaretur.

Probationem autem *nego*, quia quamvis Deus non dedit naturæ infinitam et ineluctabilem virtutem, non tamen impotentem fecit, sed donavit potentia, quæ et naturæ suæ specificæ conveniret, et divino dominio penitus in operando subjiceretur, quo dominio Deus exuere se nequit. Præterea leges non ideo suspenduntur in sua executione, quod ineptæ sint ad suum proprium finem, videlicet ad mundani ordinis conservationem, sed quia earum suspensio aptissima est ad altiorem finem, quem Deus intendit, ad manifestationem gloriæ suæ confirmationemque veritatis alicujus supernaturalis aut sanctitatis, ad quem finem non est a Deo institutus hic præsens ordo naturalis legumque physicarum constantia, prout jam explicatum est, cum de fine miraculorum ageretur. *Nam præter causas naturales fecit* (Deus) *ut homo effectum, quem causis visibilibus attribuire non potest, in aliquam superiorem causam reducere cogatur, ut sic ex visibili miraculo divina potentia manifestetur* (3).

(1) Ibid.

(2) *Dictionaire philos.*, art. *Miracles.*

(3) S. Thom. *de Potent.* quæst. 6, art. 1 ad 4.um Hac responsione concidit primum Petri Laroussi aliorumque miserum argumentum ex

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objib. 3.° Miraculum est violatio legum mathematicarum et immutabilium. Atqui repugnat violatio legum ejusmodi. Ergo.—Hæc etiam objiciuntur a Spinoza et Voltairio aliisque.

Resp. *neg.* Major.; tum quia legem non violat, qui lege non tenetur; tum quia leges naturæ non sunt immutabiles ac mathematicæ relate ad executionem, quatenus mathematice repugnet, quod exceptionem in aliquo casu patiantur, sed tantum ad summum in seipsis seu in sua existentia, quatenus quemadmodum Deus nequit hominem creare, quin legem naturalem eidem imponat, ita non potest quidpiam creare, quin essentiales ordines ac determinationes imprimat ad finem suum assequendum necessarias. Et hæc est confusio satis communis inter miraculorum hostes, et etiam inter quosdam alios auctores, qui cum legem naturæ reponant in ipsa uniformitate operationum, consequenter arbitrantur, cum miracula fiunt, legem ipsam mutari, quia nempe mutatur, vel abrumpitur cursus naturæ seu modus uniformis operandi. Verum aliud est lex et aliud uniformis operatio consequens ex lege, seu executio legis vel cursus naturæ, ut suo loco monuimus. Cum miraculum patratur, lex ipsa invariata manet, et solum lex non executioni mandatur; quia quamvis remaneat semper determinatio atque exigentia uniformiter operandi, non sequitur de facto uniformis operatio. Simili modo cum vel homo legem violat, vel legis lator aliquem ab ea dispensat, profecto legem ipsam non mutat, sed ejus executionem suspendit. Totam hanc doctrinam dudum tradiderat Aquinas: *Licet Deus faciat aliquem effectum præter actionem causæ naturalis*, **non tamen tollit ordinem causæ ad suum effectum; unde et in igne fornacis** (babylonicæ) **remanebat ordo ad comburendum, licet non combureret tres pueros in camino** (1).

Leges naturæ per miraculum non mutantur, sed tantum earum executio pro eo casu suspenditur.

Objic. 4.° Deus miraculum efficiens secum ipse pugnaret; nam ex altera parte vellet leges servari, ex altera illarum executionem impediret. Ita D. F. Strauss.

eo petitum, quod miraculum ostenderet opus creationis defectuosum esse, et manu emendatrici artificis identidem egere: quod argumentum laborat ignoratione elenchi summamque arguentium aut ignorantiam aut malam fidem patefacit, ut constat ex dictis de fine miraculorum.

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 20.um

Resp. *neg.* assert. Nam Deus vult quidem leges generatim servari, et simul decernit pro casu particulari legis alicujus suspensionem propter fines suos altissimos: hæc autem duo minime pugnant inter se, quidquid contendat impius scriptor.

Objic. 5.° Repugnat aliquid fieri contra ordinem divinæ providentiæ. Atqui miracula sunt contra divinæ providentiæ ordinem. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Nam omnia continentur sub divinæ providentiæ ordine, et naturalia et supernaturalia, et cursus naturæ et ejusdem exceptiones; quæ omnia contingunt, decernente Deo et ad sanctissimos simul ac sapientissimos fines dirigente, ut patet ex dictis circa causam miraculorum finalem. Præclare rem hanc evolvit Angelicus Doctor: *Ordo... inditus rebus a Deo, secundum id est, quod in rebus frequenter accidere solet, non autem ubique vel secundum id, quod est semper: multæ enim naturalium causarum effectus suos producunt eodem modo ut frequenter, non autem ut semper, nam quandoque, licet ut in paucioribus, aliter accidit, vel propter defectum virtutis agentis, vel propter materiæ indispositionem, vel propter aliquod fortius agens; sicut cum natura in homine generat digitum sextum. Non autem propter hoc deficit, aut mutatur providentiæ ordo: nam et hoc ipsum quod naturalis ordo institutus secundum ea, quæ sunt frequenter, quandoque deficiat, providentiæ subest divinæ. Si ergo per aliquam virtutem creatam fieri potest, ut ordo naturalis mutetur ab eo, quod est frequenter, ad id quod est raro, absque mutatione providentiæ divinæ; multo magis divina virtus quandoque aliquid facere potest sine suæ providentiæ præjudicio, præter ordinem naturalibus inditum rebus a Deo. Hoc enim ipsum ad suæ virtutis manifestationem facit interdum: nullo enim modo melius manifestari potest, quod tota natura divinæ subjecta est voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse præter naturæ ordinem aliquid operatur. Ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit ab eo, et non per necessitatem naturæ, sed per liberam voluntatem, etc.* (1).

Objic. 6.° Totus naturæ cursus a divina sapientia procedit, sicut artificiata ab arte humana, testante

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 3.°, cap. 99 vers. fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Agustino (1). Sed artifex non facit aliquid contra suam artem, nisi per errorem, qui cadere in Deum non potest. Ergo nec Deus potest aliquid facere contra cursum naturæ, operando miracula.

Resp. *Ars divina non tota seipsam explicat in creaturum productione* (secundum naturalem ordinem): *et ideo secundum artem suam potest alio modo aliquid operari, quam habeat cursus naturæ. Unde non sequitur, quod si potest facere contra cursum naturæ, possit facere contra suam artem: nam et homo artifex potest aliud artificiatum facere per suam artem contrario modo, quam prius facit* (2). Verbo sub arte divina continentur quæcumque Deus facit, sive servato cursu naturæ, sive præter naturalem ordinem.

Objic. 7.° Tantum se extendit potentia passiva in natura, quantum activa. Atqui non datur activa potentia naturalis, quæ valeat contra cursum naturæ. Ergo nec passiva. Sed repugnat fieri quidpiam, ad quod non est in natura potentia passiva seu receptiva. Ergo repugnat fieri aliquid contra naturæ cursum (3).

Resp. *dist.* primum conseq. Ergo nec passiva respectu potentiæ vel virtutis naturalis, *conc.*, respectu potentiæ infinitæ et increatæ, *subdist.*; non datur potentia passiva naturalis, *trans.*, obedientialis *neg.*

Contradist. Minor. subsumptam. Repugnat fieri quidpiam, ad quod non inest naturæ potentiæ passiva, saltem obedientialis, *trans.*, quamvis posset negari; nam ad creationem non requiritur ulla realis potentia passiva etiam obedientialis. Repugnat fieri quidpiam, ad quod non datur in natura potentia passiva naturalis, *subdist.*; repugnat fieri per potentiam vel causam naturalem et creatam, *conc.*; per infinitam et increatam, *neg.* (4)

Objic. 8.° Miracula fiunt in bonum hominis, ut dictum est. Atqui repugnat in bonum hominis agere contra naturæ

(1) Super illud S. Joannis cap. 1: *Quod factum est, in ipso vita erat.*

(2) S. Thom. quæst. 6, art. ad 12.um

(3) Vide apud S. Thom. *de Potent.* loc. cit arg. 18.

(4) Cfr. S. Thom. loc. sup. cit. ad 18.um Recole, quæ scripsimus in *Ontologia* n. 210, 211, 212, pag. 598 seqq.

cursum. Sane repugnat, ut majus bonum dimittatur ob minus bonum. Atqui bonum universi, quod perturbatur, cum aliquid miraculose efficitur contra naturæ ordinem, majus est, quam bonum hominis, quippe quod continetur sub bono universi, tamquam pars sub toto. Ergo... (1).

Resp. *neg.* Minor. At probation, *neg.* suppositum, videlicet, quod per miraculum perturbetur ordo ipse universalis, ac proinde quod bonum universi totius deseratur propter bonum particulare hominis, aut certe eidem subjiciatur. *Quando Deus agit aliquid contra cursum naturæ*, inquit S. Thomas, *non tollitur totus ordo universi, sed cursus, qui est ex ordine unius particularis rei ad aliam. Unde non est inconveniens, si aliquando contra cursum naturæ aliquid fiat ad salutem hominis, quæ consistit in ordinatione ipsius ad ultimum finem universi* (2).

Nec debet hæc ratio frivola reputari, scribit alibi idem S. Doctor, *quod Deus aliquid facit in natura ad hoc, quod Deus se mentibus hominum manifestet; cum supra* (3) *ostensum sit, quod omnes creaturæ corporales ad naturam intellectualem ordinantur quodammodo sicut in finem. Ipsius autem intellectualis naturæ finis est divina cognitio, ut in superioribus ostensum est. Non est ergo mirum, si ad cognitionem de Deo intellectuali naturæ præbendam, fit aliqua mutatio in natura corporali* (4).

Objic. 9.° Si Deus miracula posset facere ad altiora sua consilia perficienda; vel potuit illa impiere absque miraculis, vel non. Si potuit, quid opus erat miraculis? Si non potuit, ubinam ejus potentia infinita? Miracula ergo derogant divinæ sapientiæ et potentiæ (5).

Resp. potuisse Deum absque miraculis sua perficere consilia; noluisse tamen, ut suam ostenderet potentiam in

(1) Vide apud S. Thom. loc. cit. argumento 21; quod postea objecit etiam Voltairius.

(2) S. Thom. loc. sup. cit., ad 21.um

(3) *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 17.

(4) S. Thom., lib. 3. *Cont. Gent.*, cap. 99 fin.

(5) Apud Roselli, *Summ. Philos.*, tom. 3, quæst. ult., art. 1, arg. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

totam naturam (1). *Hoc enim ipsum ad suæ virtutis manifestationem facit interdum*, inquit S. Thomas. *Nullo enim modo melius manifestatur, quod tota natura divinæ subjecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse præter ordinem naturæ aliquid operatur* (2).

Recole quæ superius soluta sunt argumenta contra legum naturalium hypotheticam duntaxat necessitatem (3). Quæ vero Petrus Larousse novissimæ congerit in suo *Dictionario*, tam stulta sunt tantamque ignorantiam catholicæ doctrinæ cum insigni blasphemia et impietate mixtam produnt, ut supervacaneum judicem singillatim persequi (4).

ARTICULUS IV.

Utrum vera miracula discerni a naturalibus eventibus queant.

Quinam e negaverint miracula discerni posse.

121. Negarunt Spinoza, Hume, J. J. Rousseau, Wegscheider, Strauss, Renan, et alii. Difficultas autem hac in re non versatur præcipue circa veritatem historicam facti miraculosi: de illa enim judicandum est sicut de quodlibet alio historico facto secundum criteria tradita in *Logica*, ubi et sensuum veracitatem et vim testimonii ad faciendam certam quandoque fidem vindicavimus. Difficultas ergo potissimum spectat veritatem, quam dicunt philosophicam: quamvis enim de facto aliquo constet, dubitari potest de natura facti, utrum nempe sit illud reapse miraculosum in se. Et ratio est, quia cum nemo perspectas habeat omnes leges naturæ, timere jure merito potest, utrum factum, quod aut ipse suis oculis perspicit, aut ab aliis fide dignissimis narratum audit, vel legit, vere ordinem naturæ superet, an vero ex occulta ignotave quadam lege promanet. Enimvero quot nunc facta videmus naturalia in multiplici applicatione agentium

Ratio difficultatis.

(1) Vide Roselli, loc. cit., ad 6.um

(2) S. Thom., *Cont. Gent.*, libr. 3, cap. 99.

(3) Num. 108, pag. 181.

(4) Idem dicendum de aliis recentioribus, quorum inanissimas objectiones vide solutas a P. De Bonniot in suo opere *Le Miracle et ses Contrefaçons*.

physicorum, caloris, electricitatis et magnetismi, quæ olim incredibilia et miraculosa videri potuissent, ob ignorantiam scilicet causarum ac virium naturalium! Ita ergo timendum forte est, ne quæ sint in natura occultissimæ virtutes, ex quibus omnia miraculosa phænomena proficiscantur. Augetur difficultas ex præmissa superius doctrina circa efficientem causam miraculorum. Cum enim angeli, sive boni sive mali, multa efficere valeant sua propria virtute, quæ miraculosa omnino appareant, et essent reapse talia, si per virtutem divinam fierent, non tamen sunt, si ab Angelis propria virtute producantur; quo pacto, quave arte innotescere nobis poterit, quænam illorum causa hic et nunc extiterit, cum et Deus et creati spiritus corporei sensus aciem penitus effugiant? Ex altera vero parte, nisi verum miraculum discernere possimus, frustra illorum possibilitas a nobis vindicata est, frustraque illâ patraverit unquam Deus: immo vero nec admittere necesse erit illa, quæ in Sacris Litteris narrantur, nec poterit exinde ullum ad confirmandam catholicam veritatem repeti argumentum, id quod salva Fide consistere non potest.

122. PROPOSITIO. **Non desunt indicia ad miracula certo cognoscenda, et ab omni eventu naturali discernenda.**

Datur miraculi cognoscendi certa criteria.

Est veritas definita in sacrosancto Concilio Vaticano iis verbis, quæ in præcedenti articulo scripta reliquimus.

Prob. 1.° A priori, eo argumento, quod nuper innuimus. Certum enim est miracula possibilia esse, nec posse ob alium finem effici, nisi ut hominibus suam Deus gloriam excellentiori quadam ratione per illa patefaciat, tamquam per certissima veritatis signa et testimonia, quemadmodum agentes de causa eorum finali declaravimus. Ergo necesse est, ut possint certo in seipsis cognosci. Hæc enim est naturalis conditio signi objectivi, ut prius in se cognoscatur; siquidem quod ignotum est, nequit profecto nos in alterius cognitionem ducere.

Prob. 2.° Ad hoc ut verum miraculum certo dignosci, ac discerni queat ab omni eventu naturali, duo necesse ac satis est, ut nobis innotescant: α) veritas facti vel operis, quod miraculosum dicitur, et β) veritas miraculi, quod nempe sit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

opus supra ordinem totius naturæ creatæ. Atqui duo hæc certo nobis innotescere queunt. Ergo...

Prob. Minor. per partes α) *Constare potest veritas facti.* Miraculum enim est factum sensibile. Atqui facta sensibilia certo cognosci possunt in sua realitate, vel per propriam experientiam, si ipsi nos ea perspeximus simul cum aliis; vel per aliorum testimonium fide dignorum iis in adjunctis, in quibus illi nec decipere nec decipi potuerunt, secundum ea, quæ in *Logica* diximus.

Dices 1.° Si vera sunt, quæ superius ipsi scripsimus de potestate, quam dæmones habent illudendi hominibus per varia phantasmata et præstigias, timeri poterit, ne nobis vere coram adesse videatur aliquid, quod nuspiam est.

Resp. Præstigiæ timendæ non sunt, ubi plures idem factum observant, ac potissimum ubi factum illud diu permanere cernitur; præstigiæ siquidem et illusiones subinde evanescunt, ac dissipantur.

Dices 2.° Opus miraculosum referunt testes, qui quantumvis fide digni habendi sint, solam præbere possunt motalem certitudinem pro existentia illius; contra existentiam autem adest physica certitudo fundata in legum naturalium constantia. Quare contra falsitatem testimonii sola militat moralis impossibilitas; at contra veritatem vel existentiam facti physica impossibilitas adest. Atqui moralis certitudo physicæ, moralisque impossibilitas cedat physicæ impossibilitati, necesse est. Ergo ubicumque occurrat narratio facti miraculosi, illico a priori repudianda est, vel tamquam mendax, vel tamquam puræ illusionis effectus (1).

Resp. *dist.* Minor. Ubi constet nullam adesse in legibus physicis exceptionem, *conc.* secus, *neg.*

Tum *neg.* conseq.

(1) Cfr. Hume, cujus hæc sunt verba: «Facilius est mille testes errare aut decipi, quam factum legibus naturalibus repugnans existere: primum moraliter tantum impossibile et experientiæ consonum: secundum vero physice impossibile et experientiæ contrarium est. In omni porro miraculo contra unum testem mille insurgunt: sic e. g. si unus testetur mortuum resuscitatum fuisse, milleni testes affirmant mortuos ad vitam haud redire». Apud Em. Card. Mazzella, de *Relig.* et *Eccles.*, disp. 1, art. 10, n. 207.

Certitudo physica innititur constantiæ legum physicarum, quam jam demonstravimus non esse adeo necessariam, quin possit aliquam interdum pati exceptionem per divinam omnipotentiam: quare tum solum obtinet, ut constat etiam ex dictis in *Logica Majori*, cum nulla adest probabilis ratio suspicandi vel formidandi contrarium. Nam cum adest probabilis ejusmodi ratio, prudens est formidare vel assensum retinere. At cum aliquis aut ipse rem physicis legibus contrariam observat, aut ab aliis fide dignis narratam audit, vel legit in iis præserim adjunctis, quæ omnem deceptionis ac mendacii suspicionem prudenter excludant, non solum habet prudentem rationem formidandi contrarium, sed etiam prudenter agendo non potest non certo judicare, quod exceptio aliqua in legibus physicis contingerit, atque adeo factum, quod aut coram adest, aut a talibus testibus refertur, quantumvis contrarium legibus, verum esse non autem phantasticum vel apparens.

Prob. Minor. quoad alteram partem: β) *potest constare veritas miraculi.* Et in primis nullum est hac in re dubium respectu operum, quæ superant naturam vel in se vel ratione subjecti, ut si sermo sit, v. g. de corporis glorificatione, vel de corporum compenetratione, vel de mortui ad vitam resurrectione, vel de restitutione amissi visus vel amputati membri. Hæc enim talia sunt facta, in quibus veritas operis separari nequit a veritate miraculi, ut per se patet: ac proinde si constat opus verum esse, non autem phantasticum, nihil jam amplius est inquirendum.

Difficultas autem est circa tertii ordinis miracula, quæ nimirum nec secundum substantiam, nec ratione subjecti, in quo fiunt, vires naturæ transcendunt; talia enim vel ab ipsa natura vel certe ab angelis per modum artis occulte applicando activa passivis effici potuerunt. Verum hæc quoque constare sæpe possunt ex adjunctis: et primo quidem ex operis modo, ac potissimum si momento temporis peracta fuerit, v. g. sanatio vel repentina virium recuperatio: certum enim est agentia et media naturalia, etiamsi occulte adhibeantur, tempus requirere ad agendum. Deinde si sanatio miraculosa contingit solo nutu vel ad vocem vel imperium alicujus sancti viri post effusas ad Deum preces, vel per

contactum manus, vestis vel reliquiæ: plane enim liquet hæc esse media naturaliter inepta ad talem obtinendum effectum. Denique sæpissime, quod nullum hic et nunc remedium naturale etiam invisibili modo applicetur, cognosci facile poterit tum ab adstantibus, qui omnia circumspiciunt, tum ab ipsomet homine, in quo fit miraculum, qui dummodo vigilet, suique sit compos, persentiscet profecto, si quod sibi remedium naturale applicatur. Quæ cum ita sint, etiamsi effectus in se vires naturæ corporeæ non superet, constare potest, illum hic et nunc sola divina virtute productum esse, non vero per naturæ creatæ vires, quantumvis occulte vel ab ipsis angelis applicatas. Et hæc sufficiunt ad propositam veritatem probandam: neque enim contendimus posse omnia prorsus vera miracula semper prout talia cognosci.

Illud tamen addo, si quando neque hisce neque aliis modis constare possit, utrum eventus hic et nunc contigerit sola virtute divina, an vero ex viribus naturalibus alicujus causæ creatæ occulte artificioseque operantis; pro miraculoso in praxi haberi posse, dummodo satis constet, illum 1.° neque ex consueto causarum, unde proficisci naturaliter potuisset, modo operandi; 2.° neque ex illusione demonum; 3.° neque ex fraude atque arte, sive humana sive diabolica, contigisse. Atqui hæc sæpe innotescere queunt. Ergo.

Prob. Major. Nam si quod opus constat, neque ex naturalibus viribus solito modo agentibus, neque humana vel diabolica fraude esse patratum, fieri non potuisse dicendum est, nisi vel divina virtute vel virtute creata angeli. Utrolibet autem modo contigerit, eumdem re vera valorem habebit in praxi relate ad finem, ad quem a Deo ordinatur operatio miraculosa. Etenim quamvis a naturali virtute angeli processisset, ideoque non fuisset, secundum nostram quidem sententiam, stricte ac proprie miraculum; cum tamen angeli boni nec velint, nec possint communem corporeæ naturæ ordinem perturbare, nisi præcipiente, aut saltem permittente ac precibus illorum cedente Deo, multoque minus possint ejusmodi perturbationem ad decipiendos homines falsumve aliquid obtrudendum ordinare, sed tantum ad ostendendam gloriam Dei summi conditoris verumque

testandum; certum est quidquid angeli boni faciant, sive ad confirmandam religionem, sive ad similem alium finem summopere valere. Tale enim opus est quoddam testimonium angeli boni; testimonium autem angeli boni sigillum veritatis est. Quare Benedictus XIV fuse probat opera miraculosa, quæ virtutem corporeæ naturæ transcendunt, quamvis talia sint, quæ a bono angelo effici suis propriis viribus potuerint, in causis Beatificationis et Canonizationis instar verorum miraculorum admitti posse, dummodo constet omnem in illis abfuisse fraudem sive humanam sive diabolicam (1). Sic v. g. si quis sanctus vir per extasim raptum per aërem fuisset, dummodo probetur nullam in eo facto intercessisse operationem diaboli vel occultum aliquod humanum artificium; pro dono Dei singulari ac sanctitatis indicio haberi potest, quamvis forte non constet, num ab ipso Deo immediate, an medio angelo e terra elevatus steterit.

Probatur ergo Minor. Et 1.° quidem constare potest, opus non prodiisse ex propriis causis vel viribus naturalibus, consueto modo agentibus. Nam ad hoc necesse non est cognoscere omnes vires naturæ *positive*, sed tantum *negative*, quatenus nempe compertum sit nullas hic et nunc pares effectui producendo causas adhibitas fuisse. Atqui sæpe manifestum est nullam causam applicari, ut si sola manuum impositione jam moriturus recipiat sanitatem cum pleno virium robore; vel eam, quæ forte applicata est, ineptam prorsus esse mirabili operi edendo, ut cum, clangentibus sacerdotibus et populo conclamante, muri civitatis Jericho funditus corruerunt (2), vel cum umbra transeuntis S. Petri sanabat ægrotos (3), vel cum visus cæco redditus est luto et saliva (4).

2.° Constare potest abfuisse fraudem vel artem humanam. Fraus enim potest esse vel in subjecto, in quo fit effectus, fingendo v. g. morbum, quem non habet, vel in operante. Et in subjecto quidem sæpissime liquet nullam esse posse

(1) Vide Benedict. XIV, Oper. cit., lib. 4, cap. 6, a n. 6
(2) *Josue*, cap. 6.
(3) *Act. Apost.* cap. 5, v. 15.
(4) *Joann.* cap. 9.

fraudem; adsunt enim morbi vel defectus manifestissimi, ut in claudo, qui ad portam speciosam templi Hierosolymitani petebat eleemosynam (1), et in paralytico, qui a triginta et octo annis jacebat in lecto (2), atque in aliis et medicorum et adstantium omnium testimonio notissimis. Quod vero nulla usus fuerit operans fraude vel arte per occultam aliquam naturalium causarum applicationem, sciri certo potest ex adjunctis personarum, finis, loci publici, modi operandi cæterisque.

Opera divina multipliciter a diabolicis distinguuntur.

3.° Denique potest etiam patere generatim ex adjunctis, quod opus non sit patratum arte vel fraude diabolica. Opera enim divina quintupliciter a diabolicis distingui possunt ex doctrina S. Thomæ: primo efficacia et veritate; vera enim miracula continent realem ac verum effectum, at in operibus diaboli sæpe nihil est solidum, vel certe nihil ad perfectionem adductum, sed vel pura ludibria et præstigiæ, vel solæ inchoationes ac tentamina quædam verorum effectuum. Secundo differunt durationc, nam quæ arte diabolica conficta sunt, diu perdurare nequeunt. Tertio fine, quia vera miracula fiunt ob gloriam Dei, vel charitatem proximi, vel commendationem virtutis, vel confirmationem veritatis; at falsa vel ob vanitatem, vel ob lucrum, vel ob ruinam animarum, eversionem veræ Fidei sanctorumque morum, aliumve inhonestum finem. Quarto distinguuntur modo: vera enim patrantur vel oratione vel invocato pie ac reverenter nomine Dei, falsa autem incantationibus, verbis aut signis inusitatis aliisque deliramentis. Quinto demum utilitate, quia vera miracula semper magnam aliquam afferunt utilitatem vel animæ vel corpori vel utrique; at diabolica opera vel vana prorsus et inutilia sunt, vel sæpe etiam nociva; est enim dæmon inimicus humani generis, quos non beneficiis cumulare, sed perdere ac post miseram et scelestam vitam in inferos detrudere vehementer exoptat (3).

(1) *Act. Apost.* cap. 3.

(2) *Joann.* cap. 5.

(3) *Signa facta per bonos possunt distingui ab illis, quæ per malos fiunt, tripliciter ad minus. Primo ex efficacia virtutis operantis; quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam, ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos et hujusmodi, quæ dæmones secundum veritatem facere non possunt, sed in præstigiis tantum, quæ durare non possunt. Secundo ex utilitate signorum. Quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum et hujusmodi: signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum stupida, et hujusmodi... Tertia differentia est quantum ad finem. Quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei et bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et quantum ad modum differunt. Quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie et reverenter, sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris, et hujusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab iis, quæ virtute dæmonum fiunt.* (S. Thom. 2.° dist. 7, quæst. 3, art. 1 ad 2 um). Cfr. Suarez *de Fide*, disp. 4, sect. 7, n. 9). Benedict. XIV, (Op. cit., lib. 4, cap. 4).

(1) Qua de re vide fuse disserentem Benedictum XIV seu Prosperum Lambertinum, Op. cit., lib. 4, par. 1.ª, cap. 23, ubi *de imaginatione et ejus viribus.*

Dices. Hæc omnia nondum sufficere ad verum miraculum discernendum, quia potest absque ulla fraude et nulla adhibita naturali causa extrinseca et visibili opus contingere mirabile, potissimum in morborum curatione, vi nempe imaginationis atque internæ spei ac persuasionis de obtinenda sanitate, quæ non raro stupentibus omnibus felicem effectum consecuta est.

Resp. Fateor quandoque dubium esse posse de natura operis, cum sermo est de curatione alicujus morbi provenientis ex nervei systematis perturbatione; exploratum siquidem est, quanta sit phantasiæ cum hoc systemate necessitudo, quantumque valeat illa ad hujus statum alterandum (1). Ubi autem sermo est de aliis curationibus, ac potissimum si læsio aliqua organica intercesserit, suspicio nulla restat de influxu imaginationis, quippe qui eo pertingere nequit, ut ipsa organa læsa subito nullo adhibito remedio restauret.

Illud demum generatim notandum venit, si quid fiat contra veritatem catholicæ doctrinæ morumque christianorum sanctitatem, miraculum esse non posse, quia nequit a Deo procedere vel a bono angelo. Si quod autem opus mirum fiat, in quo quia sancta omnia adjuncta apparent, nullo indicio detegi, vel saltem timeri prudenter queat, occulta aliqua fraus diaboli, videtur Deo esse omnino adscribendum. Quanquam

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim ut præclare docet Eximius Doctor, «non pertinet ad providentiam Dei non permittere falsa signa, quum ad probationem et profectum electorum prosunt: sed pertinet ad providentiam Dei dari auxilium, ac modum, quo possint dijudicari, et cognosci, quia non est divinæ bonitatis et sapientiæ, ut permittat hominem tentari ultra id, quod potest. Ac propterea quando, facta morali diligentia et investigatione, adhuc constat evidenter vera esse miracula, quæ fiunt in confirmationem doctrinæ, nulla relinquitur ratio dubitandi de talis doctrinæ veritate, præsertim si miracula sint frequentia, et magna auctoritate ac potestate facta, et vitæ innocentia ac sanctitate confirmata, et in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias divinas revelationes appareat». Quare, «quando sunt falsa miracula, uti docet idem Suarez, semper relinquitur aliquis modus, quo moraliter possint dijudicari, si homines, quod in se est, faciant ad cognoscendam veritatem. Primo, bene considerando ipsamet opera signaque et circunstantias eorum. Secundo, considerando personam, vitam et mores ejus, qui sic loquitur, et operatur. Tertio, considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi adversetur, vel aliis revelationibus divinis sufficienter propositis». (1).

Dices. Perperam adduci veritatem doctrinæ catholicæ ad discernenda vera a falsis miracula, quandoquidem hæc ipsa ad catholicæ doctrinæ confirmationem fieri superius docuimus. Id enim quid aliud est, quam vitiosum circulum in probationibus inducere?—**Resp.** *neg.* assert. Aliter enim est loquendum de primis miraculis, qui a Christo Domino et Apostolis ad stabiliendam revelatæ Fidei veritatem gesta sunt, et aliter de miris operibus, quæ nunc fiant, postquam jam tum ex prioribus miraculis tum ex aliis signis credibilitatis veritas christianæ Religionis certissime demonstrata manet. Nam prima illa miracula non probantur ex ipsa doctrina, ad quam confirmandam facta ea sunt, sed tanta fulgent evidentia tamque manifeste sunt, saltem plura illorum, supra ordinem totius naturæ creatæ, ut soli Deo tribuenda sint, quemadmodum Theologi ostendunt: tales sunt

(1) Suarez, *de Mysteriis Vitæ Christi*, disp. 31, sect. 2, n. 8.

v. g. resurrectiones mortuorum et partus virgineus et compenetratio corporum facta a Christo Domino, cum et lapidem sepulchri penetravit, et domum, in qua discipuli erant congregati januis clausis propter metum Judæorum (1), in corpore glorioso est ingressus. In his ergo miraculis, quæ ad ostensionem veritatis doctrinæ alicujus patrantur, sufficit, considerare, num doctrina illa manifeste in seipsa repugnet. Semel autem invicte probata Fidei christianæ veritate, si quis eam adduxerit ad falsitatem alicujus diabolici operis convincendam, nullum profecto vitiosum circulum committet, ut satis per se patet.

Dissolvuntur rationes dubitandi initio propositæ.

Ex his facile dissolvitur ratio dubitandi initio proposita. Nam nemo profecto perspectas habet omnes omnino naturæ vires, ita ut de omnibus affirmare tuto possit, quousque se earum efficacia extendat; at perquam sæpe potest homo sive doctus sive rudis, ipsa experientia duce, cognoscere quousque non possit illa pertingere. Atque ut in re concreta exemplum ponatur (a quo semper fugiunt adversarii, ut intra abstractionum latebras sese tegant), etsi fateamur nescire nos quousque se attollat nobilissima medicinæ ars, certo tamen scimus, nullum medicum solius voluntatis nutu vel voce quempiam infirmum sanare, os confractum consolidare, mortuum ad vitam revocare: quæ si contingerent, quis ambigat de miraculo? (2). Non ergo necesse est scire, quid valeant vires naturæ in quibusvis adjunctis; sed satis est nosse hic et nunc nullas intervenire naturæ vires effectui proportionatas. Et hæc quidem relate ad miracula tertii generis, quæ solum quoad modum, quo fiunt, superant naturam. Relate autem ad miracula primi et alterius generis, quæ sive quod rei substantiam sive quoad subjectum, in quo efficiuntur, naturam transcendunt, dubium esse nequit; talia enim sunt opera, quibus edendis nulla virtus naturalis, fatentibus cunctis, sufficere valeat. Quod autem addebatur de mirabilibus operibus, quæ calori, electricitati et magnetismo debentur, nihil habent commune cum miraculis. Neque videri unquam potuit miraculosum id, quod ex causarum naturalium viribus

(1) *Joann.* cap. 20.
(2) Perrone, *de vera Religione*, cap. 3, n. 141.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

consequitur. Vera autem miracula sunt, quæ vel nullis naturæ viribus fieri possunt, vel saltem hic et nunc fiunt absque illis sola divina virtute: quæ opera cognosci a nobis certo posse, cum fiunt, abunde probatum est.

Alterum etiam argumentum, quod petebatur ex miris effectibus, quos producere queunt angeli, satis explicatum manet. Cætera vero, quæ objici solent, facile solvuntur ex dictis (1).

Operationes magnetismi, spiritismi atque hypnotismi nihil habent cum miraculis commune.

123. SCHOLION. Hic tractari posset de quibusdam operationibus miris, quæ sub nomine potissimum *magnetismi*, *spiritismi* et *hypnotismi* nostris diebus sermone omnium ubique percrebrescunt, quæque sæpe ad plebeculæ pascendam curiositatem a circulatoribus, a multis medicis ad morborum etiam curationem obtinendam adhibentur. In hisce phænomenis gaudent materialistæ ac rationalistæ non pauci optimum se nactos esse armorum genus ad omnem miraculorum ordinisque supernaturalis fidem elevandam, atque adeo ipsam religionis catholicæ, quæ miraculis fundata et propagata est, veritatem adoriendam. Enimvero quid aliud sunt miracula, inquiunt, quorum causam et principium præceps christianorum credulitas et præteritorum ignorantia temporum in quadam altiori ac divina virtute reponebat, nisi opera et phænomena iis prorsus simillima, quorum nos ipsi sæpi testes sumus, quæ nos ipsi, quoties libet, per certa media processusque omnibus notos obtinemus? Atqui nihil in his omnibus est, quod naturæ ordinem viresque superet, nihil quod interventum causæ alicujus virtutisve altioris requirat. Ergo quæ *miracula* vocitantur a christianis, opera sunt omnino naturalia, sicut reliqua omnia naturæ phænomena: verbo, miracula veri nominis nulla dantur, nec dari queunt (2).

(1) Legi potest in hanc rem Prosper. Lambertinus, Op. cit. lib. 4, ubi a cap. 8.° fusissime ostendit, quanta opus sit prudentia, quantamque reapse adhibeat Ecclesia in judicandis variis factis miraculosis.

(2) Ipsemet Charcot, peritissimus medicus Parisiensis, postquam dereripuisset subitaneam hystericæ paralysis curationem ope hypnotismi obtentam, talia scribere non erubuit: «Cest là un exemple de guérison *miraculeuse* qui en explique beaucoup d'autres. Rien de mieux établi que ces faits dont, pour mon compte, j'ai été temoin plus d'une fois». Apud P. De Bonniot, *Le Miracle et ses Contrefaçons*, Préface, pag. IX.

Ad hanc solvendam difficultatem, possent et Major et Minor syllogismi ad trutinam revocari. Verum accuratior plenaque tractatio Minoris multarum rerum cognitionem postulat, quæ ad *Physiologiam* et *Psychologiam* spectant, atque adeo melius ad opportuniorem locum amandanda esse nobis videtur. Solum ergo ad Majorem brevissime nunc respondendum est.

Major porro falsissima est omnique plena dolo: quamobrem quidquid de Minori dicendum sit, sive nihil prorsus esset in phænomenis magnetismi, spiritismi et hypnotismi, quod vires et ordinem naturæ sensibilis transcederet, sive essent quædam, quæ per solas naturæ physicæ vires explicari non possent; nihil penitus conficitur isto argumento contra miraculorum veritatem, ut statim apparebit. Quod vero phænomena magnetica, spiritistica et hypnotica nihil habeant commune cum veri nominis miraculis, facile concluditur ex hactenus disputatis. Primo, quia in primis dantur miracula, quæ sunt supra et contra naturam, quæque vel ratione operis in seipso spectati, vel certe ratione subjecti, in quo fiunt, superant omnem creatam virtutem, sive corpoream sive incorpoream, sive sensibilem sive spiritualem. Talia sunt v. g. compenetratio corporum, resurrectio mortui, restitutio visus, vel membri amputati. Atqui multa prostant ejusmodi miracula in libris sacris ac certissimis Ecclesiæ anualibus Ergo nec miraculorum nec catholicæ religionis veritati quidi piam timendum est ex operationibus magnetismi, spiritismet hynotismi. Nihil enim est in hisce operationibus, quod ad præstantiam accedat miraculorum illorum, quæ ad primum et secundum genus pertinent ex superius declaratis. Id ultro fatentur adversarii, immo vero contendunt opera omnia, quæ sint supra vel contra naturam, repugnare prorsus, ac proinde a viro, qui omni litterarum scientiarumque cultura non careat, repudianda esse. Cumque id ratum fixumque habeant; si quod factum in historia repetiant, quod naturæ

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vires superare videatur, illico aut mendacem pronuntiant historiographum, aut certe credulum et ignarum, qui vel falsis rumoribus fabellisque nimis dociles præbuerit aures, vel perperam facta interpretatus sit, supra vel contra naturam facile reputans illa, quorum causas, quantumvis in se ipsis naturales, detegere atque explorare non potuisset. Atqui hoc argumentandi genus insanum est, indignum Philosopho, indignum sincero ac veraci naturæ inquisitore, indignum rationali homine. Sane vetant leges, quibus ipsa ratio regitur, ne quidpiam obfirmato animo tanquam certum assumatur, quod vel evidens per se non sit, vel idoneo argumento non demonstretur, multoque magis si contrarium manifeste probari possit. Ratio pariter suadet facta testimonio eorum comprobata, quos et veraces fuisse et rem, quam narrabant, compertam atque exploratam habuisse *morali cum certitudine* innotescit, recusari nullatenus posse, nisi velimus omnem penitus historicam fidem evertere (1). Jam repugnantia operum, quæ vel contra vel supra omnes vires naturæ creatæ sunt, neque evidens est in seipsa, neque evidenti ratiocinatione ostenditur, sed e converso evidenter absurda demonstratur, ut superius vidimus. Opera vero et supra et contra naturam divina virtute patrata tanta tamque irrefragabili testium omni exceptione majorum auctoritate constant, quanta certissima quæque facta historica, ut ea vel sola sufficerent ad probandam miraculorum possibilitatem, si hæc aliunde non demonstraretur invicte. Absurdi ergo sunt, quicumque miracula ejusmodi ex præjudicatis erroribus agnoscere renuunt. Atque adeo certum est miracula saltem multa longissime distare ab operationibus magnetismi, spiritismi et hypnotismi.

Verum non solum primi et secundi, sed tertii quoque ordinis miracula, videlicet illa opera, quibus edendis adsunt vires in natura creata, licet hic et nunc de facto non adhibeantur, nihil habent commune cum phænomenis magneticis aliisque id genus. Id constat, sive spectetur persona operans, sive modus et finis operandi, eo fere pacto, quo superius ostendimus posse miracula veri nominis discerni a

(1) Vide *Logic. Major.*, n. 131, pag. 616 seqq.

falsis atque ab omni opere naturali ac diabolico. Enimvero magnetica ista spectacula exhibent viri plerumque pietate minime conspicui, qui sæpe quæstum, recreationem, vanam curiositatem vel artis medicæ exercitationem spectant, qui religionem nihil curare videntur, qui gravissimis adhærent erroribus in Fide, immo vero qui eo forte ipsa hæc opera dirigunt, ut catholicam veritatem impugnent, et miracula Christi Domini ac Sanctorum blaspheme irrideant, aut certe in dubium revocent. In modo autem operandi etiam tum cum abest omnis joculatoria levitas, nihil certe reperias, quod sanctitatem spiret, quod religionem pietatemve sapiat, quod animos ad res divinas convertat. Quidquid ergo obganniat inepta quorumdam scoliorum garrulitas, comparari opera magnetica nequeunt veris miraculis. Vel enim talia sunt illa opera, quæ secundum vires legesque naturales explicari queant, vel talia quæ omnem naturæ corporeæ ac visibilis virtutem superent: et prima quidem procul absunt a dignitate miraculi; altera vero certissime a dæmonis occulta fraude proficiscuntur, nec proinde confundenda sunt cum miraculis, prout suo loco videbitur in *Psycologia*, ubi Deo favente, quæstio hæc tractanda erit fusius et accuratius.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LIBER II.

Accedendum jam proximius nobis est ad naturam corporum introspiciendam; hactenus enim communiores dumtaxat quæstiones attigimus, mundum ipsum seu mundanorum entium complexum potissimum respicientes. Et corporum quidem duo genera nobis quotidiana experientia porrigit: alia sunt viventia seu organica, alia inorganica et non viventia; exclusimus enim superius falsam illorum opinionem, qui omnia corpora vivere et animata esse autumabant (1). At e viventibus alia sensu prædita sunt, ut animantia, sive rationalia sive irrationalia, alia sensus expertia, quæ solum vita gaudent vegetativa, ut plantæ. Cæterum trina hæc corporum genera suis ita perfectionum gradibus distinguuntur, ut infimum inorganica teneant locum, medium plantæ, altiorem denique animalia; superiora vero perfectiones inferiorum possideant, aliasque præterea sibi proprias. Rectus ergo tractionis ordo et perspicuitas postulat, ut primum communem corporibus omnibus rationem et attributa persequamur in hoc volumine, reliqua mox diversorum viventium propria in *Psychologia* tractaturi: quapropter hanc *naturalis Philosophiæ* partem quidam *Somatologiam* dixere, quasi *tractationem de corpore*. In qua primum essentia corporum investiganda est, ac deinde attributa, vires atque operationes singillatim enucleandæ.

(1) Vide supra n. 32, seqq.

DISPUTATIO PRIMA.

DE ESSENTIALI CORPORUM CONSTITUTIONE (1).

124. Salebrosam controversiam aggressuri, quam difficiliorem reddidere varia studia contentionesque Philosophorum, scopum totius disputationis bene ab omnibus intelligi desideramus. Corpora esse aliquo saltem modo composita non minus liquet, quam ipsa corporum realitas et existentia; passim enim videmus illa in partes dispesci. Verum harum partium duo distingui possunt genera, *integrantium* et *essentialium:* integrales sunt illæ, quæ ad rei *integritatem* spectant, non tamen porsus necessariæ sunt ad *essentiam* ejusdem: tales sunt partes extensionis corporeæ, in quas per mechanicam divisionem corpus partitur; quamvis enim unam aut alteram abscindas, adhuc illud suam retinet specificam essentiam, immo vero sæpe in singulis illis salvatur tota rei essentia, ut patet in omnibus inorganicis, v. g. lapide, ferro, auro etc., in quibus profecto singulæ particulæ habent completam essentiam lapidis, ferri, auri etc. Partes ergo ejusmodi constituunt corpus *integraliter*, et ex iisdem existit extensio corporis vel quantitas vel magnitudo. Nec est nobis nunc sermo de ista corporis *integrali constitutione*, sed de *essentiali*. Quærimus videlicet, num sicut videmus corpora ex partibus integrantibus coalescere, an etiam secundum ipsam essentiam composita sint, ac proinde ex principiis quibusdam essentialibus constituantur, quorum si quod desit, vel mutetur, etiamsi eadem corporis moles vel extensio maneret, non amplius subsisteret eadem specifica ratio. Si dantur ejusmodi partes vel principia essentialia, corpora omnia essentialiter composita erunt, nec essentia eorum cognosci poterit, donec principia ipsa essentialia et essentialis constitutio cognoscatur. Quærimus itaque in hac prima disputatione, utrum corpora omnia secundum essentiam composita sint.

Corpora composita ex partibus

tum integralibus tum essentialibus.

Sermo est hic de essentiali dumtaxat constitutione.

(1) Disputatio hæc magnam partem eadem ipsa est, quæ ante annos undecim a me Romæ scripta, sæpius prælo lithographico edita est in usum meorum discipulorum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT I.

TOTIUS CONTROVERSIÆ JACIUNTUR FUNDAMENTA.

Antequam diversas de hac re sententias exponamus, ac judicemus, operæ pretium esse arbitror quædam præmittere, quæ partim certa esse debent apud omnes, partim continent prima velut semina et principia, quibus inniti tandem necesse est veram doctrinam. His enim declaratis atque stabilitis, facilius deinceps liberiusque poterit excurrere tractatio.

ARTICULUS I.

Communia quædam capita doctrinæ recensentur.

Dantur corpora specifice distincta.

125. Ac primo quidem corpora procul dubio specie distinguuntur, neque solum viventia a non viventibus, sed etiam plurima inorganica inter se. Quamquam enim non omnes eodem pacto intelligant hanc specificam differentiam, prout inferius declarabitur; quis tamen sibi persuadeat, aquam v. g., ferrum, hydrogenium, aurum, sulphur, aliaque bene multa sub una eademque specie corporum contineri? Atque idipsum dicendum est de mutationibus, quas in corporibus cernimus: aliæ videlicet sunt substantiales, accidentales aliæ. Haud equidem ignoro alios aliter eas mutationes explicare; nemo tamen sanus negaverit, lignum, cum comburitur, aut panem, cum in carnem manducantis convertitur, substantialiter mutari, accidentaliter autem ferrum, cum calefit, loco movetur, aut diverso modo figuratur.

Duplex genus mutationum, substantialium et accidentalium.

Analysis et sinthesis corporum.

126. Plura corpora videmus, alia in alia, resolvi ope chimicæ *analysis*, et alia ex aliis coalescere per *synthesin* chimicam. Quamobrem in aliquo vero sensu distingui corpora possunt in simplicia seu *elementaria* et *composita*. Composita dicuntur, quæ per agentia viresque chimicas dividi possunt in alia corpora diversæ speciei, ex quibus vicissim possunt

Corpora simplicia seu elementa et composita.

per combinationem coagmentari. Sic aqua corpus compositum est, quia resolvitur in oxygenium atque hydrogenium, quæ certe specie distinguuntur tum ab aqua, tum inter sese: sulphatum ferreum pariter compositum est, utpote quod ex sulphure, oxygenio et ferro coalescens. E converso simplicia, quæ a veteribus elementaria seu etiam *elementa* nominabantur, sunt ea corpora, quæ in alia corpora diversæ naturæ dispesci nequeunt. Ejusmodi sunt oxygenium, hydrogenium, ferrum, sulphur, aliaque plura, quæ ulteriorem analysin subire non possunt, aut certe mediis hactenus cognitis non potuerunt.

Compositorum porro corporum duo agnoscenda sunt genera: alia vocantur composita chimica, in quibus elementa ope *combinationis* ita in unum coëunt, ut jam non amplius manifestentur in sua propria natura, sed novas acquirant proprietates a pristinis longe diversas. Talis est aqua v. g., quæ suas habet proprietates et characteres specificos a proprietatibus suorum componentium prorsus distinctos. Hæc appellabantur a priscis Philosophis *mixta*. Alia sunt corpora, quæ dici vere nequeunt composita chimica, sed potius *aggregata*, sunt namque meræ aggregationes ex pluribus simplicibus coalescentes, ita tamen ut adsint, et manifestentur elementa in sua natura. Hæc non habent in tota sua extensione, sicut composita chimica, uniformem substantiam, ac proinde unitatem veram servare non possunt, sed sunt congeries plurium corpusculorum secundum individuationem atque speciem distinctorum: unde et nomine ipso a compositis chimicis discernuntur, cum solent in vernaculis linguis nuncupari *mezcla*, *miscuglio*, *mélange* etc., et vocabantur ab antiquis *mixta imperfecta*. Duplex intercedit inter hæc duo genera discrimen: alterum, quod in compositis chimicis, secus atque in aggregatis, non manifestentur simplicium proprietates: alterum quod combinationes nonnisi secundum ratas constantesque proportiones fieri possint, ut mox declarabitur; aggregationes vero nullam certam *proportionem* in suis componentibus requirant (1).

Compositæ chimica seu mixta et meræ aggregationes.

Duplex discrimen inter hæc composita.

(1) Observare juvat harum aggregationum Chimicos duas agnoscere species, *mechanicas* et *chimicas*. Mechanicæ sunt illæ, quæ fiunt ex particulis heterogeneorum corporum, quæ tamen sensibus percipi

Combinatio seu mixtio

Generatio corporum chimice compositorum nomen obtinuit *combinationis* apud recentiores, ac *mixtionis* apud veteres Philosophos; aggregatio vero apud antiquos vocabatur *compositio* vel *mixtio ad sensum*.

Affinitas et cohæsio.

127. Ad explicandam porro corporum constitutionem duplicis generis considerari possunt vires, *affinitatis* et *cohæsionis*. Per affinitatem corpora diversæ naturæ ac speciei in minutissimas particulas concisa uniuntur, ac inter se conglobantur ad efficiendum novum corpus chimice compositum (1). Altera vis est cohæsio, per quam particulæ homogeneæ corporis vinciuntur. Hæc magna est in solidis, minor in liquidis, minima in corporibus aeriformibus. Nec est, cur declarare nunc debeamus modos diversos, secundum quos vires hasce Philosophi, pro suis quisque opinionibus, interpretantur (2). Unum tantummodo adjungimus, affinitatem non esse in singulis corporibus eamdem indiscriminatim erga quodlibet aliud corpus, sed majorem aut minorem pro specifica ipsorum diversitate. Idque significant Chimici, cum docent affinitatem *electivam* esse, quia nimirum corpora non æquo modo appetunt unionem cum alio ad composita chimica conflanda, sed quasi *eligunt* inter varia unum potius, quam alterum; et hoc modo existunt omnes combinationes ac dissolutiones in infinita varietate (3).

Proprietas affinitatis, ut sit electiva.

Combinationes novarum substantiarum corporearum fiunt secundum minimas particulas; nimirum ita coëunt plura simplicia in unum, ut prius abrupta paulatim compage ac

possint. Ita si sulphureus pulvis immisceatur aquæ, claritatem hujus obscurat. Aggregationes chimicæ dicuntur illæ, in quibus adeo uniformis evadit aggregationis massa, ut vel perspicacissimis instrumentis discerni heterogeneæ particulæ nequeant. Hujusmodi sunt variæ solutiones corporum solidorum atque aëreorum inter se. Vide cl. P. Provenzali, *Trattato elementare di Chimica moderna*, pag. 24, 2.ª, Rom. 1877.

(1) Sunt tamen inter Chimicos recentiores, qui affinitatem exerceri putent etiam inter atomos corporum ejusdem speciei, v. g. hydrogenii, ad conflandam moleculam corporis simplicis. *Ita* v. g. Nacquet, *Principes de Chimie-Première partie, Notions préliminaires*, pag. 7. Paris 1875; aliique.

(2) Vide cl. Rubbini, *Lezioni di Fisica sperimentale*, p. 54, n. 13 et in nota. Bologna 1882.

(3) Vide Nacquet, Op. cit., *Notions préliminaires*, p. 6.

textura propria, in minutissimas portiones dissecentur, quæ illico in novum compositum coalescant invicem unitæ. Tenuissimæ hujusmodi particulæ cujusvis corporis simplicis seu elementaris, quæ abscinduntur mediis agentibus chimicis, nec dividi ulterius naturaliter possunt, appellantur *atomi*. Minimæ vero illæ particulæ, in quas mediis physicis aut mechanicis dissociari corpora composita possunt, et ultra quas existere illa in propria natura nequeunt, nomen accepere *molecularum*. Si enim, ulterius protraheretur divisio per agentia chimica, jam non amplius obtinerentur partes illius speciei compositæ, sed atomi dumtaxat elementorum, ex quibus illæ conglobatæ fuere (1). Solent etiam in corporibus simplicibus agnosci moleculæ, quæ sunt minimæ portiones materiæ adhuc in aliquas atomos divisibles.

Atomi et moleculæ.

Leges variæ combinationum.

128. Novæ corporum chimice compositorum generationes non temere fiunt, sed certis quibusdam legibus reguntur. Non enim quidlibet ex quibuslibet coagmentatur, nec in quælibet resolvitur; sed nihil resolvitur nisi in ea elementa, ex quibus solet quoque componi, nec componi quidquam potest nisi ex iis, quæ certam gerant inter se affinitatem servatisque conditionibus quibusdam. Harum

lex proportionum definitarum.

Prima est *lex proportionum definitarum*, secundum quam ratio mutua intercedens inter quantitates ponderabiles componentium, eadem semper est constantissime; ut si quamlibet aquæ massam accipias, atque in sua elementa per analysin chimicam resolvas, quantitatem hydrogenii deprehendes octies superari oxygenii quantitate. Unde si quadraginta et quinque aquæ grammos conficere velis, assumendi tibi sunt quinque hydrogenii et oxigenii quadraginta.

Lex multiplorum.

Altera est *lex multiplorum*, ex qua si quod corpus varias cum altero combinationes, ut sæpe fit, efformare valet, non

(1) Passim reperies apud scientiarum physicarum scriptores, cum de his rebus loquuntur, eas atomorum ac molecularum descriptiones, quæ supponant has particulas corporum propriis limitibus esse terminatas atque spatiolis interpositis segregatas. Hæc certe probari nobis minime possunt, utpote quæ realem extensionis corporeæ continuitatem perimant. Igitur atomi ac moleculæ eo sensu concipiendæ nobis, ac definiendæ sunt, ut nullam doctrinam minus probabilem alibique rejiciendam involvant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliter efformabit, nisi in iis ponderum proportionibus, quæ sint multiplæ infimi ponderis. Ita 175 partes nitrogenii cum variis oxygenii quantitatibus possunt combinari; sed cum harum minima sit 100, reliquæ hujus multiplæ sint, oportet, nimirum 200, 300, 400, 500. Ita etiam 3 partes carbonii combinari possunt cum 4 oxygenii et pariter cum 8; et 7 azoti partes cum oxygenii 4, 12, 16, 20. Atque ita de aliis. Hæ tamen diversæ cum iisdem componentibus combinationes exiguo semper numero continentur (1). Succedit

Lex æquivalentium.

Tertia lex *æquivalentium*. Hæc docet, si quod corpus combinatur cum variis aliis in certis ac definitis proportionibus, hæc alia posse quoque inter se componi secundum easdem illas proportiones, Ita quoniam unus grammus hydrogenii combinatur cum 100 mercurii, cum 31, 75, aëris, cum 28 ferii; centum etiam grammi mercurii combinari possunt cum 31,75 aëris aut 28 ferri. Quamobren quatuor hæc corpora in iis proportionibus æquivalentia quadam gaudent, quia combinationem inire possunt tum inter se, tum etiam cum quolibet alio, cum quo aliquid istorum in iisdem proportionibus compositum chimicum constituit.

Quarta est *lex conservationis ponderum*, secundum quam exploratum est in omnibus chimicis compositionibus corpora, quæ combinantur, suum pondus nullatenus amittere. Unde si oxygenium et hydrogenium coalescant ad conficiendam aquam, pondus hujus æquabit summam ponderis illorum: item acidum clorhydricum, oxydum carbonis, phosphatum plumbi, etc., etc., habent pondus æquale ponderibus corporum componentium.

129. Illud denique adjiciendum est, jam fere admitti duo genera materiæ corporæ, scilicet *ponderabilis* et *imponderabilis*. Materia ponderabilis ingreditur corporum constitutionem, imponderabilis autem, quæ proprio nomine vocatur æther, vacua omnia hujus mundi replere dicitur, esseque subtilissimum medium, per quod corpora invicem agere possunt,

Materia ponderabilis atque imponderabilis.

(1) Vide passim chimicos. Sunt qui notent hanc secundam legem non semper servari in compositis organicis; alii tamen, ut Schützenberger, putant organica etiam composita sub eadem lege comprehendi posse. Vide Schützenberger, *Traité de Chimie Générale*, tom. 1. liv. 1.er chap. 5. pag. 194. Paris. 1884.

atque suos influxus communicare. Non tamen desunt scriptores, qui aut omnino denegant existentiam ætheris (1), aut saltem non omnino demonstratam arbitrentur (2).

Hæc fere sunt, in quibus conveniunt communissime AA. diverssimas cæteroquin professi opiniones: nunc vero alia oportet declarare, atque in tuto ponere, quæ quamquam satis certa exploratataque videri deberent ex communi hominum sensu, et tamquam indubitata veteres assumebant, in iisque securi totam suam doctrinam fundabant; tamen a recentioribus ita pertinaciter rejiciuntur, immo et insolenter irridentur, ut accuratiorem omnino poscant tractationem. Ea respiciunt potissimum specificam diversitatem corporum mutationesque substantiales.

ARTICULUS II.

Utrum admittenda sint corpora specifice secundum ipsam substantiam distincta.

Explicatur status quæstionis.

130. In confesso est apud omnes specifica corporum distinctio, ut nuper notabamus; quomodo autem ea sit intelligenda, non æque convenit inter diversas scholas. Quamquam enim Peripatetici semper agnoverint, aliique vel inter ipsos Chiminicos communissime agnoscant corpora substantialiter discriminari, veteres tamen atomistæ ac multi recentiores, tum atomistæ tum dynamistæ, omnem illorum distinctionem in meris accidentibus reponunt, in sola nempe figura, vel in positione, ordine, numero diversave atomorum coagmentatione vel denique in atomico motu. Contra hos omnes sit

PROPOSITIO. **Admittendæ sunt plures corporum species secundum ipsam substantialem realitatem distinctæ.**

Statuitur specifica corporum distinctio

Prob. 1.° Proprietates viresque specifice diversæ naturas sibi vindicant secundum ipsam substantialem entitatem diversas. Atqui in corporibus elementaribus proprietates ac vires cernuntur toto cœlo diversæ, immo et oppositæ. Ergo.

(1) Ita inter alios Grove et Fusinieri apud P. Angel. Secchi, *Unità delle forze fisiche*, v. 2, l. 3, c. 11. Cf. v. 1, l. 2, initio, pag. 237, 238.

(2) Vide cl. Rubbini in Opusc. *Calore e Movimento*, p. 74.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Minor manifesta est experientia. Vide, quantopere discriminetur in suis attributis aurum a ferro, hydrogenium ab oxygenio etc., sive pondus specificum respicias, sive calorem, sive affinitates specificas, sive formam crystallinam, sive sonum aliasve sensibiles qualitates, sive elasticitatem, sive capacitatem dilatationis et gradum caloris, quo indigent ad statum mutandum e solido in liquidum vel aëriformem, sive cætera, quæ Chimicis et Physicis determinanda relinquimus. Et hæc quidem valeant de regni mineralis corporibus; nam cæcus sit, qui viventia non agnoscat secundum proprietates specifice diversificari tum inter se, tum ab omnibus corporibus regni mineralis.

Major constat: α) ex sensu communi omnium. Neque enim alio revera criterio discernunt omnes viventia a non viventibus, simpliciaque a non simplicibus. β) Proprietates et vires corporum sunt ornamenta naturalia et quasi instrumenta substantiæ in ordine ad agendum; serventque proinde proportionem, oportet, cum ipsis essentiis, ex quibus efflorescunt per necessariam ac naturalem resultantiam. Jam vero, qui fieri possit, ut si eadem in corporibus omnibus existat subtantialis entitas, per tam diversas proprietates se prodat extrinsecus? γ) Præterea si eadem specifice subtantia diversis ornaretur proprietatibus in variis corporibus, quænam, quæso, foret causa illius diversitatis? Intrinseca quæpiam substantiæ exigentia? Atqui eadem subtantia easdem in omnibus corporibus proprietates exigat, necesse est; ac proinde si diversæ existunt proprietates in corporibus, diversæ horum entitates substantiales agnoscendæ sunt. Voluntas divina? Verum in primis non est Philosopho dignum ad divinam voluntatem in essentiis rerum explicandis confugere. Deinde impossibile nobis foret quidquam de corporum essentiis decernere: harum quippe varietatem rationemque propriam non aliunde cognoscimus, quam ex proprietatibus et consentaneis operationibus, per quas intus latens rei cujusvis natura innotescit.

Prob. 2.° Propositio. Nisi admittatur substantialis diversitas corporum, tota eorumdem varietas revocanda erit ad accidentia quædam, puta figuram, motum, positionem, ordinem, numerum ac variam coagmentationem atomorum

unicæ alicujus substantiæ. Atqui explicari eo modo nequit mirifica hæc, quam cernimus in corporibus, varietas. Ergo.

Minor patet. Etenim primo figura non pertinet ad rei essentiam, sed potest etiam in infinitum variari, eadem remanente specifica rei natura, ut constat v. g. in frusto ceræ vel luti, quod innumeras induere potest figuras. Deinde neque etiam figura est in seipsa activa, nec proinde pro sui varietate corporis activitatem variat, quamquam possit quidem esse conditio, ut activitas corporis propria magis aut minus expedite exerceatur, quemadmodum jam notavimus in *Ontologia* (1).

De motu inferius demonstrandum est imparem illum esse ad reddendam rationem varietatis, quæ in diversis corporibus cernitur. Id unum nunc notatum velim: iste motus atomicus varius, qui in corporibus diversis reperiretur, vel habet in iisdem internum aliquod principium aut exigentiam diversitatis, vel non. Si habet, jam antecedenter ad motum agnoscitur in corporibus diversitas proprietatum, unde varii illi motus existant, ac proinde diversitas etiam essentiarum. Ergo in ea certe hypothesi diversitas specifica corporum non procedit ex motuum diversitate, sed eam antecedit. Si autem dicas varium motum non habere ullum in ipsis corporibus intrinsecum principium, in primis onus competit adversariis assignandi externam causam talis varietatis. Illa autem qualisnam erit, liberane an necessaria? Si necessaria, quomodo eadem causa necessario agens ejusdem specificæ substantiæ diversum motum imprimit in diversis individuis? Si autem libera; ergo causa ejusmodi libera poterit pro suo lubitu, varium imprimendo motum, specificam rei substantiam variare, ac proinde rerum essentiæ pendebunt ex libertate causæ illius externæ, quod absurdum est. Hypothesis ergo varii motus atomici diversitatem specificam corporum non explicat, sed perimit.

Atque idem dic de ordine, numero ac positione atomorum, nisi forte confundere velis opera naturæ cum operibus artis. In artificiis certe ordo, numerus, positioque ac diversa partium coagmentatio varietatem inducit, minime vero in

(1) Vide *Ontol.*, n. 309 fin. pag. 1152.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsis naturis corporum ac proprietatibus, quemadmodum passim testatur experientia. Enimvero ubi eadem est essentia eædemque proprietates in singulis particulis, unde corporea moles coalescit, quid, quæso, conferre potest ad specificam diversitatem inducendam ordo illarum vel numerus vel positio?

Dices forte, variam atomorum figuram, positionem vel ordinem posse esse in causa, cur variæ resultent vires atque operationes in corporibus, quæ proinde diversa nobis apparebunt, quamvis in ipsa specifica ratione nullatenus inter se discriminenter.—**Verum id est**, quòd intelligi nequit. Si enim eadem est substantiæ ratio, non est, cur diversæ esse debeant proprietates, vires aut operationes in singulis atomis, ex quarum conglobatione dicuntur ab adversariis constitui corpora. Si autem in singulis atomis eædem sunt vires ac proprietates, qua tandem magica virtute fit, ut sola variata figura, positione vel ordine atomorum, diversæ vires in toto corpore efflorescant?

Prob. 3.° Demum eadem veritas confirmari potest a priori. Etenim ita magis commendatur divina bonitas et gloria, quæ multo clarius splendet in productione diversarum specierum substantialium, quam in accidentalibus diversitatibus unius ejusdemque. Quod argumentum egregie evolvit Angelicus Doctor: *Distinctio rerum, et multitudo est ex intentione primi agentis, quod est Deus. Produxit enim res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis, et per eas repræsentandam: et quia per unam creaturam sufficienter repræsentari non potest, produxit multas creaturas et diversas, ut quod deest uni ad repræsentandam divinam bonitatem, suppleatur ex alia. Nam bonitas, quæ in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim: unde perfectius participat divinam bonitatem et repræsentat eam totum universum, quam alia quæcumque creatura* (1).

Dices. Immo magis miranda nobis exhibetur sapientia omnipotentiaque divina, si unicam specifice substantiam ita variet, ut ex ea multiplex principium efficiat diversissimarum operationum.—**Resp.** *Nego* prorsus assertum. Etenim vel

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 47, art. 1. Cfr. lib. 2. *Contr. Gent.*, cap. 45.

omnipotentia divina concurrit concursu ordinario et consentaneo causarum secundarum activitati, vel extraordinario atque efficaciori. Si primum eligas, repugnat, ut eadem specifice substantia, quomodocumque accidentaliter atque extrinsecus variata, multiplex principium diversarum operationum constituat. Eadem enim specifice substantia eamdem specifice habeat activitatem, oportet, eamdemque postulat mensuram et gradum naturaliter consentaneum divini concursus. Quomodo autem eædem prorsus causæ activitatesque constituere poterunt diversa principia diversasque naturas? Si vero alterum dicas, ponis miraculum, ac proinde versamur extra quæstionem. Non enim controvertimus, num per miraculum eadem specifice substantia edere possit diversissimas operationes, supplente nimirum deficientiam ejus divina virtute. Quod si quis ita revera contingere in natura corporea contenderet, cum nulla de miraculo adsit revelatio, nulla ratio suspicandi; is profecto parum philosophiæ sentiret, parumque honorifice de Deo ipso, cujus interventum extraordinarium in eventibus ipsis naturalibus agnosceret; ac demum facile cogi ad occasionalismum posset atque ad idealismum.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

131. **Objic. 1.°** In artificialibus diversitas specifica desumitur ex diversa figura, numero ac dispositione partium. Quidni etiam in naturalibus?

Resp. *neg.* paritatem. Nam artificialia, prout talia, formaliter constituuntur non ex materia artefactorum, sed ex forma ipsorum, quæ accidentalis est semper. Unde ex communi modo sentiendi et loquendi ad eamdem speciem artificii pertinet horologium aureum et ferreum; et e converso specie distinguuntur catena et calamus ex eodem auro confecta. Aliter autem judicant homines de corporibus naturalibus, in quibus nemo existimat substantiam ipsam in aliam speciem corporis transmutari, ex eo solum quod figuram, situm, dispositionem aliave ejusmodi accidentia in eo permutari contigerit.

Objic 2.° Una eademque causa diversissimos effectus atque operationes edere potest. Sic videmus gloriosum Deum,

UNIVERSIDAD DE SAN ANTONIO DE LEÓN
DIGITAL

cum sit unus atque immutabilis prorsus, infinitam operum varietatem creasse. Cur ergo eadem specifice substantia in diversis adjunctis constituta non manifestetur nobis cum quadam phænomenorum varietate?

Resp. *dist.* antec. Si libere agat, *trans.*; si necessario, *neg.* Et *neg.* conseq. Et ratio est, quia corpora ex altera parte necessitate gaudent in omnibus phænomenis suis, ut nequeant modo sic, modo aliter agere pro lubitu: ex altera vero parte quæ diversam naturam continent, vel in iisdem adjunctis diversimodi operantur; quæ autem ad eamdem speciem pertinent, vel in maxima varietate circumstantiarum sibi semper similia se produnt.

Objic. 3.° Dogma ipsorum Peripateticorum est, figuram aptissimum esse medium ad naturam specificam corporum internoscendam, ex doctrina S. Thomæ (1). Ergo ex figura desumi potest varietas specifica substantiarum.

Resp. *dist.* cons. Ex figura simpliciter, *neg.*; ex figura prout certo et constanti modo naturaliter reperiatur in quibusdam generibus entium, *conc.* Hæc enim duo toto cœlo inter se distant, quod natura sæpe certas quasdam figuras postulet ex intrinseca sua ratione, et quod generatim omnia, quæ secundum figuram diversificantur, etiam eadem existente in illis substantiæ ratione, diversis contineantur speciebus. Cæterum ideo ex figuræ diversitate, quando illa naturaliter et constanti modo reperitur in corporibus, recte arguitur eorumdem diversitas, quia tunc infertur figuram illam postulari ab ipsa rei natura, ac proinde adesse in ipsa natura diversitatem aliquam substantialem.

Objic. 4.° Non est adeo fidendum sensuum relationi, quæ sæpe fallax est. Sic quis credat sensuum dumtaxat impressionem secutus, vitrum non esse nisi arenam, chartam autem esse quamdam telam accidentaliter dumtaxat mutatam? Ergo ex proprietatibus atque manifestationibus sensibilibus corporum non recte concluditur eorumdem substantiale discrimen.

Resp. *dist.* ant.: si suspicio quæpiam rationabilis adsit erroris, *conc.*; secus, *neg.*, et *neg.* conseq. Quæro enim,

(1) In 7.um *Physicor.* lect. paragr. *d.*

utrum arena et vitrum, tela et exinde confecta charta, revera proprietatibus peculiaribus specifice distinctis gaudeant, necne. Si easdem revera proprietates accidentali ac levi dumtaxat ratione distinctas habent, fatebor corpora illa inter se substantialiter non discriminari: si autem in illa sua conversione et commutatione novas specifice distinctas induerunt proprietates, necesse erit dicere nec arenam in vitrum, nec telam in chartam abire potuisse absque mutatione substantiali (1).

Objic. 5.° Sicut ex diversitate proprietatum colligitur substantialis diversitas, ita ex similitunide illarum substantialis identitas aut similitudo persuadetur. Atqui corpora communes habent plures proprietates. Ergo exinde pari jure derivanda est identitas substantialis illorum.

Resp. *dist.* alteram partem Majoris. Ex similitudine omnium proprietatum colligitur identitas aut similitudo subtantiarum, *conc.*: ex similitudine aliquarum dumtaxat propietatum, *subdist.*; colligitur identitas aut similitudo generica, *trans.*, specifica, *neg.*

Et *contradist.* Minor. corpora ejusdem speciei, *conc.*: diversæ speciei, *subdist.*: habent communes proprietates omnes, *neg.*, aliquas, easque non præcipuas et characteristicas, *conc.* Et *neg.* conseq. Itaque objectio revera non probat corpora specifice non distingui, sed tantum dari diversas species, quæ sub communi aliquo genere contineantur. Id autem ultro concedimus, nec novum est propriumve corporum, sed commune creatis omnibus entibus, quæ ut vidimus agentes de Prædicamentis, sub latissimis quibusdam rationibus et quasi primis familiarum capitibus infinitam propemodum varietatem specierum præ se ferunt.

Objic. 6.° Nota omnibus est hypothesis Proutii correcta a Dumas (2), secundum quam atomica pondera eam servant

(1) Cfr. Liverani, *Sui Principii supremi delle Scienze naturali*, part. 1.ª, sezione 1, cap. 29, n. 93.

(2) Nobilis chimicus Prout, cum videret pondus atomicum plurium corporum esse multiplum ponderis hydrogenii, existimavit hanc esse primævam materiam, ex qua diversimode condensata reliqua omnia corpora coalescerent. Deserta jam erat hæc hypothesis, cujus fundamentum de ponderibus atomicis falsum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proportionem, ut omnia sint multipla dimidii aut quartæ partis ponderis hydrogenii. Cur ergo non possit jure merito supponi unica quædam substantia, cujus pondus atomicum sit dimidium vel quarta pars ponderis atomici, quo gaudet hydrogenium, reliqua vero corpora omnia illam primævam substantiam contineant magis aut minus condensatam, nimirum accidentaliter mutatam?

Resp. *trans.* antec. *neg.* conseq. Ex sola nempe ponderis proportionalitate, immo etiam identitate, nihil jure concludi potest ad judicandum de natura corporum. Sunt enim in his aliæ plures proprietates multo magis connexæ cum eorum essentia, quam pondus, quod sequitur quantitatem, quæ specificam omnino vindicant distinctionem.

Transmisimus autem antecedens. Quia non desunt Chimici haud exigui sane nominis, qui Proutianam hypothesin, etiam prout a Dumasio correctam, falsam atque experientiæ contrariam in potassio et nonnullis aliis corporibus affirment. Vide inter alios cl. Wurttz (1).

Objic. 7.° Ex lege nominata a Dulong et Petit datur in corporibus simplicibus idem calor atomicus seu capacitas caloris (2). Atqui atomicus calor est proprietas, quæ naturam

ostendebat experientia in cloro, aëre aliisque elementis, cum Dumasius eamdem fulcire voluit, assumens pro corpore primigenio materiam quamdam adhuc incognitam, cujus pondus atomicum foret dimidia vel quarta pars (0,50, vel 0,25) ponderis atomici hydrogenii.

(1) *La Theorie atomique* lc. 1, chap. 3, p. 38. Paris, 1080, ubi postquam ipsam correctionem Dumasii reprobavit, aliam etiam, quæ fingi posset, his verbis rejicit: «Bien que raisonnable, une telle hypothese cesserait d'etre legitime et *la Chimie positive doit abandonner pour le moment ce thème de Prout, ce rêve des Anciens de l'unité de la matière et de la nature composée des elements chimiques.*»

(2) Clarissimi Chimici Dulong et Petit invenerunt per varias experientias poductum *ponderis atomici* et *caloris specifici* fere idem esse in omnibus corporibus elementaribus, exprimique posse per numerum, ut plurimum, 6, 4. Unde tria concluserunt: primum, quo major est calor specificus in solidis et liquidis, eo minus esse pondus specificum; deinde cognito calore specifico, facile posse pondus atomicum cognosci; ac tandem atomos omnes eodem circiter gaudere calore atomico, seu eodem indigere calore, quemadmodum habetur in objectione, ut variare temperaturam possint uno gradu. Cfr. Liverani, Oper, nup. cit cap., 71, pag. 114, in nota. Bologna 1888.

corporis sequitur. Ergo ex identitate atomici caloris jure infertur identitas substantialis variorum corporum.

Resp. *trans.* Major. *dist.* Minor.: est unica proprietas in corporibus existens, *neg.*; est una ex pluribus *conc.*, et *neg.* conseq. Idem enim vitium continet, ac præcedens difficultas: ex una quippe proprietate communi nequit probari substantiarum identitas. Transmissa porro iterum est Major, quia plures reperiri exceptiones in ea lege quam proinde exactam non esse, fatentur ipsimet Wurtz (1), et Schützenberger (2), qui tamen causas illarum exceptionum investigare nituntur.

Objic. 8.° «Solis 24 litterulis alphabeti diversimode combinatis formantur voces omnes, quibus hucusque usa sunt omnia idiomata, quæ extiterunt, et quibus omnia illa quæ possunt existere, uti possunt», ut scribit P. Boscovichius (3). Ergo a pari atomi specifice identicæ poterunt, solummodo accidentaliter variatæ, diversas gignere corporum species.

Resp. *neg.* parit. Quia litterulæ illæ semper eædem remanent, quomodolibet componantur inter se, solamque totius figuram immutant. Corpora vero diversa objiciuntur nobis varia secundum proprietates, vires et activitates, non vero secundum figuram dumtaxat. Quapropter hæc tanta varietas efflorescere nequit ex identicis elementis, positione, figura aliove accidente variatis, quemadmodum possunt voces diversæ ex iisdem litteris.

ARTICULUS III.

Utrum veri nominis mutationes substatiales locum habeant, quotiescumque nova gignitur natura.

Explicatur status quæstionis.

132. Duplex genus mutationum distingui nuper scripsimus, accidentalium et substantialium: accidentales ipsam

(1) Vurtz, *Theorie atomique*, l. 1, ch. 5, pag. 90, 91, 92.

(2) Schützenberger. *Traité de Chimie générale*, tom. 1, liv. 1.er, chap. 6, pag. 240 seqq.

(3) *Philosoph. naturalis theoria*, part. 1, paragr. 95, pag. 43 Venetiis, 1761. Similem comparationem affert cl. P. Secchi desumptam ex abaco lusorio quadris versicoloribus depicto. Vide ipsum in op. cit., tom. 2, c. 1, p. 284.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturam corporum non attingunt, substantiales vero eamdem in aliam convertunt, quæ diversissimas induit proprietates. Ac de existentia ejusmodi mutationum substantialium, si generatim loquamur, dubium nullum est aut dissensio; circa modum autem easdem interpretandi acerrimæ lites contentionesque scindunt in contrarias sententias mentes Philosophorum ac Physicorum. Sunt enim, qui corporeas substantias, non secus atque spirituales, in se prorsus immutabiles esse secundum propriam entitatem existiment; alii e converso illas mutari ac transformari opinantur, quemadmodum testari nobis ipsa experientia videtur. Et controversia potissimum respicit composita chimica, tam simplicia extra combinationem vix exempla ulla præbent harum conversionum mutationumque, nisi forte in corporibus, quæ vocant *allotropa*. Verum quoniam substantialis mutatio bifariam contingere potest; primo a non *esse* ad *esse*, per generationem nimirum novæ alicujus naturæ, et secundo ab *esse* ad non *esse*, videlicet per corruptionem pristinæ naturæ; ut controversia tota de substantialibus mutationibus penitus declarerur, duo investigabimus: primum, utrum generatio novæ naturæ, qualis resultat v. g. ex variis simplicibus in compositis chimicis, fiat per accessum novi alicujus actus substantialis, qui de novo producatur, ideoque per veram substantiæ ipsius mutationem; secundo, utrum quando in ejusmodi productionibus novarum naturarum desinunt manifestari naturæ pristinæ simplicium corporum, corruptus reapse fuerit in his aliquis actus substantialis ad eorum physicam entitatem pertinens. Harum primam quæstionem nunc tractandam aggredimur, alteram ad sequentem articulum reservabimus.

Sententia Atomistarum ac Dynamistarum

Itaque Atomistæ ac Dynamistæ, qui mutationes omnes substantiales in proprio sensu tantopere exhorrent; ad hoc ut nova natura existat, sufficere autumant vel diversam condensationem materiæ (1), vel diversum atomorum situm et ordinem, vel numerum, magnitudinem et coagmentationem aut formæ mutationem motusque atomici

(1) Hoc modo allotropiæ phænomena exponunt Wurtz et Piazza apud cl. Vicent Liverani, Op. cit. cap. 23, n. 17 in nota, pag. 175.

velocitatem (1), vel denique materiæ unionem secundum atomos diversæ speciei per agentia chimica juxta certas leges peractam (2), verbo mutationes alias non agnoscunt, nisi pure accidentales et extrinsecas substantiæ, quæ remaneat, prout prius erat, prorsus in se inalterata. Hinc patroni hujus sententiæ invexerunt discrimen inter substantiam et naturam, docentes eamdem specifice subtantiam in se minime mutatam, fieri posse modo hanc, modo illam naturam specifice diversam; quin et ex duabus vel pluribus substantiis specifice diversis actu existentibus unicam specie naturam resultare posse, ac porro resultare in compositis. Hinc etiam substantiam *omnem completam* esse existimant in *ratione substantiali*, quamvis possit esse *incompleta in ratione naturæ*. Unde consequenter nullam admittunt differentiam in ipsa ratione substantiali inter composita chimica et aggregata, quæ ex iisdem elementis coalescant, cum nihil in utrisque substantialis entitatis de novo generatum sit.

Sententia Scholasticorum

At vero Scholastici communiter contendunt, ubicumque nova resultat vere natura, productionem actus alicujus substantialis intercedere, qui sit fons et radix novarum proprietatum illarum ac phænomenorum, per quæ nobis natura nova patescit. Et sic distinxerunt mutationes extrinsecas ab intrinsecis, accidentales a substantialibus, per accessum vel recessum alicujus actus intrinseci, sive pure accidentalis sive substantialis (3). Quam ego doctrinam verissimam esse atque omnino propugnandam existimo.

(1) Id locum habet in isomeris corporibus justa Liebig et Wurtz apud cl. Liverani, ibid. cap. 24, n. 130-131, pag. 191.

(2) Ita in compositis chimicis generatim secundum Tong., *Cosmol.* n. 69.

(3) Audi Angelicum Doctorem: *In mutationibus naturalibus invenitur aliqua mutatio, secundum quam nihil variatur de eo, quod est intraneum rei, sed solum hoc quod est extra, sicut patet in motu locali. Aliqua vero mutatio, in qua variatur illud, quod inest rei accidentaliter, scilicet quantitas vel qualitas, ut patet in motu augmenti et alterationis. Aliqua vero mutatio est, quæ pertingit usque ad formam substantialem, sicut generatio et corruptio.* 4.ª dist. 11, q. 1, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

133. PROPOSITIO. **Mutationes illæ corporum, per quas nova resultat natura, intelligi nequeunt absque productione novi alicujus actus substantialis in suo subjecto: unde admittendæ sunt in proprio atque stricto sensu mutationes substantiales.**

Propugnantur mutationes substantiales ad mentem Scholasticorum.

Prob. 1.° Nova natura importat primum et internum principium proprietatum, virium atque operationum prorsus diversum. Atqui novum ejusmodi ac distinctum principium actum aliquem seu entitatem substantialem flagitat. Ergo... **Minor.** Etenim proprietates viresque radicem habent intimam in ipsa substantia, ad eamque comparantur sicut effectus ad causam, ac proinde cum eadem proportionem servent, oportet. Quapropter novæ atque omnino mutatæ proprietates arguunt existentiam novi actus substantialis, unde manent, mutationemque subjecti secundum ipsam entitatem substantialem.

Prob. 2.° Admittenda est varietas specifica corporum simplicium, quemadmodum ostendimus in articulo præcedenti. At vero eadem ratio persuadet, ut agnoscantur substantiales mutationes ac productiones novæ alicujus entitatis, cum v. g. plura simplicia coëunt in corpus mixtum in combinationibus chimicis. Ergo... **Minor.** Non magis differunt corpora simplicia seu elementaria inter se, quam composita chimica ab ipsis elementis, unde prodierunt, atque a mera eorumdem aggregatione. Ergo sicut in variis elementis agnoscitur ipsa substantialis ratio diversa, ita etiam in compositis chimicis inest substantialis aliqua entitas a simplicibus eorumque mera congerie distincta. Quamobrem pugnare secum videntur illi, qui dum tam acerbe invehuntur contra unitatem specificam substantiæ in omnibus corporibus simplicibus, ex altera parte mutationem omnem substantialem rejiciunt.

Prob. 3.° Hinc, si nova natura posset ex simplicibus generari absque substantiali mutatione illorum, corpus chimice compositum seu combinatum et corpus mere aggregatum ex idem elementis, v. g. aqua et aggregatio hidrogenii et oxigenii, specifice non differrent. Atqui differunt ex omnium sententia. Ergo. **Major** patet ex dictis in præcedenti

articulo, quia specifica diversitas diversitatem substantialem implicat.

Prob. 4.° Ideo secundum adversarios nova natura sine novi actus substantialis productione posset exurgere, quia diversitas ordinis in atomis aut positionis aut unionis aut figuræ aut motuum inde manantium potis esset diversissimarum operationum ac proprietatum principium constituere. Atqui id concedi non potest.

Major continet causas, quæ ab adversariis assignantur tamquam sufficiens phænomenorum, quæ patent oculis, ratio.

Minor satis elucet ex hactenus dictis. Etenim α) ea omnia cum activa non sint per se, non possunt activitatem materiæ immutare, novamque gignere naturam, si nulla aliunde intercedat substantialis mutatio in subjecto. β) In quibuslibet materiæ portionibus, quas experiri possumus sensibus nostris, certum est, solam diversitatem ordinis, figuræ, positionis, motus, cæterarumque ejusmodi causarum non tanta pollere efficacitate, ut novam aliquam conflent naturam. Vidistine unquam arenulas maris, vel pulverem terræ aut ferri alteriusve corporis solo motu, ordine aut positione, novas acquirere proprietates? Ergo idem omnino dicendum est de minimis illis atque insensibilibus particulis, quas atomos vocant; par enim in utrisque ratio viget. Nam aliter de his decernere, quam de grandioribus molibus, quæ sensus minime effugiunt, videtur oninino esse, gratis rem supponere, et latebras quærere, ut argumentorum vim elusisse facilius sibi quispiam blandiatur.

Prob. 5.° Ea sententia circa naturæ novæ generationem præferenda reliquis est, quæ præterquam quod absurda non est, phænomena longe aptius explicat. Atqui talis est sententia substantiales mutationes asserens. Ergo.

Prob. Minoris prima pars. Quod *absurda non sit*, patet: α) ex difficultatum haud ardua solutione. β) Quia usque adeo non repugnat productio novi actus substantialis, qui subjectum substantialiter immutet, ut explicari aliter nequeat generatio viventium, in qua certissime anima seu principium operationum vitalium de novo gignitur, cumque materia intime unitur, quemadmodum suo loco demostrabitur. Ergo dici minime potest repugnare generatim mutationes

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

substantiales veri nominis fieri per productionem novi alicujus actus substantialis.

Probatur secunda pars. Etenim hæc potissimum in novæ alicujus naturæ existentia explicare Philosophus debet: quomodo constitui natura illa potuerit; quomodo novæ proprietates ac vires sint enatæ; cur denique phænomena illa, quæ in compositis chimicis patescunt, in meris aggregatis minime cernantur. Atqui horum omnium lucidam sufficientissimamque rationem reddit hæc Scholasticorum sententia, nullaque alia præter ipsam, ut vidimus. Ergo... Quin etiam ipsa phænomena *isomeriæ* atque *allotropiæ*, quæ tantum negotium chimicis facessunt, suppositis mutationibus substantialibus, haud difficulter declarantur.

Cæterum in hac asserenda doctrina antiquitas tota fere videtur consentire, si veteres atomistas excipias. Illi enim ipsi, qui formalem elementorum in mixtis perseverantiam propugnabant, generatim novam produci formam fatebantur, toti composito communem.

Dantur etiam in corporibus inorganicis generationes novarum substantiarum.

COROLLARIUM. Ergo admittendæ sunt etiam in corporibus inorganicis veri nominis generationes, seu productiones novarum substantiarum.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

134 **Objic. 1.°** Tota argumentatio nostra, quam pariter omnes prisci DD. usurparunt, æquivocatione laborat inter conceptum substantiæ et naturæ. Atqui aliud est natura, et aliud substantia. Ergo cum Scholastici ex maxima operationum et propietatum diversitate inter elementa et mixta colligunt essentialem et substantialem diversitatem principiorum, ita ut elementa in mixtione in alias substantias fuerint conversa; non recte argumentantur: exinde enim jus quidem est inferendi novæ naturæ productionem, non autem productionem novæ substantiæ. Probatur Major. Nam experientia novarum et diversarum operationum arguit novum principium illarum, quod alio vocabulo appellatur natura, Peripatetici vero ex illa experientia concludunt novam substantiam: quod aliter fieri nequit, nisi confundendo conceptus naturæ et substantiæ. Minor etiam probatur. Nova enim natura et

diversissima existere potest, nulla nova producta substantia vel realitate, nullaque prius existente destructa.

Resp. *conc.* Major, sed *neg.* ejusdem suppositum, nimirum quod sit vitiosa illa æquivocatio, secundum quam natura et substantia pro eadem re sumuntur.

Distinguo. Minor. Aliud est substantia et aliud natura, secundum rationem *conc*; secundum rem, *neg*. Ad probationem Minoris respondeo *negando* totum, ut constat ex dictis in probationibus propositionis. Nimirum tota objectio eam supponit doctrinam, quæ sententiam voci *natura* hactenus a tota antiquitate subjectam penitus perturbavit. Etenim retro actis sæculis naturam appellabant substantiam ipsam conceptam tamquam principium operationum, nec novam existere posse existimabant naturam sine corruptione ac productione substantiali. Nunc vero e converso atomistæ censent ex iisdem substantiis, v. g. oxygenio et hydrogenio, novam oriri *naturam*, aquam, cujus substantia sit eadem oxygenii et hidrogenii actu adhuc existentium substantia, sed certo quodam modo diverso disposita: aut etiam eamdem substantiam oxygenium pro varia dispositione atomorum in aliam naturam, v. g. ozonum, converti absque essentiali substantiæ alteratione, nimirum unam eamdemque ntitatem substantialem inalteratam secundum se, fieri posse multiplicem naturam. Verum id quam sit rationi parum consentaneum, abunde ostendimus in probationibus.

Objic. 2.° Quod in elementorum combinatione natura nova gignatur, secus atque in aggregatione (mezcla, mélange) potest recte explicari, quin recursus habeatur ad ullius novæ substantiæ productionem. Nam in combinatione habemus *causas efficientes, materiam atque effectus* longe aliós, quam in aggregationibus. *Causæ* enim efficientes in combinationibus sunt chimicæ vires affinitatis, secus in aggregationibus. Diversa est pariter in illis *materia unionis* seu portiones, secundum quas elementa heterogenea conjunguntur. *Effectus* tandem diversæ hujus unionis procul inter se distant, cum in combinatione proprietatibus elementorum succedant novæ alteriusque ordinis proprietates: quod minime locum habet in puris aggregationibus (1).

(1) Cfr. P. Tong. n. 67. *Cosmol.*

Resp. *Nego* assertum et consequentiam probationis. Trinamque assignata differentiarum capita rem satis non declarant. *Non causa efficiens:* hoc enim est principium extrinsecum rerum, nec *ratio formalis* distinctionis esse potest. Et solum *efficienter*, nimirum si majorem vel diversam efficacitatem atque influxum in effectus suos exerceat, distinguere illos specifice potest. Quare quod combinatio et aggregatio diversas habeant causas, non satis est, ut inter se distinguantur specifice, nisi agnoscatur efficientiam longe diversam a causis illis nactas esse ipsas entitates substantiales elementorum. Idem enim specifice effectus a causis specifice diversis procedere potest, sicut eadem causa diversos producere secundum speciem effectus. *Non materia* seu diversa unio secundum majorem aut minorem portionem, ex adductis supra rationibus. *Non denique effectus:* nam effectus diversos combinationis atque aggregationis ex iisdem elementis factæ perspicimus omnes, illorumque radicem ac rationem sufficientem inquirimus. Dicere ergo effectus esse diversos in combinationibus atque aggregationibus, rem minime declarat.

Objicies 3.° Experientia nullum præbet nobis indicium, unde substantialem illam inter combinationem aggregationemque differentiam colligamus, quæ sit ratio formalis novæ illius naturæ combinationem chimicam consecuta. Ergo cum substantialis illa productio in elementorum combinatione obtruditur, supponitur id, quod est in quæstione.

Resp. *dist.* antec. Experientia sola, *conc.;* experientia præsidio ratiocinationis adjuta, *neg.;* et *neg.* cons.

In primis retorqueri posset hoc argumentum contra adversarios; tum quia neque ipsi potuerunt unquam intimam conditionem atque statum elementorum in combinationibus intueri; tum quia ipsis aperte ac positive videtur experientia refragari, siquidem in portionibus materiæ, quas experiri nobis licet, hoc constanter deprehendimus, per solas accidentales mutationes, quarum adversarii meminere, nunquam unam naturam in aliam converti. Experientiam igitur omnes eamdem habemus diversorum effectuum: eaque posita, incipit discordia Philosophorum circa causam illorum phænomenorum. Atomistæ assignant causam, quæ nobis impar prorsus

videtur effectibus explicandis; nos contra assignamus talem causam, quam nemo negaverit *sufficientem* esse, *necessariam* tamen esse negant adversarii, ideoque eam admittere renuunt. En nisi male video, totius cardinem controversiæ. Desinant ergo atomistæ experientiam, quæ ipsis minime favet, perpetuo jactare, cum dissensio inter nos non versetur circa experientiam, sed circa interpretationem experientiæ.

Objic. 4.° Ex sola unionis varietate diversitas naturæ proficisci potest. Etenim diversa unionis ratio diversas potest exciture vires, diversosque determinare motus in atomis ac moleculis. Atqui exinde jam habetur diversitas naturæ, siquidem vires illæ diversæ diversorum effectuum principia existent. Ergo sufficiens est atomistarum explicatio.

Resp. *dist.* assert. Ex sola unionis diversitate profluere potest diversitas naturæ accidentalis, *trans.;* substantialis, *neg.*

Ad probation. *dist.* Maj. Diversa unionis ratio diversas vires excitare potest, diversosque determinare motus, novum operationem principium non constituentes, *conc.;* novam naturam constituentes, *subdist.:* si unio illa secum fert substantialem elementorum mutationem, *conc.;* secus *neg.*

Instabis. Experientia nobis non pauca suppeditat exempla rerum, quæ nullam passæ mutationem in sua specifica substantia, pro varietate motus ac velocitate diversissimas induunt proprietates, ut patet in corporibus, quæ si rapidissime moveantur, aliam sæpe diversam figuram et colorem præ se ferunt. Ergo etiam unio partium in combinationibus absque ulla substantiali productione novam naturam constituere potest (1).

Resp. *dist.* ant. Experientia nobis porrigit exemplum rerum, quæ pro sola varietate motus induant proprietates apparentes et solum circa colores et figuram, quarum sola varietas non arguit specificam naturæ diversitatem, *trans.:* proprietates intrinsecas, quæ reales et chimicos effectus exerceant a parte ipsius rei, *neg.* Quis enim est inter scientiarum naturalium peritos, qui in exemplis in objectione memoratis, novæ naturæ generationem admittat, sicut adest profecto in chimicis compositionibus?

(1) Ita ex doctrina Hugonis Schiff, *Introduz. allo studio della Chimica*, pag. 67, edit. Taurin. 1870.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 5.^o Corpora, quæ dicuntur *polymorpha*, *allotropa* et *isomera* (1) diversissimis gaudent proprietatibus, ac proinde merito reputari possunt diversas inter se constituere naturas. Atqui tamen omnia hujusmodi eamdem possident specifice substantiam (2). Ergo diversæ naturæ existere possunt absque ulla diversitate sepecifica in ipsa substantiali entitate.

Resp. *dist.* Major. Corpora allotropa et isomera, *conc.*; polymorpha, *neg.* Et contradistincta Minore, *neg.* conseq.

Diversæ sunt sapientium opiniones circa naturam differentiarum, quas corpora allotropa et isomera præ se ferunt; quamquam melius fortase sentire videantur ii, qui ea non accidentaliter tantum inter se differe putant, sed specifice diversarum proprietatum principia in illis agnoscunt. Ad explicandam vero hanc diversitatem alii alia utuntur via (3):

(1) *Polymorphismum* vocant Chimici eam proprietatem, quam corpus possidet induendi qualitates vel gradus diversos qualitatum physicarum, v. g. fusibilitatis, densitatis, duritiei etc., ac potissimum diversam formam aut figuram. *Allotropia* et *isomeria* est propria illorum corporum, quæ chimicam constitutionem habent eamdem, sed differunt multum penes proprietates vel characteres chimicos. Hoc autem interest inter *allotropa* et *isomera*, quod allotropa dicantur ea, quæ facile transire possunt in alium statum, in quo licet eamdem constitutionem retineant, chimicas tamen proprietates mutant. Ea vero, quæ ita conveniunt in chimica compositione, sive quantitativa sive qualitativa, ut tamen nequeat alterum eorum in alterum transformari vocantur isomera. Vide Nacquet (*Principes de Chimie, première partie* pag. 97 seqq.). Cfr. Provenzali (Op. cit. pag. 89-90), Bonilla, (Op. cit., pag. 27, 28). Exemplum polymorphismi habes in sulphure, quod diversimode crystallizatur per viam, ut dicunt, dissolutionis ac per viam fusionis. Exemplum allotroporum suppetunt phosphorum rubrum et ordinarium, oxygenium et ozonum, carbonum sub forma adamantis et graphiti. Isomera denique sunt inter alia *alcohol allylicum* et *oxydum propylenes*, quæ hac una communi formula solent a Chimicis exprimi C^6 H^6 O. Quantum porro in suis proprietatibus hujusmodi corpora discriminentur, docebunt passim Chimici. Cfr. Liverani (Op. cit., cap. 23).

(2) Ita ex mente Purgottii in sua *Memoria sulla combustione*, aliorumque apud cl. Vincentium Liverani, Op. cit., cap. 23, n. 114.

(3) Wurtz allotropiam atribuit moleculari condensationi; Pinaza existimat allotropiam esse quoddam *polymeriæ* genus, polymeriam autem explicat et ipse per condensationem. Vide cl. Liverani (loc. cup. cit.). Quod vero isomeriam attinet, Leibig eam derivat ex diverso atomorum situ et ordine. Wurtz vel ex numero et magnitudine atomorum inæquali, vel ex distincta proportione coagmentationis atomicæ. (Apud Liverani, Op. cit. cap. 24, n. 130, 131). Alii demum tum allotropiæ tum isomeriæ causam repeti posse putant ex mera formæ mutatione motusque atomici velocitate.

quanquam non desunt graves rei chimicæ scriptores, qui verbis suis aperire non vereantur, quam parum fidant hypothesibus hactenus excogitatis (1). Nobis autem secundum doctrinam superius confirmatam placere nequaquam possunt ejusmodi opiniones, ac probabilus dicendum esse videtur, corpora, sive allotropa sive isomera, supposita chimicarum proprietatum distinctione, secundum ipsam entitatem substantialem specifice discriminari. De polymorphia enim non multum curamus, cum diversitas proprietatum in corporibus polymorphis non tanta sit, quæ nequeat adscribi accidentalibus mutationibus ejusdem specificæ substantiæ.

Inst. Atqui experientia favet omnino atomistarum sententiis, refragatur autem substantialibus mutationibus, quæ locum habeant in ipsa entitate corporum allotroporum atque isomerorum. Nam videmus, α) allotropa corpora, alterum in alterum converti per processus quosdam chimicos (2). β) Corpora etiam *isomera* per analysin chimicam in eadem

(1) «Una spiegazione di questo mirabile tramutamento delle proprietà dell' Ossigeno *non si può* comprovare ancora nello stato attuale della scienza... L' Ossigene, il Fosforo, ed ancora molti altri corpi che valgono come *semplici*, hanno per noi un doppio aspetto; nei loro diversi stati *essi sono chimicamente e fisicamente cose affatto distinte*. Noi ammettiamo che l'effetto prodotto da un corpo sui nostri sensi... sia dovuto a forze: ora si può ben dimandare *se queste forze siano capaci di un cambiamento in quanto alla quantità, e se siano inamutabili anche in quanto alla qualità*». Ita Justus Leibig, *Lettere Chimiche*, pag. 157 (apud cl. Liverani, Op. cit. cap. 23, n. 118). Idem Liebig prius (in eodem Opere pag. 151) scripserat. «La parola *allotropia* altro non è che *una voce*, la quale non ispiega affatto cotesti stati dei corpi allotropi: e solo può servire a ricordarci un' altra volta quanto poco noi sappiamo sulla *natura* della materia e sulla *causa* da cui derivano le proprietà di essa». Apud Liverani ib. n. 115.

(2) Ita phosphorum rubrum et phosphorum commune, si cum eadem oxygenii quantitate combinentur, idem anhydridum phosphoricum efficiunt, itemque ex carbonio et adamante, si in oxygenio comburantur, idem mixtum resultat, nimirum anhydridum carbonicum. Vide Nacquet, Op. et loc. cit. pag. 186, 227.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

elementa, sive secundum quantitatem sive secundum qualitates seu proprietates, resolvuntur.

Resp. *neg.* subsumptam Minorem. Ad probationem α) *distinguo* assertum. Corpora allotropa, unum in aliud convertuntur per substantialem transmutationem, *conc.*; per accidentalem aliquam ejusdem substantiæ variationem, *neg.* Hanc enim conversionem corporum per substantiales transmutationes repugnare, nondum est satis ab adversariis nostris demonstratum; aliunde vero admissis his transmutationibus, diversitates proprietatum ac naturarum egregie declarantur. Cæterum si semel ponamus corporeas substantias vera potiri causalitate ac virtute producendi novas alias subtantias, et non solas præexistentium corporum per variam atomorum texturam compositiones, fieri etiam poterit, ut unum idemque agens in variis adjunctis et conditionibus, in quibus allotropa corpora versantur, unum eumdemque specifice gignat effectum. A Chimicis autem, quibus hæc absurda videntur, jus habemus petendi meliorem solutionem iis, quas hactenus ipsi proposuerunt (1).

Ad β) eadem aptetur responsio. Admissa enim corporum isomerorum specifica diversitate, quænam est repugnantia in eo, quod per chimicam analysin, cui vis productiva substantiarum tribuatur, identica deprehendantur elementa? Id certe priscis AA. minime visum fuit absurdum; quin potius nihil magis in ore habebant, quam corpora secundum species diversissima ex iisdem quatuor elementis progigni, atque in eadem tendem resolvi (2).

ARTICULUS IV.

Utrum in corporibus compositis elementa *formaliter* perseverent, an vero solum *virtualiter*.

Aperitur status quæstionis.

135. Ostendimus in articulo præcedenti veritatem mutationum substantialium in corporibus a non *esse* ad *esse*,

(1) Vide cl. Liverani, loc. cit.

(2) Cfr. cl. P. De San, *Institutiones Metaphysicæ specialis*, n. 73, 3.e p. 146, Lovanii 1881.

nimirum per existentiam novi actus substantialis in subjecto, unde nova substantia novaque natura generetur videndum nunc est, an etiam e converso contingant mutationes subtantiales, ab *esse* ad non *esse* per desitionem alicujus actus subtantialis, ac proinde per corruptionem pristinæ naturæ. Et quoniam in hac controversia speciatim agitanda de simplicibus corporibus, cum in combinationem cœunt, tum præcipua inest difficultas, tum etiam summa utilitas ad ea, quæ mox tractanda sunt; ideo speciatim inquirimus, an elementa in mutua illa permixtione, unde nova genita est ex omnium consensu natura, cladem aliquam passa sint in sua substantia. Id enim est, quod significamus, cum quærimus, utrum elementa post combinationem in composito *formaliter*, an vero solum *virtualiter* perseverent.

Quid sit remanere. elementa formaliter, et quid virtualiter.

Elementa porro dicuntur existere *formaliter* in composito si postquam in unum coaluerunt, pristinam adhuc retinent essentia substantialiter inalteratam. Existunt autem *virtualiter* tantum, si post unionem essentiam quidem amiserunt suam, virtutem vero seu vires aut qualitates conservant, licet temperatas ac refractas et quasi in harmoniam redactas; quapropter dicuntur remanere, quia remanet eorum virtus. Loquimur autem de compositis substantialibus, de illis nimirum, quæ per combinationem obtinentur, et in quibus nova natura per novas diversissimasque manifestatur proprietates. Ea vocabant antiqui corpora *mixta*. Ne autem sit ullus ambiguitati locus, notamus ubicumque nomen *mixtionis* aut *mixti* usurpabimus, non aliud nos significaturos esse his priscorum Doctorum vocabulis, quam id, quod nostris temporibus exprimitur per *combinationem* et corpora *combinata* vel substantialiter *composita*.

Variæ sententiæ.

In proposita ergo controversia censent atomistæ chimici elementa in corporibus mixtis *formaliter* perseverare. Pro eadem sententia laudantur ex veteribus Philosophis Alexander Aphrodisius, Themistius, Simplicius, Philoponus, Avicenna, Averroes, Albertus M., Aureolus, Niphus, Zimara, Zabarella, Piccolomineus, Dandinus aliique. Id tamen discriminis interest atomistas inter et antiquos illos scriptores, quod hi, quamquam elementa integra in sua essentia permanere putarent, simul vero, saltem plerique,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

formam substantialem admitterent novam, toti composito communem, ope ipsius mixtionis generatam; recentiores autem quamlibet entitatem substantialem denuo producta repudient. Verum sententia, quæ vult elementa, substantialiter corrupta, virtualiter dumtaxat in mixtis manere, communissima fuit in schola sive PP. Prædicatorum, sive Scotistarum, sive Nominalium, sive Societatis Jesu, quemadmodum testantur accuratissimi scriptores. Quare a citandis hic hujus doctrinæ patronis abstinemus (1). Quanta porro contentione, quantis ultro citroque conjectis convíciis controversiam hanc olim agitaverint philosophi, disces ex PP. Conimbricensibus (2).

136. PROPOSITIO. **In compositis substantialibus, in illis nimirum, in quibus ex componentium coagmentatione nova genita est ac specifice diversa natura, elementa non insunt actu FORMALITER, sed VIRTUALITER tantummodo.**

Elementa in composito non sunt formaliter, sed virtualiter tantum.

Prob. 1.° Si elementa essent formaliter in mixto extrinsecus per suas proprietates manifestarentur. Atqui non manifestantur. Ergo...

Minor apud omnes in confesso est: nam in aggregatis quidem semper adest aliquis processus mechanicus aut physicus ad agnoscendam præsentiam componentium sive per microscopium, sive per dissolutionem, sive aliis modis. At in chimice compositis nullus processus physicus adest, quo detegi actualis existentia elementorum valeat: et solum per chimicam resolutionem destructo mixto iterum apparent elementa (3).

(1) Consule, si lubet, Card. Toletum *(de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 10, quæst. 17), P. Ant. Rubium (In eumd. loc. Aristot. quæst. 4), Doctoresque Conimbric. (In lib. 1.mus Arist. *de Generat. et corrupt.* cap. 10. quæst. 3), itemque Suarezium (disp. 15 *Metaph.*, sect. 10, n. 41 seqq.), Complutens. *(de Generat. et corrupt.*, disp. 9, quæst. 4), Pontium *(de Gener. et corrupt.*, disp. 5, q. 2), et M. Prado, Mastrium Aversa etc., in propriis locis *de Gener. et corrup.*

(2) In lib. 1, Aristot. *de Gener. et corrupt.*, c. 10, quæst. 1, art. 2, init.

(3) Qua de re consule Wurtz, Nacquet vel quosvis alios rei chimicæ scriptores. «No es posible confundir, despues de lo anteriormente expuesto, la combinacion con la mezcla. En esta entran sus factores

Major ergo probatur. α) Quia non alia nobis suppetit via ad præsentiam alicujus substantiæ cognoscendam præter operationes et proprietates, quibus illa suam prodit naturam. Ergo ubicumque certarum substantiarum characteres extrinsecus non manifestantur, præsentia atque existentia earum merito negatur, nisi aliæ rationes evidentes contrarium suadeant. Atqui atomistæ chimici nullas afferre possunt rationes, quibus evidenter ostendant substantias elementorum, quamquam non manifestentur exterius, latere tamen integras atque inalteratas in corporibus compositis. Ergo...

β) Si elementa existunt formaliter, secundum proprias vires agere ita debent, ut nulla creata ví actio eorum possit impediri. Cum enim sint agentia necessaria, vinci quidem eorum actio potest contraria vehementiori actione, sed minime cohiberi, ne exseratur cum tota sua efficientia. Ergo in tantum concipi potest elementa, quamvis actu formaliter existant in composito, minime tamen operationes ac proprietates suas specificas manifestare, in quantum operationes singulorum elementorum propriæ in mutuo conflictu, quin substantiæ ipsæ vel minimum læderentur, in alias actiones

en proporciones cualesquiera y el cuerpo resultante conserva las propiedades de aquellos, siendo facil distinguirlos unos de otros á simple vista ó por medio de una lente, y separarlos por medios puramente mecánicos ó físicos. Si se mezclan partes iguales de azufre en polvo y hierro en limaduras, por intima que se haga la mezcla, se distinguen á simple vista, y mejor con una lente, las particulas de azufre y las de hierro: el color de la mezcla participa de los colores de ambos cuerpos y si se aproxima una barra imantada, se adhiere á ella el hierro y no el azufre, pudiendo llegar á separarlos por este medio; si se echa la mezcla en agua, se va al fondo del hierro más pronto que el azufre por su mayor densidad; si se la trata por sulfuro de carbono, se disuelve el azufre quedando insoluble el hierro. Pero calentando la mezcla suficientemente, se verifica la combinacion de ambos cuerpos y en el compuesto resultante (sulfuro de hierro) de color negro, ya no será posible distinguir ninguno de los componentes, ni aun con el auxilio del mejor microscopio; no se separarán por medio de una barra imantada, ni echando el cuerpo en agua, ni tratándole por el sulfuro de carbono. Los cuerpos combinados no pueden separarse sino por medios químicos». Bonilla *(Tratado elemental de Química General*, primera parte, paragr. *Diferencia entre la combinacion y la mezcla*, pag. 16, Valladolid 1881).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

et manifestationes extrinsecas prorsus diversas, quales in mixtis cernimus, transformarentur. Atqui id impossibile videtur. Nam tunc illæ novæ manifestationes essent instar resultantis variarum actionum simul coëuntium. Jam si hæ actiones sunt contrariæ et inæquales, resultans earum esset manifestatio ejusdem generis, ac prævalens illa actio, licet infirmior in intensitate; si actiones illæ sunt contrariæ, sed æquales, mutuo se destruent, et effectus erit negativus; si actiones sunt similes, manifestatio nova nihil aliud erit, quam summa actionum omnium; si demum actiones elementorum sunt disparatæ inter se, omnes debebunt patefieri. Quæro autem, cur nihil ejusmodi locum obtineat, si vere in mixto lateant elementa in sua integritate formaliter existentia?

Itaque nihil mirum si nobilissimi rei chimicæ scriptores, quamquam peripateticas doctrinas minime sectarerunt, censere potuerunt elementorum characteres et proprietates amitti prorsus in mixtis (1). Quod si characteres et proprietates

(1) «Dans les mélanges tous les éléments conservent les propriétés qui leur sont propres; dans les composés qui resultent d' une combinaison, chaque élément *perd les propriétés qui le caracterisent pour en acquérir de nouvelles communes a tous*: on a veritablement un corps nouveau». Naquet *(Principes de Chimie, troisième edition*, pag. 4. Paris 1876.)

«Le profonde indagini sperimentali, che abbiamo fatto intorno *all'accido cloridrico, all'acqua ed all'ammoniaca*, non possono più lasciare un dubbio sopra la rimarchevole differenza della costruzione chimica di quelle tre combinazioni... e metono in luce *certe leggi generali* di grande importanza. Esse dimostrano: 1.° la costanza dei rapporti, nei quali gli elementi si uniscono per formare una combinazione: 2.° *il completo cambiarsi delle loro proprietà caratteristiche, quando gli elementi passano allo stato di combinazione*... La costanza di composizione che presentano le combinazioni chimiche, *la differenza fra le loro proprietà e quelle dei loro elementi furono osservate finora senza eccezione in ogni caso*.» A. W. Hoffman *(Introduzione alla Chimica moderna*, p. 76. Firenze-Torino-Milano 1869). «Anche *nell'acqua allo stato di gas le proprietà fondamentali dell'idrogeno* (combustibilitas) e dell'ossigene (capacitas fovendi combustionem) *andarono completamente perdute*.» Hoffman (ib. p. 81 in nota).

Schevartius vero sic scribit: «Compiuto l'atto della combinazione si produce una sostanza nuova, che non offre più le proprietà dei materiali, che hanno concorso alla sua formazione; ed è precisamente

non amplius subsistunt, et elementa ipsa periisse dicenda sunt.

Prob. 2.° In compositis chimicis una certe natura existit, ut omnes fatentur, et evidens est ex phænomenis perfectissime uniformibus, quæ ex tota massa corporea emicant. Atqui una existere natura nequit, si elementa formaliter permaneant. Ergo... **Prob. Minor.** Si enim formaliter perseverant elementa, dantur in composito plures actu substantiæ completæ. Atqui ostensum est in *Ontologia* (1) ex pluribus substantiis actu completis unam coalescere naturam non posse. Ergo...

Prob. 3.° Si elementa *formaliter actu* remanent in compositis, vel unun idemque occupant spatium, vel diversum. Atqui neutrum dici potest. Ergo...

in questo momento di transizione che i corpi cessano di essere ciò che erano dianzi, *perdono la loro individualità* per transformarsi in altri. Schevart. *(Manuale di Chimica*, 1.ª Vers. ital del dot. Eustachio Mingoli, apud el. Zanon, *Scienza Ital.* anno X. vol. 2, pág. 109-110). «Il volume delle masse combinate è confuso, e *tutti i caratteri fisici e fisiologici che sono la nostra guida nelle della fisica, ci vengono a mancare, eccetto la gravità*. Ita *American Chemist. (September* 1884. ap. Liberatore *Tratt. dell'Uomo*. vol. 1, pag. 433).

Nelle miscele «il prodotto, partecipa più o meno dei caratteri de suoi costituenti, i quali nel nuovo prodotto si possono riconoscere come *non mutati esenzialmente*: laddove in tutti gli esempii di vera unione e decomposizione chimica *spariscono intieramente, e sostanze del tutto differenti, fornite di nuove qualità appaiono* nel luogo di quelle.» Cooke *(La nuova Chimica*. Lettura 4. ap. el. Liverani, *Sui Principi supremi etc*, cap. 24, n. 126).

Quare hoc unum ex capitibus est, quod Stallo in atomismo impugnandum assumsipt: «Aux yeux de la doctrine atomique, inquit, *les compositions et décompositions chimiques ne représentent rien de plus que des aggrégations et desaggrégations de masses dont l'integrité demeure inaltérable; or le changement radical des propiétés chimiques qui est le résultat de toute veritable action chimique, et sert à la distinguer du mélange et de la séparation purement mécanique manifeste une complete destruction de cette integrité*. Stallo *(La Matière et la Physique moderne*, chap. 7, pag. 73. Paris 1891).

(1) Vide *Ontol.* n. 282, seqq. a pag. 823. Lege S. Thomam (quæst. *de Anima* art. 2, ad 11.um). Cfr. Suarez (disp. 15 *Metaph.* sect. 10, 48-51). Conimbricens. (lib. 1 *de Gener. et corrupt.* c. 10, quæst. 3, a 2, 2.ª et 3.ª ratio).

Minor probatur per partes 2) *Non occupant idem spatium*, secus enim naturaliter compenetrarentur, nec proinde naturaliter vim resistendi seu impenetrabilitatem possiderent, quod est contra communem ipsorum atomistarum, eamque veram sententiam. 3) Sed *neque diversum spatium occupant*. Id enim experientiæ contradicit, quæ non minorem homogeneitatem detegit in corporibus vere mixtis, quam in elementaribus (1). Fieri ergo nequit, ut in diversis spatiis diversisque partibus extensionis corporis mixti reperiantur elementa actu formaliter in propriis essentiis permanentia (2). Concludendum ergo est elementa in combinatione suam essentiam amisisse, ut novam aliam reciperent uniformem atque homogeneam per totam compositi massam.

Atque hoc est, quod sæpe docuit S. Thomas: *Si mixtio fiat remanentibus formis simplicium corporum, sequitur quod*

(1) Audiatur hec de re Hugo Schiff. «Una volta che i corpi composti siano preparati e durante il tempo che non vengono chimicamente alterati, sono *per tutta la loro massa altrettanto omogenei, quanto lo sono gli stessi elementi*». Schiff *(Introduzione allo studio della chimica*, p. 19. Torino 1876). Et alibi idem auctor hæc scribit: «*Non possiamo più scoprire i costituenti separati* anche per mezzo dell' ingrandimento». Hugo Schiff (ib. p. 29). Ne possiamo «in verun modo provare che . rinchiudano ancora le medesime specie di sostanze che adoperammo per formali». Schiff (ibid. p. 127). «Ita etiam Josias Cooke: «Nel composto chimico i caratteri delle sostanze constituenti sono *intieramente* confusi in quelli del prodotto, e questa circostanza distingue un *vero composto* da un *miscuglio meccanico*, nel quale i caratteri di ogni elemento *sono conservati* sino ad un limite più o meno grande». *(La Nuova Chimica*, Lettura 4.ª p. 104). Eadem est sententia Wurtzii *(Leçons élémentaires de Chimie moderne)*, et aliorum. Quin factum hoc uniformis naturæ totius mixti adeo evidens visum est Chimicis, ut quidam ad eam explicandam vel ipsam corporum impenetrabilitatem fuerit infinitus: «Nei combimenti chimici i corpi che si uniscono occupano lo stesso spazio nello stesso tempo, e l' *impenetrabilità della materia cedesi non essere più un fatto*. Dirò che l' unione chimica è nell' essenza sua identificazione, comme l' Hegel l' ha definita, parmi l' espression più semplice concepibile». *(American Chemist, Septemb.* 1874). Nimirum hic scriptor cum substantialem elementorum transmutationem non agnosceret, ex homogeneitate totius massæ perfectissima, quam negare non poterat, convictus, ad denegandam impenetrabilitatem perductus est.

(2) Conimbric. l. 1, *de Gener.* et *cor.* c. 10, q. 3, art 2., 1.ª ratio.

non sit mixtio, sed solum ad sensum, quasi juxta se positis partibus insensibilibus propter parvitatem (1). Verum de doctrina S. Thomæ hac in re mox specialis controversia instituetur.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

137. Objic. 1.° Elementa in composito manere dicenda sunt, si compositum in eadem resolvitur per chimicam analysin. Atqui sic se res habet. Ergo... Prob. Major. In chimica enim resolutione corporis resultare nihil potest, quod in eo prius non contineretur.

Resp. *dist.* Maj. Elementa aliquo saltem modo, nimirum *virtualiter*, manere dicenda sunt, si compositum in eadem resolvitur etc. *conc.*; *formaliter* et integra secundum suam substantiam, *nego*.

Et *concessa* Minore, *distinguo* eodem modo conseq. Majorisque probationem adjunctam. Etenim «non est necesse, inquit Eximius Doctor, ea quæ videntur ex ligno fieri, in eo *formaliter* præcessisse, sed *virtute* secundum aliquam minus *remotam dispositionem*, ratione cujus illa omnia de novo generantur» (2). Quæ doctrina, quatenus negat ex resolutione chimica quidquam colligi pro formali elementorum in composito existentia, diserte docetur a quibusdam nobilissimis Chimicis ætatis nostræ (3). Et recte quidem: elementa

(1) In lib. 1 *de Gen.* et *corr.* l. 24, parag. e vers. fin. Vide plura ib. itemque in lib. II *de Gen.* et *corr.* l. 8; Opuscul. *de Mixtione element.* aliisque in locis. Cfr. Suar. disp. *Metaph.* 15, sect. 10, n. 42, 48, 51, et alii veteres AA. superius citati.

(2) Suar. Disp. *Metaph.* 15. sect. 10. n. 37.

(3) Audi cl. Anton. Mazzoni: «Dove è lo zucchero quando si è diviso in Alcool e Acido carbonico? Chi v'ha che possa asserire senza timore d'ingannarsi, se non di porsi in contradizione coi fatti ormai divenuti indiscutibili nella scienza, che nell' Acido idroclorico p. e. continuino ad esistervi l' idrogeno ed il cloro in quella forma individuale nella quale li distinguiamo in istato d' isolamento? Non basta a probare il contrario il dire che dalla' acido idroclorico si possono insolare, per la stessa ragione che per provare che l' acqua esiste in certi composti, non basta il dimostrare che questi possono, scomponendosi, dar origine ad essa. *Je distingue le radical hydrogène du gas hydrogène, le radical chlore du gas chlore libre*, diceva

namque in composito habent statum omnino diversum ab eo, qui ante et post compositionem ipsis competit: ex altera

Gherardt». (Mazzoni, *Y corpi considerati come chimiche individualità* pag. 14.—Faenza 1868. apud Venturoli, *Scienza ital.*. anno I. vol. 1. pag. 151).

Sic etiam Hugo Schiff.: «La voce *corpo composto* non racchiude nulla che si riferisca alla omogeneità od eterogeneità dei corpi. Questa espressione si riferisce soltanto a ciò che questi corpi *sono capaci di essere composti di elementi e di essere scoppiati in elementi*», l'er il che «il vero concetto dell' espressioni *corpo composto* si troverebbe piuttosto nell' espressione ordinariamente non usata – *corpo componibile o decomponibile*». *(Introduzione allo studio della Chim.* p. 19, 20. ap. Liverani, Op. cit. cap. 23. n. 125). Et C. R. A. Wright: «Se l' ossigene ed il mercurio siano come tali presenti nell' *ossido de mercurio*, oppure se siano essenzialmente alterati nella combinazione... sono desse speculazioni, con cui non ha niente che fare un Chimico che desideri stare puramente ai fatti. *Ossido di mercurio* è il nome dato ad un corpo che, riscaldato, fornisce i due corpi ossigene e mercurio; *ed a questo fatto si allude soltanto quando si dice che l'ossido di mercurio è un composto d'ossigene e mercurio.* A questo stesso e alla proposizione che mercurio e ossigene possono sotto certe condizioni *riprodurre l'ossido di mercurio*, primitivo si allude, quando dicesi *che l'ossigene ed il mercurio si uniscono insieme per formar l'ossido di mercurio, ovvero che l'ossigene ed il mercurio sono i componimenti dell'ossido di mercurio.*» (Wright. *Philosophical Magazine* 1872. ap. cl. P. Liberatore, *Tratt. dell' Uomo* vol. 1 pag. 450). Itemque I. P. Cooke: «Come risultato di questa discussione riteniamo, che quando noi diciamo, *che l'acqua è composta di ossigene e idrogene*, non altro intendiamo che questo val quanto dire, *che con varii processi chimi queste due sostanze possono essere prodotte dall'acqua, e che il peso dei due prodotti uguaglia sempre il peso dell'acqua adoperata in quel processo*; o da un altro canto, *che l'acqua può essere prodotta per la combinazione dell'ossigene e dell'idrogene*, e che *il peso dell'acqua, così formata, è uguale alla somma dei pesi dei due gas.* Noi non possiamo dire che l'acqua consta d'idrogene e di ossigene *nello stesso senso*, in che diciamo che il pane consta di farina, e lo sciroppo di zucchero e lo smalto di calcina. Noi dobbiamo andar molto cauti per non trasferire direttamete alla Chimica le nostre idee di composizione tratta principalmente dalle miscele che noi usiamo nella vita domestica...(Cooke *La nuova Chimica* apud. cl. P. Liberatore, loc. cit.). Et paulo inferius idem Cooke». Quando l'acqua viene formata, le qualità dell'ossigene e dell'idrogene vengono sommosse del tutto in quella del liquido risultante, nel mentre che viene sprigionata la medesima dose di energia. Se poi l'ossigene e l'idrogene esistano *come tali nell'acqua, ovvero siano,*

vero parte tum analisis tum synthesis locum formaliter habent, quando mixtum jam non existit; quandoquidem

prodotti per una ignota e sconosciuta (unknown and unconceived) transforma zione delle loro sostanze, la è una questione intorno a cui possiamo bensì speculare, ma rispetto alla quale non abbiamo contezza. Tutto ciò che sopra di ciò sappiamo è che la mutazione dell'acqua nei due gas, o quella dei due gas nell'acqua non è accompagnata da mutazione veruna di peso, e di qui conchiudiamo che in quel cambiamento il *materiale è conservato, o in altri termini, che l'acqua e i gas sono lo stesso materiale sotto differenti forme.*» (Apud cl. Liberatore ib). Et postquam notaverat nostris temporibus lucidissimam explicationem resolutionum chimicarum et valde intelligibilem reddi ab iis, qui elementa prout talia secundum proprias suas naturas perseverare arbitrantur, ita pergit. *Tuttavia io devo confessare, che mi sento tratto piuttosto a quella spiegazione della Natura, che ha trovato seguito in molti dei più eminenti Fisici dell età presente e... secondo la quale le molecole dell'acqua sono perfettamente omogenee, ed il cambiamento che ha luogo, quando l'acqua viene decomposta, non consiste già nella risoluzione delle sue molecole nelle particille precsistenti, ma nel dare allo stesso materiale altre affezioni»* (Apud cl. Liverarni, *Scienza ital.* vol. 2, ann. 1. pag. 459).

Nec aliter Liebig: «Nihil scitur relate ad atatum, in quo elementa duorum corporum compositorum versantur, simul atque illa in chimicam combinationem coaluerunt: et quomodo elementa in combinatione cogitanda sint coagmentata, *stat in conventione* (beruhe nur auf Uebereinkunft)», id est, penitus ignoratur, et solum conventionalibus quibusdam loquendi formulis exprimitur. Apud cl. P. Pesch. *Institutiones Philos. natural.* n. 254. in nota, pag. 283, Friburgi Brisgovie 1880. Idemque omnino persuasum habuisse dicendus est Aug. Kecule, cum hæc scripsit: Chimica est «scientia corporearum transformationum materiæ. Objectum ipsius essentiale non est subatantia prout actu existens *(die existirende Substanz)*, sed potius ipsius status præteritus et futurus *(ihre Vergangenheit und ihre Zukunft)*. Relationes corporis ad id, quod fuit prius, et ad id quod fieri potest *(werden Kann)*, constituunt proprium objectum Chimiæ.» *(Lehrbuch der Organischen Chemie*, ap. cl. P. Tilm. Pesch, op. cit., pag. 111 in nota).

Excesit ergo in suo judicio, vel ex ipsorum Chimicorum sententia, cl. Fredault, cum asseruit incorruptibilitatem elementorum in compositis esse *factum*, ideoque discussioni et controversiæ minime obnoxiam. *(Matiere et Forme*, ch. VIII, pag. 80. Paris 1876. Cf. ch. XXII p. 263-267). Quod ad certum compositum certa requirantur elementa, itemque quod certa corpora in certa alia resolvantur, est factum quotidiano experimento compertum; quod elementa sub certis quibusdam proportionibus legibusque uniri debeant, atque invicem alterari, ut certum compositum resultet, est illatio legitime fluens ex innumeris

analysis *destruit* prævie existens corpus, synthesis vero *fabricatur* mox extiturum. Non potest ergo analysis sola, aut sola synthesis ullum certum suppeditare argumentum pro formali elementorum in composito perseverantia.

Instabis 1.° Analysis chimica est quædam compositi in suas partes constitutivas divisio: itemque synthesis chimica est elementorum ad compositam naturam efficiendam conglobatio. Atqui divisio partes supponit actu existentes, easque mere separat; plurium autem compositio repugnat, nisi plura actu existant. Ergo.

Resp. *dist.* Majoris 1.am partem. Analysis chimica est divisio mechanica, quæ nihil aliud faciat, quam partium in sua individuali natura existentium compagem abrumpere, *neg.*; divisio sui generis et transformativa, talis nimirum actio, per quam causæ mixtionem destruentes, formalem existentiam determinent elementorum, quæ in composito virtualiter continebantur, *conc.*

Et *contradistincta* 1.ª Minoris parte, *neg.* conseq. Audiatur Aristotelicorum operum insignis commentator, Cardinalis Toletus: «Ad id autem quod dicitur, ipsa (elementa) esse separabilia... dico etiam (prius enim aliam præmiserat responsionem), quod separabilia sunt, eo quod ex mixto possunt elementa *generari rursus*, sicut ex elementis generatum est mixtum: quæ videlicet erant in virtute in forma mixti, et fiunt in actu proprio; erant, inquam, in actu alieno, et fiunt in actu proprio: erant in actu formæ mixti eminenter, et fiunt in actu specifico proprio. Et hoc dicitur *separari*, ut quæ erant simul in virtute conjuncta, fiant seorsum sejuncta in actu» (1).

Distinguo pariter 2.am partem Majoris. Synthesis chimica est elementorum conglobatio accidentalis et extrinseca, *neg.*; substantialis, seu efficiens unicam substantiam, ideoque destruens specificas naturas simplicium, *conc.*

Contradist. Minoris 2.am partem. Repugnat compositio plurium accidentalis et extrinseca, nisi plura illa existant

observationibus: quod autem hæc alteratio intactam relinquat ipsam componentium substantiam, neque est factum, neque illatio ullis firmis nixa fundamentis.

(1) In lib. 1 *de Gener. et Corr.*, cap. 10, quæst. 17, in solut 1.ª arg.

actu, *conc.*; substantialis, *subdist.*; nisi plura illa existant in composito virtualiter, *conc.*, actu formaliter, *neg.*

Hæc est difficultas, quam contra ipsam mixtionis possibilitatem sibi objecerat Aristoteles primo libro, quem scripsit *de Generatione et Corruptione*; eamque eodem modo resolvit, ut constat tum ex verbis ipsius, tum ex commentario Angelici Doctoris in eundem locum (1), cujus doctrinam in sequenti articulo fuse expendemus.

Inst. 2.° Si synthesis fit per destructionem elementorum, et analysis per eorumdem generationem, non vero per meram separationem actu formaliter existentium, apta causa transmutationes has efficiens, esse debet. Atqui nulla potest ejusmodi mutationum idonea causa assignari. Ergo.

Resp. *conc.* Major, et *neg.* Minor. Easdem enim nos causas assignare possumus, quas naturalium scientiarum cultores assignant elementorum sinthesi atque analysi in combinationibus et resolutionibus chimicis. Nimirum ante omnia proxime videntur concurrere vires ac propriæ singulorum corporum

(1) Lib. 1, *de Gent. et corr.* lect. 24. Hanc doctrinam lucidissime expressit etiam clarissimus ac reverendissimus D. Rubbini, qui studio nunquam satis laudando nostris temporibus egregium opus aggressus est de re physica, Scholasticorum doctrinia accomodatum: «Il principale argomento, inquit, che suole addursi dai seguaci di quest' ultima teoria a mostrare che nel corpo, risultante da sostanze corporee di diversa natura, queste vi rimangono in atto senza che vi sia perciò vera trasmutazione di sostanza, si è che dal corpo resultante, il Chimico nella decomposizione ricava quegli stessi corpi di natura diversa che combinandosi lo avevano formato, e li ricava in quella quantità precisa in cui si erano combinati. Questo però a ben riflettere non prova il loro assunto. Supposta infatti la realtà di una trasmutazione di sostanza nella composizione, l'argomento mostra solo che nella decomposizione succede nuova *trasmutazione in senso inverso*. Per provare che i corpi rimangono nella loro natura nel composto, senza che avvenga trasmutazione di sostanza, bisognerebbe dimostrare l' esistenza attuale di questi componenti nel corpo risultante, finchè esso rimane quel corpo risultante che è, cioè prima della sua decomposizione: *e questo ne lo dà l' osservazione diretta, ne lo dà alcun rigoroso ragionamento fondato sull' osservazione dei fatti, e indipendente da ipotesi*». *Lezioni elementari di Fisica per Mons. Giuseppe Rubbini Professore di Fisica e Matematica nel Seminario di Bologna*; lezione 1, num. 8, pag. 4. Bologna 1882.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

potentiæ, quæ confuso ac generico nomine *affinitates* appellantur, nec aliud videntur esse, quam qualitates activæ et passivæ, quarum ope corpora agere in alia, et ab aliis pati valent. Deinde si nobilissimos audiamus scriptores, suæ quoque partes tribuendæ sunt agentibus universalibus extrinsecis, ac nominatim calori, luci, electricitati aliisque causis, quas Chimicis recensendas relinquimus (1). Cumque sol terram totam lustret caloris, lucis et aliarum activitatum fons perennis, a recentioribus naturalium scientiarum cultoribus (2), æque atque a priscis Philosophis recensetur inter causas generationum, atque adeo etiam chimicarum compositionum ac resolutionum, quibus corpora mixta ex elementis coalescunt, vel vicissim in illa dividuntur (3).

Inst. 3.° Atqui nulla potest esse par ratio inter Peripateticos atque Atomistas ad easdem assignandas combinationum et resolutionum causas. Nam illud inter eos interest haud exiguum sane discrimen, quod Peripatetici, secus ac Atomistæ, novarum substantiarum productiones admittant in mixtorum sive compositione sive dissolutione. Atqui causæ

(1) Vide v. g. Nuquet, Wurtz, Bonilla etc.

(2) Vide v. g. Cantoni *(Lezioni de Fisica*, p. 160), Cooke *(La nuova Chimica* p. 223), Felix Marco *(L'unité dynamique des forces et des phénomenes de la nature*, p. 181-183), Frédault *(Forme et Matière* pag. 104, 105, Paris 1876).

(3) Veteres Philosophi duplex genus causarum mixtionis elementorum assignabant: elementa ipsa miscibilia per suas qualitates, et cœlestia corpora mediis suis virtutibus et influxu, quem latissime per totam terram diffundi arbitrabantur: quare adumbrasse quodammodo dicendi sunt doctrinam, quam recentiores distinctius et accuratius explicarunt. Cæterum elementa ipsa non putabant esse posse causas principales mixtorum, ea innixi ratione, quod mixta seu chimice composita corpora sint simplicibus seu elementaribus perfectiora. Itaque mixtorum quidem inanimatorum principales causas communius arbitrabantur esse cœlestia corpora, et principue solem. Vide Rubium *(de Gener. et corrupt.* lib. 1, cap. 10, tract. *de Mixtione*, quæst. 3). Toletum (ibid. quæst. 19), Conimbric. (ibid. cap. 10, quæst. 1, art. 2), Complutens. *(de Gener. et corrupt.*, disp. 9, quæst. 1, n. 11). Quod vero mixta animata seu viventia attinet, ipsa cœlestia corpora reputabant insufficientia, ideoque ad alias causas confugiebant, quibus generatio illorum principaliter attribuerunt: qua de re in *Psychologia* recurret opportunior occasio disserendi.

quævis naturales hujusmodi productionibus non sufficiunt. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Undenam enim id probant adversarii? Nos autem cum mutationes substantiales admittendas esse probaverimus, quarum terminus est aliquid substantiale, indubitate asserimus aptam causam producendarum substantiarum dari in rerum natura. Cum autem actiones, per quas in hujus modi substantialibus mutationibus novæ gignuntur naturæ vel substantiæ, præsupponant materiam vel subjectum, creationes non sunt, sed eductiones, ac proinde intelligere non possumus, cur non sint naturalibus et creatis causis adscribendæ. Eo vel magis, quod videamus passim in viventibus generationes novarum substantiarum ejusdem speciei. Desinant ergo adversarii productiones substantiarum absque ullo fundamento respuere, vel earumdem gignendarum virtutem causis creatis denegare. Sed de his plura inferius.

Inst. 4.° Sed alia est præterea dispar ratio pro Peripateticis et Atomistis. Cum enim Atomistæ doceant formalem elementorum seu corporum simplicium in composito existentiam, lucidissime possunt explicare resolutionem in eadem illa elementa, ex quibus mixta coaluerunt, per operationem nimirum agentium chimicorum et affinitates aliorum corporum. At vero Peripatetici cum negent existentiam elementorum in composito, nullum locum relinquunt affinitatibus et actioni aliorum corporum, ac proinde non possunt explicare analysin chimicam.

Resp. *neg.* assertum: ejusque probationem *dist.;* et Peripatetici non satis explicare possunt chimicam analysin, *neg.;* clarius et lucidius eamdem explicant Atomistæ; *subdist.:* ita tamen, ut alia phænomena non possint sat commode, ut vidimus explicare, *trans.;* clarius et lucidius explicant analysin, habita etiam ratione totius systematis, *neg.*

Non omnia mysteria æque in omnibus systematibus extricantur. Et si atomismus faciliorem et magis obvium ingerit conceptum corporis mixti in actu ipso ac momento compositionis et resolutionis chimicæ, non æque commodam et factis evidentissimis convenientem præbet explicationem status permanentis, in quo versantur composita

substantialia, cum novæ fiunt naturæ. Jam vero quæstio præcipua, cum de essentiali constitutione agitur, est de corporum compositorum perenni statu, seu de iisdem in facto *esse;* nam in momento synthesis nondum ipsa existunt, et in momento resolutionis, jam esse desierunt, ut superius notabamus. Non ideo tamen negamus a Peripateticis sat idoneam posse resolutionum chimicarum declarationem præberi, quæ non mere separent, sed vere generent elementa in chimica analysi resultantia. Nam dogma peripateticum est, intereuntibus elementis in combinatione, virtutes eorum quasi hæreditario jure ad mixta devenire, quemadmodum Conimbricenses loquuntur (1). Quare mixta corpora, licet formaliter non includant elementa, illorum tamen specialibus virtutibus quodammodo locupletantur, et fecundantur, ut accedentibus aliis causis extrinsecis, quæ mixtionem destruant, iterum formæ elementorum gignantur. Quod ut intelligas, nosse debes, mixtionem non esse meram unius in aliud transmutationem. Corpus enim quod in aliud simpliciter transmutatur, in illud convertitur, ejusque naturam ac vires acquirit, amissis omnibus, quæ prius habebat, excepta materia prima. Cum autem a duobus aut pluribus corporibus fit substantialis mixtio neutrum illorum in alterutrum convertitur, sed ex utroque tertium quiddam ab eis diversum gignitur. Et mixtionis modus talis est, ut elementa invicem agant, et patiantur per vires suas inter sese confligentes, unde formarum ac naturarum elementarium procedit corruptio et formæ novæ ac naturæ mixti generatio. Jam vires ac virtutes elementorum in hoc mutuo congressu non omnino pereunt, secus enim elementum illud, cujus vires omnino perirent, non posset dici cum aliis misceri, sed simpliciter corrumpi, inque aliud transmutari. Mixtum igitur virtutes elementares in se contineat, oportet; non quidem in eo summo gradu, in quo possidentur ab elementis secundum proprias suas formas existentibus, sed in eo gradu temperato ac refracto, ad quem redactæ sunt in mutuo illo actionis et passionis conflictu (2). Quæ cum ita sint,

(1) In lib. 1. *de Gen. et Corr.* c. 10, q. 4, a 2.

(2) Vide S. Thom. in lib. 1, *de Gen. et Corr.*, lect. 24, et alibi passim.

adest in mixto non *sola passiva* atque indifferens possibilitas, ut ope actionum chimicarum reproducantur elementa, sed vera virtus, et activæ potentiæ participatio quædam ex intereuntibus elementis remanens, ratione cujus agentia naturalia in mixti dissolutione ea præ aliis generent elementa, quorum virtus fecunda et quasi semen in eo conservatur (1). Ita etiam semen, quamquam plantam formaliter in se minime contineat, virtutem tamen habet exigentem, ut eadem agentia naturalia diversas plantas pro seminis specifica virtute germinent (2). Ex quo etiam intelligi potest, cur in corpore mixto seu chimice composito remaneant adhuc affinitates pristinæ componentium, quarum ratione si quod aliud corpus accedat, cum quo majorem gerat affinitatem aliquod ex componentibus, disolvitur prior chimica compositio, novaque alia peragitur. Sic tres ac viginti grammi sodii possunt ita agere in aquam, ut corrupta vel transmutata ejus substantia cœant cum octo grammis oxigenii ad constituendos triginta et unum grammum sodæ, libero remanente, seu potius renascente uno grammo hydrogenii, qui cum octo grammis oxygenii conficiebat novem aquæ.

Objic. 2.° Elementa in composito actu formaliter inesse dicenda sunt, si in eis manifestantur eædem elementorum proprietates. Atqui ita se res habet. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Si aliquæ tantum simplicium proprietates in composito substantiali cernuntur, *neg.;* si omnes, *trans.*, vel *subdist.;* si omnes et eodem modo affectæ, *conc.*, si diversimode affectæ aut immutatæ *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Instabis. Saltem præcipuæ elementorum proprietates, quæque potissimum speciem atque essentiam eorumdem commonstrant, superstites reperiuntur in mixtis. Atqui id salvam postulat elementorum in propria quidditate substantiam. Ergo,

(1) Cfr. Suar. (disp. 15, sect. 10, n. 57, 59), Tolet. (lib. 2, *de Gener et Corrupt.* cap. 4, q. 8, *Adverti.* 3.°, ante 1.am conclus. Cfr. ib. lib. 1, cap. 10, q. 17, in solut ad 4.um argum. principale, paragr. *Præterea si subtilius*), *Conimbr.* (loc. cit.) etc.

(2) Cfr. cl. Vicent. Liverani, Op. cit. cap. 25, n. 150, 151. Cfr. etiam quæ in sequenti articulo dicentur circa mentem Angelici Doctoris, in solutione difficultatum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et probatur Major. Nam α) pondus absolutum compositi semper æquat summam ponderum elementarium, quemadmodum passim testantur chimici. β) potentia refractiva et proprietates magneticæ pariter in composito cernuntur: γ) itemque remaneant affinitates; ac δ) denique in analysi, quam vocant spectralem, notæ propriæ colorum, quibus corpora simplicia insigniuntur, in compositis apparent.

Resp. *neg.* Major., ad cujus probation. respondeo per partes. Ad α) Pondus absolutum certe idem est in composito atque summæ ponderum elementorum. Id autem ne minimum quidem facessit negotium; pondus enim materiam sequitur, ideoque idem semper manere debet, ubi eadem servatur materia (1).

Ad β) Quod dicitur de potestate refractiva et indice refractionis, negamus cum clarissimis rei physicæ doctoribus (2). Quæ etiam de magnetismo objiciuntur, pariter negamus ex doctrina cl. P. Provenzali (3) et cl. Liverani (4). Ad γ) dico nihil mirum esse, si affinitates simplicium in composito remaneant, quandoquidem ex doctrina Scholasticorum non penitus corrumpuntur, sed tantummodo quoad formas substantiales, perseverantibus eorum virtutibus ad quamdam temperiem redactis, secundum earumdem resultantiam (5).

(1) Cfr. Rubbini, *Lezioni di Fisica*, p. 51, lez. 3, n. 12, 1.°

(2) Audi cl. P. Provenzali: «Allorchè più fluidi aerei si *mischiano* assieme (i. e. mere aggregantur absque combinatione), l'indice di rifrazione della *mescolanza* è uguale alla somma degl' indici dei fluidi mescolati. *Non si può* dire lo stesso dei gas *compositi* (i. e. combinati) nei quali l' indice di rifrazione talora è *maggiore* e talora *minore* della somma degl' indici dei gas componenti.» *Elementi di Fisico-Chimica*, vol. 2, pag. 310. Roma 1865. Et Cantoni: «Le molte esperienze di Dulong certificavano, che la potenza rifrattiva di una *miscela* di più gas è uguale alla somma delle potenze rifrattive dei gas mescolati. Non *fu possibile* di scoprire *alcuna relazione tra la potenza rifrattiva di un gas chimicamente composto e le potenze rifrattive dei gas componenti: quella potenza è talvolta maggiore, talvolta minore della somma de questa.*» Apud cl. Cocnoldi, *Scienza ital.*, ann. 4, vol. 1, p. 300).

(3) Loc. cit., n. 284, pag. 100.°

(4) Ibid. *Scienza ital.*, ann. 3, vol. 1, pag. 136 in nota.

(5) *In generatione mixti non fit expoliatio simplicium usque ad materiam primam, alias virtutes simplicium non manerent in mixto. nunc autem manent: unde non est corruptio simpliciter, per quam fit generatio compositi, cum elementa non corrumpantur penitus.* S. Th. Opusc. *de Natura materiæ*, c. 2.

Atque ita demum fit, ut «mixta ob diversas partium, quibus constant affectiones, in elementa sibi consimilia facile dissolvi queant» (1). Illa enim proportio, temperies atque equilibrium virtutum elementorum, quæ est proxima dispositio et necesaria ad productionem et conservationem formæ mixti, perturbari potest, accedente alio corpore, quod affinitatem habeat majorem cum aliquo ex elementis remanentibus secundum virtutem in mixtis. Ad rem Angelicus: *In mixto... manent formæ miscibilium secundum virtutem, secundum Philosophum: virtus autem ad actum pertinet, et ideo in mixto est, unde agatur ad generationem alterius miscibilium, secundum quod virtus unius miscibilium vincit proportionem, in qua salvatur forma mixti: unde corrupto mixto generatur forma simplex* (2).

Denique ad δ) respondemus negando assertum cum aliis scientiarum naturalium peritis. Quin illi ipsi, qui hæc opponunt, fatentur in analysi spectrali elementa propriis notis clare distincta minime exhiberi, sed variis affecta modificationibus. Præterea etiamsi notæ illæ componentium clarissime ac purissime manifestarentur, nihil contra thesin sequeretur, quandoquidem in illa analysi pristinum corpus mixtum jam non existit, sed corruptum saltem partialiter est (3), vel *dissocialum*, ut Physici loquuntur.

(1) Conimbric. in lib. 1, *de Gener. et corr.* c. 10, q. 4, a. 2.

(2) Opusc. *de Natura materiæ*... c. 8.

(3) Ad rem Rubbini: «Si è creduto da alcuni che la spettroscopia appogi quella teoria che ammette nei composti chimici la sussistenza in atto dei componente, perchè nello spetro si trovano le righe brillanti di questo e quel componente. Ma si avverta che per lo più i composti metallici portati nella fiamma, od assoggettati alla scarica elettrica per renderne i vapori incandescenti, si *dissociano*, o rendono visibile lo spettro del metallo, reso libero, del metallo ciò è che non è più combinato in altre sostanze. Che se *si impedisce la dissociazione*, si hanno allora spettri a colonnato, i quali sono ben altro che spettri dei componenti, e se ciascun composto chimico, anziche un aggregato delle sostanze componenti, è veramente una nuova sostanza, non è a meravigliare che abbia uno spettro proprio». Rubbini *Lezioni elem. di Fisica*, vol. 2, *Ottica*, lezion. 39, n. 6, not. 1, pag. 151, Bologna 1684.

Quæ cum ita sint, jure possumus totius objecti argumenti consequentiam negare, cum omnia elementarium proprietatum vestigia, quæ in chimicis combinationibus utcumque deprehenduntur, ex virtuali potius elementorum existentia videantur originem repetere.

Objic. 3.° Ipsa Peripateticorum doctrina doctrinam Atomistarum hac in re confirmat. Nam communis est apud priscos Philosophos hæc mixtionis definitio, quam ab Aristotele didicerunt: *Mixtio est miscibilium alteratorum unio.* Atqui *alteratio* et *alterare* apud Peripateticos vocabula sunt accidentalem tantummodo mutationem, minime vero formæ atque essentiæ corruptionem significantia. Ergo dicendum est, aut definitionem illam vitiosam esse, aut in mixtione seu combinatione simplicia solum accidentaliter alterari, non autem substantialiter corrumpi.

Resp. *neg.* assertum, et *dist.* probationis Majorem: ita ut illæ voces *alteratorum unio*, prout *proprie* vel *improprie* sumantur, diversa significent, et ad diversa referri pariter debeant, *conc.*, secus, *neg.*

Contradist. Minor. Si proprie sumantur illa vocabula, *conc.*; si improprie, *neg.*

Solutio est S. Thomæ, qui post multa circa mixtionem disputata, ita concludit: *Patet quod mixtio est miscibilium alteratorum unio. Quæ quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus sive qualitatibus eorum. Sed si etiam alteratio sumatur improprie, mixtio est miscibilium alteratorum et corruptorum secundum formas unio* (1). Quæ verba sic egregie commentantur DD. Complutenses: «Unde quia utraque alteratio (nimirum propria, quæ virtutes, et impropria, quæ substantiam respicit) debet intercedere ad veram et propriam mixtionem, ut ex dictis patet, ideo utraque in definitione innuitur, et ita denotatur mixtionem esse unionem materiæ miscibilium prius vere et *proprie* secundum virtutes alteratorum, deinde vero secundum formas substantiales corruptorum sub una et eadem forma substantiali tertii alterius mixti inde resultantis: ita tamen ut secundum virtutes suas etiam uniantur, quatenus illa, quæ a diversis essentiis et principiis

(1) Lib. 1 *de Gent. et Cor.*, lect. 25, in fine.

dimanabant, jam tunc in uno et eodem principio et subjecto uniantur» (1).

Instabis. Si alteratio, quam Aristotelica definitio memorat, ad ipsam substantiam elementorum relata, idem valeret ac corruptio, tum α) mixtio esset generatio: β) inque ea vere dicerentur elementa corrumpi. Atqui Peripatetici: α) mixtionem a generatione distinguebant, β) negabantque elementa in mixto corrumpi. Ergo...

Resp. dist. utramque Majoris partem: α) mixtio esset generatio, i. e. vera productio substantialis, *conc.* Et ita passim loquuntur antiqui DD. de mixti generatione. Esset vera generatio ejusdem speciei cum illis transmutationibus substantialibus, in quibus necesse non est in novo corpere virtutes præcedentium remanere: cujusmodi productiones simpliter *generationis* nomine donabantur, *neg.*

Disting. pariter β) Elementa dicerentur corrumpi, quoad formas, *conc.*; quoad virtutes etiam et qualitates, quæsi hæ omnino perirent, *neg.* «Dupliciter elementa corrumpi possunt, inquit Card. Toletus; uno modo cum alterum in alterum mutatur, ut ignis in aquam mutatus corrumpi dicitur (2); altero modo, cum non in alterum, sed potius ambo in tertium quoddam mutantur, quod non quidem contrarium, sed potius virtute maneat, et præterea secundum suas qualitates. Dico igitur quod Aristoteles dicit, non corrumpi miscibilia (elementa) modo priori, et corrumpuntur modo posteriori» (3). Atque ita etiam Suarezius definitionem mixtionis recto sensu exponens scripsit, Aristotelem *alteratorum* dixisse «potius, quam *corruptorum*, ut denotaret non omnino perire, sed virtute et secundum qualitates manere» (4).

Objic. 4.° Ubicumque adsunt qualitates propriæ alicujus substantiæ, ibi jure concludimus ejusdem substantiæ

(1) *Collegii Complutensis Discalceatorum FF. B. Mariæ de Monte Carmelo Disputationes in duos libros Arist. de Gen. et Corr.*, disp. 9, quæst. 3, n. 36. Cfr. Toletus, in lib. 1, *de Gen. et Corrupt.*, c. 10, q. 17, pag. 58; aliique passim.

(2) Non exemplum, sed doctrinam exemplo illustratam attende.

(3) Card. Toletus *de Gent. et corr.*, q. 17, in resp. ad primum textum ex Aristotele sibi objectum.

(4) Disp. *Met.* 15, sect. 10, n. 54.

præsentiam. Atqui dogma peripateticum est, in mixto remanere qualitates elementorum. Ergo si sibi constare velint Scholastici, formas pariter elementorum agnoscant, necesse est.

Resp. *dist.* Major. Ubicumque adsunt qualitates illæ in gradu et modo, quo inesse solent propriis substantiis, ibi jure concludimus ejusdem substantiæ præsentiam, *conc.*; si adsint in gradu et modo diverso, *neg.*

Et *contradist.* Minor, *neg.* conseq.

Hanc difficultatem jam diu præoccupaverat Card. Toletus: «Qualitates hæ in summo sunt passiones elementorum, ita ut nullibi sit qualitas horum ulla in summo gradu, ubi non sit elementi forma, at extra summum etiam aliis subjectis inesse possunt, quæ eamdem cum elementis materiam habent» (1). Id porro locum habet in mixtione, in qua ex Aquinatis et communissima veterum sententia remanent quidem elementorum qualitates, sed remissæ, temperatæ vel, si mavis, *neutralizatæ*; mixtio enim esse non potest, nisi *remissis excellentiis qualitatum elementarium constituatur ex eis quædam qualitas media*, quemadmodum loquitur S. Thomas. *Et hæc quidem qualitas est propria dispositio ad formam corporis mixti, sicut qualitas simplex ad formam corporis simplicis*» (2).

Dices. Ex hac qualitatatum contemperatione, remissione, ac *neutralizatione*, nonne infertur neutralizatio ac remissio formarum actu tamen existentium? **Resp.** Ita quidem inferebat Averroes apud Angelicum Doctorem (3), qui tamen id absurdum esse reputat. Formæ enim neutralizatæ et secundum propriam substantiam attemperatæ, jam non amplius in pristina conditione remanent incorruptæ, sed in alias specifice diversas sunt immutatæ; forma siquidem substantialis magis et minus suscipere nequit, prout jam probatum manet in *Ontologia* (4).

Objic 5.°. Peripatetici, Aristotelem secuti, elementum ita definiverunt, ut de ratione ejusdem sit, ut in mixto contineatur. Ergo.

(1) Loc. nup. cit.
(2) *De Mixtione element.*
(3) In eodem Opusc. *de Mixtione element.*, et in lib. 1 *de Gen. et corr.* lect. 24, et alibi sæpe.
(4) Vide *Ontol.* n. 280 pag. 816.

Resp. dist. antec. Et simul etiam communiter declararunt Peripatecici ad rationem elementi non requiri, ut *formaliter* et actu in composito insit, sed sufficere, ut sit *virtualiter* et in potentia, *conc.*; secus, *neg.* (1).

Objic. 6.° Aristoteles contradicit aperte virtualem tantum et non formalem elementorum in mixto existentiam agnoscentibus.

Resp. Non defuerunt inter priscos auctores, qui mentem Stagiritæ aut ambiguam, aut etiam sententiæ nostræ adversam, judicarent. At vero non solum S. Thomas, Toletus, Rubius, Conimbricenses et Sylvester Maurus in suis in Philosophum præstantissimis commentariis, verum etiam reliqua Peripateticorum cohors communissime suum protoparentem vindicarut, recteque sunt interpretati. Nos specialem de hac re controversiam instituere nolumus, tum quia brevitati consulimus, tum etiam quia eum honorem soli Aquinati reservamus. Si quis tamen hanc penitus causam cognoscere cupiat, legat inter alios Cardinalem Toletum (2), Suarezium (3), Cardinalem de Aguirre (4), et P. Cosmam Alamani (5). Quamquam omnia fere loca, quæ ex Aristotele contra propugnatam a novis doctrinam oggeruntur, et ex hactenus dictis et ex dicendis circa S. Thomæ sententiam, haud difficilem habent solutionem.

ARTICULUS V.

Quænam fuerit mens S. Thomæ super elementorum in mixto existentia.

138. Neminem hactenus legi ex antiquis DD. qui de Aquinatis mente vel minimum dubium moveret in præsenti

(1) Sic objectionem istam solvit Aristoteles et S. Thom. in lib. 1 *de Gen. et Corr.* lect. 24.
(2) In lib. 1 *de Gener. et Corr.* cap. 10, q. 17.
(3) In citata disp. 15 *Metaph.* sect. 1, n. 53-60.
(4) *Philosophia Nova-Antiqua, seu Disputationes in Univ. Aristotelis Physiologiam*, tomo posterior., disp. 62.
(5) *Summa totius Philosophiæ e D. Thom. Aquinatis Doctoris Angelici doctrina, secunda secundæ partis, de Gen. et Corr.* quæst. 42. art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præsentiam. Atqui dogma peripateticum est, in mixto remanere qualitates elementorum. Ergo si sibi constare velint Scholastici, formas pariter elementorum agnoscant, necesse est.

Resp. *dist.* Major. Ubicumque adsunt qualitates illæ in gradu et modo, quo inesse solent propriis substantiis, ibi jure concludimus ejusdem substantiæ præsentiam, *conc.*; si adsint in gradu et modo diverso, *neg.*

Et *contradist.* Minor, *neg.* conseq.

Hanc difficultatem jam diu præoccupaverat Card. Toletus: «Qualitates hæ in summo sunt passiones elementorum, ita ut nullibi sit qualitas horum ulla in summo gradu, ubi non sit elementi forma, at extra summum etiam aliis subjectis inesse possunt, quæ eamdem cum elementis materiam habent» (1). Id porro locum habet in mixtione, in qua ex Aquinatis et communissima veterum sententia remanent quidem elementorum qualitates, sed remissæ, temperatæ vel, si mavis, *neutralizatæ*; mixtio enim esse non potest, nisi *remissis excellentiis qualitatum elementarium constituatur ex eis quædam qualitas media*, quemadmodum loquitur S. Thomas. *Et hæc quidem qualitas est propria dispositio ad formam corporis mixti, sicut qualitas simplex ad formam corporis simplicis*» (2).

Dices. Ex hac qualitatatum contemperatione, remissione, ac *neutralizatione*, nonne infertur neutralizatio ac remissio formarum actu tamen existentium? **Resp.** Ita quidem inferebat Averroes apud Angelicum Doctorem (3), qui tamen id absurdum esse reputat. Formæ enim neutralizatæ et secundum propriam substantiam attemperatæ, jam non amplius in pristina conditione remanent incorruptæ, sed in alias specifice diversas sunt immutatæ; forma siquidem substantialis magis et minus suscipere nequit, prout jam probatum manet in *Ontologia* (4).

Objic 5.°. Peripatetici, Aristotelem secuti, elementum ita definiverunt, ut de ratione ejusdem sit, ut in mixto contineatur. Ergo.

(1) Loc. nup. cit.
(2) *De Mixtione element.*
(3) In eodem Opusc. *de Mixtione element.*, et in lib. 1 *de Gen. et corr.* lect. 24, et alibi sæpe.
(4) Vide *Ontol.* n. 280 pag. 816.

Resp. dist. antec. Et simul etiam communiter declararunt Peripatecici ad rationem elementi non requiri, ut *formaliter* et actu in composito insit, sed sufficere, ut sit *virtualiter* et in potentia, *conc.*; secus, *neg.* (1).

Objic. 6.° Aristoteles contradicit aperte virtualem tantum et non formalem elementorum in mixto existentiam agnoscentibus.

Resp. Non defuerunt inter priscos auctores, qui mentem Stagiritæ aut ambiguam, aut etiam sententiæ nostræ adversam, judicarent. At vero non solum S. Thomas, Toletus, Rubius, Conimbricenses et Sylvester Maurus in suis in Philosophum præstantissimis commentariis, verum etiam reliqua Peripateticorum cohors communissime suum protoparentem vindicarut, recteque sunt interpretati. Nos specialem de hac re controversiam instituere nolumus, tum quia brevitati consulimus, tum etiam quia eum honorem soli Aquinati reservamus. Si quis tamen hanc penitus causam cognoscere cupiat, legat inter alios Cardinalem Toletum (2), Suarezium (3), Cardinalem de Aguirre (4), et P. Cosmam Alamani (5). Quamquam omnia fere loca, quæ ex Aristotele contra propugnatam a novis doctrinam oggeruntur, et ex hactenus dictis et ex dicendis circa S. Thomæ sententiam, haud difficilem habent solutionem.

ARTICULUS V.

Quænam fuerit mens S. Thomæ super elementorum in mixto existentia.

138. Neminem hactenus legi ex antiquis DD. qui de Aquinatis mente vel minimum dubium moveret in præsenti

(1) Sic objectionem istam solvit Aristoteles et S. Thom. in lib. 1 *de Gen. et Corr.* lect. 24.
(2) In lib. 1 *de Gener. et Corr.* cap. 10, q. 17.
(3) In citata disp. 15 *Metaph.* sect. 1, n. 53-60.
(4) *Philosophia Nova-Antiqua, seu Disputationes in Univ. Aristotelis Physiologiam*, tomo posterior., disp. 62.
(5) *Summa totius Philosophiæ e D. Thom. Aquinatis Doctoris Angelici doctrina, secunda secundæ partis, de Gen. et Corr.* quæst. 42. art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

controversia. Sunt autem his diebus nonnulli viri, non minus eruditi, quam scriptis operibus clarissimi atque optime de scientiis meriti, qui doctrinam de virtuali dumtaxat elementorum in combinationibus perseverantia non modo ut inventis chimicis inimicam, verum etiam ut sinceræ ac germanæ doctrinæ Aquinatis adversam totis profligare viribus conentur. Quæ certe opinio si vera est, non solum patrocinium nobis eripit Angelici Doctoris, sed etiam oscitantiæ notam aut ingenii in assequenda mente scriptorum minus felicis inurit Scholasticis, nec recentioribus tantum, sed innumeris præterea iisque gravissimis retro actorum sæculorum Philosophis, qui volumina S. Thomæ diurna nocturnaque versabant manu, otiosa attentissimaque meditabantur consideratione. Operæ pretium est ergo, ut quæstionem hanc diligenter pertractemus, ac tanti Doctoris mentem non ex interpretum cognoscamus auctoritate, sed ex verbis ipsis, intus latentium conceptuum sinceris interpretibus, derivemus.

PROPOSITIO. **S. Thomas eam perpetuo tenuit doctrinam, quæ statuit elementa in mixto secundum** ESSENTIAS ET FORMAS **corrumpi, ideoque negat illa actu** FORMALITER **in composito substantiali permanere.**

S. Thomas elementa in mixto virtualiter dumtaxat existere semper docuit.

Prob. 1.° S. Thomas sæpe Avicennæ atque Averrois opiniones refert, docentium formas elementorum in mixto permanere. Atqui hujusmodi doctrinam iisdem in locis ut suæ doctrinæ oppositam constanter excludit. Ergo.

Major constat ex *Summa theologica* (1), ubi sic scribit: *Ad quartum dicendum, quod Avicenna posuit* formas substantiales elementorum integras remanere in mixto, *mixtionem autem fieri, secundum quod contrariæ qualitates elementorum reducuntur ad medium. Averrores autem posuit in 3.° de Cælo* (*Comm. 67*), *quod* formæ elementorum propter sui imperfectionem *sunt mediæ inter formas accidentales et substantiales, et ideo* recipiunt magis et minus, et ideo remittuntur (2) in mixtione, et ad medium *reducuntur et*

(1) 1 p. q. 76 a 4 ad 4.um

(2) Id est *remanent aliqualiter*, vel non *manent secundum suum complementum*, sed in *quoddam medium reducuntur*, ut habetur in

ex eis conflatur una forma (1). Ex quibus patet Avicennam et Averroem in eo consensisse, quod formas elementorum incorruptas in composito superesse existimaverint; in eo autem discrepasse, quod primus formas illas integras prorsus et completas, alter remissas et factas debiliores asseruerit.

Minor etiam constat. Nam S. Doctor Avicennæ sententiam vocat *impossibilem* (2), Averrois autem *magis impossibilem* (3), *multipliciter impossibilem* (4), et *ridiculam* (5).

Prob. 2.° Angelicus Doctor varia sequitur capita doctrinæ, quæ pugnant cum formali elementorum in mixto existentia. Ergo.

Prob. antec. 2) S. Thomas sæpe supponit, ac docet mixtionem veram possibilem esse, ac porro dari. Atqui aliunde docet veram mixtionem haberi non posse, si formæ elementorum in composito perseverent. Ergo.

Major constat ex variis locis, in quibus postquam mixtionem dari docuerat, modum quærit, *quo et veritas mixtionis salvetur, et tamen elementa non totaliter corrumpantur, sed aliqualiter in ipso remaneant* (6). Idem etiam supponit S. Doctor, cum explicat generationem mixtorum (7).

Minor facillime probatur. Nam in primis adversus Avicennæ opinionem modo recitatam duas urget rationes, quæ super hoc tantum vertuntur cardine: *Si igitur mixtio fiat remanentibus formis simplicium corporum, sequitur quod non sit mixtio, sed solum ad sensum* (8). Similiter adversus Empedoclem

habetur in Opusc. de *Mixtione elementor.*, et lib. 1 *de Gen. et Corr.*, lect. 24, quibus in locis eadem referuntur opiniones.

(1) Vide etiam loca nup. cit.; et quæst. *de Anima*, art. 9 ad 10.um *Quodlibet* 1.° quæst. 4, art. 1 ad 3.um

(2) 1 p., q. 76, a. 4 ad 4.um; *de Mixtione element.*; *de Gen. et Corr.*, lib. 1, lect. 24; *Quodlibet.*, loc. cit.

(3) 1 p., q. 76, loc. cit.; *Quodlibet.* ib.

(4) Opuscul. *de Mixtione element;* lib. 1, *de Gen. et Corr.*, locis citatis.

(5) Quæst. *de Anima; de Mixtione*, lib. 1 *de Gent et Corr.* loc. cit.

(6) Vide lib. 1 *de Gen. et Corr.*, lect. 24; et Opusc. *de Mixtione elem.*

(7) Lib. 2 *de Gen. et Corr.*, lect. 8.

(8) In lib. 1 *de Gen. et Corr.*, lect. 24. Adde ib., lect. 25, et loca superius citata; itemque, lib. 3 *de Cœlo* et *Mundo*, lect. 8, ubi explicat elementi definitionem; *Contra Gentes*, lib. 4, cap. 35; lib. 2, cap. 56, argum. 2 etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

disputans, hac eadem post Aristotelem utitur ratiocinatione: *Illi qui dicunt scilicet elementa esse intransmutabilia, sicut Empedocles dicit, non possunt assignare modum, quomodo corpora mixta componantur ex elementis. Necesse est enim secundum eos, quod compositio elementorum sit quædam mixtura talis, qualis est mixtura lapidis in pariete. Dicunt enim quod elementa salvantur in mixtio secundum formas substantiales* (1).

3) S. Thomas docet plures formas esse non posse in eodem corpore. Atqui si in mixto forent elementorum formæ, id contingeret. Ergo...—**Minor** constat; et Major centies a S. Doctore repetitur, ut compertum est omnibus. Hoc principium majoris propositionis usurpavit S. Doctor ad demonstrandum, non esse in homine nisi unam animam, nimirum intellectivam (2): additque similiter esse *dicendum de anima sensitiva in brutis, et de nutritiva in plantis, et universaliter de omnibus formis perfectioribus respectu inferiorum* (3). Quod vero hæc doctrina a S. Doctore applicata sit etiam ad corpora mixta, patet tum ex modo exscriptis verbis, tum ex eo quod cum contra eam sibi in utroque loco opposuisset exemplum mixtorum, in quibus *elementa dicenda sunt manere formaliter*, respondit ita quidem docuisse Avicennam, sed id verum non esse.

γ) S. Doctor sæpissime utitur principio illo peripatetico: *Generatio unius est corruptio alterius.* Atqui doctrina ejusdem est, eaque communis, in productione mixti dari generationem. Ergo... Hanc argumentationem adhibet Aquinas in *Quodlibeto* primo, sic scribens: *Unde dico, quod adveniente anima humana, tollitur forma substantialis, quæ prius inerat: alioquin generatio esset sine corruptione alterius, quod est impossibile* (4).

δ) S. Thomas in *Summa contra Gentes* hæresim refutat Eutychetis, qui *ut unitatem personæ contra Nestorium servaret in Christo, dicit in Christo esse etiam unam naturam ita, quod, quamvis ante unionem essent duæ naturæ distinctæ, divina et humana, in unione tamen coierunt in unam naturam* (1). Ut porro pestilentem hanc doctrinam excluderet, distinxit Angelicus varios modos, *secundum quos ex multis natum est unum fieri* (2); ostenditque nullo ex illis modis unam existere potuisse in Cristo naturam. Cum vero ad modum mixtionis excludendum ventum est, ita tertio loco ratiocinatur: *Tertio, quia dato quod fieret mixtio, neutra natura remaneret salva; miscibilia enim in mixto non salvantur, si sit vera mixtio; facta igitur permixtione utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ, neutra natura remaneret, sed aliquid tertium; et sic Christus non esset Deus neque homo. Non igitur sic potest intelligi, quod Eutyches dixit, ante unionem fuisse duas naturas, post unionem vero unam in Domino N. Jesu Christo, quasi ex duabus naturis sit constituta una natura* (3). Atqui tota hæc doctrina evidenter ostendit, qualis fuerit mens Aquinatis circa elementorum existentiam in mixto. Et probo, quia in primis verba ipsa sat manifesta sunt: *Neutra natura remaneret salva; Miscibilia non salvantur in mixto, si vera sit mixtio*. Præterea si S. Thomas atomistarum placita circa mixtionem secutus fuisset, argumentatio ipsius contra Eutichen non modo fuisset frigida, sed in ipsum tota quanta retorqueretur. Nam id voluit apertissime S. Doctor evincere, si ex duabus naturis una in Christo resultavit eo modo, quo in mixtione ex pluribus elementis unum resultat, non posse explicari ea,

(1) Lib. 2 de Gen. et Corr., lect. 8.
(2) 1 p. q. 76, a 4; et Quodlib. 1, a 6.
(3) 1 p. q. 76, a 4.
(4) Art. 6 in corp.

(1) Lib. 4, cap. 35 initio.
(2) In tertio argumento.
(3) Loc. cit. Cfr. 3 p., q. 2, a. 1. Hanc eamdem argumentationem usurpaverat jam pridem S. Joann. Damascenus (lib. 3 de Fide orthod. c. 3) adversus eosdem Monophysitas, ita scribens: *Composita natura cum neutra illarum naturarum, ex quibus conflata est, consubstantialis esse potest, ut quæ ex aliis aliud facta sit. Exempli gratia: corpus quod ex quatuor elementis constat, nec ejusdem esse cum igne substantiæ dicitur, nec ignis appellatur, nec aër vocatur, nec aqua, nec terra, nec eamdem cum ullo horum substantiam habet. Quocirca si post unionem Christus, ut hæreticis placet, unius compositæ naturæ existit, ex simplici natura in compositam versus est. Ita nec Patri, cujus simplex natura est, consubstantialis erit, nec Matri, quippe quæ ex deitate et humanitate composita non est.* Opp. tom. 1. edit. Paris ann. 1712, pag. 205-206, ubi duorum aliorum PP. pro eadem doctrina loca laudantur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ fides docet de humana Christi et divina natura integre permanentibus, unde fit, ut suppositum hoc, Christus, sit verus Deus et verus homo, quamquam non *solum* Deus, nec *solum* homo. Jam vero si mixtio fieret, ut volunt atomistæ, optime posset intelligi, quomodo Christus, etiamsi conciperetur ad modum mixti cujusdam ex divina et humana natura, utramque hanc naturam integram conservaret, atque adeo vere esset Deus, licet non *solum* Deus; et vere esset homo, licet non *solum* homo, sed Deus homo in unitate suppositi.

Prob. 3.° S. Thomas non raro nodum hunc sibi solvendum proponit, quomodo si, vera detur mixtio elementorum, possint in mixto elementa permanere. Atqui ubicumque eam tractat quæstionem, doctinam evolvit cum atomistica doctrina pugnantem. Ergo.

Probatur Minor: α) quia solutionem quæstionis ab Avicenna datam refert, ac rejicit, ut nuper vidimus. β) Avicennæ solutione exclusa, concludit oportere *alium modum invenire, quo veritas salvetur mixtionis, et elementa non totaliter corrumpantur, sed aliqualiter in mixto permaneant* (1). Modus porro, quem invenit, hic est: *Sic igitur virtutes formarum substantialium salvantur in corporibus mixtis. Sunt igitur formæ elementorum in mixtis non actu, sed virtute, et hoc est quod dicit Philosophus in 1.* de Gener.: *Non igitur manent elementa in mixto actu, ut corpus et album; nec corrumpuntur, nec alterantur ambo, nec alterutrum; salvatur enim virtus eorum* (2). Vel ut loquitur in quæstione *de Anima: Nec dicendum est, quod totaliter corrumpantur* (elementorum formæ), *sed quod maneant virtute, ut Aristoteles dicit, hoc est, in quantum manent accidentia propria elementorum secundum aliquem modum, in quibus manent virtutes elementorum* (3). Jam ista verba: *Formæ actu non manent, Non totaliter corrumpuntur, sed manent virtutes*, quem, quæso, sensum præ se ferre possunt in eo loco, in quo diserte refutatur

(1) *De Mixt. elem.*; in lib. *de Gener. et Corrupt.*, lect. 24; quæst. *de Anima*, a. 9, ad 10.um etc.

(2) *De Mixt. elem.*; loc. cit.

(3) Art. 9, ad 10.um Cfr. *Quodlib.*, q. 4, a. 6; 1 p., q. 76, a. 4 ad 4.um; *de Gener. et Corr.*, lib. 1, loc. cit.

doctrina Avicennæ et Averrois, nisi cum quem nos contendimus? Quid sibi volunt illa alia verba: *Non... manent elementa actu, ut corpus et album?* Nam cum S. Doctor mixtionis naturam et differentiam ab aliis variarum rerum unionibus exponit (1), hoc eodem albedinis et corporis albedine affecti exemplo utitur, ut demonstret accidentis unionem cum subjecto non esse mixtionem: et hanc affert rationem; quia tam corpus, quam albedo in sua propria essentia inalterata remanent post illam unionem. *Et ratio hujus est*, inquit, *quia ambo, scilicet tam accidens, quam subjectum, videntur esse soluta et non alterata* (2).

γ) Quasi vero hæc clara satis non essent, audi Aquinatem totidem verbis docentem *formas elementorum*, seu *elementa quoad formas* corrumpi. Nam commentarium suum in lib. primum *de Generatione et Corruptione* hoc epilogo claudit S. Doctor: *Deinde cum* (Aristoteles) *dicit:* **Manifestum igitur**, *recapitulat quæ dicta sunt de mixtione: per quod etiam quarta quæstio declaratur, quæ fuit primo proposita in principio hujus capituli, dicens manifestum esse ex his, quæ dicta sunt, et quod est mixtio, et quid est, et quare est... Et dictum est etiam, quæ sunt miscibilia. Dictum est etiam quod ad hoc, quod sit mixtio, necessarium est, quod miscibilia non sint simpliciter corrupta, nec sint simpliciter eadem, ut prius: sunt enim* **corrupta quantum ad formas, et remanent quantum ad virtutem**, *ut supra ostensum est* (3). Et paucis interjectis: *Patet etiam, quod mixtio est miscibilium* alteratorum *unio. Quæ quidem* alteratio *solum est intelligenda in virtutibus sive qualitatibus eorum. Sed si etiam* alteratio *sumatur improprie, mixtio est miscibilium* **alteratorum et corruptorum secundum** *formas unio* (4). Et in eodem libro alibi ex Aristotelis et propria sententia sic describit differentiam inter mixtionem et augmentum corporis per nutritionem. *Deinde cum* (Aristoteles) *dicit:* **Secundum autem**, *ponit differentiam mixtionis ad alios motus. Et primo ad augmentum, dicens, quod secundum eumdem modum non dicimus cibum*

(1) *De Gen. et Corr.*, lib. 1, lect. 24.

(2) Ibid.

(3) Lect. 25.

(4) Ibid.

misceri corpori; quia cibus transit in dominans corpus, quod manet secundum formam, sed neutrum miscibilium ita manet sicut corpus cibatum, scilicet indivisum, et specie nullo modo alteratum: et sic patet, quod mixtio differt ab augmento (1). Tandem in eodem opere (2) explicans Doctor Angelicus modum, quo mixta generantur, hæc scribit: *Secundum est, quod quando alterum elementum fuerit simpliciter actu, et alterum simpliciter in potentia fuerit, tunc non potest esse mixtio: quando vero unum non est omnino actu, nec per excessum prædominatur alteri elemento, tum generabitur quoddam medium, quod nec est simpliciter frigidum, sed quodammodo naturam participans utriusque. Et hoc ideo, quia quando elementa miscentur, intentiones sive* **formæ corrumpuntur**, *et remanent* virtute: *et tunc illud medium generatum non est sic in potentia, sicut materia, nec simpliciter alterum elementum, sed medium inter ea* (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

139. **Objic. 1.º** S. Thomas Aristotelem exponens in hunc modum loquitur: *Dicit* (Aristoteles) *ergo primo, quod omnia corpora mixta, quæcumque sunt circa medium, quod est terra, necessario sunt composita ex omnibus simplicibus, quæ sunt quatuor elementa, et quod in omni corpore mixto sit terra, idque ibi probatur.* Dein pergit. *Quod autem aqua sit in quolibet mixto, probat ex hoc...* Tandem sic concludit: *Terra ergo et aqua propter dictas causas sunt in corporibus mixtis...* (4).

Resp. *neg.* simpliciter conseq.: vel si mavis *dist.* sensum objectorum locorum. Et S. Thomas et Arist. dicunt hic elementa existere in mixto *actu* et *formaliter*, *neg.*; *potentia et virtualiter*, *conc.* Nimirum verba objecta ex eo loco desumpta sunt, unde nos superius thesim nostram probavimus, et in quo docet Angelicus, ex Empedoclis sententia non posse sustineri veritatem mixtionis: *Dicunt enim* (Empedoclis asseclæ) *quod elementa salvantur in mixto secundum formas substantiales et actus suos*». Et paulo post hæc ita pergit: *Quando elementa miscentur, intentiones sive formæ corrumpuntur, et remanent virtute.*

Instabis. Existere virtute et potentia, non est vere existere. Atqui in objectis locis elementa dicuntur *esse in mixto*. Ergo.

Resp. *dist.* Esse virtute et potentia, non est vere existere, id est non est existere secundum essentiam et speciem, *conc.*; non est existere saltem aliqualiter, *neg.* vel *subdist.*; existere virtualiter et in potentia *mere passiva*, seu in mera possibilitate et non repugnantia, ut producatur ab idonea causa, *conc.*; existere virtualiter et in potentia, quasi in dispositione activa, ut vidimus supra ex Suarezio aliisque, ratione qualitatum et virium elementarium, quæ corruptis essentialiter elementis, adhuc in mixto remanent, *neg.* Et hæc satis patent ex dictis superius (1). Certe locutio hæc, quod *formæ corruptæ sint*, et quod *elementa non salventur in mixto secundum formas substantiales*, non significat elementa substantialiter integra manere; locutio vero hæc alia, quod *elementa sint in mixto*, non necessario significat, quod elementa sint *formaliter* et *totaliter* in composito; cum potissimum frequentissime scripserit S. Doctor elementa *non omnino* corrumpi, sed *aliqualiter manere*. Cum ergo non solum in eodem opere, sed in uno eodemque capite docuerit Aquinas *et formas corrumpi, elementaque non salvari in mixto quoad formas substantiales*, et simul *tamen elementa inesse in compositio*; recta ratio docet, ut hanc elementorum in mixto existentiam, non pro formali, sed pro virtuali existentia capiamus, quemadmodum ipse S. Thomas hujus nobis interpretationis est auctor.

Objic. 2.º S. Thomas hanc reddit rationem, cur hominis primi corpus de limo terræ fuerit productum. Homo *est ex rebus omnibus quodammodo compositus, dum de genere spiritualium substantiarum habet in se animam rationalem, de similitudine vero cœlestium corporum habet elongationem a contrariis per maximam æqualitatem complexionis; elementa vero secundum* **substantiam**, *ita tamen, quod superiora elementa*

(1) Ib. lect. 24.
(2) *De Gener. et corrupt.*, lib. 2, lect. 8.
(3) Cfr. initium hujus lectionis 8.ª, ubi sententia hæc de corruptione elementorum secundum formas appellatur *vera*.
(4) In lib. 2.US *de Gen. et corr.* lect. 8.

(1) In artic. 4.º

prædominantur in eo secundum virtutem, scilicet ignis et aër, quia vita præcipue consistit, in calido, quod est ignis, et humido, quod est aëris. Inferiora vero elementa abundant in eo **secundum substantiam**. *Aliter enim non posset esse mixtionis æqualitas nisi inferiora elementa, quæ sunt minoris virtutis, secundum quantitatem in homine abundarent. Et ideo dicitur corpus hominis de limo terræ formatum, quia limus dicitur terra aquæ permixta* (1). Ergo dicendum est juxta S. Thomam elementa secundum substantiam in mixto permanere.

Resp. *dist.* conseq. Elementa in eo loco dicuntur permanere secundum *substantiam* totalem, nimirum materiam et formam, *neg.;* secundum *substantiam* partialem, nimirum materiam primam affectam virtutibus elementorum propriis, alteratis tamen et in medium redactis, *conc.* «Cave hic ne fallaris, inquit Card. Cajetanus in hunc locum, ex hoc articulo putans S. Thomam oblitum doctrinæ propriæ de mansione elementorum in mixto, propterea quod hic expresse dicit elementa in homine secundum substantiam. Advertendum est enim ad rationem dicendi; ut autem patet in littera, dixit hoc ad differentiam corporum cœlestium, quæ nonnisi secundum aliquid eis simile veniunt in compositionem hominis; ipsa vero elementa secundum substantiam dicuntur componere, non destinguendo, an formaliter, an virtualiter. Rursus dicuntur elementa componere hominem secundum substantiam non formalem, sed materialem, non tantum communem, scilicet materiam primam, sed propriam seu appropriatam. Elementa enim ex vi mixtionis alterata sic uniuntur in mixto, quod materiæ eorum transeunt in materiam mixti cum dispositionibus appropriatis illis elementis... ita quod illa elementa dicuntur prædominari in aliquo secundum substantiam seu qualitatem, de quorum materia disposita plus salvatur in mixto; illa vero secundum virtutem, de quorum vi plus salvatur in eo. Et hæc est directe mens hujus litteræ». Eodem modo locum hunc interpretantur P. Gregorius de Valentia, M. Bañez et Franciscus

(1) S. Thom., 1. p., quæst. 91, art. 1. Hanc S. Doctoris argumentationem breviter eleganterque complexus est insignis ejus interpres P. Greg. de Valentia, t. 1, disp. 7, q. 1, punct. 1.

Sylvius: et negari nequit, si doctrinam Angelici fuse expositam consideres, solutionem hanc omnino satisfacere.

Objic. 3.° S. Thomas existentiam *virtualem* in mixto non accipit pro mere *potentiali*, sed pro existentia *actuali et reali*. Ergo nullo modo formæ substantiales elementorum destructæ in combinatione sunt. Antec. probatur. Nam si formæ elementares non existerent *virtualiter* nisi eatenus, quatenus materia compositi potest eas recipere post mixti resolutionem, formæ elementorum non magis existerent in composito, quam forma compositi in elementis; in ea enim explicatione tam in mixto, quam in elementis, non esset nisi materia prima affecta et determinata per unam solam formam substantialem, et proinde *passive indifferens* ac *potens* ad recipiendas alias formas, nimirum materia mixti ad recipiendas formas elementorum, et materiæ elementorum ad formam mixti. Atqui, ut constat ex Angelico Doctore, aliter existunt formæ elementorum in mixto, quam forma mixti in elementis (1). Ergo per virtualem existentiam non debet intelligi sola potentialis, sed actualis et realis, in qua nimirum formæ substantiales elementorum salventur.

Resp. dist. assertum quoad primam partem. Existentia *virtualis* ex mente Aquinatis non debet sumi pro mere potentiali, id est pro *passive* potentiali, ut supra explicatum est, *conc.;* pro quodammodo *active* potentiali, ut pariter declaratum est, *neg.*

Similiter dist. 2.am partem asserti. Existentia *virtualis* æquivalet ex Angelico existentiæ actuali et reali secundum formam etiam substantialem elementorum, *neg.;* secundum

(1) En verba Aquinatis: *In carne enim et ligno et in quolibet talium corporum, scilicet mixtorum, ignis et terra sunt in potentia, quia scilicet per quamdam alterationem, ex igne et terra et aliis hujusmodi prædicta corpora componuntur. Et hoc manifestum est ex ipsa segregatione, qua corpora mixta in hujusmodi simplicia resolvuntur...* Lib. 3 *de Cœlo et Mundo* lect. 8.—Et paulo inferius loquens de elementis: *In igne neque caro neque lignum inest, sive secundum potentiam sive secundum actum. Cujus signum assumit* (Aristoteles) *ad hoc, quod si caro et lignum essent in igne, ignis resolveretur in ista, quod nullo modo apparet: generatur enim ex igne caro aut lignum non per resolutionem, sed per adjunctionem aliorum corporum simplicium simul admixtione coalternatorum* (forte coalteratorum) Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

materiam affectam iis viribus et qualitatibus, quæ possint in compositi resolutione actionem naturalium causarum determinare ad productionem certarum formarum elementarium, *conc.* Quæ omnia cum in hoc tum in præcedenti articulo satis declarata sunt. Et ex his ruit tota probationis machina, quæ in duplici falso supposito nititur: primum in eo quod existimetur a nobis virtualem existentiam capi, quasi idem sonaret, ac mera possibilitas existendi. Quod si qui sententiæ nostræ patroni sic rem intellexerunt, nos non debemus talium errorum patrocinium suscipere. Alterum falsum suppositum est, quod non statuatur medium inter *virtualem* hanc perperam intellectam existentiam, et *realem* et *actualem*, quæ *formali* æquivaleat; cum ex doctrina S. Thomæ detur illa tertia existentia quodammodo realis et quodammodo non realis; *realis* et *actualis* elementorum *existentia* quoad materiam et virtutes elementorum temperatas et alteratas, et *non realis nec actualis* quoad formas elementorum, quæ jam periere in mixtione.

Hanc porro esse germanam Aquinatis doctrinam fuse probavimus superius, et insuper ex objecto etiam loco patet. Ibi enim ex altera parte dicitur elementa in mixto esse *in potentia*, ex altera vero parte mixtum in elementis *nec in potentia nec in actu* inesse dicitur. Hæc sola oppositio satis per se suadet S. Thomam, cum scripsit hic elementa *esse in potentia*, exclusive locutum fuisse, quatenus significare voluisset illa esse dumtaxat *in potentia*, non vero *in actu*. Verum si quod adhuc dubium in hac interpretatione superest, illud omnino excludunt verba, quæ S. Doctor statim subnectit. Cum enim dixisset ab Aristotele *potentialem* elementorum existentiam in mixto probari *ex ipsa segregatione, qua corpora mixta in hujusmodi simplicia resolvuntur;* ne quis ex voce, *segregatione*, ansam acciperet Philosophi doctrinam perperam intelligendi, eam sic exponit: *Utitur autem* (Aristoteles) *hic large segregatione, quæ proprie fit in ea quæ insunt actu.* Si ergo segregatio proprie sumpta non est nisi eorum, quæ *sunt actu*, et si cum compositio mixti ex elementis dicitur patere ex segregatione elementorum in mixti resolutione, vox *segregatio* non proprie, sed large accipienda est ex Aquinatis interpretatione; procul dubio S. Doctor etiam hoc

ipso in loco prespicue suam mentem aperuit atomistarum expositioni contrariam.

Objic. 4.° S. Thomas hanc statuit differentiam inter elementa, ex quibus aliquid fit, et quodlibet corpus, ex quo fit aliud, non tamquam ex elemento, sed per transmutationem substantialem in illud; nimirum quod elementa *oportet aliquo modo manere*, et non omnino corrumpi, secus ac reliqua corpora, quæ non per mixtionem, sed per transmutationem convertuntur in aliud (1). Ergo Angelicus Doctor non censuit elementa in mixto substantialiter mutari, suamque essentiam amittere.

Resp. *neg.* conseq.; et patet ratio ex supra dictis.

Objic. 5.° In opusculo *de Quatuor oppositis* plura reperiuntur cum nostra interpretatione pugnantia. Nam ex Aquinate: α) *cum simplex elementum sit ultimum, in quod resolvitur mixtum, necessario simplex elementum fuit primum in ejus constitutione, non tamquam potentia tantum, sed sicut illud, cujus virtus in ipso manet.* Deinde β) *sive cum ex vivo fit mortuum, sive cum ex mixto fit simplex elementum..., utrumque fit per virtutem formarum elementorum, quæ manent in mixto, secundum Philosophum* (2).

Resp. *neg*, assertum: et probationem *dist.* per partes. Et primo quidam *distinguo* membrum α). Et S. Thomas per verba *non tamquam potentia tantum* etc., voluit excludere solam potentiam objectivam aut passivam, id est voluit significare elementa non esse in composito solum in potentia objectiva vel in mera posibilitate, *conc.*; secus, *neg.* Si enim voluit docere *formalem existentiam* elementorum, cur scripsit elementa inesse mixto sicut illud, cujus virtus in ipso manet, aut aliud simile?

Distinguo pariter membrum β). Et antecedens illius relativi, *quæ manent*, est vox *formarum*, ita ut sensus sit

(1) *Panis est materia sanguinis, sed non generatur sanguis, nisi corrumpatur panis: unde panis non remanet in sanguine, unde panis non est elementum sanguinis. Sed* **elementa oportet aliquo modo manere**, *cum non* **omnino corrumpantur**, *ut dicitur in lib. de Generat.* S. Thom. Opusc. *de Principiis naturæ*, in fine, ubi explicatur definitio elementi.

(2) Opusc. *de Quatuor oppositis*, cap. 5, circa medium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

formas elementorum manere *in mixto*, *neg.* Et antecedens est vox *elementorum*, ita ut sensus sit resolutionem chimicam fieri per virtutem formarum elementorum, quæ elementa non secundum suas formas, sed solum secundum virtutes maneant, ut sexcentis in locis docet Angelicus, *conc.* Resque liquet ex his verbis, quæ ibidem mox consequuntur: *Ex quo patet, quod virtus formæ elementaris dominantis in mixto habet non solum solvere mixtum, et inducere propriam formam talis elementi, sed transmutare mixtum de una proportione in aliam, quousque in ipsam formam propriam deveniatur.* Si S. Thomas censuisset, formas elementorum remanere in mixto, quomodo scribere potuit virtutem formæ elementaris esse illam, quæ soluto mixto inducat *formam talis elementi?* Quod enim jam actu existit, non debet per destructionem alterius *induci*, nec est opus succesivarum transmutationum ab una in aliam proportionem, ut ad illud deveniatur.

Reliquus loci contextus etiam rem evincit: sed sufficit hæc declaratio.

Objic. 6.° Doctor Angelicus alibi (1) quærens, *utrum duo corpora possint esse, vel intelligi simul in eodem loco*, hanc sibi objicit ordine sextam difficultatem: *Elementa in mixto non sunt corrupta... Sed omnia quatuor elementa sunt corpora, et simul sunt in qualibet parte mixti. Ergo possibile est duo corpora simul esse in eodem loco.*

Cui objectioni sic respondet S. Thomas: *Ad sextum dicendum, quod etsi ponantur elementa in corpore mixto remanere secundum suas formas substantiales, non tamen ponitur esse plura corpora actu, alias nullum corpus mixtum esset vere unum; sed est plura potentia et unum actu. Probabilior tamen videtur opinio Commentatoris* (3 de Cælo et Mundo), *qui hanc opinionem Avicennæ improbans, ait elementorum formas in mixto non remanere, nec totaliter corrumpi, sed fieri ex eis unam mediam formam, in quantum suscipiunt magis et minus. Sed cum formæ substantiali suscipere magis et minus sit absonum, videtur ejus dictum intelligendum hoc modo, quod*

(1) In Opusc. in lib. Boetii *de Trinitate*, quæst. 4, *de his, quæ ad causam pluralitatis pertinent*, art. 3.

formæ elementorum suscipiunt magis et minus non secundum se, sed secundum quod manent virtute in qualitatibus elementaribus, quasi in propriis instrumentis, ut sic dicatur: Formæ secundum se non remanent, sed solum prout sunt virtute in suis qualitatibus Qua in responsione, ut vides, S. Doctor dicit etiamsi *ponantur formæ elementorum actu et in se existentes, non ideo mixtum esse plura actu.*

Resp. 1.° *Concedo* totum, et *neg.* conseq. Ex objecto enim loco id unum eruitur, Aquinatem, cum hæc scripsit, mitius quidem egisse cum Avicenna et Averröe, minime autem sententiam suam de virtuali tantum elementorum existentia desertuisse. Mitius egit hic cum Avicenna, tum quia ejus opinionem *minus probabilem* opinione Commentatoris, quam tamen in *Summa Theologica*, et *Quodlibeto* primo (1) *magis impossibilem* vocaverat; tum etiam quia in hoc loco videtur existimare, dari posse mixtionem et simul salvari unitatem mixti, licet ponantur elementa cum formis suis existentia, quam doctrinam expresse negavit, exinde argumentum sæpe ducens adversus Avicennam (2). Mitius egit etiam cum Averröe, quem benigne interpretatus hic est, quasi non docuisset formalem elementorum perseverantiam, cum tamen in reliquis locis contrario modo ilius doctrinam explicaverit, idcirco eam appellans *multipliciter improbabilem*, atque etiam *ridiculam*. Non autem sententiam suam alias sæpe traditam, hic desuerit S. Doctor, ut nimis clare ostendunt illa verba: *Formæ secundum se non remanent, sed solum prout sunt virtute in suis qualitatibus.*

Objic. 7.° Saltem opinione Avicennæ usus est S. Thomas, cum de illa controversia disputaret, num sine *ulla forma creata fuerit materia initio mundi*. Ibi enim docet materiam non modo non fuisse absque ulla forma creatam, quin potius creatam sub multis formis (3)

(1) Loc. citatis in probationibus.

(2) Nimirum 1 p., q. 76, a. 4; *Quodlibet.* 1, quæst. 4, a. 6; lib. 1, *de Gen. et Cor.*, *de Mixtion. element.*

(3) *Tenendo*, inquit, *viam aliorum Sanctorum, qui ponunt successionem in operibus sex dierum, videtur mihi dicendum, quod prima materia fuit creata sub pluribus formis substantialibus... Sed dico quod*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* assertum. S. Thomas usus fuit opinione Avicennæ, in eo quod docebat formas elementorum in mixto remanere *neg.;* in eo quod docebat in mixto, licet inessent integræ elementorum formæ, deesse tamen virtutes et qualitates talibus formis respondentes, *conc.* Quemadmodum censet S. Doctor (1), duo docebat Avicenna: α) formas elementorum integras remanere in mixto: β) virtutes formarum proprias integras in suo vigore non remanere. Si ergo S. Thomas primum caput sententiæ Avicennæ in objecto loco secutus fuisset, certe contradixisset doctrinæ, quam alias semper, ut hactenus vidimus, exposuit. Itane vero res habet? Minime sane; sed alterum tantum caput doctrinæ Avicennianæ adhibuit in objecto loco ex libro secundo *Distinctionum*. Quod ut clare perspicias, nota in omnibus nuper laudatis locis id sibi propositum habuisse Aquinatem, ut in creatione mundi distingueret *opus creationis et opus distinctionis et ornatus: ad opus creationis pertinet producere ipsam elementorum substantiam; ad opus autem distinctionis et ornatus pertinet formare aliqua ex præxistentibus elementis* (2). Et secundum hæc duo creationis momenta seu status, vult Aquinas primo creatam fuisse materiam sub pluribus formis, ita tamen ut materia illa sub illis formis nondum haberet vires et qualitates convenientes talibus formis, quarum ope virium perfectiora dein gignerenter corpora; en opus

virtutes activæ et passivæ nondum in principio partibus mundi collatæ fuerant, secundum quas postmodum distingui et ordinari dicuntur. Et hoc esse possibile patet, si sustinere volumus opinionem Avicennæ, qui ponit elementa in mixto remanere secundum formas substantiales quantum ad primum esse, *transmutari autem ad secundum, scilicet quantum ad qualitates activas et passivas; est enim mixtio miscibilium alteratorum unio. Unde possibile est materiam esse sub forma substantiali, sine hoc quod habeat qualitates activas et passivas in sui complemento.* 2.ª Dist. 12, quæst. 1, art. 4. Similia habentur in 2.ª Dist. 13, a. 1 ad 2.um *Per opus creationis principia mundi distincta sunt quantum ad* esse *primum, quod est per formas substantiales; sed oportuit advenire opus distinctionis, ut distinguerentur etiam quantum ad agere et pati, secundum diversas virtutes rebus collatas.*

(1) Vide locum 1 p., q. 76, a. 4 ad 4.um, sup. cit.

(2) 1 p., q. 68, art. 1 in corp. *Secundum igitur primam opinionem.*

creationis (1) Postea vero successu temporis indidit Deus illi materiæ qualitates formarum primitivarum proprias et ita successive perfectiora et perfectiora corpora prodierunt: en opus distinctionis et ornatus (2).

Hac porro præmissa doctrina, inducit S. Thomas opinionem Avicennæ: *Et hoc esse possibile patet...* (3). Jam vero manifestum nunc est, ea opinione uti non potuisse Angelicum, nisi ad declarandum, quomodo materia sub primis illis formis esset in primo statu creationis, nimirum sine propriis virtutibus activis et passivis, quæ posterius a Deo sint impresæ; non vero opinionem illam laudasse ad hoc, ut etiam approbaret id, quod continet circa *formalem* elementorum existentia in mixto. Id, inquam, patet. Nam 1.º in toto contextu impertinens est ad propositum approbatio doctrinæ Avicennæ secundum modum formalis existentiæ elementorum in composito; e contrario vero valde conducit ad aliquam rei illustrationem comparatio ejusdem doctrinæ secundum modum, secundum quem virtutes talium formarum reperiuntur. 2.º Quia ex Avicennianæ doctrinæ usu hoc solum concludit S. Thomas: *Unde possibile est materiam esse sub forma substantiali sine hoc, quod habeat qualitates activas et passivas in sui complemento: et sic cum* esse *primum* (i. e. substantiale) *naturaliter præcedat* esse *secundum* (i. e. accidentale, ad quod spectant virtutes activæ) *expressus est ordo naturæ in successione temporis, dum res prius fiunt in* esse *primo, quam perficiantur in* esse *secundo.* Si S. Thomas

(1) Ibid.

(2) *Quantum ergo ad* esse *ipsorum principiorum sumitur opus creationis, per quod substantia elementorum mundi in* esse *producta est. Sed virtutum activarum et passivarum quædam sunt moventes ad determinatas species, ut virtus quæ est in semine leonis et equi; quædam vero sunt communes moventes ad omnem speciem, ut calidum, frigidum et hujusmodi. Per opus ergo distinctionis attributæ sunt rebus virtutes activæ et passivæ communes, moventes ad omnem speciem; sed per opus ornatus collatæ sunt rebus virtutes moventes ad determinatas species.* 2.º Dist. 13, q. 1, art. 1, in corp. Eamdem doctrinam reperies 1 p., quæst. 68, art. 1, in 1, in corp.; quæst. 74, art. 2, in corp.; 2.º dist. 12, quæst. 1, art. 4; dist. 13, quæst. 1, art. 1, in solutione difficultatum.

(3) 2.ª Dist. 12, quæst. 1, a. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

voluit doctrinam arabis Philosophi quoad utramque partem approbare atque adhibere, cur in sua argumentatione prætermittit alterutram, et alteram tantum applicat suo instituto? 3.° Est expressa doctrina Doctoris Angelici, in eo primo statu materiam nulla mixti forma esse affectam, sed solis formis elementaribus (1). Igitur materia sub pluribus illis formis non efficiebat massam quamdam ingentem corporis mixti elementa sua formaliter in se continentis; sed acervum potius indigestum elementorum, ex quibus per virtutes mox a Deo communicandas mixta gignerentur. Non potuit ergo Angelicus opinionem Avicennæ quoad modum, secundum quem elementa insunt in composito, aut approbare, aut approbatam in suæ doctrinæ illustrationem laudare.

Aliam objecti loci solutionem adhibet Em. Cardinalis Zigliara, in suo opere *de Mente Concilii Viennensis* (2).

(1) In 2.ª dist. 12, quæst. 1. art. 4 hanc sibi tertio loco proponit difficultatem: *Si illa materia* (in primo creationis statu) *formam aliquam habebat; aut habebat formam corporis mixti aut corporis simplicis, etc.* Et respondet: *Ad tertium dicendum, quod non habebat unam formam, sed plures, non quidem corporum mixtorum, quia hæ consequuntur virtutes activas et passivas principiorum mundi, ex quibus integratur.* Ita etiam 2.ª dist. 14 quæst. 1. a. 1 in corp.; 1. p. quæst. 68. a., in corp.; 1 p. quæst. 74, a. 2, in corp., et art. 3.

(2) Ex his judicare poteris, quam infeliciter mentem Aquinatis interpretatus sit cl. Frédault hisce verbis: «Il (S. Thomas) accepta donc avec Aristote que dans les composés les elements entrent *in virtute, non in actu*. Mais que veulent dire ces deux mots? Pour les Thomistes, ses disciples, cela voudrait dire que les éléments perdent leur principe d' être; et, de là, toutes les difficultés sur la matière première, qui serait *in potentia simplex*, or *in potentia pura*, ou autre chose. C'est une logomachie. Il me paraît absolument impossible que saint Thomas eût jamais eu ces visées, et qu 'il ait pu entendre que les éléments matériels, en devenant le corps, perdent leur être, pas plus que le marbre perde son être en devenant statue! Je m' explique bien mieux ses expressions en entendant qu 'il aura voulu dire que la matière passe sous la puissance d' un autre principe qui se la subordonne et s' en fait une puissance; de sorte que les actes qu' elle va produire sous ce principe ne sont point ses actes propres, mais des actions qu' elle accomplit en raison de l' union qu' elle contracte. Dans ces sens, la matière première est *in virtute* dans les substances materielles, et ces substances sont *in virtute* dans le corps vivant... Mais cela ne peut vouloir dire que l' etre materiél perde son être en passant sous l' empreint d' une forme substantielle...?

CAPUT II.

EXCLUDUNTUR FALSA SYSTEMATA.

Quæ hactenus declaravimus, viam nobis sternent ad resolutionem propositæ controversiæ circa essentialem corporum constitutionem. Cum de corporum constitutione sententiæ ad tres omnino revocari generatim possint, ad *atomismum* nempe, *dynamismum* et *hylomorphismum* seu doctrinam peripateticam, de singulis ex ordine agendum.

ARTICULUS I.

Exponitur atomismus.

In quo consistit atomisticum systema

140. Atomismus est eorum systema, qui censent corpora componi ex atomis seu corpusculis in unum congregatis: unde et *corpuscularis doctrinæ* apud veteres nactus est appellationem. Constitutio ergo corporis in hac sententia ita explicatur, ut atomi ejusdem speciei ad certam minutissimam distantiam conglobatæ in moleculas *elementares* aut *integrantes*, ut quidam eas appellant, corpora simplicia efficiant: atomi autem diversarum specierum in moleculas *constituentes* aut *chimicas*, ut alii malunt eas nominare, coalescant; atque ex variis ejusmodi molecularum, invicem dissitarum turmis corpora tandem composita existant. Quare sicut moleculæ sunt aggregationes variarum atomorum, ita corpora ipsa, quæ nobis conspicienda obversantur, non sunt aliud nisi acervus et congeries molecularum. Quamobrem essentia corporum compositorum pendet ab elementorum essentia, ex quorum intima coagmentatione conflantur; essentia vero corporum simplicium stat in natura propria atomorum (1).

(1) Cfr. P. Tong., *Cosmolog.*, n. 45, 2.um; cl. Provenzali, Op. cit., p. 9, *Theoria atomica*.

voluit doctrinam arabis Philosophi quoad utramque partem approbare atque adhibere, cur in sua argumentatione prætermittit alterutram, et alteram tantum applicat suo instituto? 3.° Est expressa doctrina Doctoris Angelici, in eo primo statu materiam nulla mixti forma esse affectam, sed solis formis elementaribus (1). Igitur materia sub pluribus illis formis non efficiebat massam quamdam ingentem corporis mixti elementa sua formaliter in se continentis; sed acervum potius indigestum elementorum, ex quibus per virtutes mox a Deo communicandas mixta gignerentur. Non potuit ergo Angelicus opinionem Avicennæ quoad modum, secundum quem elementa insunt in composito, aut approbare, aut approbatam in suæ doctrinæ illustrationem laudare.

Aliam objecti loci solutionem adhibet Em. Cardinalis Zigliara, in suo opere *de Mente Concilii Viennensis* (2).

(1) In 2.ª dist. 12, quæst. 1. art. 4 hanc sibi tertio loco proponit difficultatem: *Si illa materia* (in primo creationis statu) *formam aliquam habebat; aut habebat formam corporis mixti aut corporis simplicis, etc.* Et respondet: *Ad tertium dicendum, quod non habebat unam formam, sed plures, non quidem corporum mixtorum, quia hæ consequuntur virtutes activas et passivas principiorum mundi, ex quibus integratur.* Ita etiam 2.ª dist. 14 quæst. 1. a. 1 in corp.; 1. p. quæst. 68. a., in corp.; 1 p. quæst. 74, a. 2, in corp., et art. 3.

(2) Ex his judicare poteris, quam infeliciter mentem Aquinatis interpretatus sit cl. Frédault hisce verbis: «Il (S. Thomas) accepta donc avec Aristote que dans les composés les elements entrent *in virtute, non in actu*. Mais que veulent dire ces deux mots? Pour les Thomistes, ses disciples, cela voudrait dire que les éléments perdent leur principe d' être; et, de là, toutes les difficultés sur la matière première, qui serait *in potentia simplex*, or *in potentia pura*, ou autre chose. C'est une logomachie. Il me paraît absolument impossible que saint Thomas eût jamais eu ces visées, et qu 'il ait pu entendre que les éléments matériels, en devenant le corps, perdent leur être, pas plus que le marbre perde son être en devenant statue! Je m' explique bien mieux ses expressions en entendant qu 'il aura voulu dire que la matière passe sous la puissance d' un autre principe qui se la subordonne et s' en fait une puissance; de sorte que les actes qu' elle va produire sous ce principe ne sont point ses actes propres, mais des actions qu' elle accomplit en raison de l' union qu' elle contracte. Dans ces sens, la matière première est *in virtute* dans les substances materielles, et ces substances sont *in virtute* dans le corps vivant... Mais cela ne peut vouloir dire que l' etre materiél perde son être en passant sous l' empreint d' une forme substantielle...?

CAPUT II.

EXCLUDUNTUR FALSA SYSTEMATA.

Quæ hactenus declaravimus, viam nobis sternent ad resolutionem propositæ controversiæ circa essentialem corporum constitutionem. Cum de corporum constitutione sententiæ ad tres omnino revocari generatim possint, ad *atomismum* nempe, *dynamismum* et *hylomorphismum* seu doctrinam peripateticam, de singulis ex ordine agendum.

ARTICULUS I.

Exponitur atomismus.

In quo consistit atomisticum systema

140. Atomismus est eorum systema, qui censent corpora componi ex atomis seu corpusculis in unum congregatis: unde et *corpuscularis doctrinæ* apud veteres nactus est appellationem. Constitutio ergo corporis in hac sententia ita explicatur, ut atomi ejusdem speciei ad certam minutissimam distantiam conglobatæ in moleculas *elementares* aut *integrantes*, ut quidam eas appellant, corpora simplicia efficiant: atomi autem diversarum specierum in moleculas *constituentes* aut *chimicas*, ut alii malunt eas nominare, coalescant; atque ex variis ejusmodi molecularum, invicem dissitarum turmis corpora tandem composita existant. Quare sicut moleculæ sunt aggregationes variarum atomorum, ita corpora ipsa, quæ nobis conspicienda obversantur, non sunt aliud nisi acervus et congeries molecularum. Quamobrem essentia corporum compositorum pendet ab elementorum essentia, ex quorum intima coagmentatione conflantur; essentia vero corporum simplicium stat in natura propria atomorum (1).

(1) Cfr. P. Tong., *Cosmolog.*, n. 45, 2.um; cl. Provenzali, Op. cit., p. 9, *Theoria atomica*.

Quales sint atomi.

Atomi porro sunt ob suam tenuitatem omnino insensibiles (1), natura sua incorruptibiles atque intrinsece inalterabiles in se ipsis, completæ proinde in sua specie, vi resistendi et extensione geometrica præditæ, quamquam nullis instrumentis aut viribus hactenus compertis secari ulterius possint. Differunt autem inter se vel figura, vel magnitudine, vel chimicis affinitatibus, vel aliquo alio hujusmodi (2).

(1) Quam parvæ sint, disces ex his Wurtzii verbis. «Si nous disons qu' il faut 10 trillions de molécules d' air et 144 trillions de molécules d' hydrogène pour faire un milligramme de ces gaz respectifs, donnerons nous une idée saisisable, et surtout donnerons nous une idée exacte des valeurs dont il s' agit? On peut en douter». Op. cit., p. 234.

(2) Vide P. Tong. *Cosmol.*, n. 68. Non enim convenit inter Chimicos atque atomistas, num atomi diversorum corporum *substantialiter* differant. Affirmat Wurtz (op. cit., ch. 3, p. 37, 38), Berzelius (apud Secchi, Op. cit., t. 2, lib. 4, cap. 1, p. 275), aliique multi. Alii autem arbitrantur atomos corporum, etiam elementarium, constare omnes una primigenia materia, quæ ex diverso coagmentationis modo diversas gignat illorum species. Nimirum existimant atomos ipsas corporum simplicium coalescere ex aliis, nescio cujus subtilissimæ materiæ, forte æthoris, minutioribus particulis, multo stabiliori nexu contractis, quam sit vinculum, quo atomi in moleculas conglobantur. Vide P. Angelum Secchi (tom. 2, lib. 4, c. 1, p. 272 et pag. 282, 283, 286, et cap. 2 initio). Sic Prout (apud Secchi ib. p. 274-277, et apud Wurtz Op. cit., liv. 1, chap. 3, pag. 30 seqq.) decrevit materiam illam tenuissimam, corporum omnium parentem, esse hydrogenium, ex quo varie condensato conflarentur atomi cæterorum corporum elementarium. Et quamquam hæc hypothesis falsa deinceps comperta fuerit, aliis tamen cum Dumasio, Wundt, Graham et Wright (apud Stallo, *La Matière et la Physique moderne*, chap. 7) omnino ponenda videtur communis quædam materia, ex qua diversimode aggregata et condensata tum hydrogenii tum reliquorum simplicium atomi proficiscantur, ita ut varia corpora, sive simplicia sive composita, reapse non sint nisi status quidam allotropici primigeniæ illius unicæ materiæ. Vide Secchi (ib. p. 275, 276). Cfr. Wurtz (Op. cit., liv. 1, chap. 3, p. 37), Frédault *(Physiologie générale*, liv. 2, chap. 2, p. 197, Paris 1863), C. R. A. Wright *(Chemical News* 31 Oct. 1873).

Quin etiam ut nihil dissimulemus, non defuerunt qui asserere auderent moleculas ipsas materiæ ponderabilis aliud non esse præter vortices æthereos, ex quibus solis corpora constituantur. Vide apud P. Secchi, t. 1, lib. 1, cap. 3, p. 14, lib. 2, cap. 10, p. 363, cap. 6, p. 310; tom. 2, lib. 4, cap. 2, p. 297.

Activitas corporum.

Cæterum tum atomi tum moleculæ corpoream molem constituentes, non modo sunt invicem dissitæ, sed certis etiam perpetuo motibus agitatæ; nec secundum communiorem atomistarum opinionem, ullis præterea viribus a motu distinctis gaudent corpora, si vim resistendi excipias, et forte vim constrictivam, ut quibusdam placet, quæ partes diversas mutuo vinciat adherentesque constanter teneat (1). Quamobrem atomi nullatenus cœunt in moleculas per ullam intrinsecam unionem; sed eatenus dicuntur in unam conglobari moleculam, quatenus non servant singulæ suos motus liberos atque independentes, sed invicem combinatos et consertos. Quo fit, ut unio atomorum in moleculas constituentes et harum in illas dissolutio aliud revera non sit, quam quasi reductio in harmoniam motuum variorum, quibus atomi specifice diversæ cientur, et perturbatio atque abruptio motuum illorum harmonicorum (2). Sunt tamen quidam Atomistæ, illi videlicet qui atomismum dynamicum profitentur, qui præter impenetrabilitatem aliquas alias vires, vel atractivas, ut Lamé, vel etiam expansivas seu *caloris innati*, ut Fusinieri, materiæ inhærentes admittant (3).

Materia imponderabilis commixta cum ponderabili.

Age vero corporea quævis moles non solis gaudet atomis materiæ ponderabilis in hunc modum conspirantibus, sed præterea materia imponderabili, quæ quaquaversus diffusa, corpora omnia permeat, atomos ac moleculas instar subtilissimæ athmosphæræ circumdans et convolvens, atomis et ipsa moleculisque multo tenuioribus constans invicem separatis, et motu vorticoso in gyrum actis. Concipi enim potest in tota mundi machina immensum ætheris pelagus, in eoque innatantes corporeæ subtantiæ ac turbinibus ipsius agitatæ atquæ abreptæ (4).

(1) Vide apud cl. P. Palmieri, *Cosmol.* thes. 3, pat. 11, pag. 23, Romæ 1875; thes. 17 fin. pag. 119, thes. 18.

(2) Vide Secchi (t. 2, lib. 4, cap. 2, pag. 297). Wurtz (Op. cit. liv. 2, chap. 4, p. 224).

(3) Vide apud cl. Zanon, *Analisi delle ipotesi fisiche*, pag. 89. Venezia 1885.

(4) Cfr. Secchi (t. 1, lib. 2, cap. 6). Quam ad rem Augustus Laugel singulas moleculas considerat instar totidem systematum solarium: «On a le droit de considérer chaque corpuscule matériel comme une sorte de petit monde, comme un tourbillon, qui comprend un certain

Undenam phænomena omnia naturæ.

Atque hisce demum motibus materiæ sive ponderabilis sive imponderabilis, accedente etiam figura et varia atomorum coordinatione tribuenda sunt omnia phænomena naturæ, iisdemque continentur calor, electricitas, magnetismus, lux, attractio, affinitas, cohæsio et reliquæ proprietates ac vires, quæ per tot sæcula, tamquam veræ activitates et qualitates corporibus inhærentes, habitæ fuerunt. Sola quippe varietas figuræ et ordinationis atomorum, ac motus mechanicus extrinsecus impressus, atque ab alio in aliud communicatus, ac diversimode transformatus compositusque sufficere dicitur ad phænomena omnia explicanda (1).

Quomodo simplicia sint in compositu. Mutationes substantiales quomodo intelligendæ.

Atque hinc plane sequitur, cum ex corporibus simplicibus generatur aliquod compositum, illa in combinatione permanere integra prorsus atque incorrupta, licet externus minime se prodant; sunt enim omnis alterationis intrinsecæ ac substantialis expertia, non secus atque ipsæ spirituales substantiæ. Itaque mutationes, quæ vocantur substantiales,

nombre d' atomes en mouvement les uns en face des autres. La molécule est à sa façon un microcosme, où les atomes remplacent les corps célestes; celle du corps simple est un soleil sans appendices planétaires; la molécule composée est un soleil entouré de planètes; certaines molécules organiques complexes dépassent en complication tout ce que peuvent montrer les cieux». Mox idem auctor corpora, quæ plurimis moleculis coalescere dicuntur ab atomistis, comparat *nebulosæ* cuidam, cujus singulas particulas, utcumque invicem segregatas, discernere nequeamus. Laugel (*Les Problèmes de la nature*, paragr. *Le mouvement invisible*, pag. 93, Paris 1864).

(1) Ogni corpo, inquit Cantoni, può riguardarsi come un aggregato di molecole, ossia come un sistema di punti, ognuno dei quali *essendo in moto*, si tengono a tali *distanze* fra loro, che hanno relazione colle velocità a masse rispettive, e colle scambievoli influenze di questi loro movimenti coi moti analoghi di altri corpi. *E dalla varia forma* (figura) *di questi sistemi di punti, ovvero dal vario modo di aggruppamento delle molecole nei corpi, dipendono poi le diverse proprietà fisiche peculiari dei corpi stessi*. Cantoni, (*Lezioni di Fisica*, pag. 59. Milano 1870). Nun tutte le molecole dei corpi ponderabili, addit P. Angelus Secchius, aver devono *forme* (figure) e *dimensioni* eguali: donde ne nasceranno delle diversità nei *vortici* (eteri) che le circondano; e non tutte aver potranno *velocità pari di rotazione, e masse pari;* e da ciò potranno dipendere *le diverse qualità delle sostanze*, e le svariate loro proprietà fisiche e chimiche. Secchi, (*L'unità delle Forze Fisiche*, vol. 1, lib. 2, cap. 6, pag. 313).

non eo sensu intelligendæ sunt, ut in illis aliqua realitas nova gignatur, aut pereat in corpore, sed ita ut atomi unius speciei coëant in moleculas cum atomis alterius speciei, aut coëant in diverso numero, aut variata dispositione, mutua distantia vel modo coitionis ad conflandam moleculam. Quamobrem eo fere tendunt hodie physicarum scientiarum cultores, atomismo addicti, ut omnia naturalia phænomena mechanice explicent (1).

141. Hæc est doctrina, quam fere sustinent hodierni atomistæ (2). Verum ut perspicias, quam immerito sibi

(1) «Les inventeurs de la Physique moderne sont partis de ce principe, implicite, si non déclaré, que toute véritable explication des phénomènes naturels est une explication mécanique». Stallo (*La Matière et la Physique moderne*, chap. 1, pag. 2. Paris 1891). «Les sciences physiques modernes visent à une interprétation mécanique de tous les phénomènes de l'univers. Elles cherchent à expliquer ces phénomènes en les réduisant à ces deux éléments dans la masse et le mouvement, et en montrant leur diversité et dans leur changements le simples différences et variations dans la distribution et l'agrégation dans l'espace de corps ou particules ultimes et invariables. Naturellement la suprématie de la mécanique s'est fait remarquer d' abord dans le domaine des sciences qui s' occupent de mouvements visibles et de masses palpables dans l' astronomie et la physique des masses; mais elle est loin d' être universellement reconnue dans toutes les sciences physiques, en y comprenant, non seulement la physique moléculaire et la chemie, mais aussi les branches de la recherche scientifique qui ont a compter avec les phénomènes de la vie organique. (Stallo ibid. initio Capitis). Cfr. Naville (*La Physique moderne*, 1.^re *étude*, paragr. 1.^er

(2) Il' y a aucune difficulté à exprimer la théorie atomique dans les termes également applicables à toutes les acceptions dans les quelles elle est prise aujourd'hui par les hommes de science. Quelque diversité d' opinion qui existe quant à la forme, la grandeur, etc. des atomes, tous ceux qui avancent l' hypothèse atomique dans une quelconque de ses varietés, comme théorie physique, sont d' accord sur trois propositions. 1. *Les atomes sont absolument simples, inaltérables, indestructibles, ils sont physiquement, sinon mathématiquement, indivisibles. 2. La matière est composée des parties discrètes, les atomes constituants étant separés par des espaces interstitiels vides. A la continuité de l' espace s' oppose la discontinuité de la matière. L' expansion d' un corps est simplement un accroissement, la contraction une diminution des espaces qui séparent les atomes. 3. Les atomes composant les diverses élements chimiques ont des poids*

Antiqui atomistæ.

gloriam arrogent inventionis, texenda hic breviter est genealogia systematis hujus a primis usque parentibus.

Sunt qui in scholam Jonicam referant exordia atomismi, primosque doctores assignent Milesium Thaletem, Anaximenem, Heraclitum, Pherecydem aliosque, qui omnes opinati sunt omnia fieri ex *quadam communi materia diversimode variata per densitatem ac raritatem* (1). Nimirum narrant Taletem omnia voluisse facta ex aqua; Anaximenem, et serius Diogenem Apolloniensem, ex aëre, Heraclitum ex igne, Pherecydem ex Jove, Tellure et Saturno, id est ex æthere, terra et tempore, ut interpretatur Hermias (2); Empedoclem ex quatuor vulgatis elementis, aqua, terra, igne, et aëre, quæ ope *amicitiæ* coalescant in unum, ope *litis* dissocientur; ac demum Anaximandrum ex quadam substantia infinita et indeterminata, omnia in se continente, divina, quæ vel foret medium quiddam inter aquam et aërem, vel aliquid distinctum a quatuor elementis (3). His adjungi potest Anaxagoras Clazomenius, qui posuit particulas infinitas materiæ, inter se dissimiles ac pertinentes ad singulas corporum species, puta infinitas particulas aureas, lapideas, ligneas, terreas, osseas, carneas etc., ex quibus coaluisset initio unum quoddam principium confusum et commixtum, unde corpora omnia fierent per actionem divinæ mentis (4), certo

spécifiques déterminés correspondant à leurs equivalent de combination. Stallo, *La Matière et la Physique moderne*, chap. 7, pag. 60, 61. Paris 1891. Cfr. ib chap. 11.

(1) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 2, c. 30, et 49; *de Potent.* q. 3, art. 16; *Physicor*, lib. 1, lect. 7, *b*, et alibi.

(2) *In Irrisione Gentil.* n. 6. (Inter Opp. S. Justini M. p. 1178, edit. Migne).

(3) S. Justin. M., *Cohortat. ad Græcos*, n. 3. (Migne p. 247). Herm. (36); S. August. (*de Civit. Dei*, lib. 8, cap. 2), Arist. et S. Thom. (1.^o^ *Physicor*. lect. 8, et. lect. 9 initio, *Metaph.* lib. 1, lect. 1). Cfr. Illm. Gonzalez et Tennemam in suis Historiis Philosophiæ. Unde recte Philosophus et Angelicus (*Physicor.* lib. 1. lect. 8; *Metaph.* lib. 1, lect. 12) scribere potuerunt terram solam a nemine fuisse assignatam tamquam commune rerum omnium principium.

(4) Vide Ciceron. (*De Natura Deorum*, lib. 1, c. 11). Cfr. S. August. (*de Civ. Dei* lib. 8. c. 2), S. Thomas (*de spiritual. creatur.* art. 5). Ideo Anaxagoras, *qui, ut in animalibus*, inquit Aristoteles, *ita in natura intellectum inesse causam mundi totiusque ordinis*

quodam modo ordinantis materiæ illius varias particulas (1). Quare in Anaxagoræ sententia singula corpora omnibus hisce omnium specierum particulis constant, dicuntur autem constitui in ea specie, cujus particulæ fuerint magis patentes, particulis cæterarum specierum secretioribus manentibus (2). Hinc docebat Anaxagoras: *Omnia esse in singulis: Quodlibet ex quolibet fieri: Id quod fit ex aliqua substantia, jam prius in ea contineri.*

Leucippi, Democriti et Epicuri doctrina.

Veri tamen parentes ac propugnatores atomismi fuerunt Leucippus ac Democritus, ac deinceps Epicurus. Hi posuerunt atomos seu particulas quasdam ulterius indivisibles, infinitas, ingenitas, incorruptibles, motu (3) præditas, ejusdem omnes naturæ, sed diversas figura (4). His Democritus quemdam impulsionis motum assignavit, *quem plagam* ille appellat (5); Epicurus autem pondus adjecit duplicemque motum, ad perpendiculum et ad declinationem (clinamen), alterum, unde gravitas flueret, alterum, ex quo concursio atomorum habere locum posset (6). Has atomos censuerunt, *in infinito inani, in quo nihil summum nec infimum, nec ullimum, nec extremum sit, ita ferri, ut concursionibus inter se*

lixerat, quasi sobrius, comparatus ad antiquiores vana dicentes, apparuit (*Metaph.* lib. 1 cap. 3 sub finem).

(1) Vide Arist. et S. Thom. 1.^o^ *Metaph.* lect. 9, et 11.

(2) Vide Arist. et S. Thom. 1.^o^ *Metaph.* lect. 4; *de Gener et corr.* lib. 1. lect 1. Cfr. Kleutgen, *Filosofia antica*. tom. 4, tratt. 7, n. 650.

(3) Essentiali, si fidem adhibeamus Laërtio Diogeni apud Illmum Gonzalez (*Historia de la Filosofia*, vol. 1, p. 163, Madrid 1878); quamvis id vitio vertat atomistis Aristoteles, quod motum corpusculis indiderint, undenam vero motus illis inesset, non explicaverint. Vide S. Thom. 1.^o^ *Metaph.* lect. 1.

(4) Nimirum dicebant corpuscula illa esse quædam lævia, alia aspera, *rotunda, partim autem angulata, curvata quædam et quasi aduncæ*. Cicero, *de Natura Deorum*, lib. 1. n. Cfr. S. Thom. *de Gener. et Corrupt.* lib. 1 lect. 1 par. *f*.

(5) Ex S. August. Ep. 118, (al 56), n. 28, Democritus agnovit etiam in atomis vim quamdam *animalem et spirabilem* concursui aptam.

(6) Vide Ciceron (*de Natura Deor.* loc. cit. n. 25; de *Finibus bonor., et malor.* lib. 1, cap. 6. n. 18 seqq.; *de Fato*. n. 22 seqq.), itemque Plutarch (*de Placit. Philos.* lib. 1. cap. 3).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cohærescant (1). At vero atomos ejusmodi non est existimandum ad corpora constituenda ita cohærescere, ut vera aliqua unione physica coalescant, sed vacuo dividantur necesse est, ut motus corporum locum habere possit. *Sic igitur uniuscujusque corporis magnitudinem constitutam dicebat* (Democritus) *ex illis indivisibilibus corporibus implentibus indivisibilia spatia, et ex quibusdam vacuis ipsis indivisibilibus corporibus interjacentibus, quæ quidem poros esse dicebat* (2). Atque id est, quod significabant veteres illi atomistæ, cum adstruebant, rerum principia esse *plenum* seu solidum (τὸ πλῆρες), *et vacuum* seu rarum (τὸ κενὸν), vel etiam *ens* et non *ens*, plenum enim est ens, vacuum non ens (3).

Generatio et corruptio corporis. Differentiæ corporum specificæ.

Corpus ergo, ex atomistarum placitis, generatur per aggregationem, eamque casu factam, ejusmodi atomorum; corrumpitur autem per segregationem. Jam differentias corporum explicabant per variam atomorum figuram, (ῥυσμὸν) dicebant, ordinem (διαθιγὴν), et situm seu positionem (τροπήν) (4). Non secus atque A differt ab N figura; AN vero ab NA, ordine; Z denique ab N positione. Quemadmodum enim ex litteris alphabeti, variis secundum figuram et positionem, diversissima scripta existunt; ita etiam fieri bene posse videtur, ut ex atomis, sola figura aut ordine ac positione diversis, diversa specifice generentur corpora. Cæterum veteres illi atomistæ non corpora solum, sed animas ipsas atomis constare volebant, scilicet atomis globosis et igneis (5). Quamobren physicam

(1) Cicero, *de Finibus*, lib. 1, cap. 6.

(2) S. Th. 1.ª *Metaph.*, lect. 7, non procul ab initio.

(3) S. Th. ib. *Ex quo patet, quod cum vacuum sit non ens, et plenum sit ens, non magis ponebat* (Democritus) *rei constitutionem ens, quam non ens, quia nec corpora magis, quam vacuum, nec vacuum magis, quam corpora, sed ex duobus simul dicebat, ut dictum est, corpus constitui. Unde prædicta duo ponebat rerum causas sicut materiam.* S. Th. ex Aristotele loc. sup. cit.

(4) Vide Aristot. et S. Thom. *Metaphys.* libr. 1, cap. 4, lect. 7.

(5) Ita refert Aristoteles de Leucippo ac Democrito (*de Anima*, lib. 1, cap. 2). Cfr. S. Thom. (ib. lect. 2), idemque censuit Epicurus apud Lucretium.

Corporea natura animum constare animamque.....
Animam constare necesse est
Corporibus parvis et lævibus atque rotundis.

doctrinam de corporum constitutione materialismo et materiæ ingenitæ impietate turpabant (1).

Atomisticam doctrinam inter Romanos professus est, carminibusque meliori causa dignis exposuit Titus Lucretius Carus, Epicuro addictissimus.

Atomismus apud Romanos.

Exorto sole veritatis christianæ, jacebat hæc doctrina, primum SS. Patrum jaculis confixa, mox penitus oblitterata (2): donec tribus circiter abhinc sæculis instaurari denuo cœpit atomismus, atque in scholas christianas invehi opera potissimum Cartesii ac Gassendii, quamquam jam ante hos in Democriti sententiam inclinaverat Baconus a Verulamio (3).

Varia atomismi apud christianos fortuna.

Petrus Gassendius admissit corpuscula elementaria, solida atque impenetrabilia naturaliter, finita numero, extensa quidem, sed tamen physice indivisibilia, a Deo creata, motuque donata et gravitate. Hæc porro corpuscula ejusdem omnia censebat esse naturæ, sed diversa secundum figuram et magnitudinem, alia enim erant cubica, alia cylindrica, pyramidalia, ramosa, uncinata, hamata ad se melius mutuo capienda et copulanda. Ex hujusmodi atomis varie in unum congiobatis tota corporum varietas est repetenda; ex similibus enim generantur elementaria, ex dissimilibus vero mixta. Ex hac eadem varia coagmentatione vires quoque diversæ efflorescunt ac proprietates, puta calor ex motu celerrimo atomorum acutarum, frigus ex requie motus ejusmodi, humiditas ex spatiolis vacuis inter atomos relictis, siccitas demum ex earum condensatione (4).

Gassendii atomismus.

Æqualis fuit Gassendio Renatus Cartesius. Hic professus est se «nullum aliam rerum corporearum materiam agnoscere, quam illam *omnimode divisibilem, figurabilem ac mobilem*», quam Geometræ quantitatem vocant, et pro objecto suarum

Placita Cartesii.

(1) Cfr. de his Benedict. Pererius, lib. 4, cap. 9.

(2) Solum enim viguisse fertur apud Arabes nonnullos, qui corporum constitutionem explicabant ex atomis ejusdem naturæ omni activitate destitutis; varietatem autem omnem phænomenorum, per quæ nobis corpora manifestantur, totam derivabant ex actione Dei solius; atomismum hoc modo cum occasionalismo conjungentes. Vide Stock apud Kleutgen, Op. cit., tom. 4, tratt. 7, n. 653.

(3) *De Augmento scientiarum*, III, cap. 4; *Nov. Org.* 1, a. 51.

(4) Apud Kleutgen. Op. cit., t. 4, tratt. 7, n. 655

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

demonstrationum assumunt, ac *nihil* plane in ipsa considerare *præter illas divisiones, figuras et motus*» (1). Admisit nimirum materiam tribus proprietatibus ornatam, divisibilitate in infinitum (2), figurabilitate et mobilitate. Materia hæc primum in infinita quadam massa fuerat creata, omniaque spatia replebat, vacuum enim ex Cartesio prorsus repugnat (3); postea vero divisa fuit ab ipso Deo in particulas cubicas minimas, quæ motum ab ipso impressum acceperunt (4). Itaque cum hæ materiæ particulæ in motibus illis suis in mutuo affrictu colliderentur atque attererentur, quemadmodum fieri solet, cum varia frusta cujuslibet rei agitantur inter se, ac revolvuntur; tria elementorum genera extiterunt: α) pulvis quidam subtilissimus instar scobis tenuissimæ: β) sphærulæ seu globuli, in quos particulæ primitivæ, abrasis angulis, transformatæ sunt: γ) aliæ portiones crassiores, quæ figuras habeant varias et ad motum minus aptas (5). Cartesius ergo decrevit, ex globulis cælum, ex particulis stratis terram cum planetis et cometis, corpora denique lucida, solem potissimum et stellas fixas, generata

(1) *Princip. Philos.*, part. 2, n. 64.

(2) Saltem per omnipotentiam divinam; non enim existimasse videtur divisionem etiam per physica instrumenta protendi posse in infinitum.

(3) Id quod hac ratione sibi persuadere potuit Cartesius: vacuum enim a nobis concipitur ut extensum quiddam. Atqui omne extensum est corpus, nam hujus essentia est extensio, ut ipse imaginatur. Ergo nuspiam est vacuum, sed ubique corpus.

(4) Et quidem motum rotatorium; alius enim ex Cartesio impossibilis est ex defectu vacui (*Princip. Phil.*, p. 2, n. 33). Ceterum voluit Cartesius particulas eas omnes tantumdem motus in se (in initio) habuisse, quantum jam in mundo reperitur, et æqualiter fuisse motas tum circa propria sua centra (motu rotatorio) et separatim a se mutuo ita, ut corpus fluidum componerent, quale cœlum esse putamus, tum etiam plures simul circa alia quædam puncta eoque a se mutuo remota et eodem modo disposita, ac jam sunt centra fixarum: nec non circa aliquanto plura, quæ æquent numerum planetarum: sicque tot varios vortices componerent, quot jam astra sunt in mundo». *Princip. Phil.*, part. 3, n. 45.

(5) Illas partes Cartesius *striatas* vocat, eo quod transeant per spatia triangularia contactu trium globulorum secundi elementi efformata, illasque concipi vult «tamquam exiguas columnas, tribus strâ in modum cochlearum intortis excavatas». (*Princip.* n. 90).

esse ex pulvere illo et scobe subtilissimo, qui præterea replere debet vacua omnia, quæ inter alias particulas duorum aliorum generum remanerent. Unde «materiæ variatio, sive omnium ejus formarum diversitas pendet a motu» (1). Motus vero aliam causam non habet præter «Deum ipsum, qui materiam simul cum motu et quiete in principio creavit, et tantumdem motus et quietis in ea tota, quantum tunc posuit, conservat» (2). Omnisque reliqua activitas, quæ inesse corporibus videtur, sive ad agendum in alia, sive ad resistendum aliorum actioni, unice sita est in ea proprietate, vi cujus quodlibet corpus in statu, quem habet, usque perseverare nititur, in proprietate nimirum inertiæ (3).

Diversitas corporum et proprietates juxta Cartesium.

Acres extiterunt inter Gassendium et Cartesium disputationes: in quibus tamen præcipue discederet ab adversarii sui placitis, declarat ipsemet Cartesius his verbis: «Sed rejecta est (atomistica doctrina Gassendi) primo, quia illa corpuscula indivisibilia supponebat, quo nomine etiam ego illam rejicio (4): deinde quia vacuum circa ipsa fingebat, quod ego nullum dari posse demonstro: tertio quia gravitatem iisdem tribuebat, quam ego nullam in ullo corpore, cum solum spectatur, sed tantum quatenus aliorum corporum situ et motu dependet, atque ad illa refertur, intelligo: ac denique, quia non ostendebat quo pacto res singulæ ex solo corpusculorum concursu oriantur» (5).

In quibus Gassendius a Cartesio dissideret.

Nec procul abfuit ab atomistica doctrina Isaacus Newtonus, cum scripsit Deum «in principio rerum materiam ita formasse, ut primigeniæ ejus particulæ, quibus deinceps oritura esset corporea omnis natura, solidæ essent, firmæ, duræ, impenetrabiles et mobiles; iis magnitudinibus et figuris, iisque insuper proprietatibus eoque numero et quantitate

Atomismus Newtonis.

(1) *Princip.*, n. 36.

(2) *Princip.*, n. 36.

(3) Ib., n. 43.

(4) Nimirum non admittit Cartesius atomos vere tales seu *indivisibiles* absolute, quia materiam divisibilem in infinitum existimabat. Sed dissidium hoc primum forte magis est in vocibus; quia nec ipse Gassendius videtur *absolutam* indivisibilitatem agnovisse in atomis, saltem respectu divinæ omnipotentiæ. Cfr. Kleutgen l. c., n. 656.

(5) *Princip. Phil.*, part. 4, prop. 202.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pro ratione spatii, in quo futurum erat, ut moverentur, quo possent ad eos fines, ad quos formatæ fuerant, optime deduci» (1). Quamdiu ergo permaneant particulæ illæ, «poterunt sane per omnia sæcula ex iis composita esse corpora ejusdem semper naturæ et texturæ; verum si illæ deteri et comminui possent, jam futurum sane esset, ut rerum natura, quæ ex iis pendet, immutaretur». Hinc «corporum omnium mutationes in variis solummodo separationibus, novisque conjunctionibus et motibus durabilium illarum particularum *consistere*».

Ex hac sententiarum recensione.

Colliges 1.o Vix quidquam novi contineri in corpusculari doctrina, prout nostris diebus propugnatur, quantum respicit ipsam systematis substantiam; frustraque sibi hac in parte blandiri recentiores, cum aliud revera non fecerint, quam veterem sententiam jam diu explosam, perque plura sæcula oblivioni traditam, iterum in scholas restituere paululum perpolitam novisque vestitam coloribus.

Tres gradus atomismi: primus.

Colliges 2.o Haud inepte tres gradus distingui posse in atomisca doctrina, prout a diversis auctoribus traditur. Summus enim gradus atomismi est ille, qui nullam admittit virium ac proprietatum intrinsece inhærentium realitatem, nullamque substantialem varietatem corporum, unicam adstruens omnium primævam materiam, quæ accidentaliter dumtaxat mutetur, et sola vi resistentiæ prædita variisque motibus extrinsece impressis absque ulla exigentia intrinseca totam diversitatem corporum specificam explicet. Talis fuit atomismus veterum multorumque recentiorum. Alter gradus mitior atomismi est ille, qui agnoscit substantialem saltem varietatem materiæ in corporibus elementaribus pro numero ac speciebus simplicium, quæ Chimica docet, quamvis nullas vires et qualitates intrinsecas præter motum localem ac vim resistendi velit admittere. Tertius demum gradus omnium maxime temperatus atomismi est ille, qui præter substantias entitative distinctas ac vim resistendi vel impetrabiltatem admittit quasdam alias vires materiæ

secundus.

tertius.

(1) *Opticæ* lib. 3. quæst. 31. apud Rosselli, *Summ. philos.* t. 2. quæst. 3. art. 9.

insitas, quæ in mero motu locali formaliter non consistant. Hic ultimus gradus constituit atomismum *dynamicum*, quia cum ponat materiam cum viribus, aliquid de *dynamismo* participat: eumque professi forte sunt apud antiquos Gassendius ac Newtonus, apud recentes Henricus Martin (1), Lamé, Fusinieri et alii. Duo priores gradus vere atomismum *purum* seu non mixtum dynamismo, aut etiam *mechanicum*, continent, utpote qui omnem activitatem, omnia phænomena naturalia ipsamque unionem et dissolutionem corporum pure *mechanice* explicant, nimirum per simplicem compositionem ac transformationem motuum localium extrinsecus impressorum. Negari tamen nequit primum gradum esse *puriorem* et magis *mechanicum*, cum nolit agnoscere nisi unicam substantialiter naturam et motus extrinsecus advenientes. Itaque primus ille gradus posset appellari simpliciter atomismus *purus*, aut etiam *mechanicus*, alter vero *chimicus* (2).

ARTICULUS II.

Judicium fertur de atomismo.

Status quæstionis

142. Non est nobis in animo nunc omnia capita doctrinæ atomisticæ ad trutinam revocare. Etenim quæ activitatem corporum in solo motu locali positam extensionemque vere discretam ac tantummodo apparenter continuam, prout atomistæ docent, respiciunt, alibi singillatim a nobis fusius rejicienda sunt; impietas vero materiæ increatæ, et materialismi errores, quibus tum antiqui tum etiam non pauci recentiores corpusculariis Philosophiæ patroni sunt imbuti, in alio loco profligari debent. Multo minus in controversiam revocamus, quæ Chimici docent, experientia ipsa vel ratiocinatione legitima eruditi, circa phænomena et characteres

(1) In opere, cui titulus *Philosophie spiritualiste de la Nature*, t. 1. 2.a partie, chap. 1, 10, 14 potissimum.

(2) Illi vero qui atomismum chimicum intelligunt eum, qui admittit nova Chimiæ inventa, eaque interpretatur secundum atomistarum placita, omnem recentiorem atomismum debent consequenter chimicum appellare, cum nullus sit inter recentiores atomistas, qui non eo modo procedat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proprios diversorum corporum, circa leges et conditiones, processum ac modum practicum compositiones ac dissolutiones chimicas peragendi. Hæc enim atque alia id genus inventa certa, quibus gloriari laudemque meritissimam accipere naturales scientias æquissimum est, quæque perperam ab atomistis tamquam sibi solis propria vindicant, aut cum suo systemate connexa necessario dictitant; ultro admittimus. Ex his vero ad essentialem corporum constitutionem investigandam, fontesque, unde proprietates ac phænomena omnia naturæ primitus manant, perscrutandos, assurgere Philosophum oportet: atque hic ab atomistis non possumus non dissidere. Et quamquam ex disputatis in præcedentibus, jam atomismi causa judicata fere sit, nihilominus operæ pretium existimamus, præcipua, quibus turpatur, vitia summatim hic uno veluti conspectu proponere.

143. Propositio. **Cum atomismus nec experientiæ nec ratiocinationis præsidio fulciatur, nec valeat aptam plurium phænomenorum reddere rationem, assumi nequit tamquam systema ad essentialem corporum constitutionem explicandam.**

Atomismus experientiæ minime fulcitur.

Probatur prima pars: *atomismus experientia minime fulcitur.* 1.° Quis enim unquam vidit atomos? quis motus ipsorum tam varios? quis interstitia, quibus invicem omnes separari dicuntur? Quis materiam substantialiter eamdem in omnibus corporibus? quis in mutationibus, ex quibus novam exoriri naturam cernimus, potuit elementa ipsa perspicere secundum suam substantiam integra prorsus atque incorrupta, solumque ordine, positione, motibus atque adeo extrinsece dumtaxat immutata, quemadmodum dictitant atomistæ? Promant denique adversarii unum solum doctrinæ caput, ipsis proprium ac peculiare, quod vere comprobetur experientia (1). Hoc argumentum, licet negativum, valere

(1) Simili argumento Lactantius olim veteres atomistas perstringebat: *Primum minuta illa semina, quorum concursu fortuito totum coisse mundum loquuntur, ubi aut unde sint, quæro. Quis illa vidit unquam? quis sensit? qui audivit? An solus Leucippus oculos habuit? solus mentem? Qui profecto solus omnium cæcus et excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens possit somniare. Quatuor elementis constare omnia, Philosophi veteres disserebant; ille noluit, ne alienis vestigiis videretur insistere. Sed ipsorum elementorum alia voluit esse primordia, quæ nec videri possint nec tangi, nec ulla corporis parte sentiri. Tam minuta sunt, inquit, ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua secari ac dividi possint: unde illis nomen imposuit* atomorum. *Sed occurrebat ei, quod si una esset omnium eademque natura, non posset res efficere diversas tanta varietate, quantam videmus inesse mundo. Fixit ergo lævia esse et aspera et rotunda et angulata et hamata. Quanto melius fuerat tacere, quam in unus tam miserabiles, tam inanes, habere linguam? Et quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda.* Lactant. Firmian., *de Ira Dei*, cap. 10. Cfr. *Divinar. Instit.* lib. 3; *de falsa Sapientia*, cap. 17.

(1) Recole, quæ in præcedenti capite disputata sunt articulis 1.° et 2.°; omnia enim illa huc revera pertinent.

tamen debet contra eos homines, qui nihil habent in ore magis, quam experientiam, vitioque solent passim vertere Scholasticis, quod abjecta penitus et contempta experientia, sytematis delectentur a priori fabricatis.

nec ratione firmatur.

Prob. secunda pars: *Nec ratio suffragatur atomismo.* Nam α) argumenta, quibus suadetur, facile solvuntur, quemadmodum mox videbimus, et partim etiam vidimus capite præcedenti. β) Ostendimus superius agnoscendas omnino esse in corporibus substantias specifice distinctas mutationesque substantiales (1): mox autem probanda est realis continuitas extensionis, saltem imperfecta, non in minutissimis solum particulis, verum in grandioribus quoque molibus, itemque vires a motu locali distinctæ et qualitates activæ substantiis ipsis intrinsecus inhærentes. Atqui ab his omnibus abhorret atomismus. Ergo ratio ipsis refragatur, nedum suffragetur. γ) Verum postquam materia incorruptibilis prorsus asserta fuerat, quærenda erat causa novarum originem naturarum declarans, eaque inventa est in mutationibus quibusdam accidentalibus. Hinc pronum erat, ut una tantum poneretur primigenia materia. Negatis autem qualitatibus absque sufficienti ratione, explicata fuerunt omnia phænomena per varios atomorum motus: utque hi libere possent quaquaversus exerceri, ablegenda erat continuitas extensionis in numerum atque ordinem illusionum. En, nisi male video, atomismi processum et fundamenta;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

en quomodo asserta quædam parum probabilia aliis atque aliis gratuitis hypothesibus fulciantur.

nec aptam plurium phænomenorum valet reddere explicationem.

Prob. tertia pars: *atomismus aptam plurium phænomenorum explicationem reddere non potest.* α) Consututionem novæ naturæ in compositis chimicis diversitatemque corporum specificam non satis declarat, quemadmodum superius ostendimus. β) Nullas agnoscit veras generationes ac corruptiones substantiarum, saltem inorganicarum. Certe cum plura in unum acervum ordine aliquo disposita congeruntur, nemo dicit novum gigni corpus; aut et converso corrumpi cum ordo ille, quo plura in unam congeriem coaluerant, perturbatur, aut in alium commutatur. γ) Hinc nec potest atomismus edisserere discrimen, quod inter composita chimica et mechanica, inter naturalia et artificialia viget (1). δ) Atomismus nequit explicare cohæsionem corporeæ substantiæ. Concipi enim nequit, quomodo motus particularum, quicumque tandem ille sit, tantam exercere possit attractionem, ut tam firmiter adhærescant inter sese, tamque pertinaciter mutuæ separationi obsistant, quemadmodum passim experimur, potissimum in solidis. Atque hæc causa est, cur nonnulli atomistæ præter vim resistendi vim quoque constrictivam agnoscere non renuant, per quam partes inter se copulentur, ut nuper retulimus. ε) Atque idem fere dic de affinitate, quam *electivam* esse docent Chimici. Nam in primis, si affinitas in puro motu consistit, eoque extrinsecus impresso, dici nequit proprie corpus aliquod ratione illius *eligere*, atque *appetere* unionem cum uno potius, quam cum alio. Profecto telum quod in aliquem scopum a milite dirigitur, nequit

(1) Id quod jam pridem notaverat Eximius Doctor hæc scribens: «Hi Philosophi (nimirum atomistæ) in primis non cognoverunt veram causam materialem, quæ sit potentia physica receptiva alicujus actus. Nam illæ atomi non sunt in potentia ad recipiendam aliquam formam physicam, nec possunt dici materia totius compositi, nisi eo modo, quo partes integrales dicuntur materia totius, et lapides ac ligna materia domus. Unde ulterius fit, ut juxta illum philosophandi modum formæ naturalium entium, quasi artificialium tantum sint, nimirum figuræ quædam consurgentes ex vario situ et ordine atomorum. Atque ita nulla erit vera substantialis generatio et corruptio, sed tantum varia coordinatio aut de ordinatio atomorum». Disp. *Metaph.* 13, sect. 2, n. 3.

dici cum illo majorem affinitatem habere. Neque ex eo solum, quod duo motus facilius inter se componi possint, recte dixeris mobilia, quæ motibus ejusmodi agitentur, magis eligere inter se uniri, quam cum alio, quod diversis motibus cieretur. Deinde si affinitas in corporibus nihil est præter motus atomorum extrinsecus advenientes, qui magis aut minus facile componi atque in unum conspirare possint; quæro, num motus illi pristini, dum in combinatione harmonice componi dicuntur, adhuc in se perseverent. Si perseverant, quomodo non etiam manifestantur in composito proprietates elementorum, quæ in illis motibus reponuntur? Si vero non amplius permanent in se, sed tantum existit alius motus ex eorumdem compositione resultans, qua mira arte fit deinceps, ut accedente alio corpore, quod majorem habere dicitur affinitatem cum uno ex elementis combinationis, motus ille resultans in pristinos motus mathematice identicos tum secundum directionem, tum secundum intensitatem dividatur? Equidem arbitror hæc, quam facile asseruntur, tam difficulter intelligi, multoque minus probari posse, nisi plura gratis supponantur (1). Quanto melius concipi hæc mente possunt, si pro diversa corporum natura diversæ qualitates agnoscantur!

Probatur 2.° Generatim tota propositio ex eo, quod atomismus sæpe propugnaculum fuerit materialismi, aliisque præterea erroribus possit ansam facile præbere.

α) Atque in primis de materialismo, notum omnibus est atque compertum, eumdem professos esse veteres atomistas, et adhuc profiteri recentiores plures, quos minime pudet ita indigne sentire de Deo deque mundi hujus perfectione, pulchritudine, varietate, ut nihil esse quod brutæ materiæ ambitum superet, arbitrentur (2). Et quamquam fatendum sit catholicos viros, quibus atomistica placet doctrina, materialismi errores ex animo abominari; alii vero ex principiis

(1) Quæ cum ita sint, nihil mirum, si nonnulli etiam ipsas affinitates fere tamquam vanum nomen habeant in Physica. Vide Claud. Bernard, *Lecciones de Fisiología general*, IX, pag. 208. Madrid, Sevilla.

(2) Cfr. Sylv. Mauri, *Quæstiones philosophicæ*, lib. 2, quæst. 4, *Dico* 7.° arg. 5.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hujus systematis se ad materialismum, amplectendum se adigi arbitrantur. Sane, inquiunt, quemadmodum sola varietas atomorum accidentalis sive secundum figuram, sive secundum ordinem, positionem, motum, sufficit ad specificam diversitatem corporum declarandam, ita etiam sufficere dicenda est ad reddendam rationem phænomenorum organicorum in viventibus (1). Ex quo semel concesso facile

(1) «Des citations semblables, tirées des écrits des physiciens éminents, pourraient être multipliées presque indéfiniment, et, si on passe des physiciens aux physiologistes, on rencontre également des déclarations explicites. «Chaque analyse» disait Ludwig en 1857, «de l' organisme animal a ainsi mis en lumière le nombre limité des atomes chimiques, la présence de l' éther, véhicule de la lumière (de la chaleur), et celle des fluides électriques. *Ces données conduisent à cette inférence que tous les phénomènes de la vie animale sont simplement des conséquences, des attractions et des répulsions résultant du concours de ces substances élémentaires*» (Ludwig, *Lehrbuch der Physiologie des Menschen*, Band 1, Einleitung, p. 2). Wundt écrivant vingt-cinq ans après, s' exprime de la même manière: La manière de voir qui est maintenant devenue dominante (en physiologie) et qu' on appelle ordinairement l' hypothèse physique ou mécanique, a son origine dans la conception causale qui a longtemps prévalu dans les branches voisines de la science naturelle, d' après laquelle la nature *est une simple chaine des causes et d' effets, les lois ultimes de l' action causale étant les lois de la mécanique*. (Wundt, *Lehrbuch der Physiologie des Menchen*, 4 te Auflage, p. 2). Avec plus d' ampleur encore, Hæckel: «La théorie générale de l' evolution... suppose que, dans la nature, il y a un vaste processus de développement, un continuel et éternel, et que *tous les phenomènes naturels sans exception, depuis le mouvement des corps célestes et la chute de la pierre qui roule, jusqu' à la croissance des plantes et la conscience de l' homme, sont soumis à la même grande loi de causalité qu ils doivent en fin de compte, être reduits à la mécanique atomique*». Hæckel (*Freie Wissenschaft und freie Lehre*, pp. 9, 10). Hæckel déclara que cette théorie «est la seul theorie scientifique qui offre une explication rationelle de l' univers et satisfasse l' intelligence qui exige des liaisons causales, parce qu' elle enchaine tous les phénomènes de la nature comme des parties d' un grand et unique processus de développement, et comme une série de causes et d' effets mécaniques». (Ibid, p. 11). Dans le meme sens Huxley parle de cette «*conception purement mécanique vers laquelle tendent les efforts de la physiologie moderne*». (*Lay sermons, Adresses and reviews*, pag. 331). Ita Stallo, *La Matière et la Physique moderne*, chap. 1, pag. 4-6.

sequitur nullam dari substantiam spiritualem, et quidquid in hoc mundo existit, materiam esse aliter et aliter modificatam. Sicut e converso ex eo quod in homine non possit negari forma substantialis a materia distincta, logice concludemus cum Suarezio idem dicendum esse de animali de planta, de omni denique corpore.

β) Deinde atomistica doctrina potest etiam ac idealismum et scepticismum perducere. Si enim id, quod continuum et quietum evidenter apparet, nimirum corpus, aliud revera non sit, quam examen quoddam fluitantium atomorum; si phænomena omnia naturæ, quæ tam diversa se præbent a motu locali, in puro motu consistunt; si ipsæ sensibiles qualitates longe aliter ac in se sint, nobis patefiunt, dicendum profecto est omnem nostram experientiam meram apparentiam, meramque illusionem esse. Nec video, quo solido argumento revincendus Kantius sit, cum docet facultates nostras cognoscitivas ex quibusdam formis subjectivis adigi ad certo quodam modo sibi res repræsentandas, quin tamen sciri a nobis possit, quales illæ sint secundum propriam realitatem.

Dices, errorem hunc sensuum corrigi a ratione. At quo inquam, jure? Sensuum relatio evidens est, rationes vero, quæ contra illam producuntur, sunt infirmæ, valde dubiæ et plures hypotheticæ. Qui ergo propter ejusmodi rationes corrigendam aut etiam respuendam esse experientiam, atque adeo ipsam intuitivam cognitionem, existimaverit, quo jure, quibusve armis obviam ibit idealistaram atque scepticorum sectæ, imbecillitatem facultatum nostrarum cognoscitivarum plus æquo exaggerantium? (1).

γ) Quin etiam crediderim atomismum haud procul abesse ab occasionalismo. Si enim omnis activitas naturæ in motu sita est, inque motu extrinsecus accepto in se,

(1) Haud esse vanum idealismi periculum in atomismo, ille persuasum habere debet, qui meminerit illorum sententiam, qui, ut superius notavimus, asserere non verentur ipsas moleculas materiæ ponderabilis aliud non esse præter vortices æthereos, ex quibus dumtaxat corpora coalescant. En quo ducat licentia fabricandi gratuitas hypotheses! Equidem qui talia admittit, nescio quantum ab idealismo distet.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atque aliis et aliis corporibus successive communicato, nullus est fons intrinsecus actionum corporearum. Quis porro sibi persuadeat, adeo vecordes esse animo occasionalistas, qui negent corporibus potestatem accipiendi ab alio motum, et aliis, cum quibus confligunt in suo tenere, mere transferendi?

Sensus Patrum adversus atomismum.

Quæ cum ita sint, nihil mirum, si tam sinistre senserint de atomismo SS. Patres ac Doctores Ecclesiæ. Quid dicat Lactantius, jam nuper notavimus. Audi nunc Magnum Basilium: *Alii minutissima quædam et impartilia corpora, moles item ac meatus naturam continere omnium, quæ quaquaversum subjacerent, vecordi imaginatione delusi adstruxerunt. Opinati enim sunt, nunc quidem illis insectilibus corpusculis inter se coalescentibus et agglutinatis, nunc contra eisdem disparatis ac sejunctis, generationis fieri rerum et corruptiones; simul et tenaciorem atomorum complicationem causam præbere diuturnioris persistentiæ longissime duraturis corporibus. Prorsus istius generis scriptores, quid aliud dicas, quam stamen flaccidum araneoli pertexere, dum pertenues adeo comminiscuntur rerum causas, dum cœli, terræ marisque principia supponunt nusquam consistentia* (1).

Neque dicas ita locutos Patres esse ob errores contra revelatam veritatem, quibus atomistica veterum doctrina turpabatur. Nam non eos solum errores carpebant, sed simul etiam ipsam systematis essentiam suggillabant, irridebantque.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

143. Objic 1.° Ad recte prudenterque decernendum de corporum natura, inventa et doctrinæ Pysicorum consulendæ sunt. Jam apud Physicos nulla magis fundamentalis doctrina est, quam atomica doctrina. Atqui hæc, admissa

(1) S. Basilius (Homil. 1.ª in *Hexaemer.*). Cfr. S. August (Epist. 118 (al 56); de *Civit Dei*, lib. 8. c 5); S. Just. M. (*Cohort. ad Græc.* n. 4 Migne, p. 250); Hermias (*Irrisio Gent.*, n. 6 inter Opp. S. Just. Migne p. 1175), S. Iren. (*Advers Hæres.* lib. 2. c. 44. p. 3); S. Clement. Rom. (*Recognition.* lib. 8. n. XVII. seqq.). Dionys. Alexand. (*Fragment. adversus Epicur.*), Clemens Alexandr. (*Cohort. ad Gent.*, c. 5, et *Stromat.* lib. 1. c. 11).

peripatetica sententia, illico corruit, ac vicissim illa admissa, stare nequeunt dogmata materiam et formam spectantia. Ergo...

Resp. *Distinguo* primum Majoris membrum. In iis, quæ experientiam respiciunt et inde legitime illata consectaria, *conc.*; in aliis *neg.*

Alteram partem pariter *distinguo*. Et atomica doctrina in iis, quæ respiciunt processus chimicos, modumque practicum et leges compositionum ac dissolutionum, fundamentalis est, *trans.*; in iis, quæ docet circa internam atque essentialem corporum constitutionem, *neg.*

Dist. Minor. Admissa scholastica sententia, ruit atomica doctrina in iis capitibus, in quibus neque experientiam vadem habet, nec satis solidæ ratiocinationis præsidio confirmatur, *conc.* in aliis *neg.*

Multa continet atomistica doctrina, prout eamdem assumunt atomistæ chimici, partim certa, partim valde dubia. Certa sunt, quæ tradit circa existentiam corporum elementarium et compositorum, circa mutuas eorum actiones, circa leges varias et processus, secundum quos ex determinatis elementis per synthesin composita coalescunt, et rursus hæc in illa per analysin chimicam resolvuntur. Hæc, inquam, utpote partus accuratissimorum experimentorum, aut legitimarum conclusiones ratiocinationum, certa sunt, et negari a nemine queunt, nec negantur a Peripateticis (1); ac jam supra observavimus perperam a multis hæc venditari tamquam unice propria atomismi, aut cum eo, prout a nobis impugnatur, necessario connexa. Ex his ulterius colligit

(1) Quare vel aberravit a re cl. Frédault, vel nimis ambigue locutus fuit in cap. VIII citati Operis, p. 87, cum hæc verba scripsit: «Et tout cela, pour nier un fait avéré qui est aussi évident que le Soleil, a savoir *que les composants d' une combinaison sont bien les éléments du composé; que le pain est bien fait avec de la farine et de l'eau, que la rouille est bien faite avec de l' oxygène et du fer, que l'eau est bien fait d' oxygène et hydrogène, que la chaux est fait de calcium est d' oxygène*, et ainsi des autres». Quibus certe nihil aptius est ad decipiendos incautos invidiamque conflandam peripateticæ doctrinæ. Scholastici nunquam negarunt composita ex elementis fieri, sed postquam ex illis facta sunt, iisdem actu formaliter secundum propriam substantiam existentibus constare.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

atomismus quædam alia capita doctrinæ, quæ proprie constituunt speciale illud systema corpuscularis Philosophiæ, eaque potissimum respiciunt identitatem atque intrinsecam immutabilitatem eorumdem, continuitatem mere phænomenalem extensionis activitatemque corpoream in meris motibus localibus repositam. Quæ omnia nullum ex factis experientiæ verisque Chimiæ inventis præsidium adsciscere posse vel ipsi nobilissimi hujus scientiæ doctores sincere fatentur, quorum plura laudavimus testimonia in locis opportunis.

Instabis 1.° Physici et Chimici communiter atomismum amplectuntur etiam in iis, quæ controversiam nostram respiciunt, atque a Scholasticis solent repudiari. Atqui in his rebus Physicorum et Chimicorum auctoritas maxima est. Ergo ii potius audiendi sunt.—**Resp.** *trans.* Major. *neg.* Minor. Non enim ad Physicos experimentales, sed ad Philosophos spectat essentias rerum primaque phænomenorum principia investigare. Idque vel ipsi naturalium scientiarum cultores profitentur, cum asserunt suarum partium esse dumtaxat phænomena et characteres simplicium et compositorum accurate describere, modos ac leges analysis ac synthesis docere, aliaque similia exponere, quæ vel experientia testatur, vel evidens ratiocinatio persuadet circa mirificas naturæ transformationes ac proprietates. Atque in his Physicorum et Chimicorum auctoritatem revereri, ac disciplinam sectari Philosophi debent. Quod si deinde velint etiam latius vela pandere, atque in intima corporeæ naturæ penetralia perscrutanda adniti, jam ultra suam artem assurgunt, et Philosophiæ campum invadunt, in quo certe nullam possunt habere auctoritatem.

Instabis 2.° In statu præsenti scientiarum naturalium ridiculum se prorsus exhiberet, qui atomos agnoscere recusaret, secundum quas compositiones chimicæ efficiantur. Atqui hoc est unum ex præcipuis atomisticæ principiis. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Ridiculum se exhiberet, qui atomos nollet admittere in ipso *fieri*, seu in momento dissolutionum et compositionum chimicarum, *conc.*; in *facto esse*, vel in statu permanenti, *subdist.*; qui nollet admittere atomos actu segregatas extensionemque perfecte discretam constituentes, *neg.*; unitas actu et divisibiles per agentia chimica, *conc.*

Trans. Minor. et *neg.* cons. Distinguendum est momentum, in quo corpus *fit*, vel dum durat actualis productio ipsius, a tempore in quo corpus jam *est*, post absolutam et completam ejusdem productionem. Igitur ponere atomos in *facto esse* tantundem est ac ponere extensionem prorsus discontinuam, prout communiter docent atomistæ, quin tamen possint probare, prout inferius videndum erit. Ponere autem atomos *in fieri* aliud non est nisi dicere id, quod experientia videtur suadere, combinationes nempe ac dissolutiones chimicas fieri secundum minimas particulas, quæ paulisper abscinduntur destructa compage corporum procedentium, inque novam illico unionem cōeuntes novum generant corpus (1). Id quod jam pridem docuerant Scholastici, ex quibus Cardinalis Toletus ita scribit: «*Auctores... conveniunt*, quod miscibilia (i. e. elementa quæ in mixtionem seu combinationem venire possunt) usque ad *minima naturalia* dividantur, et *singula minima* sint juxta *alterius miscibilis* singula, et se *mutuo alterant, donec una tertia resultet forma ipsius mixti...* Omnes igitur non ponunt penetrationem in materiis, quia juxta positæ sunt, et forma existens in uno minimo alterat alterum, donec adveniente ipsa mixti forma *una fiat materia continua, et resultet quælibet pars mixta*» (2).

Cæterum non desunt Chimici, haud sane ignobiles, qui doctrinam de atomis fateantur aut limites hypothesis minime

(1) Cfr. cl. Cornoldi, *Instit. phlos.* lec. 27, p. 181. Bonomiæ, 1878.

(2) In lib. 1 *de Gen. et Cor.*, cap. 10. quæst. 19, paragr. *De modo autem mixtionis.....*

Similia habes apud Conimbricenses. «Ad primum dicendum erit, elementa mixtionis gratia se vicissim *demoliri, et minutatim concidere, et partes unius alterius partibus adhærescere*, neque veteres, quod ita senserint, ab Aristotele coargui, sed quod elementa *solo exiguarum partium* appositu permisceri dixerint, in eaque copulatione mixtionem collocarint, cum præterea *requiratur multa elementorum actio*, ex qua primarum qualitatum temperatura ad mixti formam idonea pervenist». (In lib. 1 *de Gent. et Cor.* cap. 10, quæst. 1, a. 2. sol. 1.ª arg.) Et in quæstione sequenti observant, ad mixti generationem, cæteris omissis, tria requiri, videlicet concursum elementorum unum in locum, mutuam eorum actionem..... comminutionem eorum in minutissimas partes, etsi hæc non semper necessaria sit, et denique introductionem formæ mixtis. Ibid. quæst. 2. a. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

excedere, aut ideo potissimum excogitatam esse, ut aliqua nobis imagine sensibili phænomena naturæ repræsentemus (1).

Objic. 2.° Quod verum est in Physica, repudiare tamquam falsum nequit Philosophia: quodque necessarium est ad explicanda facta, abjici aut impugnari non potest. Atqui talia sunt, quæ atomismus docet (2).

Resp. *neg.* Minor. Et ratio patet ex dictis.

Objic. 3.° Corpora omnia sensibilia sunt syntheses plurium actu substantiarum. Nam omnia sunt realiter divisibilia in partes, quæ seorsim subsistant. Atqui quæ ita se habent, non sunt nisi syntheses plurium actu substantiarum. Etenim quæ realiter divisibilia sunt, ante divisionem jam sunt distincta, substantiæ vero ab invicem distinctæ, sunt actu plures substantiæ. Ergo quæ sunt realiter divisibilia in partes, quæ seorsim subsistant, sunt syntheses plurium actu substantiarum (3).

Resp. *neg.* assert. Ad probat., *conc.* Major., *neg.* Minor.: ad hujus probat. *dist.* Major. Quæ realiter divisibilia sunt,

(1) Ita v. g. Huxley: «Io credo alla teoria atomica dei Chimici, a condizione che mi provino prima l'esistenza degli atomi». (Apud *Scienz. ital.* ann. 1, vol. 2, p. 117). Et cl. Fredault: «Il n' est pas un savant aujourd'hui qui ne considère l'atome comme une vue de l'esprit dont on se sert pour exprimer des rapports conditionnels de quantité et d' équivalence en Chimie. On se sert encore des atomes en Physique pour expliquer également une partie infinitésimale quelconque d' un corps en fonction de chaleur, d' electricité ou de vibration: c' est un mot qui a son utilité pour réduire à l' unité des équations de mouvement; et s' il a ses dangers, il faut bien voir qu' il n' est cependant qu' un mot». (*Matière* et *forme* p. 100). Ita etiam Stallo postquam *hypothesin* atomicam nihil reapse explicare docuerat hæc addit: «Les considérations précédentes n' ôtent rien, d' ailleurs à la valeur de l' hypothèse atomique comme *procédé graphique ou d' exposition, comme venant en aide à la faculté representative* en realisant *les phases de la transformation chimique ou physique*». Stallo (Op. cit. chap. 7, pag. 74). Vide præterea W. Crookes (*Dictionary of sciences*, ad vocem *Atom* et *Atomic weight*, apud cl. P. Mazzella *de Deo Creatore*, disp. 3, art. 6, pag. 471 in nota. Romæ 1880). Cfr. etiam Cournot et alii (apud cl. P. Mendive, *Cosmolog.*, n. 288, in nota).

(2) Cfr. Tongiorg. *Cosmolog.* num. 65.

(3) Ita fere cl. P. Palmieri, *Cosmol.* thes. 15.

ante divisionem sunt actu distincta entitative, ita ut habeant suas quæque proprias entitates, *conc.*; terminative, ita ut illa etiam suos terminos habeant, seu non sint unita, *neg.*

Et *contradistincta* ultima Minori, *neg.* conseq.

Si objectio quidpiam valet, evincet quoque hominem non esse unum quiddam, sed duas actu substantias, animam nimirum et corpus, in hæc enim duo dividi homo potest. Itemque probabit nullam physicam unionem esse possibilem: physica enim unio nulla est, quin ex pluribus unum fiat, aliunde vero nihil vere unum est, sed actu plura, si ex pluribus coalescat, et in ea sit divisibile. Unde illud etiam consequetur, nihil vere unum esse nisi sit simplex, tum essentialiter tum integraliter. Atqui hoc notiones hactenus in scholis communes pessumdat absque ullo fundamento. Tenendum ergo omnino est dari entia, quæ cum unum sint actu, plura esse possint per divisionem.

Instabis. Constat corpora quævis commixtionem quamdam esse materiæ ponderabilis, in qua particulæ ponderabiles agitentur. Atqui id manifeste docet corpora omnia sensibilia coalescere ex pluribus substantiis actu distinctis. Ergo... (1).

Resp. *dist.* Major. Ita ut singulæ particulæ seu atomi materiæ ponderabilis invicem dissitæ circumdentur et convolvantur imponderabili illa materia, *neg.* Ita ut hæc permeet poros atque interstitia veram continuitatem non perimentia, *trans.*

Et *contradist.* Minor, *neg.* conseq. Ut enim omittamus nunc, quemadmodum jam supra monuimus, non deesse, qui ætheris existentiam aut inficientur, aut saltem non satis demonstratam adhuc esse judicent; negandum prorsus est id, quod plures recentiores docent, omnes ac singulas particulas ponderabilis materiæ, penitus inter se discretas, in immensa quadam ætheris athmosphæra fluitare.

(1) Id. ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS III.

De dynamismo.

§ 1.—EXPONITUR SYSTEMA DYNAMICUM.

Describitur dynamismus.

144 Dynamismus generatim describi potest systema eorum, qui asserunt corpora non aliud esse, quam aggregationem entium quorumdam simplicium, quæ sint centra quædam virium et activitatum. Originem hujus doctrinæ multi repetunt ex Pythagoreorum placitis, qui rerum omnium principia numeros esse voluere (1). Quidquid vero de hoc sit, sub variis formis hoc systema proponitur, quas breviter hic exponemus.

Leibnitzii dynamismus.

Nobilis Philosophus Leibnitzius, qui verus dynamismi auctur habendus est, finxit substantiolas quasdam (quas *monades* vocavit et etiam *entelechias* (2) ac *formas substantiales*), simplices atque inextensas, numero infinitas omnes inter se dissimiles (3), incorruptibiles ac substantialiter immutabiles, quæ sola creatione produci, sola possunt annihilatione perimi; omnes denique activas et perceptione quadam seu obscura mundi repræsentatione præditas atque appetitione (4). «*Monades* enim, inquit, non sunt atomi molis, sed substantiæ, nempe unitates reales, quæ fontes existunt actionum, appellarique recte possunt *entelechiæ*,

(1) Vide Arist. lib. 1.° *Metaph.* cap. 5; et S. Th. 1. *Metaph.* lect. 7, parag. c. seqq. et lect. 8.

(2) Nomen mutuatus ab Aristotele, qui formam substantialem appellavit ἐντελέχειαν.

(3) Ex suo illo principio *identitatis indiscernibilium*, unde suo ente perfecte similia esse non posse arbitratus est Leibnitzius. Vide *Ontolog.* nostram, num. 109, pag. 332.

(4) «Quod si menti nostræ vim iussum tribuimus producendi actiones immanentes; jam nihil prohibet, imo consentaneum est, aliis animalibus vel formis, aut si mavis, naturis substantiarum eamdem vim inesse.» Leibnitzius, *De ipsa natura*, paragr. 1; cf. 12 (apud Dutens II, pag. 4.°)

«Habet anima in se perceptiones et appetitiones, iisque natura ejus continetur.» Id. ib. pag. 174. Vide apud cl. P. Pesch. Op. cit. p. 310.

itemque *formæ substantiales*, vi activa perceptionis præditæ, sintque adeo τὰ πρώτα ἐντελεχειά τις ξωοτική» (1) Unde *animas* etiam illas nominavit (2). Cæterum hæc activa vis essentialis esse dicitur materiæ substantiæque corporeæ (3). Jam corpora juxta Leibnitzium aliud non sunt, nisi agglomerationes ejusmodi monadum (4), ex quibus juxta positis exurgit extensio (5). Cæterum illud mirum fortasse videbitur, quod ex Leibnitzio monades istæ, quibus vires essentiales esse dicuntur, activitatem nullam extra seipsas exerceant (6); si

(1) Leibnitzius *Princip. Philos.* t. 2. n. 1, 11 ap. Kleutgen. Op. cit. tom. 4, n. 657. p. 285. Roma 1868.

(2) «Mea opinio est, omnia, ut sic dicam, plena esse *animarum* vel analogarum naturarum.» Leibn. *Otium. Hanov.* p. 181 apud Pesch. ib.

«Liquet itaque in minima portione materia dari mundum creaturarum viventium, animalium, entelechiarum et animarum: nihil ergo incultum, nihil mortuum datur in universo.» Leibnitz, *Princip Philos.*, ap. Kleutgen, l. c. n. 659, p. 285.

(3) «Agere est character substantiarum» (Dutens III, p. 1315). «On ne saurait expliquer ce que c'est que l'existance d'une substance en lui refusant l'action». (Dutens VI, p. 215). Vide apud P. Pesch., p. 267 in nota. «A me explicatum est, ipsam rerum substantiam in agendi patiendique vi consistere». (Dutens II, 2, p. 40). Alias vero vim patiendi cum materia prima et impenetrabilitate identificavit: «Vis primitiva, inquit, patiendi seu resistendi id ipsum constituit, quod materia prima in scholis appellatur, qua scilicet fit, ut corpus a corpore non penetretur». (Dutens, III, p. 317). Apud cl. P. Pesch. p. 310, in nota.

(4) «La matière même n'est pas *une* substance, mais seulement *substantiatum*, un phénomene bien fondé. La matière qui est quelque chose d'actuel ne resulte que des monades» (Dutens III, p. 446 et 500). Et: «Necesse est dari simplicia, quia dantur composita: neque enim compositum est nisi aggregatum simplicium». (Dutens, II, 1, p. 11).

(5) «Substantia simplex etsi non habeat in se extensionem, habet tamen positionem, quæ est fundamentum extensionis, cum extensio simultanea et continua sit positionis repetitio». (36, p. 280, 295, 317).

(6) «Monas ut anima est velut mundus quidam proprius, nullum commercium dependentiæ habens nisi cum Deo». (Ib., p. 295). «Actio principii interni, qua fit mutatio seu transitus ab una perceptione ad alteram, appetitus appellari potest. Imo etiam præter istud in substantia simplici non reperietur aliud, h. e. præter perceptiones earumque mutationes in ea nihil datur. Atqui in hoc solo consistere debent actiones internæ substantiarum simplicium». (*Theod.* par. 401).

vero agere tum inter seipsas videantur tum in alia corpora, id pura illusio est, originem ducens ex quadam harmonia præstabilita, secundum quam eas Deus conjunxit monades, quæ suas quæque ab intrinseco profectas mutationes ita ad amussim correspondentes haberent, ut aliæ ab aliis causari viderentur (1).

Hoc systema ipsemet Leibnitzius ejuravit, purumque lusum imaginationis vocavit posterioribus annis (2), immo et scholasticam doctrinam amplexus esse dicitur; quamquam id alii negent (3). Itaque nihil mirum, si sectatores non habuerit, et ab aliis, potissimum a Wolfio et Boscowichio, non parum mutata ejus opinio sit.

Dynamismus Wolfii, aliorumque Leibnitianorum.

Christianus Wolfius monadibus corporeis, detracta omni perceptione atque appetitione, vires tribuit dumtaxat motivas attractionum nempe ac repulsionum, quibus invicem agant, ac reagant. Has monades vocavit *atomos naturæ*, quæ distinguendæ sunt ab *atomis materiallibus* (4). Mediis vero attractionibus ac repulsionibus monades aliæ extra alias, interpositis vacuis, constituuntur, ut sic extensionem efficiant. Quod porro naturam attinet monadum corporearum, Wolfius existimat cum suo Magistro illas dissimiles esse in specifica natura; reliqui autem Leibnitziani contendunt eas esse omnino similes atque homogeneas ita, ut diversitas omnis corporum proficiscatur ex varia monadum multitudine ac dispositione, quemadmodum ex punctis pluribus aut paucioribus varieque ductis, omnes litteræ fiunt ac vocabula.

Dynamismus Boscowichii.

P. Rogerius Boscowichius sic suam ipse sententiam exponit: «Prima elementa materiæ mihi sunt puncta prorsus

(1) Vide ipsius *Princip. Phil.*, paragr. 51 seqq.

(2) «Rem acu tetigisti; et miror neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc meum senserit, neque enim Philosophorum est rem serio semper agere, qui in fingendis hypothesibus ingenii sui vires experiuntur». In *epist. ad Pfaff* apud cl. Sanseverin. *Elementa Philos. Christ.*, t. 2, *Cosmolog.* c. 1, art. 4, pag. 245, nota 1.ª Neapoli 1856.

(3) Vide cl. P. de San, Op. cit. p. 167.

(4) «Atomus *naturæ* dicitur, quod *in se* indivisibile est, adeoque partibus destituitur, in quas resolvi possit. Atomus autem *materialis* appellatur, quod in se est divisibile, sed cui dividendo non sufficiunt aliquæ causæ in rerum natura existentes.» Wolf. *Cosmolog.* paragr. 186.

indivisibilia et inextensa, quæ in immenso vacuo ita dispersa sunt, ut bina quævis a se invicem distent per aliquod intervallum, quod quidem indefinite augeri potest et minui, sed penitus evanescere non potest sine compenetratione ipsorum punctorum; eorum enim contiguitatem nullam admitto possibilem, sed illud arbitror omnino certum, si distantia duorum materiæ punctorum sit nulla, idem prorsus spatii vulgo concepti punctum indivisibile ocupari ab utroque debere, et haberi veram ac omnimodam compenetrationem. Quamobrem non vacuum ego quidem admitto disseminatum in materia, sed materiam in vacuo disseminatam atque innatantem». Hæc puncta viribus attractivis ac repulsivis sunt prædita quorum hæc lex ext, «ut in minimis distantiis sint repulsivæ, atque eo majores in infinitum, quo distantiæ ipsæ minuuntur in infinitum, ita ut pares sint extinguendæ cuivis velocitati utcumque magnæ, cum qua punctum alterum ad alterum possit accedere, antequam eorum distantia evanescat; distantiis vero auctis minuuntur ita, ut in quadam distantia perquam exigua evadat vis nulla; tum adhuc aucta distantia mutentur in attractivas, primo quidem crescentes, tum decrescentes, evanescentes, migrantes iterum in repulsivas, atque id per vices in distantiis plurimis, sed adhuc perquam exiguis, donec ubi ad aliquanto majores distantias ventum sit, incipiant esse perpetuo attractivæ». Quare Bosconwichius reapse unam tantum virium speciem posuit, quæ modo attractiva, modo fiat repulsiva pro ratione distantiæ punctorum. Ex quo a priori facile patet, «quoniam imminutis distantiis, vis repulsiva augetur in infinitum..., nullam partem materiæ posse esse contiguam alteri parti; vis enim illa repulsiva protinus alteram ab altera removet. Quamobrem necessario inde consequitur prima materiæ elementa esse omnino simplicia, et a nullis contiguis partibus composita». Tandem varietas corporum explicatur ex punctis similibus per diversam dispositionem. Sicut «fieri utique possent nigricantes litteræ, non ductu attramenti continuo, sed punctulis rotundis nigricantibus, et ita parum a se invicem remotis, ut intervalla non nisi ope microscopii discerni possent, et quidem ipsæ litterarum formæ pro typis fieri possent ex ejusmodi rotundis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

sibi proximis cuspidibus constantes. Concipiatur ingens quædam bibliotheca... Hæc mihi, inquit, quædam imago videtur esse eorum, quæ cernimus in natura. Tam multi, tam vari illi libri corpora sunt; et quæ ad diversa pertinent regna, sunt tamquam diversis conscripta linguis. Horum omnium chimica analysis principia quædam invenit minus inter se difformia, quam sint libri, nimirum voces. Hoc tamen inter se habent discrimen aliquod, ut tam multas terrarum, salium, species eruit chimica analysis e diversis corporibus. Ulterior analysis harum, veluti vocum, litteras adhuc minus inter se difformes inveniret, et ultra juxta theoriam meam deveniret ad homogenea punctula, quæ ut illi circuli nigri litteras, ita ipsa diversorum corporum particulas per solam dispositionem diversam efformarent: usque adeo analogia ex ipsa naturæ consideratione derivata, non ad difformitatem, sed ad conformitatem elementorum nos ducit» (1).

Dynamismus Kantianus.

Kantius contentus non fuit unica vi, quæ modo esset attractiva, modo repulsiva, sicut Boscowichius, sed varias agnovit; et primo quidem attractivas et repulsivas, sine quibus extensio intelligi nequit. Nisi enim adsit repulsio, partes per solam attractionem possent in punctum redigi et compenetrari, cum tamen extensio necessario postulet partes alias extra alias positas habere; nisi autem inesset attractio, vires solæ repulsivæ dispergerent partes quaquaversus, ac dissiparent. Jam corpora videmus spatium replere, ita ut et extensionem habeant in se, et impenetrabilitatem respectu aliorum. Concipi ergo a nobis debet corpus velut aliquid constitutum ex hujusmodi viribus attractivis ac repulsivis, vel tamquam earumdem centrum, aut tamquam spatium iisdem repletum. Verum ad reddendam omnium phænomenorum rationem vires attractivæ ac repulsivæ solæ non sufficiunt, sed admittendæ præterea sunt aliæ *plasticæ* vel *architectonicæ*, seu formatrices aut *teleologicæ*, quæ nimirum ex fine determinato, et non pure mecanice, operentur non solum in viventibus, in quibus finalitas omnium motuum et phænomenorum manifestissime se

(1) Boscowinch *Theoria virium*, ap. cl. Cornoldi, *Institutiones Philosophiæ speculativæ*, lect. 30, p. 201 seqq. Bononiæ 1878.

prodit, sed etiam in mineralibus, quæ magnam in hoc præ se ferunt analogiam cum viventibus (1). Atque ejusmodi viribus plasticis corpora generantur, augescunt, et conservantur. Quamquam semper sibi constans in suo formalismo, Kantius observat, nobis quidem ita *exhiberi* corpoream naturam ex quadam subjectiva necessitate, qua eamdem sic et non aliter concipere adigimur, minime vero exinde consequi talem revera *esse in se* corporum essentiam atque objectivam realitatem.

Dynamismus transcendentalis.

At vero purissimum gradum Dynamismi professi sunt Schelling, Schopenhauer aliique Transcendentalis Philosophiæ patroni, qui materiam perfecte continuam atque in infinitum divisibilem adstruxerunt, quæ tamen confletur ex conflictu virium attractivarum et repulsivarum. Unde juxta hanc sententiam in corpore non est ullum subjectum aut substratum virium, sed purissimæ vires earumque operationes, quandoquidem materia corporea revera non est, inquiunt, aliud quam resultantia quædam oppositarum virium attractionis ac repulsionis. Hinc diversitas corporum sita est in diversis virium compositionibus (2). Combinationes chimicæ fieri dicuntur ex mutua diversorum elementorum compenetratione adeo intima, ut jam in composito nec proprietates nec etiam substantiæ simplicium amplius supersint, sed nova prorsus gignatur substantia, cujus omnes vel minimæ particulæ naturam eamdem possideant (3). Cæteras dynamismi minutiores varietates persequi nec necessarium nec utile judicamus.

§ II.—QUID SENTIENDUM SIT DE DYNAMISMO.

145. PROPOSITIO. **Dynamismus tum generatim tum speciatim inspectus admitti nequit.**

Dynamismus generatim.

Prima pars. *Dynamismus generatim inspectus* ponit: α) materiam incorruptibilem: unde β) generationes novarum

(1) Vide P. Kleutgen. Op. cit. tom. 4, tratt. 7, n. 661, p. 692.
(2) Cfr. Kleutgen l. c. n. 662, pag. 696, 697.
(3) Vide apud Wurtz, lib. 2, chap. 4, p. 223. Cfr. Pesch. n. 280, arg. 3.um, p. 313.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inspectus profligatur.

naturarum veterumque corruptiones per meras accidentales elementorum mutationes accidere contendit. Atqui hæc falsa esse superius ostendimus. Ergo... γ) Puncta illa seu substantiolæ simplices atque inextensæ nullam physicam unionem habere dicuntur. Atqui id in primis omnem corpori unitatem individualem eripit. Deinde vel contingunt se substantiolæ illæ, vel non contingunt. Si se contingunt, necesse est, ut se compenetrent, atque in punctum spatii redigantur: quomodo ergo extensionem efficient? Si vero se non contingunt, primum destruitur continuum reale; tum necesse est admittere actionem in distans, dum se attrahunt, ac repellunt ejusmodi puncta (1).

Nec dicas adesse inter puncta dissita spatium æthere plenum vel aëre, per quem suos influxus possint invicem communicare.—**Illud namque** medium et ipsum est corpus aliquod. Quæram igitur, num punctis constet contiguis, an separatis, similique argumentatione urgere contra illud potero (2).

---

(1) Ad vitandam actionem in distans, posset hic ab aliquo adduci doctrina de punctis *inflatis*, de illis nimirum, quæ in se quidem sint formaliter inextensa, virtuali tamen extensione gaudeant, quatenus naturaliter sibi assignatum habeant spatium extensum ac divisibile, intra quod suam exhibeant præsentiam, fere sicut anima rationalis, quæ quamquam omnino inextensa sit in semetipsa, destinata nihilominus est ad informandum et vivificandum corpus extensum. Sic etiam angelus operatur in loco divisibili, atque eatenus dicitur esse virtualiter in illo; qua de re vide Aquinatem (1 p., q. 52, a. 2; 1.° dist. 37, quæst. 3, a 2). Verum doctrina hæc de punctis inflatis inferius confutanda est, quando sermo erit tum de continui existentia (*Propositio 2.ª*), tum de continui compositione (*Propositio 2.ª*).

(2) Quod vero quidam clarus scriptor ante paucos annos ad effugiendum argumentum ex repugnantia actionis in distans petitum, commentus est, corpus nempe non esse in loco secundum suam essentiam, sed tantum secundum operationem: cum ergo ea solum distent, quæ secundum suam essentiam versentur in locis separatis, nec distare dici proprie possint ea, quorum alterum dumtaxat est in spatio, alterum vero non; frustra impugnari atomos invicem separatas in corpore, ex eo quod secus admittenda foret actio in distans; hoc, inquam, insigne paradoxum est, ac nimis absurdum, ut fusiorem mereatur refutationem. Recole, quæ in *Ontologia* (n. 373, pag. 1067) diximus de ubicatione cuivis rei necessaria.

δ) Tandem dynamismus compositionem corporum *essentialem* non explicat, sed solum *integralem*, eamque secundum placita Zenonis de punctis indivisibilibus; ac proinde iisdem, ac Zenonistarum sententia, premitur incommodis: qua de re inferius disputandum erit.

Secunda pars: *Dynamismus speciatim inspectus refutatur.*

Excluditur quoque dynamismus Leibnitzii.

α) Forma Leibnitzii 1.° Leibnitzius monades ponit infinitas in singulis corporibus. Atqui multitudo actu infinita repugnat. 2.° Gratis et absurde monades fingit perceptione obscura universi atque appetitu præditas. Hinc enim sequitur singula corpora esse viventia, quin et examen infinitorum viventium. 3.° Non minus gratuito denegat monadibus omnem activitatem ad extra. 4.° Arbitraria pariter est, ansamque præbens occasionalismo peregrina illa doctrina de harmonia præstabilita. 5.° Gratis negatur a Leibnitzio possibilitas monadum similium in natura: cum potissimum ex monadibus dissimilibus exoriri nequeat uniformitas perfectissima corporeæ massæ, atque unitas sive specifica sive individualis. 6.° Denique falsum est monadibus essentialem esse activitatem, ut statim dicam, et alibi fusius probandum erit, cum ostendetur generatim potentias et facultates activas in omni ente creato esse accidentales.

Wolfii ac Leibnitzianorum.

β) De Wolfio et Leibnitzianis illud tantummodo speciatim notamus, quod primus monades omnes dissimiles inter se posuerit cum suo magistro; reliqui vero eas censuerint omnes ejusdem naturæ. Atqui primum unitatem specificam singulorum corporum ac perfectam homogeneitatem, ut contra Leibnitzium modo notabamus, evertit; alterum varietatem specificam diversorum corporum nequit explicare.

Itemque R. Boscowichii.

γ) Quod vero ad Rogerium Boscowich pertinet: 1.° absque ullo fundamento asserit eamdem vim modo esse repulsivam, modo attractivam, pro varia punctorum distantia. Hæc namque potest certe efficere, ut vis aliqua magis aut minus intense atque efficaciter operetur; intelligi vero nequit, quomodo vim attractivam in oppositam vim repulsivam convertat. 2.° Nec magis intelligi potest, attractionem duorum punctorum, crescente distantia, crescere. 3.° Incredibile præterea videtur, vim repulsivam punctorum, imminuta distantia, in infinitum augeri ita, ut contactus eorumdem

reddatur impossibilis. Quod si verum esset, dicendum e converso foret, vim quoque attractivam, aucta distantia, crescere in infinitum. Atqui tunc impossibilis foret separatio divisioque duorum punctorum in extensione, contra evidentem experientiam. 4.° Denique in hac sententia attractiones ac repulsiones punctorum vel essent veræ ipsorum actiones, vel non. Si primum eligas, sequitur necessario actio in distans: sin alterum admittenda est aut harmonia præstabilita Leibnitzii, quæ gratis prorsus asseritur, et omnem actionem ad extra pessumdat, contra experientiæ propriæque conscientiæ testimonium: aut actio immediata solius Creatoris, ac proinde occasionalismus (1).

Kantii.

Kantius quamvis laudem certe meretur in eo, quod præter vires activas ac repulsivas etiam plasticas requisierit tamquam omnino necessarias ad explicanda phænomena; in multis tamen peccavit. Et 1.° quidem, ut omittam nunc idealismum ac formalismum, quo saltem ex auctoris sententia turpatur dynamismus Kantianus; quæro utrum detur subjectum aliquod virium illarum, ex quibus essentia corporum coalescere dicitur, an non. Si datur, illud erat declarandum, quandoquidem corpus est illud subjectum, in quo vires illæ insunt, quodque ab illis attrahitur, ac repellitur. Donec ergo determinetur, quale illud sit, corporea natura minime declaratur. Si vero nullum ejusmodi subjectum agnoscit Kantius, absurda loquitur; cum enim vires, nisi vocabulis abutamur, activitates et accidentia significent, non autem substantiale quiddam, impossibile est, ex solis viribus corpus efflorescere. 2.° Hinc nisi ponatur substratum aliquod materiale, vires ejusmodi sustentans, extensio ipsa non realis erit, sed pure phænomenalis. 3.° Hæ vires attractivæ ac repulsivæ ad summum solius extensionis rationem præbere possunt. Atqui corporis essentia in

(1) Illationem hanc ultro Boscowichius amplexus esse videtur, cum hæc scripsit: «Quod pertinet ad actionem in distans, id abunde ibidem prævenimus; cum fieri possit, ut punctum quodvis in seipsum agat, et ad actionis directionem et energiam determinetur ab altero puncto, vel ut Deus, juxta liberam sibi legem a se in natura condenda stabilitam, motum propignat in utroque puncto». Apud cl. P. Liberatore *Institutiones philosophicæ*, t. 2, p. 109, n. 119. Prati 1881. Cfr. etiam Boscowich, *de Lumine*, p. 1, n. 54.

extensione reponi non potest, ut certo constabit, cum de quantitate agetur. Ergo...

Addere etiam juvat, quamvis id alicui forte novum videri possit, ne ad ipsam quidem extensionem explicandam necessarias esse duas hasce vires, attractivas ac repulsivas. Ea enim sufficienter explicatur per *impenetrabilitatem* ac mutuam resistentiam partium integrantium inter se unitarum. Impenetrabilitas autem ac resistentia est effectus quantitatis, nec consistere videtur in ulla vera et propria *actione* virium repulsivarum, sed in quadam formali *incompossibilitate* seu *repugnantia* duarum partium in eodem spatio (1).

et dynamistarum transcendentalium.

2) Denique in dynamismo transcendentali vires absque ullo subjecto ponuntur, eæque prout oppositæ atque ab æquilibrium redactæ, dicuntur substantiam constituere. Atqui vires absque subjecto esse nequeunt; æquilibrium autem ejusmodi, utpote negativus effectus, essentiam corporum efficere nequit. 2.° Falsum est fundamentum Transcendentalistarum, rem quamlibet ex duobus oppositis constare, unumque oppositorum existentiam alterius actualem postulare: id quod per se satis patet, nec indiget probatione. 3.° Denique vires attractivæ ac repulsivæ, quæ sine subjecto ponuntur, vel sunt substantiæ vel accidentia: si accidentia, consistere nequeunt absque subjecto; nec confici ex ipsis valet corpus, utpote quod certe substantia quædam est. Si autem sint substantiæ, edisserant in primis adversarii qualesnam sint ejusmodi substantiolæ attractivæ ac repulsivæ; nam nemo certe vires activas ac repulsivas concipit instar substantiarum. Deinde iis, qui admittunt in mysterio Sanctissimæ Eucharistiæ accidentia separata, certum esse debet, quod vires corporeæ a substantia reliter discrepent. Sane sub eucharisticis speciebus manent quidem vires propriæ panis ac vini, nec tamen perseverat ipsa substantia. Ergo aliud est substantia panis et vini, et aliud vires et qualitates. Quod porro de pane ac vino novimus ex Fide, extendendum est generatim ad omne corpus; nisi quis fingere velit ad specificam ac propriam rationem solius panis ac vini pertinere, quod habeat vires a substantia distinctas.

(1) Qua de re vide quæ inferius dicenda sunt (disp. 2, cap. 1, art. 3), ubi de corporum compenetratione sermo erit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quid sentiendum de atomismo dynamico.

SCHOLION. De dynamico atomismo singularem disputationem instituere necesse non est. Quamquam enim quædam argumenta, quæ contra purum atomismum ac dynamismum urgentur, atomismus dynamicus effugiat, aliis tamen æque premitur, ac duo illa systemata, et nominatim iis, quæ incorruptibilitatem et substantialem corporum immutabilitatem massamque materiæ reipsa discretam ac solum apparenter continuam impugnant; quæ sunt communia et fundamentalia atomismi, sive puri sive dynamici, dogmata. Præterea vires, quas in atomis ponit dynamicus atomismus, vel sunt illis accidentales vel essentiales. Si accidentales, systema istud nihil revera explicat de corporum essentiali constitutione magis, quam atomismus purus. Si autem sunt essentiales eodem argumento repellendæ sunt, quo nuper utebamur adversus dynamismum transcendentalem.

Quædam difficultates solutæ.

146. **Objic. 1.°** Prima corporum elementa debent esse simplicia; si enim forent composita, ulterius resolvi possent, ideoque desinerent esse prima. Atqui dynamismus ponit entia simplicia pro primis corporum elementis. Ergo.

Resp. *dist.* Major.: qualia dynamismus adstruit, *neg.*; alius generis, *conc.*

Contradist. Min. Dynamismus ponit prima elementa entia simplicia, quæ tamen multiplicem involvunt repugnantiam *conc.*; ponit prima elementa simplicia, qualia esse oportet principia essentialia corporum naturam constituentia, *neg.* Omniaque patent ex adductis probationibus.

Objic 2.° Phænomena corporea explicari nequeunt, nisi admissis viribus attractionis ac repulsionis; iis vero positis recte explicantur. Ergo jure corpora coalescere dicuntur ex hujusmodi viribus.

Resp. *Transm.* primam partem antecedentis; alteram *distinguo*: aliqua, *transeat.*; omnia *nego.*

Et *neg.* conseq. omnino. Nam licet admittendæ forent ejusmodi vires, minime sequeretur in iis consistere corporum essentiam.

Ab aliis difficultatibus proponendis solvendisque supersedemus, propterea quod nullæ sint alicujus roboris ac momenti.

CAPUT III.

SENTENTIA SCHOLASTICORUM ELIGITUR

ARTICULUS I.

Exponitur systema hylomorphismi

Dupliciter spectari corpus potest.

147 Peripatetici corpus considerant in *facto esse et in fieri*: corpus dicitur *in facto* esse, cum jam constitutum est atque formatum; *in fieri* autem, cum reperitur in ipso actu suæ productionis, seu in actuali transitu a non *esse* ad *esse*: siquidem *fieri* corporis est idem ac ejus generatio. Essentiam corporum *in facto* esse reponunt Peripatetici in duplici principio intrinseco (1) realiter inter se distincto, quorum alterum *materia prima*, alterum *forma substantialis* appellatur. Materia prima est subjectum commune omnium transmutationum substantialium, illud nimirum quod in omnibus mutationibus substantialibus semper idem perseverat; forma vero substantialis est actus vel realitas illa, quæ materiam afficiens et velut sigillans, hoc vel illud speciei determinatæ corpus efficit. Dicitur hæc *materia prima*, tum ut innuatur eamdem esse subjectum, reliquas omnes formas sustentans, quod nullo alio priori sustentetur, tum ut distinguatur a corpore ipso jam constituto ex materia et forma, quod solet etiam vocari materia simpliciter vel *materia secunda*, quia nimirum corpus in sua substantia jam constitutum idem munus gerit per respectum ad accidentia, quod materia hæc prima per respectum ad formam substantialem, illa nempe sustentans atque in se recipiens (2). Forma vero pariter dicitur *substantialis*, ut distinguatur a formis accidentalibus, seu accidentibus, quæ non dant *esse* aliquod substantiale subjecto illi, cui adveniunt, secus ac forma illa, quam ut intrinsecum corporum

Principia corporum *in facto esse*.

(1) Recole notionem ac divisiones principii *in Ontol.* expositas, n. 379, p. 1077 seqq.

(2) Vide S. Th. Opusc. *de Principiis naturæ*; Suar. *Metaph.*, disp. 13, sect. 1, n. 3, et alios passim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quid sentiendum de atomismo dynamico.

SCHOLION. De dynamico atomismo singularem disputationem instituere necesse non est. Quamquam enim quædam argumenta, quæ contra purum atomismum ac dynamismum urgentur, atomismus dynamicus effugiat, aliis tamen æque premitur, ac duo illa systemata, et nominatim iis, quæ incorruptibilitatem et substantialem corporum immutabilitatem massamque materiæ reipsa discretam ac solum apparenter continuam impugnant; quæ sunt communia et fundamentalia atomismi, sive puri sive dynamici, dogmata. Præterea vires, quas in atomis ponit dynamicus atomismus, vel sunt illis accidentales vel essentiales. Si accidentales, systema istud nihil revera explicat de corporum essentiali constitutione magis, quam atomismus purus. Si autem sunt essentiales eodem argumento repellendæ sunt, quo nuper utebamur adversus dynamismum transcendentalem.

Quædam difficultates solutæ.

146. **Objic. 1.°** Prima corporum elementa debent esse simplicia; si enim forent composita, ulterius resolvi possent, ideoque desinerent esse prima. Atqui dynamismus ponit entia simplicia pro primis corporum elementis. Ergo.

Resp. *dist.* Major.: qualia dynamismus adstruit, *neg.*; alius generis, *conc.*

Contradist. Min. Dynamismus ponit prima elementa entia simplicia, quæ tamen multiplicem involvunt repugnantiam *conc.*; ponit prima elementa simplicia, qualia esse oportet principia essentialia corporum naturam constituentia, *neg.* Omniaque patent ex adductis probationibus.

Objic 2.° Phænomena corporea explicari nequeunt, nisi admissis viribus attractionis ac repulsionis; iis vero positis recte explicantur. Ergo jure corpora coalescere dicuntur ex hujusmodi viribus.

Resp. *Transm.* primam partem antecedentis; alteram *distinguo*: aliqua, *transeat.*; omnia *nego.*

Et *neg.* conseq. omnino. Nam licet admittendæ forent ejusmodi vires, minime sequeretur in iis consistere corporum essentiam.

Ab aliis difficultatibus proponendis solvendisque supersedemus, propterea quod nullæ sint alicujus roboris ac momenti.

CAPUT III.

SENTENTIA SCHOLASTICORUM ELIGITUR

ARTICULUS I.

Exponitur systema hylomorphismi

Dupliciter spectari corpus potest.

147 Peripatetici corpus considerant in *facto esse et in fieri*: corpus dicitur *in facto* esse, cum jam constitutum est atque formatum; *in fieri* autem, cum reperitur in ipso actu suæ productionis, seu in actuali transitu a non *esse* ad *esse*: siquidem *fieri* corporis est idem ac ejus generatio. Essentiam corporum *in facto* esse reponunt Peripatetici in duplici principio intrinseco (1) realiter inter se distincto, quorum alterum *materia prima*, alterum *forma substantialis* appellatur. Materia prima est subjectum commune omnium transmutationum substantialium, illud nimirum quod in omnibus mutationibus substantialibus semper idem perseverat; forma vero substantialis est actus vel realitas illa, quæ materiam afficiens et velut sigillans, hoc vel illud speciei determinatæ corpus efficit. Dicitur hæc *materia prima*, tum ut innuatur eamdem esse subjectum, reliquas omnes formas sustentans, quod nullo alio priori sustentetur, tum ut distinguatur a corpore ipso jam constituto ex materia et forma, quod solet etiam vocari materia simpliciter vel *materia secunda*, quia nimirum corpus in sua substantia jam constitutum idem munus gerit per respectum ad accidentia, quod materia hæc prima per respectum ad formam substantialem, illa nempe sustentans atque in se recipiens (2). Forma vero pariter dicitur *substantialis*, ut distinguatur a formis accidentalibus, seu accidentibus, quæ non dant *esse* aliquod substantiale subjecto illi, cui adveniunt, secus ac forma illa, quam ut intrinsecum corporum

Principia corporum *in facto esse*.

(1) Recole notionem ac divisiones principii *in Ontol.* expositas, n. 379, p. 1077 seqq.

(2) Vide S. Th. Opusc. *de Principiis naturæ*; Suar. *Metaph.*, disp. 13, sect. 1, n. 3, et alios passim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Illustratur res artefactorum exemplo.

principium prisci DD. statuebant (1). Itaque sicut in quolibet artefacto duo facile distinguuntur, ac distingui debent principia ipsum constituentia in illo *esse* accidentali, quod habet: nimirum corpus aliquod, puta æs vel lignum, ad conflandam statuam B. Mariæ Virginis, et figura, quæ efficit, ut frustum illud æris vel ligni sit hæc statua; ita etiam corpora in suo primo et substantiali *esse* concipienda sunt ex Peripateticorum sententia, ut compositum ex duplici elemento, altero materiali quod rationem habeat subjecti recipientis actum alterius realitatis, altero formali, quod est hæc ipsa realitas, quæ materiam actuans in specie ac dignitate constituit certi ac determinati corporis, quæ proinde si a materia separetur, desinit existere tale corpus. Sola itaque materia non est corpus, nec sola forma; sed compositum ex utraque constituit corpus. Verum de his uberior sermo recurret inferius.

Mutationes corporis in facta esse.

Corpora jam constituta mutari passim contingit, nec solum mutationibus accidentalibus, quæ nullam in ipsam substantiam inducant variationem, sed etiam substantialibus. Sæpe enim videmus corpus vario aliorum agentium influxui subjectum ita affici, ut amissa specifica sua natura seu forma substantiali, corrumpatur. Nunquam autem ita corrumpitur, ut desinat esse corpus, sed accepta nova forma, in aliud corpus diversæ speciei convertitur. Sic lignum fit ignis et cinis, et cibus fit caro animalis. Unde notissimum illud manavit proloquium: *Corruptio unius generatio alterius*.

Generatio et corruptio: alteratio.

Actio, per quam corpus accidentaliter dumtaxat variatur secundum qualitates, nomen accepit *alterationis*, aut etiam *corruptionis* vel *generationis secundum quid*, ut habetur apud S. Thomam (2). Actio autem, per quam corpus substantialiter variatur, proprio vocabulo *corruptio* aut *generatio* simpliciter appellatur: quamquam *generatio* pressiori adhuc significatione usurpatur ad productionem viventium exprimendam. Verum de his actionibus mox fusius disputandum est.

Corporum *in fieri* principia.

Corpora *in fieri*, si fiant per generationem, quæ simul rationem habeat veræ ac realis mutationis, quemadmodum

(1) Cfr. S. Th. ibid.

(2) Lib. 5 *Physicor.* lect. 2: opusc. *de Principiis naturæ*, etc.

jam post primam rerum creationem contingit, tria postulant principia, *materiam*, *formam* et *privationem*: materiam, inquam, quæ est primum subjectum patiens mutationem substantialem, formam, qua accedente, materia *fit* corpus, et privationem hujus ipsius formæ in prævio instanti; si enim hanc formam tunc haberet, non posset eamdem accipere. Privatio porro, ut ex *Ontologia* supponimus, est carentia formæ in subjecto apto et eamdem exigente.

Elementa et mixta: elementum quid.

Verum duo distinguebant prisci DD. corporum genera, elementaria et composita. Elementi nomen, græcis στοιχεῖον varie usurpari consuevit, ut scribunt Conimbricenses (1). Uno modo pro cujusque rei principiis, sive ea res arte facta sit, sive naturalis: quo pacto litteræ orationis elementa, et primæ demonstrationes scientiarum elementa dicuntur. Secundo pro ipsis principiis corporis in *fieri*, quo sensu Aristoteles (2) scripsit tria esse *elementa*, materiam, formam et privationem. Verum elementum in sensu proprio sumitur pro certo genere corporum, quod jam describendum est, eorum nempe, quæ recentiores appellant simplicia, per oppositionem ad corpora chimice composita. Elementum ergo in hoc sensu proprio ac philosophico definiri potest ad mentem Philosophi: *corpus in quod alia corpora resolvuntur, ipsum autem dividi nequit in alia specie diversa* (3). Dicitur *corpus*, ad excludendam materiam et

(1) In lib. 2 *de Gener. et corrupt.* quæst 1, art. 1.

(2) *Metaph.* lib. 12, cap. 4, text. 23.

(3) Vide Arist., lib. 3 *de Cœlo et Mundo*, text. 21, ubi sic habet: *Sit igitur id elementum corporum, in quod alia corpora dividuntur, in quibus inest potentia aut actu, hoc enim utro modo se habeat, adhuc ambigitur; ipsum autem est in forma diversa indivisibile*». Quæ verba ita S. Thomas comentatur ib. lect. 8: *Circa primum ponit tres partes definitionis elementi. Quarum prima est, quod elementum aliorum corporum est, in quod alia corpora dividuntur, seu resolvuntur: non enim quælibet causa potest dici elementum, sed solum illa quæ intrat rei compositionem. Unde universalia elementa sunt materia et forma, ut patet in 1.° Physicor.: quæ tamen non sunt corpora, hic autem intendit Philosophus de elementis, quæ sunt corpora. Secunda particula est, quod elementum existit in eo, cujus est elementum, potentia aut actu. Adhuc autem sub dubitatione existit* (nimirum cum hæc scripsit Aristoteles, nondum definierat, num elementa insint formaliter, an solum virtualiter in mixtis) *quomodo sunt elementa in mixtis: utrum*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL

formam, et quæcumque non sunt corpora. Dicitur: *in quod alia corpora resolvuntur*, quia ex elementis fiunt alia corpora composita; quæ vicissim inalia dividi possunt: Dicitur: *ipsum autem dividi nequit in alia specie diversa*, quia secus esset compositum ex illis, in quæ resolvi posset; elementum autem sicut est primum, quod ingreditur in compositionem, ita est terminus resolutionis.

Elementa quo sensu dicantur simplicia.

Hinc patet non ideo a Peripateticis elementa vocari corpora simplicia, quia non coalescant ex duplici illo principio, materia et forma, quæ omnium constituunt corporum essentiam; sed quia non sunt efformata ex aliis corporibus diversæ speciei, neque in ea per chimicam analysin resolvi possunt. Dantur enim plura corpora, quæ licet tandem materia constent et forma, proxime tamen resultarunt ex substantiali junctione aliorum corporum, in quæ proinde resolvi denuo possunt, soluta connexionis illius, qua tenebantur, compage. Atque hujusmodi corpora, resolubilia in alia secundum speciem diversa, vocabantur ab antiquis *mixta*, et a recentioribus *chimice composita*, ut sæpius notavimus. *In alia*, inquam, *secundum speciem diversa*, quia nullum est corpus, quantumvis simplex, quod dividi nequeat in varias

scilicet in actu, vel in potentia. Si enim generatio vel corruptio corporum fit per congregationem et segregationem, sicut Empedocles et Anaxagoras posuerunt; consequens est, quod elementa sint in acto in mixto; si autem generatio et corruptio corporum est per alterationem, necesse est dicere, quod elementa sunt potentia in mixto. Tertia particula est, quod elementum non dividitur in alia, scilicet diversa secundum speciem. Oportet enim omne corpus divisibile esse, cum quædam corpora dividuntur in diversa secundum speciem, sicut manus in carnem et ossa, ex quibus quædam compaginantur, vel sicut caro resolvitur in aërem, ignem, aquam et terram, per quamdam alterationem; ignis autem et aër, aqua et terra neutro modo resolvuntur in diversa secundum speciem. Quod quidem complet rationem elementi. Quo in exemplo mentem dumtaxat Angelici adverte, non rem ipsam. Veteres enim putarunt id, quod nunc falsum esse constat, aërem, ignem, aquam ac terram esse corpora simplicia, quorum mixtione reliqua omnia efficerentur.

Similem definitionem atque expositionem reperies in lib. 5. *Metaphysicor.* lect. 4 et in opusc. *de Principiis naturæ* circa medium. Cfr. in hanc rem Complutenses, *de Gener. et Corrupt.*, disp. 10, quæst. 1.

partes integrantes, quæ post divisionem erunt totidem corpora ejusdem speciei cum toto.

Actio, per quam ex variis elementis fit mixtum, *mixtio* nominatur. Mixtionis autem, sicut et ipsius mixti, duplex esse potest genus; altera enim propria est, altera impropria. Impropria ea est, vi cujus plura corpora seu plures particulæ secundum quamdam localem aproximationem seu juxtapositionem confunduntur atque accumulantur, ita tamen ut ipsa elementa eo modo conjuncta, substantialiter minime alterentur, sed eamdem retineant essentiam. Hanc appellabant veteres cum Aristotele et Doctore Angelico *compositionem* et etiam *mixtionem ad sensum*, ideo nimirum quia quamquam vera et propria mixtio non sit, talis sensibus apparet. Corpus hac impropria mixtione compositum non est nisi acervus aggregatioque partium diversæ naturæ (1). Hujusmodi esset farina ex granis tritici et hordei simul molitis facta, mixtio vini cum aqua etc. Quid mixtio.

Mixtio proprie dicta describitur a Philosopho celeberrima illa definitione: *Mixtio... est miscibilium alteratorum unio* (2). Quam definitionem ita communiter interpretati sunt Peripatetici, ut idem valeat, ac unio plurium corporum sub una forma substantiali, corruptis singulorum componentium seu miscibilium formis, et remanentibus eorumdem qualitatibus attemperatis (3). Unde corpus proprie mixtum est corpus secundum naturam suam perfecte unum ac divisibile in plura specifice diversa: talis est aqua v. g., acidum sulphuricum, corpus animatum etc.

Ut porro melius hac in re Peripateticorum doctrina cognoscatur, non abs re fuerit conditiones nonnullas recensere, quas illi ad mixtionem requirebant. Conditiones mixtionis.

(1) Vide Arist. cum comment. S. Thom., lib. 1 *de Gener. et Cor.*, lect. 25, 26; lib. 2, lect. 8; S. Thom., lib. 4. *Contr. Gent.*, c. 35; 2.a dist. 17, q. 3, a. 1; dist. 30, q. 2, a. 1, in corp.

(2) Arist. (lib. 1 *de Gen. et Corrupt.*, c. 10, tex. 90). Vide S. Thom. (ib. lect. 25 in fine).

(3) Hanc esse communem explicationem antiquorum perspicere poteritqui, cumque opera ipsorum voluerit evolvere. Vide v. g. Conimbricenses (*de Generat. et corrupt.* lib. 1, cap. 10, quæst. 1), Tolet. (ibid. quæst. 17 seqq.), Rub. (ibid. cap. 10, quæs. 2), Complutens. (ibid. disp. 9, quæst. 3), etc.

prima explicat discrimen mixtionis ab augmentatione:

Prima mixtionis conditio est, ut nullum elementum aut miscibile post mixtionem perseveret in sua substantia inalteratum. Ideo *non dicimus cibum misceri corpori cibato, quia cibus transit in dominans corpus, quod manet secundum formam, sed neutrum miscibilium ita manet, sicut corpus cibatum, scilicet indivisum et specie nullo modo alteratum* (1). Sed plura de hoc diximus in primo capite (2). Differt ergo mixtio ab augmentatione, in qua corpus quod augescit, idem permanet, et solum mutatur illud aliud, quod in ejus substantiam convertitur.

secunda conditio declarat differentiam mixtionis ab alteratione:

Altera conditio est, ut elementa quæ miscentur, talia sint, quæ resoluta mixtione, possint per se separata subsistere. Ideo figura non facit mixtionem cum quantitate, quam terminat, *et universaliter nulla passio et nullus habitus miscetur aliis rebus, sed sunt in eis sicut in subjecto. Et ratio hujus est, quia ambo, scilicet tam accidens, quam subjectum, videntur esse soluta, et non alterata. Similiter nullum accidens miscetur alii accidenti* (3). Atque ita etiam apparet discrimen mixtionis ab alteratione et unione accidentis cum subjecto.

tertia conditio rationem reddit distinctionis inter mixtionem et communem generationem substantialem:

Tertia conditio est, ut corpus ex mixtione resultans neutrum sit ex elementis componentibus, sed tertium aliquid specie ab illis diversum, eorum tamen retinens qualitates in gradu remisso (4). Atque hæc est ratio, cur mixtio, quamquam et ipsa sit quædam generatio, solet tamen sæpe ab Aristotele ac S. Thoma tamquam quiddam a *generatione simplici* distinctum proponi. In hac enim unum corpus in aliud ita transmutatur, ut prius omnino corrumpatur, quin remaneant qualitates illius propriæ; at vero in corpore mixto ita elementa sunt transmutata, ut præter materiam illorum perstent adhuc qualitates et accidentia invicem contemperata: ideoque novum corpus exurgit sua virtute continens elementa. Idcirco *materia... in qua generatur ignis, non dicitur misceri igni, nec etiam formæ ipsius. Similiter non dicimus ignem misceri lignis, cum ardent ea, nec etiam*

(1) S. Thom. *de Gener. et corr.* lib. 1, lect 24.
(2) Art. 4.
(3) S. Thom. *de Gen. et corr.* lib. 1, lect. 24.
(4) S. Th. ib. lect. 25; et lib. 2, lect. 8; *Contr. Gent.* lib. 4, cap. 35.

dicimus, quod materia ignis miscetur particulis ignis, neque ipsi igni, sicut dicimus quod unum miscibile miscetur particulis alterius miscibilis et ipsi miscibili. Sed dicimus materiam ignis, sicut ligna vel aliud, corrumpi, ignem autem generari. Ex quo manifeste potest concludi, quod mixtio non est generatio neque corruptio (1). *Non ergo manent elementa in mixto actu sine aliqua alteratione, sicut corpus album nec ambo nec alterum corrumpuntur omnino, sicut in generatione et corruptione, salvatur enim virtus eorum* (2). Cæterum illa qualitatum elementarium in mixto attemperatio, non ita intelligenda est, ut nulla præ alia omnino prædominetur: sed potest hæc vel illa prævalere, magisque manifestari, intra certos tamen limites, ultra quos jam ipsum mixtum periret, ut alteri corpori locum cederet (3).

quarta conditio.

Ultima conditio quæ potest assignari, est, ut miscibilia sint inter sese mutuo activa et passiva. Secus enim alterare se invicem non poterunt in sua essentia, ut fiat *medium inde commune, quod participat omnium virtutes miscibilium conjunctorum*, quemadmodum loquitur Angelicus (4). Id est, quod in recentiorum operibus intelligendum est sub nomine *affinitatis*.

Extensio et vires corporum.

Denique tum in elementis tum in mixtis agnoscunt Scholastici extensionem vere continuam, viresque et qualitates activas a motu locali diversas.

ARTICULUS II.

Propugnatur Scholasticorum doctrina.

148. Refutatis falsis sententiis, oportet jam veram stabilire: qua in re ita procedemus, ut primum existentiam formæ substantialis ac materiæ vindicemus, tum easdem

(1) S. Th. in lib. 1 *de Gen. et Corr.* lect. 24, paulo post init.
(2) Ib. paulo inferius. Cfr. ib. lect. 25 sub medium, et alibi passim.
(3) S. Thom. ib. lect. 25; Opusc. *de Quatuor oppositis*, cap. 5; item lib. 2. *Gener. et Corr.*, lect. 8. in medio. Vide passim veteres auctores de hac materia tractantes.
(4) S. Thom. in lib. 1 *de Gen. et Corr.* lect. 25; lib 2. lect. 8, etc. Cfr. 1 *contr. Gent.* lb. 2, cap. 56; lib. 4. cap. 35. et alibi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magis declaremus, atque ab adversariorum telis tueamur, ac denique unionem ipsarum in unum compositum substantiale explicemus.

Propositio 1.a **Corpora in facto esse coalescunt ex materia et forma tamquam ex duplici principio substantiali realiter inter se distincto, materia prima et forma substantiali.**

Prob. 1.a Negari nequeunt substantiales corporum transmutationes. Atqui nulla transmutatio substantialis locum habere petest sine subjecto substantiali, quod ab uno in alium statum transeat, et sine substantiali termino, per cujus amissionem aut assecutionem subjectum illud dicitur substantialiter immutari. Ergo corpora duplici constant principio substantiali, altero quod sit subjectum, altero quod sit terminus transmutationum substantialium (1).

Major conceditur ab omnibus, præscindendo a modo explicandi transmutationes substantiales, in quo versatur acerrimum inter Philosophos dissidium. Et re quidem vera quis negare audeat oxygenium et hydrogenium, cum in aquam convertuntur; lignum, cum comburitur; panem, cum fit caro animalis, substantialiter trasmutari? Difficultas ergo tota est in probanda Minori, et potissimum quoad secundam partem.

Probatur Minor per partes. Et primo quidem: *transmutio substantialis necessario postulat subjectum substantiale.* Id patet: α) 1.° Ex sensu communi et quotidiana experientia. Videmus enim, cum corpus aliquod corrumpitur, non totum perire, sed aliquid ex eo remanere: itemque, cum corpus generatur, non totum de novo fieri, sed aliquid ex eo præcessisse. Nimirum id quod de substantia corporis remanet, et id quod de substantia corporis denuo geniti prius extiterat, est materia prima, quæ substantialem illam mutationem subivit (2). β) Si in transmutationibus substantialibus non semper esset subjectum easdem recipiens, corpora cum corrumpuntur, in nihilum redigerentur, et cum gignuntur, crearentur, ut patet. Atqui nullum corpus e nihilo jam creatur, neque abit in nihilum, fatentibus etiam omnibus naturalium scientiarum cultoribus. Et re quidem vera in mutationibus substantialibus, vel remanet aliquid commune novo corpori et priori, quod corrumpitur, vel non. Si non remanet, cur non potest novum corpus haberi nisi ex aliquo alio, quod prius sub alia specie existebat? Cur v. g. aqua nequit obtineri nisi ex oxygenio et hydrogenio, vel ignis nisi ex aliquo corpore, quod cum aëris oxygenio combinetur, vel nutritio et augmentatio sine cibo? Ergo certum esse debet in transmutationibus substantialibus aliquid remanere. Cum autem non remaneat actus ipse specificus corporis corrupti et in aliud transmutati, reliquum est, ut remaneat subjectum, quod prius alio actu informabatur, et nunc in novum actum et speciem transformatum est. Hoc argumentum præclare evolvit Suarez (1). γ) Perseverantia materiæ in transmutationibus ac mixtionibus substantialibus constat etiam ex perseverantia ponderis elementorum in mixto. Sane communis hæc vox ex Chimicorum (2), in

(1) Cfr. S. Th. 1 p. 9. a. 1. *Secundo, omne quod movetur;* et 1.a dist. 8. q. 3. a. 2. *In omni mutabili est invenire aliquid quod substernitur ei, quod per mutationem movetur* ....

(2) Hæc est Angelici Doctoris et Aristotelis argumentatio in lib. 8. *Metaph.* lect. 1. parag. *g. In omni enim mutatione aportet esse*

subjectum commune terminis mutationis in contrariis mutationibus, sicut in mutatione secundum locum est aliquod commune subjectum, quod nunc est hic, et iterum alibi... Cum igitur sit quædam mutatio secundum substantiam, scilicet generatio et corruptio: oportet esse aliquod commune subjectum, quod subjiciatur contrariis mutationibus secundum generationem et corruptionem, et hoc positis terminis, qui sunt forma et privatio, ita scilicet, quod quandoque sit actu per formam, et quandoque sit subjectum privationis illius formæ. Ex hac autem Aristotelis ratione apparet, quod generatio et corruptio substantialis sunt principium veniendi in cognitionem materiæ primæ. Cfr. lect. 4. Vide etiam, si lubet, Origenem (lib. 2 *de Principiis*, c. 1.)

(1) Vide disp. 13 *Metaph.*, sect. 1, n. 5 seqq.

(2) Audiatur pro omnibus J. B. Stallo: «La constance de la masse est attestée par la balance, qui montre que ni la fusion, ni la sublimation, ni la génération, ni la corruption ne peuvent rien ajouter ni retrancher au poids d' un corps soumis à l' expérience. Quand un livre de charbon est brûlé, la balance démontre que cette livre continue d' exister dans l' acide carbonique produit par la combustion, et qu' on peut en retirer le poids original de charbon. La quantité de matière est mesurée par son poids, et ce poids est invariable». Stallo, Op. cit.

combinationibus, quantumvis pereant elementorum proprietates specificæ, pondus tamen corporis chimice compositi æquare summam ponderis ipsorum elementorum, prout fert notissima lex a Lavoisier inventa. Atqui id manifeste demonstrat aliquid remanere, quod prius sub alio specifico actu existebat, nempe materiam. Ergo...

Probatur primi syllogismi Minor quod alteram partem: *transmutatio substantialis concipi nequit absque termino substantiali.* 1.º Id quod corpora, cum corrumpuntur, amittunt, fons erat operationum peculiarium, quas frustra ab illis jam corruptis expectabis; et id quod corpora, cum generantur, acquirunt, est pariter radix novarum diversissimarumque actionum ac proprietatum. Atqui principium operationum proprietatum diversissimarum nequit esse accidentalis quædam entitas, sed substantialis. Ergo terminus *a quo* transmutationis corruptivæ, seu id quod corpus interiens amittit, et terminus *ad quem* transmutationis generativæ, seu id quod corpora in generatione substantiali nanciscuntur, est aliquid substantiale (1).

Minor patet. Etenim α) cum entitas accidentalis substantiam, quam afficit, invariatam in sua essentia relinquat,

chap. 7, pag. 62). Cfr. Balfour Stewart et Tait, *L'Univers invisible... traduit par A. R.* pag. 28. Paris 1883).

Revoca etiam in mentem illa Cookii, quæ superius retulimus et eodem «Tutto ciò che sopra di ciò sappiamo, è che la mutazione dell' acqua nei due gaz (osigene ed idrogene) e quella dei due gaz nell' acqua *non è accompagnata da mutazione veruna di peso; e di qui conchiudiamo che in quel cambiamento si materiale è conservato, o in altri termini, che l'acqua e i gas sono lo stesso materiale sotto differenti forme.* Cooke (*La nuova Chimica*).—Bonilla denique ita scribit: «**Ley de la conservacion de los pesos.** *Los átomos al combinarse para formar las moléculas, no pierden nada de su peso*, de donde se deduce, *que el peso de un compuesto es igual á la suma de los pesos de los elementos que se han unido para formarlo.* Esta ley es una consecuencia de un principio enunciado por algunos filosofos de la antigüedad y recordado por Lavoisier, que dice, refiriéndose á la materia: **En la naturaleza nada se crea y nada se pierde.** Este hecho puede comprobarse por medio de la balanza». (Bonilla, Op. cit., *Leyes de la combinacion*, pag. 26-27).

(1) Vide Arist. et S. Thom., *Physicor.*, lib. 1.º, lect. 12, paragr. *h*; et lect. 13, initio. Cfr. 7.º *Metaph.*, lect. 6.

nequit etiam activitatem ipsius notabiliter immutare, sed leviter dumtaxat alterare. Ergo nullo modo potest esse radix operationum, quæ in alio diversissimo ordine sint constitutæ. β) Atque in idem recidit alia probatio, quæ desumitur ex corporum specifica differentia. Nam id quod corpora, cum intereunt, amittunt, et id quod, cum generantur, de novo acquirunt, substantias corporeas in determinata specie constituit. Atqui nihil accidentale potest substantias in determinata specie constituere. Nam accidens, utpote a substantia distinctum, eam in sua essentia constitutam supponit. Ergo terminus transmutationum substantialium actus quidam substantialis sit, oportet, forma nimirum corpori suam imprimens speciem.

Hoc est præcipuum argumentum, quo veteres Philosophi doctrinam hanc solidissime confirmabant. Ipse etiam S. Augustinus quiescere non potuit, materiæ primæ naturam investigans, donec eum sibi corporeæ substantiæ conceptum efformavit, qui sponte sua efforescit ex substantialium transmutationum consideratione: *Et cessavit mens mea*, inquit, *interrogare hinc spiritum meum plenum imaginibus formatorum corporum, et eas pro arbitrio mutantem atque variantem, et intendi in* ipsa corpora, **eorumque mutabilitatem altius inspexi, qua desinunt esse quod fuerant, et incipiunt esse quod non erant: eumdemque transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nihil.** *Sed nosse cupiebam, non suspicari. Et si totum tibi confiteatur vox et stilus meus, quis legentium capere dubitat? Nec ideo tamen cessabit cor meum dare tibi honorem et canticum laudis de his, quæ dictare non sufficit:* **Mutabilitas enim rerum mutabilium capax ipsa est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles.** *Et hæc quid est? Numquid spiritus? numquid corpus? numquid species animi vel corporis? Si dici possel,* **Nihil aliquid,** *et* **Est non est,** *hoc eam dicerem; et jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles et compositas* (1).

Jam quod materia et forma substantialis realiter distinguantur, certissimum est ex eo, quod materia eadem

(1) S. August. *Confess.*, lib. 12, cap. 6.

permanente, formæ adveniunt ac recedunt. Neque amplius in re manifesta immorari oportet (1).

Prob. 2.° propositio. In corporibus viventibus certe admittenda est compositio ex materia et forma. Ergo idem dicendum est de omnibus omnino corporibus (2).

Antecedens probabitur suo loco in *Psychologia*.

Probatur conseq. α) ex analogia, siquidem eædem rationes plus minus in omnibus militant. Etenim quemadmodum in viventibus corporibus cernitur quædam substantialis ratio, quæ remanet eadem, dum vita durat, et cum postea mors succedit, et altera ratio pariter substantialis, quæ sit actus corpori suam tribuens speciem, et fons atque intima radix activitatis eorum; quemadmodum in viventibus adsunt manifesta signa mutationum substantialium, ita etiam hæc omnia locum habent generatim in omnibus corporibus. β) Difficultates, si quæ premunt substantialem compositionem corporum inorganicorum ex materia et forma, eædem non minus urgent contra eamdem compositionem in viventibus, ac nominatim in homine. Hinc factum est, ut plures scholasticæ doctrinæ osores, tum juniores tum veteres, materialismum profiessi, omnia phænomena vitæ conati sint explicare per vires puræ materiæ varie modificatæ solis mutationibus extrinsecis.

Prob. 3.° Ea sententia reliquis omnibus præferenda est, etiamsi de mera hypothesi sermo foret, quæ omnia sufficienter explicat, atque adeo etiam ea, quorum in aliis sententiis apta reddi ratio nequit. Atqui talis est peripatetica doctrina circa corporum constitutionem.

Nam in ea egregie declaratur α) diversitas specifica corporum elementarium: β) mutationes substantiales, ac generationes novarum naturarum in compositis: γ) discrimen inter composita chimica et mechanica: δ) cohæsio, quæ in vera partium integralium unione reponenda est, atque affinitas variaque activitas, quæ corporibus instar accidentis inhærens per multiplicia phænomena manifestatur. In summa, hæc doctrina non solum amplectitur ea omnia, quæ

(1) Vide S. Th. 7.ª *Metaph.*, lect. 2.
(2) Cfr Suar., disp. *Met.* 15, sect. 1, n. 6.

certa nobis experientia renuntiat, sed etiam maxime consentaneo ac rationali modo experientiam interpretatur, intimas sensibusque impervias phænomenorum causas aptissime assignans.

Confirmatur α) Quia peripatetica sententia non modo procul abest ab omnibus materialismi, occasionalismi ac cæteris, quæ Philosohiam depravant, erroribus, sed etiam arctissime conserta est cum veris doctrinis circa substantialem unitatem humani compositi processumque cognitionum nostrarum, prout suis in locis videndum est. Cum enim homo, sicut reliqua omnia corpora, ex materia coalescat et forma, ex quarum junctione unum per se ac simpliciter conflatur, intelligitur plane, quomodo substantialiter unus sit, et quomodo per impressionem a rebus corporeis acceptam in organis, ope sensibilium specierum, seriem cognitionum a sensibus inchoando ad insensibilia et immaterialia tandem deveniat. Verum de his suo loco.

Confirmatur β) Ex auctoritate SS. Augustini, Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ aliorumque in Ecclesia Catholica sapientissimorum virorum, qui hanc doctrinam unanimi consensu per plura sæcula tenuerunt.

Corpora in *fieri* constant materia, forma et privatione.

COROLLARIUM. *Hinc facile colliges corpora* in *ipso fieri*, in actu ipso generationis, quæ veram realis mutationis rationem habeat, constare tribus principiis, materia forma et privatione hujus formæ in præcedenti momento. Nam ad hoc ut corpus *in ipso fieri per* substantialem mutationem concipiamus, tria requiruntur: α) subjectum, quod a *non esse* transeat *ad esse:* β) non *esse*, seu terminus negativus, *a quo* subjectum transit: γ) et *esse*, seu terminus positivus, *ad quem* transit. Subjectum alio vocabulo appellatur materia; non *esse*, privatio; *esse* vero, confertur a forma. Quia nimirum dum corpus in ipso *fieri* versatur, materia ejus formam, quam non habebat, accipit, ideoque a non *esse* formæ transit ad ejusdem *esse* (1).

(1) Vide Arist. et S. Thom. 1.° *Physicor.* lect. 13, parag. *b*. Cfr. Lossada *Curs. Philos.* t. 2, tract. 1, disp. 1, cap. 3, n. 13, 14, et cap. 4, ubi fuse de hac re: et alii auctores veteres passim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

149. PROPOSITIO. 2.a **Quæcumque docebant Scholastici circa elementa mixtaque corpora, sepositis iis, quæ ad doctrinæ substantiam minime pertinent, nec certis ullis Chimiæ recentioris inventis, nec sanæ rationi contradicunt.**

Prob. Etenim hæc sunt, quæ ad substantiam illius doctrinæ pertinent, existentia corporum quorumdam, quæ possunt, aliorum autem, quæ nequeunt resolvi in alia specifice diversa corpora; specifica distinctio tum elementorum inter se, tum etiam mixtorum ab ipsis; generatio novæ naturæ in mixtis corruptioque naturæ elementorum, remanentibus tamen dispositionibus ac virtutibus, quæ iterum determinent activitatem aliarum causarum ad productionem pristinarum naturarum in resolutione chimica mixti. Atqui primum horum est ipsissima doctrina communis Physicorum de existentia corporum simplicium et compositorum, rite intellecta; reliqua vero probata fuse sunt in primo capite hujus disputationis. Ergo...

Quæ vero a pluribus oggeruntur de numero ac situ proprio quatuor elementorum vulgatorum, terræ videlicet, aquæ, aëris et ignis, de mutua eorum transmutatione, de influxibus cœlorum in mixtorum generatione, de quatuor illis qualitatibus primis humiditatis, siccitatis, caliditatis ac frigiditatis, deque aliis ejusdem, quæ unice videntur in libris Peripateticorum nonnulli legisse; essentialia non sunt, neque objici serio possunt nisi ab iis, qui aut imperitam multitudinem decipere, aut invidiam facere volunt gravissimis causis, quas firmioribus argumentis nequeant oppugnare.

ARTICULUS III.

Quid et qualis sit materia prima.

150. Ostensa existentia materiæ ac formæ, ratio postulat, ut ad earum naturam ac proprietates paulo accuratius enucleandas stilum convertamus.

§ III.—NOTIO MATERIÆ PRIMÆ.

Ac primo quidem non minus candide, quam pulchre, S. Agustinus describit difficultatem, quam expertus fuerat

in materia prima intelligenda, cum in duodecimo libro *confessionum* (1) ita Deum alloquitur: *Ego, Domine, si totum confitear tibi ore meo et calamo meo, quidquid de ista materia docuisti me, cujus autem nomen audiens et non intelligens, narrantibus mihi eis, qui non intelligerent, eam cum speciebus innumeris et variis cogitabam. Fœdas et horribiles formas perturbatis ordinibus volvebat animus, sed formas tamen; et informe appellabam, non quod careret forma, sed quod talem haberet, ut si appareret, insolitum et incongruum aversaretur sensus meus, et conturbaretur infirmitas hominis. Verum autem illud, quod cogitabam, non privatione omnis formæ, sed comparatione formosiorum erat informe; et suadebat vera ratio, ut omnis formæ qualescumque reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare, et non poteram; citius enim non esse censebam, quod omni forma privaretur, quam cogitabam quiddam inter formatum et nihil, nec formatum nec nihil informe, prope nihil.* Eam tamen difficultatem vicit S. Doctor, divino illustratus lumine, ut ipsemet fatetur tum hic, tum etiam in ejusdem libri capite tertio. Ideoque gratias Deo agit de hoc beneficio verbis iis, quæ in præcedenti articulo exscripsimus.

Majorum ergo vestigia prementes, triplicem juvat materiæ primæ exponere descriptionem: α) primam per analogiam: β) negativam alteram: γ) tertiam positivam.

Prima descriptio materiæ.

α) Per analogiam possumus declarare materiam primam, dicentes eam se habere respectu formæ substantialis, sicut se habet artefactorum materia respectu formæ artificialis, v. g. marmor respectu statuæ. Hanc descriptionem reperies apud Philosophum in libro primo *Physicorum*, quem sic explicat S. Thomas: *Natura, quæ primo subjicitur mutationi, id est materia prima, non potest sciri per per seipsam, cum omne quod cognoscitur, cognoscatur per suam formam, materia autem prima consideratur subjecta omni formæ; sed scitur secundum analogiam, id est, secundum proportionem. Sic enim cognoscimus, quod lignum est aliquid præter formam scamni et lecti, quia quandoque est sub una forma, quandoque sub alia. Cum igitur videamus hoc, quod est aër, quandoque fieri aquam, oportet*

(1) Cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicere, quod aliquid existens sub forma aëris, quandoque sit sub forma aquæ; et sic illud quod est aliquid præter formam aquæ et præter formam aëris, se habet ad ipsas substantias naturales, sicut se habet æs ad statuam, et lignum ad lectum, et quodlibet materiale et informe ad formam: et hoc dicimus esse materiam primam (1).

alteræ materiæ descriptio.

3) Negativa descriptio explicat, quid non sit materia prima: nimirum, ut loquamur cum Aristotele, materia *secundum se ipsam neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud eorum dicitur, quibus ens determinatur* (2). «Non est *quid*, inquit P. Lossada (3) id est non est ens completum seu compositum substantiale, quod solum Aristotelica locutione

(1) S. Thom. in 1.um lib. *Physic.* lect. 13. Neque aliter in 7. *Metaphysicor.*, lect. 2.

(2) Λέγω δὲ ὕλην, ἣ καθ' αὑτὴν μήτε τι, μήτε ποσόν, μήτε ἄλλο μηδὲν λέγεται, οἷς ὡρίσται τὸ ὄν. Arist. (*Metaphys.* lib. 7. cap. 3. text. comm. 8). Vide S. Thom. (ibid. lect. 2, paragr. e.) De qua definitione sic scribit Laurentius Moshemius in suis notis ad Cudworthi *Systema intellectuale*, cap. 5, sect. 2, n. XXVII. «Non me præterit, quantis hæc descriptio rixis et altercationibus inter ipsos Stagiritæ sectatores, quantis apud eos clamoribus et cavillationibus, quibus philosophandi ejus ratio displicuit, locum et occasionem præbuerit. Vide ex multis Dan. Georg. Morhofii *Polyhist.* tom. 2, p. 1, c. 12, p. 226. Ego vero utrosque putem quiescere potuisse. Nihil dixit Aristoteles præter id, quod multi ante eum alii eximii viri præceperant, quodque a magistro suo Platone traditum acceperat, materiam extra corpora et in se spectatam omnibus illis carere affectionibus et proprietatibus». Et paulo inferius. «Cum superiori sæculo, inquit, peripatetica de natura philosophandi forma e scholis nostris ejiceretur, et in ejus locum corpuscula et leges mechanicæ sufficerentur, dogma hoc præ cæteris explosum et summæ dementiæ postulatum fuit. Materiæ Peripateticorum et Platonicorum, summi viri dicebant, incomprehensum est nescio quid, caret ea forma, caret quantitate, caret qualitate, a corpore plane divulsa est, nec tamen spiritus est. Quid ergo est? Ego vero mihi prope persuadeo, qui tum acriter in hoc dogma invecti sunt, viri cæteroquin meis laudibus superiores, verba potius et vocabula, quibus illud exponi solet, spectasse, quam rem ipsam... Non putem hoc dogma tam absurdum et ineptum esse, ut aures statim sapienti ad auditum ejus occludendæ sint, modo vocabula seponat, quibus id exponi solet, et inanes quæstiunculas, quas homines quidam justo acutiores cum eo conjunxerunt, a summa rei sejungat».

(3) *Curs. Philos.* tom. 2. tract. 1, disp. 2, cap. 2, n. 2.

dicitur absolute *quid*, et *hoc aliquid* (1). Non est *quantum*, id est, non est quantitas; solet enim Aristoteles, cum de accidentibus loquitur, concreta sumere pro abstractis. Non est *aliquid eorum* etc., id est ullum ens eorum, quæ in decem prædicamentis numerantur, quia neque est ullum accidens nec substantia prædicamentalis, cum nonnisi substantia completa directe pertineat ad prædicamentum substantiæ. Vel potius illa verba sic intellige, ut materia non sit ulla forma substantialis vel accidentalis, nam formæ istæ sunt, quibus ens determinatur ad hanc vel illam speciem physicam. Denique non est negationes, aut privationes istorum entium, quia est entitas positiva» (2).

Hoc eodem sensu quoad rem ipsam locutos fuisse plures antiquos Philosophos, Stagirita tum seniores tum juniores, narrat eruditissimus vir Laurentius Moshemius (3). Sed reliquis omissis unus loquatur Magnus Augustinus: *Nonne tu Domine, docuisti hanc animam, quæ tibi confiletur? Nonne tu, Domine, docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat* **aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus? Non tamen omnino nihil. Erat quædam informitas sine ulla specie** (4) Et alibi. *Mutabilitas rerum mutabilium, ipsa capax est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est?* **Numquid spiritus? numquid corpus? numquid species animi vel corporis?** *Si dici posset* **Nihil aliquid**, *et* **Est non est**, *hoc eam dicerem...*» (5).

(1) *Hoc aliquid dicitur proprie individuum in genere substantiæ* S. Th. Qq. dispat., quæs. de *Anim.*, art. 1, *Dicitur... hoc aliquid, id est aliquid demonstratum, quod est completum in esse et specie; et hoc convenit soli substantiæ compositæ in rebus materialibus.* S. Th. lib. 2 de *Anima*, lect. 1, paragr. *b.* Vide *Ontolog.* n. 280, pag. 815.

(2) Cfr. S. Thom. lib. 7. *Metaphysicor.* lect. 2, paragr. *e.*

(3) Loc. sup. cit.

(4) Lib. 12. *Confession.* c. 3. Quibus relatis verbis: «Tantæ sunt opinionum humanarum vicissitudines! inquit idem Moshemius [loc. cit.]. Quod Augustinus non dubitat *divinum* appellare dogma, quod nullum capere posse tradit, nisi Dei clementia illuminetur, et erudiatur, quod in maximis denique ponit beneficiis a Deo acceptis, ad recentiori memoria insulsum, ineptum, stultum, fanaticum, a ratione omni aversum vocatum est.»

(5) Lib. 12. *Confess.* cap. 6. Ejusdem S. Doctoris est hæc alia sententia. «*Sed hylen dico quamdam penitus informem et sine*

Certia descriptio materiæ primæ.

7) Positiva demum materiei descriptio continetur illis Philosophi verbis: *Dico materiam primam subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens; et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum* (1). «Dicitur autem *subjectum uniuscujusque*, quia in qualibet substantia subjicitur formæ, cum qua constituit totum per se, et accidentibus, cum quibus constituit totum per accidens.» Dicitur *primum*, ut distinguatur a materia secunda. Dicitur *ex quo fit aliquid cum insit*, hoc est, ex quo inexistente, seu ex quo tamquam ex principio intrinseco quodlibet corpus componitur. Dicitur *et non secundum accidens*, quia totum fit ex subjecto per se, et tamquam ex parte substantiali totius. Denique additur *et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum*, quia quælibet substantia, quæ corrumpitur, resolvitur in materiam primam, omni corruptioni superstitem, adeoque retinentem in generatione rei, quæ fit, rationem subjecti (2). Materia porro intelligitur subjectum, non inhæsionis, sicut substantia est subjectum accidentium, sed sustentationis vel informationis, quod jam in *Ontologia* descriptum reliquimus (3).

Definitio materiæ primæ.

Quæ cum ita sint, definiri poterit materia prima: «*substantia incompleta (sive partialis) apta constituere corpus naturale* (nempe totum substantiale corporeum) *cum alia substantia incompleta, tamquam primum subjectum*. Hæc ultima verba explicant differentiam materiæ primæ a forma substantiali; cetera discernunt ipsam ab omni accidenti, privatione et composito» (4). Materia est *substantia*, quia revera est realitas non indigens alio tamquam subjecto, cui inhæreat, et

qualitate materiam, *unde istæ, quas sentimus, qualitates formantur, ut antiqui dixerunt. Hinc etiam et sylva græce* ὑλη *dicitur, quod operantibus apta sit, non ut aliquid ipsa faciat, sed unde aliquid fiat. Nec ista ergo* hyle *malum dicenda est, quæ non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei privationem cogitari vix potest...* « Lib. *de Natura boni contr. Manichæos*, cap. 18. Adde, si libet, lib. 12 *Confession.* c. 5.

(1) In 1.m *Physicor.* cap. 9, text. 82. Egregium hujus descriptionis commentarium reperies apud P. Alamanni, *Summa totius Philosophiæ... Prima secundæ*, quæst. 7, art. 14.

(2) P. Semery, *Trienn. philos.* tom. 2 disp. 2, q. 1, art. 3.

(3) Vide num. 275, pag. 798, 799.

(4) Lossada, *Curs. Philos.*, secund. part., tr. 1, disp. 2, cap. 2, n. 5.

constituens primum *esse* ac substantiale entis completi: idque sæpius docet S. Thomas (1) cum Aristotele. Est incompleta, quia ut constat ex probationibus, unde illius existentiam ostendimus, ipsa sola non constituit corpus, sed simul cum alio actu specifico, qui in substantiali mutatione perit, adveniente novo actu vel forma, cum qua materia novum constituit corpus: quare materia ex se incompleta substantia est, atque adeo natura sua ordinatur ad constituendum corpus simul cum forma (2); est denique *primum subjectum*, quia est sustentaculum mutationum omnium, et si quod aliud subjectum prius haberet, jam non esset materia prima.

Materia dicitur pura potentia.

Ex conditione subjecti, quæ competit materiæ primæ sequitur eamdem esse *puram potentiam*, quemadmodum communiter tenet Peripateticorum schola. Quod celeberrimum dogma ut intelligas, certaque ab incertis et valde controversis secernas, nota triplicem esse posse potentiam et triplicem pariter actum, qui potentiæ opponitur relative. Alia enim est potentia *activa*, seu facultas et vis agendi, alia potentia *passiva*, seu *physica*, seu *subjectiva*, seu etiam *receptiva*, quæ est capacitas in se recipiendi aliquem actum et formam realem physicam; tertia tandem est potentia *logica* vel *objectiva*, quæ nihil est aliud, quam mera non repugnantia ad existendum. Ita ignis habet potentiam activam ad comburendum,

(1) Vide Arist., (*Metaph.* lib. 7, c. 3, 10, 13; lib. 8, cap. 2; 2.o *de Anima*, c. 1, text.). S. Thom. (in lib. 7.um *Metaphys.*, lect. 2, lect. 9, lect. 13; in lib. 8, lect. 2; *de Anima*, lib. 2, lect. 1). Bene tamen observant auctores rationem substantiæ diversimode convenire composito ac substantiæ completæ et substantiis incompletis, ut colligitur etiam ex citatis locis. Unde dicitur etiam in prædicamento substantiæ solam completam substantiam reponi *directe*, substantias vero incompletas, materiam et formam, solummodo *indirecte*. Cfr. S. Thomas, (quæst. *de Anima*, a. 1, in corp. initio, et art. 12, paulo post initium). Itaque si nomen substantiæ sumatur latissime ac trascendentaliter pro omni entitate non accidentali, procul dubio materia substantia est, secus vero si pressius accipiatur pro ea realitate completa, quæ in prædicamento substantiæ directe constituitur. Et sic poteris etiam formulas loquendi in speciem oppositas conciliare. Cfr. *Ontolog.*, n. 277, pag. 804, 805; et n. 278, pag. 810 seqq.

(2) Vide Suar., disp. *Metaph.* 13, sect. 3, a. n. 8, ubi fuse et egregie ostenditur, materiam non esse substantiam aliquam integram et completam in essentia et specie substantiæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

paries potentiam physicam recipiendi albedinem, et homo, antequam existat habet objectivam potentiam ad existendum. Actus respondens potentiæ activæ est operatio; potentiæ physicæ, forma sive substantialis sive accidentalis; potentiæ demum logicæ, actus qui a pluribus vocatur *entitativus* et *metaphysicus*, nimirum actualis essentia et existentia, sive re inter sese distinguantur, sive non. Porro ejusmodi potentia tunc pura dicetur, cum nullum habeat admixtum sive actum relative oppositum.

In quo sensu id verum habeat.

Formula ergo illa, qua materia dicitur *pura potentia*, non est intelligenda, ut patet, de potentia activa. Neque etiam puto ullam esse controversiam de potentia physica seu receptiva, quam diximus relative opponi actui physico informativo. In hoc sensu materia est *pura potentia*, neque enim est actus ordinatus ad informandum aliquod subjectum, cum ipsa sit primum subjectum, neque est potentia admixta ejusmodi physico actui, seu compositum ex actu et potentia; si enim subjectum substantialium mutationum constaret et ipsum ex actu et potentia, non totum ejusmodi compositum, sed sola potentia vel sujectum ejus foret materia prima. Materiam itaque hic consideramus præcisam ab omni actu vel forma: sic autem est vere primum subjectum, nec continet in se actum vel formam, sed est fundamentum et sustentaculum omnis formæ. Audiatur Angelicus: *Id communiter materia prima nominatur, quod est in genere substantiæ, ut potentia quædam intellecta præter omnem speciem et formam et etiam præter privationem, quæ tamen est susceptiva et formarum et privationum, ut patet per Augustinum lib. 12.* Confess. et 1.° super Gens. ad litt. *c. 14* (1). Itaque materia est *pura potentia* physica seu subjectiva, id est, non est actus quidam ad aliud actuandum destinatus, neque est compositum ex actu aliquo physico seu forma et alia priori materia; sed est entitas essentialiter incompleta et ordinata ad recipiendum actum formæ substantialis, a quo compleatur in ipso *esse* substantiali: aliis verbis materia nec est forma aliqua physica, nec formam in sua entitate includit, sed est realitas formæ receptiva.

(1) S. Thom. quæst. *de spirit. creat.*, art. 1.

Materia non est aliquid pure possibile.

Præterea manifestum est etiam, materiam non esse puram potentiam, quatenus eo nomine significetur, materiam esse aliquid *mere possibile mereque non repugnans*, cum sit verum principium entis realis in *facto esse*. Unde non est *omnino nihil*, quamvis revera sit *prope nihil, nihil aliquid, informitas sine specie, Est non Est*, quemadmodum loquitur S. Augustinus (1), ac Doctor Angelicus tribuit illi aliquod *esse debile* ac proprium potentialitatis, ex quo *similitudinem quamdam retinet divini esse, et potest secundum se ac separatim considerari* (2). Unde *materia est prope rem, et est aliqualiter, quia est in potentia ad rem, et est aliqualiter substantia rei, quia intrat in compositionem subtantiæ* (3).

Aet. caret sua qualicumque entitate et essentia.

Certum pariter esse debet materiam ex sese *formaliter* (4) habere hanc qualemcumque debilem entitatem. Quidquid enim non est pura chimæra, entitas aliqua est, sive completa sive incompleta, essentiamque aliquam habeat, oportet. Profecto materia non habet per actum formæ hoc, quod sit materia, quod sit subjectum et potentia physica, formæ substantialis receptiva. Nec a forma tribuitur materiæ illud *esse debile* nihilo valde proximum, illam *informitatem sine specie*, quæ tamen sit *aliqualis imitatio divini esse*, sed tribuitur dumtaxat *esse* corporis, *esse* completum. Eo vel magis quod si materia seipsa formaliter non esset utcumque aliqua entitas, totamque suam realitatem acciperet per actum formæ, non esset in composito major perfectio, quam solius formæ, formaque esset tota compositi quidditas, nec intelligi posset, quomodo corpus resultaret ex duobus principiis physicis realiter inter se distinctis (5).

(1) Lib. 12. *Confess.* c. 3. 6.

(2) Vide S. Thom. 1 p. q. 14. art. 11 ad 3.um; *de Verit.* quæst. 3, art. 5, ad 1.um, ad 3.um, et in fin. corp.; 2.° *Contr. Gent.* c. 16, in fin., *Item materia prima*, etc.

(3) S. Thom. 1.° *Physicor.* lect. 15, paragr. 6., cum Aristotele ibid.

(4) *Formaliter*, inquam, non *efficienter*, nam in genere causæ efficientis habet a Deo suam illam qualemcumque entitatem, ut planum est.

(5) Cfr. Suarez (disp. *Metaph.* 13, sect. 4, n. 2-6, et n. 8-13), Casm. Alamanni (*Summa Philos., Prima Secundæ*, quæs 7, art. 2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nec te moveat, quod Doctor Angelicus videatur quandoque negare materiæ essentiam, ut cum in Opusculo *de Ente et essentia*, capite secundo scribit: *Quod materia sola non sit essentia, planum est...* Quibus similia sunt hæc verba: *sed materia dicitur, quod habet esse ex eo, quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, immo nullum esse habet, ut dicit Commentator* (1). Hæc enim eo sensu intelligi nequeunt, ut materiæ omnem entitatem qualemcumque denegent, quemadmodum patet ex dictis. Cum potissimum S. Doctor simili modo loquatur de ipsa forma: *Neque etiam forma tantum substantiæ compositæ essentia dici potest, quamvis quidam hoc asserere conentur* (2); et alioquin sæpissime scribit formas materiales non esse, sed per eas compositum (3). Sensus ergo Angelici est, non quod nec materia nec forma habeant aliqualem essentiam, sed quod non habeant completam, et quod ad unam completam essentiam constituendam natura sua ordinentur, ut expresse loquitur in eodem opusculo *de Ente et Essentia* (4).

Utrum materiæ prima habeat actum entitativum.

Non est autem æque certum, utrum materia pariter habeat ex se *formaliter* existentiam sibi propriam, an vero eamdem accipiat per actum distinctum ac sibi superadditum, nimirum per existentiam formæ. Quæ causa est, cur Auctores, cum quæritur, num materia sit quoque pura potentia in eo sensu, ut nullum habeat ex sese formaliter actum etiam entitativum ac metaphysicum, in diversas abeant sententias. Quamquam crediderim controversiam hanc partim esse de voce, partim de re, prout sermo sit vel de illa qualicumque entitate essentiæ non *pure possibilis*, qua gaudet materia, vel de ipso actu existentiæ. De voce solummodo litigatur, si quæritur, utrum materia ob actualem essentiam, quam habet distinctam a forma, dici possit esse

(1) Opusc. *de Principiis naturæ*, paulo post init.

(2) De *Ente et essent.* cap. 2. Cfr. *de Potent.* quæst. 3, art. 11, ad 11.um

(3) Vide v. g. *Metaph.* lib. 7, lect. 7 et 8; lib. 12, lect. 3; *de Potent* quæst. 3, art. 8; 1 p., quæst. 65, art. 4; *de Sensu et sensat.*, lect. 10; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 34, et alibi.

(4) Cap. 1. Cfr. etiam *de Verit.*, quæst. 3, art. 5, *Ad primum quod in contrarium*, in fin.

aliqua actualitas entitativa, vel habere aliquem actum entitativum, ideoque in eo sensu non sit pura potentia. Itaque inter eos, qui materiam primam independenter a formæ influxu et causalitate existimant esse aliquid *reale* et physicum non vero purum nihil aut ens mere possibile; nullum de re videtur dissidium debere intercedere, quod attinet *actum entitativum* actualis essentiæ. De re vero litigatur, si quæritur, utrum materia suam quoque propriam existentiam habeat, an existat per actum existentiæ formæ. Plures enim censent materiam ex se nullam habere existentiam, sed existere in composito per ipsam existentiam formæ, ita ut licet in composito sit duplex essentia seu quidditas partialis, altera materiæ et altera formæ, existentia tamen sit unica et simplex, quæ a forma dimanans, totum compositum existere faciat, materiamque simul et formam reddat existentes, quemadmodum refert Lossada (1). Hæc est communis opinio Thomistarum (2) cum Cajetano (3), Ferrariensi (4), Soncinate (5), et Capreolo (6) quibus adstipulatur e nostra Societate P. Sylvester Mauri (7), et quidam graves scriptores hodierni. Alii nec numero nec auctoritate minores contendunt materiam non existere per ipsam existentiam formæ sibi communicatam, sed per propriam ac peculiarem partialem existentiam, quamvis eam non habeat nisi dependenter a forma, ut explicat Eximius Doctor (8). Ita docent communiter Scotistæ (9), et Nostri etiam cum Molina, Vazquez, Valentia,

(1) Op. cit. tom. 2, disp. 2, cap. 3, n. 37.

(2) Vide Complutens (*Physic.* disp. 3, quæst. 2), Joann. a S. Thoma (*Physic.* quæst. 3, art. 2), Goudin (*Pysic.* disp. 1, quæst. 2, art. 2), Massium (*Physicor.* cap. 9, sect. 2, quæst. 6), Joann. Martinez de Prado (*Quæstiones Philosophiæ naturalis*, lib. 1, *Physicor.*, quæst. 7), Salvatorem Mariam Roselli (*Summa philos.* tom. 2, quæst. 3, art. 12).

(3) In opusc. *de Ente essent.* cap. 5, quæst. 8.

(4) In lib. 1.us *Cont. Gent.* cap. 4, et 1.º *Pysicor.* quæst. 1.

(5) *Metaph.* lib. 7 quæst 17; lib. 8, quæst. 1.

(6) In 2.º dist. 13, quæst. 1.

(7) *Quæst. philos.* tom. 2, quæst. 7.

(8) Disp. *Metaph.* 13, sect. 4, n. 13.

(9) Vide Mastrium (*Physic.* disp. 2, quæst. 2, art. 2), Pontium (*Pysic.* disp. 1, quæst. 3, 4, 5), Frassen (*Pysic.* sect. 1, quæst. 1, et 2), etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Suarez (1) Fonseca (2) Toleto (3), quos reliqui fere antiqui sequuntur uno agmine (4).

Sententia Auctoris.

Quæ sententia mihi quoque probabilior videtur, nec multis probanda est, supposita, quam in *Ontologia* ostendimus, reali identitate actualis essentiæ et existentiæ. Sane materia sua gaudet aliquali essentia contradistincta ab essentia formæ. Atqui essentia quævis physica secum identificat existentiam. Ergo materia suam habet existentiam peculiarem ac propriam, non vero existit per ipsam formæ existentiam sibi communicatam. Verum sicut essentia materiæ completa non est, ita nec existentia; et sicut essentia materiæ substantialiter unita essentiæ formæ constituit essentiam completam corporis, ita etiam existentia corporis non est sola existentia

(1) Disp. *Metaph.* 7, sect. 4, 5.
(2) *Metaph.* lib. 8, cap. 1, quæst. 1.
(3) Cardin. Franciscus Toletus *(Physicor.* lib. 1, quæst. 12).
(4) Vide Ant. Rubium *(Commentar.* in 8 lib. Arist. *de Physico Auditu*, lib. 1, p. 1, tr. 3), Conimbricenses (Op. cit. *de Physico Auditu*, cap. 9, quæst. 6, art. 2 et 3), Cosmum Alamanni (loc. cit., *Prima secundæ*, quæst. 3, art. 2), Franciscum Soarez Lusitanum *(Curs. Philosoph.* t. 2, tract. 1, disp. 2, sect. 2), Franciscum Ignatium Peynado *(Disputationes in 8 libros Physicor.*, libr. 1, disp. 2, sect. 3), Bartholomæum Amicum *(In Aristot.* lib. *de Physico Auditu*, tract. 5, q. 4, dub. 3), Petrum Hurtado *(Commentar. in univer. Philosoph. Physic.*, disp. 2, sect. 6), Benedictum Pererium (Op. cit., lib. 5, cap. 12), Franciscum Alphonsum *(In libros Physicor.* disp. 2, sect. 6), Rodericum Arriaga *(Cursus Philos. Physic.*, disp. 2, sect. 3, subsect. 3), Franciscum Oviedo *(Cursus Philos., Physic.*, controversia 2, punct. 5), Thomam Compton Carleton *(Philosophia universa, Physica*, disp. 9, sect. 1), Richardum Lyncæum *(Universa Philos. Scholast.*, t. 2, *Physic.* tract. 2, cap. 3), Balthasarem Tellez *(Summa Philosophiæ*, pars 2, disp. 22, sect. 2), Joannem Bapt. de Benedictis *(Physic.*, lib. 1, q. 2, c. 2), Georgium Rhodes *(Cursus Philos.* lib. 2, disp. 1, sect. 2, paragr. 4), Gabrielem Beati *(Natura in arctum coacta, seu Quadripartitum universæ Philosoph. Compendium*, t. 2), Joannem de Ulloa *(Physica Speculativa*, disp. 1 cap. 4, n. 101, seqq.), Antonium Bernardum Quiros *(Cursus Philosoph. integer Physic.*, tract. 3, disp. 40, sect. 4 et 5), Antonium Cordeyro *(Cursus Philos. Conimbricensis, Physica*, part. 2, tr. 1, disp. 3, q. 1), Andream Semery (Op. cit., t. 2, disp. 2, q. 3), Ludovicum Lossada (Op. cit., *Physic.*, tract. 1, disp. 2, c. 3), Antonium Mayr *Philos. Peripat.* Parte 2.ª). Ete recentioribus cl. P. Peach *(Philosoph. natur.* n. 220), et alii.

formæ, sed coalescit ex partialibus existentiis formæ ac materiæ invicem unitis.

Cæterum, quia materia adeo est infirmæ imperfectæque entitatis, ut saltem naturaliter esse nequeat in rerum natura, nisi actuata per formam, recte dicitur materia eam ipsam partialem existentiam sibi propriam non habere nisi dependenter a forma; sicut ipsam entitatem suam non habet, nisi quodammodo dependenter a forma, quia nempe neque essentiam neque existentiam suam potest naturaliter retinere, nisi conjunctam essentiæ atque existentiæ formæ (1). Quamvis ergo materia prima sit pura potentia, quatenus potentia opponitur actui physico informativo; non est autem pura potentia, quatenus potentia excludit entitatem actualem physicam et realem contradistinctam a potentia objectiva; siquidem materia ut possit facere veram cum forma substantiali compositionem, oportet, ut sit in se ipsa aliquid non pure possibile, sed reale atque adeo existens existentia partiali, suæ imperfectissimæ entitati consentanea. Ideoque tota ejus actualis realitas in eo consistit, quod sit physica potentia receptiva vel informabilis. Et hactenus de hac quæstione, quæ fere præjudicata et soluta manebat ex dictis in *Ontologia* circa distinctionem essentiæ ab existentia (2).

151. **Objic. 1.°** Per existentiam fit quodvis ens in actu. Ergo si materia suam habet existentiam ab existentia formæ distinctam, materia et forma erunt duo entia in actu. Atqui ex duobus vel pluribus entibus in actu non potest unum per se ens existere. Ergo secundum nostram sententiam nullum corpus erit re vera ens per se unum.

Resp. *dist.* antec. Per existentiam fit quodvis ens in actu, sive completo sive incompleto, *conc.*, in actu completo; *subdist.*, per existentiam completam, *conc.*; per existentiam partialem, *neg.*

Neg. conseq.; tum quia materia, cum non habeat nisi partialem existentiam, nequit dici ens simpliciter in actu;

(1) Vide Suar., disp. *Metaph.* 13, sect. 4. Cfr. *Ontolog.* nostra, num. 412, pag. 1171, et n. 256, pag. 743, 744.
(2) Plura dabunt Suarez, Lossada cæterique auctores nuper citati. Et recole, quæ in *Ontologia* scripta sunt n. 412, pag. 1170 seqq.

tum quia materia et forma sunt substantialiter unitæ, nec possunt aliter esse saltem naturaliter, ac proinde nullatenus sunt, nec dici queunt duo entia in actu, sed unum simpliciter ens.

Contradist. Minor. subsumpt. Ex duobus entibus in actu completis quoad *esse* et speciem, *conc.*; ex duobus, quæ completa non sunt quoad *esse* et speciem, sed uniuntur, et ordinantur ad completum *esse* completamque speciem constituendam, *neg.* (1). Undenam enim id probas? Cur quemadmodum entitates materiæ et formæ sunt incompletæ, ac natura sua ordinantur ad unam essentiam et speciem conflandam; ita etiam existentiæ utriusque partiales et incompletæ non possunt unam compositam existentiam totius corporis efficere? An dices id ex eo vetari, quod existentian sit ultima rei actualitas in linea entis, atque adeo materia nequeat suam habere existentiam formæ, nisi eo ipso desinat esse potentia receptiva alterius actus? Verum quomodo existentia dici possit, vel non, ultima rei actualitas in linea entis, explicatum manet in Ontologia (2).

Objic. 2.° Si materia non est pura potentia, vel erit actus quidam, vel composita ex potentia et actu, eoque substantiali. Si primum, non poterit esse potentia substantialis. Sin alterum, erit ens simpliciter et completa substantia, nec proinde forma indigebit ad existendum in rerum natura.

Resp. *neg.* Majorem quoad utrumque membrum. Nam cum materia secum identificet partialem existentiam, re vera non componitur ex potentia et actu, nisi solum secundum mentis considerationem: ac proinde est quidem realitas quædam actualis, seu non pure logica vel objectiva, non autem constat proprie actu et potentia, nec dici potest habere actum nisi entitativum et metaphysicum, non autem physicum.

Instabis 1.° Nihil potest esse actuale, nisi per actum. Ergo si materia est actualis realitas, vel est actus, vel actu constat.

Resp. *dist.* antec. Nihil potest esse actuale, nisi per actum re vel ratione sola distintum, *conc.*; re distinctum, *subdist.*

(1) Cfr. *Ontolog.*, n. 231, pag. 641, 652; n. 285, pag. 826 seqq.
(2) Num. 252, pag. 716.

Nihil potest esse actuale, si actuale sumatur per oppositionem ad pure possibile, quatenus sensus sit nihil posse esse in rerum natura et extra statum puræ possibilitatis, nisi per actum re distinctum, *neg.*; aliter, *trans.*

Instabis 2.° Materia etiamsi dicatur actu gaudere solum entitativo ac metaphysico, si habeat existentiam constituitur per illum ens simpliciter ac substantia actualis: id enim proprium est actus entitativi. Atqui repugnat materiam esse ens simpliciter et actualem substantiam: secus enim materia per se ipsam esset ens completum, nec indigeret proinde forma substantiali distincta, vel certe per adventum formæ non generaretur ens simpliciter, sed tantum ens secundum quid; quandoquidem quidquid advenit enti in actu completo constituto, accidens est, nec potest cum illo ens simpliciter efficere.—**Resp.** *neg.* Major., semper enim adversarii chorda oberrant eadem. Si enim entitas physica, quæ ab omnibus necessario concedenda est materiæ, ne sit aliquid pure possibile, non officit quod compleatur substantialiter per formam, et fiat unum simpliciter cum illa; cur non potest idem dici, quamvis entitas illa physica materiæ ponatur identificata cum sua existentia? Nam munus existentiæ non est, fatentibus omnibus, ipsam entitatem rei complere substantialiter; secus enim non distingueretur actus existentiæ ab actu formæ. Sed munus existentiæ est tantum entitatem actuare seu actualem facere, vel extra statum puræ possibilitatis extrahere: quare ipsam rei entitatem intactam, ut ita dicam, relinquit, nempe incompletam, si ex seipsa sit incompleta, ut est materia prima (1). Donec ergo probent adversarii actum existentiæ eumdem effectum formalem habere ac formam ipsam, complendo nempe substantialiter materiam, jus nobis est negandi materiam per actum metaphysicum vel entitativum, qui eidem concedatur, reapse constitui ens simpliciter vel actualem substantiam completam. Fatemur enim sincere contrarium principium, quod obtruditur, nobis evidens non esse, nec verum videri, nec posse proinde admitti, donec probetur.

(1) Vide *Ontologiam*, num. 19, pag. 58.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Objic. 3.° Plura nequeunt unum simpliciter facere, nisi participent aliquid ipsis commune, quod sit unum per identitatem; si enim nihil habeant commune, sed singula sint singulis propria, non dabitur unitas, sed pluralitas. Ergo materia et forma, ut unum per se facere possint, debent habere communem actum existentiæ, ac proinde materia non habet suam partialem existentiam distinctam ab existentia formæ.

Resp. *neg. conseq.* Unum enim illud commune, per quod materia et forma faciunt unum, est unio vel nexus, qui debet esse mutuus et communis partibus in unum copulatis. Secus objectio retorqueri potest in adversarios ipsos eadem vi: nam certum est materiam et formam efficere unam essentiam, eamque ex Thomistarum sententia pro priori ad existentiam. Quæro ergo quid sit illud commune, per quod materia et forma antecedenter ad existentiam faciunt unam essentiam, nisi unio vel nexus substantialis? Plura videri possunt apud laudatos Auctores; sed his, puto, præoccupata manent præcipua adversariorum argumenta (1).

§ II.—PROPRIETATES MATERIÆ PRIMÆ.

Proprietates materiæ: est ingenerabilis et incorruptibilis,

152. 1.° **Materia dicitur ingenerabilis et incorruptibilis**: ingenerabilis, quia non potest produci per generationem, quæ est productio ex præsuppositio subjecto, sed solum per creationem: incorruptibilis autem, quia destrui nequit corruptione proprie dicta, quæ est desitio rei, permanente subjecto; sed solum per annihilationem (2).

simplex,

2.° **Materia prima est simplex**, id est non composita *secundum essentiam*; non est autem simplex, quatenus excludat partes integrantes, quemadmodum patebit ex dicendis circa quantitatem,

principium passivum,

3.° **Materia prima est principium passivum**; non enim est fons activitatis, quæ tota formæ tribuitur. Etenim cum activitas corporum varia sit pro varietate ipsorum specifica,

(1) Vide Suar. (disp. *Metaph.* 13, sect. 5), Lossada (*Physic.* tract. 1 disp. 2, cap. 4 seqq.), aliosque.

(2) Vide Arist. *Physicor.* lib. 1, text. 82.; et S. Th. ib. lect. 15; 1 p. quæst. 46. a. 1, ad 3.um

illi principio tribuenda est, a quo diversitas specierum proficiscitur, nimirum formæ substantiali. Aliunde vero materiæ apprime competit ratio passivi principii ex propria conditione primi subjecti.

radix quantitatis,

4.° **Materia prima est radix quantitatis.** Nam cum materia et quantitas «inseparabiliter sese comitentur,» ita ut quidquid constet ex materia, quantitatem etiam habeat, et vicissim; «necesse est, ut inter se habeant aliquam naturalem connexionem. Cum autem materia sit substantia, et quantitas accidens, non possunt aliter connecti, nisi ut proprietas et essentia, radix seu fundamentum» (1). Accedit, quod in omnibus transmutationibus substantialibus quantitas corporis eadem remanet, prout manifeste patet ex perseverantia ponderis. Cum ergo in transmutationibus substantialibus non remaneant formæ, sed solum materia, signum est hanc, non autem illam, esse radicem quantitatis.

et una specifice in omnibus corporibus.

5.° **Materia omnium corporum dicitur una**, id est ejusdem speciei. Idque colligi potest ex transmutationibus, quas corpora subeunt, potissimum cum ex simplicibus fit mixtum. Sane si forma substantialis totius mixti eadem est, etiam materia eadem sit, oportet. Sed materia mixti est eadem materia elementorum. Ergo omnia elementa, quæ venire in mixtionem queunt, conveniunt in materia. Jam vero oxygenium et hydrogenium misceri substantialiter possunt inter se et cum reliquis omnibus corporibus elementaribus. Ergo si materia sive oxygenii sive hydrogenii eadem est specifice cum materia cujuslibet alterius corporis simplicis, etiam materia omnium corporum simplicium eadem esse debet; siquidem *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Accedit, quod omnis corporis materia prima convenit in eo, quod sit substantia quædam incompleta, primum subjectum et pura potentia physica; neque ullum adest indicium distinctionis materiæ in diversis corporibus.

Nec dicas sufficiens distinctionis signum esse posse, quod una materia dicat ordinem ad unam formam, et alia ad aliam.—**Jam enim constare** vidimus ex mixtione substantiali, nullam esse materiam cujuslibet corporis, saltem

(1) Suarez, Disp. *Metaph.* 13., lect. 14. n. 15.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sublunaris, quæ non possit alia forma actuari, et ita diversum corpus cum illa constituere. Dixi *corporis saltem sublunaris*, quia unitas materiæ primæ certior est in corporibus terrestribus, quam in sidereis. Veteres quidem acriter disputabant, utrum materia sublunaris et corporum cœlestium ejusdem foret speciei. Qua in controversia Alexander Halensis (1), S. Thomas (2), Henricus, Richardus et alii apud Conimbricenses (3), quos deinceps secuti sunt Capreolus (4), Cajetanus (5), Ferrariensis (6), Hispalensis (7), Suarez (8), Conimbricenses (9), Pererius (10), Valentia (11), Rubius (12), aliique negantem opinionem tenuerunt. Verum Magister Sententiarum (13), S. Bonaventura (14), Scotus (15), Ægidius, Ockam, Argentinas, Abulensis (16), Molina (17), Rhodes (18), Soarez lusitanus (19), Mastrius (20), aliique censent materiam corporum cœlestium et sublunarium eamdem esse specifice: quam doctrinam fatetur P. Antonius Rubius communem fuisse apud Philosophos Aristotele antiquiores, eamdemque propugnasse plures Patres dicuntur (21). Controversia hæc veterum, quam historice tantum relatam

(1) 2 p. quæst. 44, membr. 2.
(2) 1 p. quæst. 66, art. 2; *Physicor.* lib. 8, lect. 21; *de Cœlo et Mund.* lib. 1, lect. 6; 2.ª dist. 12, quæst. 1, art. 1.
(3) *De Cœlo*, lib. 1, cap. 2, quæst. 6, art. 2.
(4) 2.ª dist. 12, quæst. 1, art. 1.
(5) In 1.am part., quæst. 66, art. 2.
(6) In lib. 3.um *Contr. Gent.*, cap. 20.
(7) 2.ª dist. 12, quæst. 1.
(8) Disp. 13, *Metaph.* sect. 11; et *de Oper. sex dier.* lib. 1, cap. 3, n. 6.
(9) Loc. sup. cit.
(10) *De Communibus etc.* lib. 5, cap. 10.
(11) In 1.am part., disp. 5, quæst. 2, punct. 1.
(12) *De Cœlo*, lib. 1, cap. 2, quæst. 6.
(13) *Sententiar.* 2.ª dist. 12.
(14) 2.ª dist. 12, art. 2, quæst. 1.
(15) 2.ª dist. 14, quæst. 1.
(16) Apud Rubium, loc. cit.
(17) In 1.am part., *de Oper. sex dier.* disp. 5.
(18) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 8, quæst. 1, sect. 1, paragr. 2.
(19) *Physic.*, tract. 1, disp. 2, sect. 6.
(20) *De Cœl. et Mund.*, disp. 2, quæst. 2, art. 2.
(21) Apud Conimbric., loc. cit., quæst. 6, art. 1 fin.

voluimus, cum illa alia intime conserta erat, utrum cœli corruptibiles sint, an vero incorruptibiles. Nunc autem Astronomi de cœlestium corporum natura longe perfectiorem notitiam assecuti sunt, et ope spectroscopii signa et indicia sat manifesta detexerunt corporum ejusdem speciei cum hisce nostris corporibus sublunaribus. Quare si astra iisdem, quibus ipsa tellus, corporibus coalescit, tenendum consequenter est, materiam quoque illorum ejusdem prorsus esse speciei cum materia prima inferiorum horum corporum.

Ex hac materiæ primæ unitate specifica in omnibus corporibus et ex ratione puræ potentiæ, illud fortasse haud absurde colligi potest, materiam primam non multum distare a materia corporea prout eam ponunt puri atomistæ, eamdem in omnibus corporibus etiam specifice diversis et contradistinctam ab atomorum motu et cæteris affectionibus, unde illi repetunt totam specificam rationem ac varietatem corporum. Quid enim, quæso, est illa materia nisi substantia quædam prorsus iners ac passiva, vere pura potentia, nullum ex se habens actum perfectionis, sed eam aliunde recipiens? Differt tamen in immensum sententia peripatetica ab atomismo, quia atomistæ præter ejusmodi materiam nihil aliud substantiale requirunt ad constituendam essentiam corporis, sed tantum accidentia quædam, puta figuram, motum, varium atomorum ordinem, densitatem; Peripatetici vero existimant materiam non esse nisi partem, eamque imperfectissimam, corporis, quæ altera comparte, forma substantiali, actuanda sit, ut corpus in suo *esse* ac specie constituat, nihil enim accidentale valet suum *esse* specificum corpori tribuere.

6.° **Materia præterea dicitur per se ipsam cognosci non posse**, nisi in relatione ad formam (1). Cujus rei ratio desumitur ex conditione subjecti et puræ potentiæ, unde fit, ut essentialem respectum includat ad formam, ac proinde neque possit cognosci ratione sui. Verum est formam etiam implicare essentialem respectum ad materiam informandam. Sed nihilominus forma substantialis ratione majoris perfectionis,

(1) Vide S. Th. *Physic.*, lib. 1, lect. 13, paragr. *e*. Cfr. 1 part., quæst. 15, art. 3, ad 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qua gaudet, est enim principium et fons specificæ perfectionis atque activitatis in corporibus, potest etiam absolute concipi. Materia vero ob minimam suam entitatem, quia est *prope nihil*, ut Augustiniano utar modo loquendi, non potest a nobis intelligi, nisi ut *substans* alicui formæ. Hinc tantam reperit S. Augustinus difficultatem, ut aliquam sibi in mente exprimeret materiæ primæ imaginem.

Materia formam appetit innato appetitu.

7.° **Materia denique dicitur appetere formam**, intellige appetitu innato. Et ratio est, quia materia naturaliter ordinatur ad formam tamquam bonum suum connaturale, quo substantialiter completur. Atqui nomine appetitus innati vel naturalis designatur hujusmodi nativa ordinatio rei ad bonum sibi conveniens. Apposite S. Thomas: *Sciendum est... quod omne, quod appetit aliquid, vel cognoscit ipsum, et se ordinat in illud, vel tendit in ipsum ex ordinatione et directione alicujus cognoscentis, sicut sagitta tendit in determinatum signum ex directione et ordinatione sagittantis. Nihil est igitur aliud appetitus naturalis, quam ordinatio aliquorum secundum propriam naturam in finem suum. Non solum autem aliquod ens in actu per virtutem activam ordinatur in suum finem, sed etiam materia secundum quod est in potentia, nam forma est finis materiæ. Nihil igitur est aliud materiam appetere formam, quam eam ordinari ad formam, ut potentia ad actum. Et quia sub quacumque forma sit, adhuc remanet in potentia ad aliam formam, ideo est ei semper appetitus formæ, non propter fastidium formæ, quam habet, nec propter hoc, quod quærat contraria esse simul, sed quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet in actu* (1). Cætera, quæ de hoc appetitu materiæ disputabant veteres, videri possunt apud Lossada (2) et alios.

Utrum materia possit existere absque forma, sive naturaliter.

153. **Unum restat nobis quærendum** de materia, quod ad appetitum formæ spectat, nimirum utrum ita formam appetat, ut esse sine illa in rerum natura non possit. Quod saltem citra miraculum nequeat materia esse omni forma spoliata, communis est Scholasticorum doctrina, paucis

(1) S. Th., lib. 1. *Physicor.*, lect. 15, paragr. *e*.
(2) Lossada, *Curs. Philos.*, tom. 2, tract 1, disp. 3, c. 1.

exceptis apud Eximiun Doctorem (1). Resque probari potest primo ex inductione et experientia: semper enim et ubique substantiæ corporeæ occurrunt omnino completæ secundum suum *esse* ac speciem; materia vero non est aliquid completum sed incompletum, ut patet ex dictis. Atque hinc etiam sumitur ratio ad idem probandum: nam natura non facit res incompletas ac deficientes, sed naturali sua perfectione instructas. Atqui forma est naturalis perfectio et complementum substantiale materiæ. Ergo materia non potest fieri, atque adeo nec esse sine forma.

Nec mihi opponas 1.° in contrarium rationalem animam, quæ quamvis et ipsa sit substantia incompleta, potest vivere, ac porro vivit, a corpore separata.—**Nam anima rationalis** cum habeat operationem a materia intrinsece independentem, potest etiam suum *esse* extra illam conservare citra miraculum, atque adeo quando corpus ineptum redditur ad functiones vitæ vegatativæ et sensibilis, desinit illud informare, et sic separata perdurat. Verum materia, quia ex se est prorsus pura potentia, nisi per formam compleatur, remanet prorsus incapax operandi, atque adeo inutilis penitus in rerum natura. Quare incompletio materiæ primæ, accedente summa ejus imperfectione, in causa est, cur spectato naturali ordine nequeat sola existere.

Dices 2.° materiam initio creatam fuisse sine forma, prout inuitur illis sacræ Paginæ verbis: *Terra autem erat inanis et vacua* (2).—**Verum respondeo**, *negando* assertum cum communissima Scholasticorum interpretatione; verusque sensus istorum verborum superius expositus est, cum de mundi creatione ageretur.

Dices 3.° Materia non potest dependere a forma in existendo. Ergo potest etiam naturaliter sola sine forma existere. Prob. antec. Materia vel penderet a forma in existendo a priori vel a posteriori. Non a priori, quia ex nostra sententia forma non est causa existentiæ materiæ. Neque etiam a posteriori: hæc enim duo, *dependere* et *a posteriori*, videntur in

(1) Disp. 15 *Metaph.*, sect. 8, n. 6. Cfr. Lossada., *Physic.*, tract. 1, disp. 2, cap. 3, n. 1.
(2) *Genes.* cap. 1 v. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

terminis pugnare. Sane si res præsupponitur existens, jam præsupponitur habere totum suum *esse* sine interventu termini subsequentis; ac proinde habet quidquid ad existendum requiritur antecedenter ad illum. Ergo nullo modo dependet a posteriori. Quid enim est ab alio in *esse* dependere, nisi ab alio suum *esse* accipere, vel sine alio existere non posse?—Resp. *neg.* antec. Ad probat. *conc.* Major., et eligo alterum membrum; et *neg.* probation. secundi membri Minoris. «Si pendere idem sit, ac recipere suum *esse* ab alio, repugnat quidem dependentia a posteriori. Cæterum si dependentia sumatur, ut solet, pro infrustrabili connexione cum termino, quo res aliqua indiget, vel quem exigit, ut in statu sibi debito et connaturali sit, negari nequit dependentia a posteriori, salva communi Philosophia: hoc enim modo procul dubio dependent materia a quantitate, ultima dispositio a forma, sol a luce, ignis a calore etc. Quare res dependens potest præsupponi existens ante terminum dependentiæ, non duratione aliqua, vel prioritate temporis, sed sola prioritate naturæ, quæ solum significat, terminum illum non esse causam talis rei, sed potius effectum aut quasi effectum, naturaliter exactum pro eodem momento, proindeque pertinentem ad statum rei connaturalem ac necessarium. Itaque, dum infers: Ergo res pro priori jam præhabet quidquid necessarium est, ut existat, *distinguo;* ut existat in statu sibi naturaliter debito, *nego;* ut existat, quin intelligatur jam posita in hoc statu, *subdistinguo;* ut existat existentia naturaliter connexa cum termino pertinente ad hunc statum, *concedo;* existentia non ita connexa, *nego.* Similiter sine interventu termini subsequentis præsupponitur res habere totum suum *esse*, sed non in statu sibi naturaliter debito, nec ita ut illud *esse* sit inconnexum cum tali termino» (1).

sive etiam spoliata divina potentia.

Age vero acriter disputatur inter Philosophos, utrum materia prima saltem divinitus conservari possit sine ulla forma substantiali. Negant communissimè Thomistæ, ut

(1) Lossada, *Physic.* tract. 1 disp. 3, cap. 3, n. 19-20. Vide totam hanc controversiam apud Suarez disp. 15, Metaphys., sect. 8.

videre est apud Conimbricenses (1), Complutenses (2), Joannem a S. Thoma (3), et Goudinum (4); quibus adhærent e nostra Societate P. Sylvester Maurus (5), et quidam recentiores. Affirmant unanimi consensu Scotistæ cum Subtili Doctore (6) aliisque non paucis veteribus Scholasticis; et Nostri ctiam communissime cum Doctore Eximio (7), Fonseca (8), Toleto (9), Valentia (10), Rubio (11), Conimbricensibus (12), et ipso Cosma Alemannio (13), cujus ea inter alias præcipua laus prædicatur, virum fuisse Aquinatis studiossimum, a cujus doctrinis ac sententiis nec transversum unguem discesserit, quemadmodum ipsemet profitetur in sui operis proœmio; et ita putat se hac etiam in re Magistrum suum fidelissime sequi, quamvis alii contrariam esse mentem Angelici arbitrentur. Hanc alteram opinionem non veretur etiam tenere P. Dominicus Soto, insignis Thomista et præclarum S. Ordinis Prædicatorum decus, qui quamvis concedat S. Thomam aliter sentire, illiusque doctrinam probabilissimam esse, existimat nihilominus «Deum posse materiam sine forma servare. Neque in hoc puto, inquit, derogari gravissimæ auctoritati S. Thomæ, tum quia res non est tanti momenti, tum quia non nego, quin in principiis persistendo Aristotelis probabilissima est ejus sententia, quam quicumque potest optime sustinere. Et forsan ego fallor» (14).

(1) *Physicor.* lib. 1, cap. 9, quæst. 6, art. 1.
(2) *Physic.* disp. 3, quæst. 6.
(3) *Physic.* quæst. 3, art. 3.
(4) *Philosoph. juxta inconcussa* etc. tom. 2. *Prim. pars Physic.* disp. 1, quæst. 2, art. 4.
(5) *Quæstiones philos.*, lib. 2, quæst. 7, ad 8.um
(6) Vide apud Mastrium *(Physic.* disp. 2, quæst. 3, art. 2), Pontium *(Physic.* disp. 3, quæst. 5), Frassen *(Physic.* sect. 1, quæst 2).
(7) Disp. *Metaph.*, 15, sect. 9.
(8) *Metaph.*, lib. 8, cap. 1, quæst. 1, sect. 4.
(9) *Physicor.*, lib. 1, quæst. 13. *Et mihi placet.*
(10) In 1.um part. disp. 15, quæst. 2, punct. 1.
(11) *Physicor.* lib. 1, cap. 8, tract. *de Materia*, quæst. 5.
(12) Loc. nup. cit.
(13) *Summ. philos.* prima secundæ, quæst. 3, art. 2 ad 2.um.
(14) *R. P. Fratris Dominici Soto Segoviensis... Super Octo libros Physicorum Aristotelis commentaria*, super 1.um, lib. quæst. 6, art. 2. conclus. 2.a

Judicium Auctoris.

Et hæc nobis quoque sententia probabilior videtur. 1.° Quia tribuenda est Deo potentia efficiendi totum id, in quo nulla ostenditur repugnantia. Sed nulla ostenditur repugnantia in eo, quod materia existat sine forma. Ergo... **Minor** patet tum ex difficultatum solutione, tum quia materia sua gaudet essentia et existentia distincta realiter ab essentia et existentia formæ.

Prob. 2.° Potest accidens per virtutem divinam conservari separatum a substantia, itemque forma substantialis materialis, v. g. anima canina, a materia, quemadmodum concedunt Thomistæ communissime. Ergo poterit etiam materia prima esse sine forma substantiali.

Prob. conseq. et paritatem. Materia enim non minus absoluta entitas est, quam forma, sive substantialis sive accidentalis; ac deinde magis videtur dependere accidens a subjecto, et forma substantialis materialis a materia, quam materia a forma, quia illæ pendent a priori tamquam a vera causa materiali sui *esse*, materia vero solum pendet a posteriori, non vero tamquam a causa physica, prout superius explicatum manet, sed tantum tamquam a causa finali, quæ nihil refert in præsenti, siquidem finis potest causare, quin existat physice. Cum ergo forma nec intrinsece constituat materiam, nec existentiam eidem tribuat; non satis apparet, quid aliud præstet, adeo essentiale ac necessarium, quod nequeat suppleri per omnipotentiam divinam, sicut suppletur causalitas materialis substantiæ in conservatione accidentium separatorum. Immo vero etiamsi forma tribueret materiæ suam existentiam, nondum satis cernitur, quare non posset Deus illam efficienter supplere, potissimum admissa opinione Thomistarum relate ad existentiam Humanitatis Christi Domini. Si enim potest, operante Deo, sanctissima illa Humanitas, exuta sua propria humana existentia, existere per existentiam Verbi, cur non posset etiam materia, quamvis naturaliter non existeret nisi per existentiam formæ, aliam divinitus existentiam accipere, et sicut exuta omni forma in rerum natura permanere?

Dices, rationem, cur non possit materia forma privari non esse, quia nequeat existentia, quam forma communicat, per divinam virtutem suppleri; sed quia materia sine forma

non est omnino capax existentiæ.—**Verum respondeo,** *negando* assertum. Nam omne ens reale est capax existentiæ, ut patet ex ipso conceptu entis realis, quod non aliter differt a chimærico, nisi quia potest existere. Atqui materia immediate et ratione sui ac pro priori ad formam est ens reale. Ergo etiam immediate ac ratione sui est capax existentiæ.

Quædam difficultates solutæ.

154. **Objic. 1.°** Si materia existeret sine forma, simul existeret, et non existeret: quod contradictorium est. Existeret ex suppositione. Non existeret autem, quia impossibilis est effectus formalis sine forma. Sed existere est effectus formalis formæ. Ergo materia sine forma reapse non existeret.

Resp. *neg.* Major. Ad probation secundi membri, *dist.* Major. Impossibilis est effectus formalis primarius sine forma, *conc.*, secundarius, *subdist.*; naturaliter, *conc.*, per divinam virtutem, *neg.* (1) Tum *neg.* Minor. Itaque objectio nihil evincit, tum quia existentia materiæ non est effectus formalis formæ, tum quia etiamsi foret, foret secundarius dumtaxat, et posset a Deo suppleri.

Objic 2.° Si materia existeret sine forma, esset ens in actu sine actu. Atqui hoc implicat in terminis. Ergo.—**Resp.** Materia existens sine forma esset ens in actu entitativo vel metaphysico, qui est existentia, sine actu formali physico: in quo nulla videtur esse repugnantia vel contradictio.

Objic. 3.° Materia sine forma est incapax existentiæ. Etenim α) existentia est actus entis completi. Sed materia sine forma est ens incompletum. β) Forma est actus primus entis, existentia vero est actus ultimus. Sed nihil est capax actus ultimi, quin prius informetur primo. Ergo sicut v. g. actus vitalis seu operatio vitæ supponit vitam in actu primo vel principium vitæ, ita materia formam, sine qua proinde non potest esse.

Resp. *neg.* assert. Ad probation α) *dist.* Major. Existentia est actus entis completi, naturaliter loquendo, *trans.*; quamquam propositio hæc non est omnino vera, nam anima etiam rationalis, quamvis sit incompleta secundum naturam, potest tamen existere extra corpus. Existentia est

(1) Cfr. *Ontolog.* n. 411. pag. 1172. 1173.

actus completi, ita ut ne per virtutem quidem divinam possit quidpiam incompletum existere, *neg.*

Ad probation. 3) *dist.* Major. Forma est actus primus entis physicus, *conc.*; entitativus, neg.: nam existentia cum sit actus entitativus, re identificatus cum quavis essentia physica, quæ non sit pure possibilis, non est re vera ultimus actus, sed potius primus (1). Adjunctum porro exemplum actus vitalis non urget; tum quia operatio vitæ est actus secundus respectu vitalis principii; tum quia principium ejusmodi requiritur per modum causæ efficientis et capacitatis ad ipsas operationes vitales. Nondum autem probarunt adversarii hoc modo se habere formam substantialem respectu existentiæ materiæ.

Objic. 3.° Repugnat *esse* accidentale sine forma accidentali. Ergo etiam repugnat *esse* substantiale sine formæ substantiali.—**Resp.** *neg.* conseq. Cum enim omne accidens sit forma, siquidem est ens alteri inhærens, repugnat *esse* accidentale sine forma accidentali; at non omnis substantia est forma, nec proinde repugnat *esse* substantiale sine forma substantiali.

Objic. 4.° Non minus repugnat quidpiam esse in rerum natura, quod ad nullam entis speciem pertineat, quam esse v. g. animal, quod nec sit rationale nec irrationale. Atqui materia per seipsam est indifferens ad varias species entis, nec determinatur nisi per formam. Ergo repugnat materiam esse sine forma.

Resp. 1.° Retorqueo argumentum, quod si quid probat, probat etiam neque formam substantialem posse existere extra materiam: est enim et ipsa ens incompletum, quod ad nullam entis speciem pertinet.

Resp. 2.° *dist* Major. Non minus repugnat esse aliquid quod ad nullam entis, sive completi sive incompleti, speciem pertineat etc., *conc.*; quod ad nullam entis completi speciem pertineat, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. Species enim et genera sunt entia prædicamentalia. Quare cum ens prædicamentale debeat esse completum, vel certe instar completi concipi (2), nec materia nec forma neque ulla alia incompleta

(1) Cfr. *Ontolog.* n. 252, pag. 716, 717.
(2) Vide *Ontolog.*, n. 272, pag. 786, 787.

substantia proprie speciem habet. Nihilominus quia nihil est sine sua essentia, et species non est nisi essentia rei, materia suo modo habet speciem quamdam, essentiam nempe propriam entis incompleti, puræ potentiæ etc.: et hoc modo etiam definitur, quamvis certum aliunde sit propriam definitionem exprimere specificam rei rationem. Et hoc modo etiam solemne fuit Scholasticis, et ipsis Thomistis, ut nuper vidimus, inquirere utrum materia sublunaris sit ejusdem *speciei*, ac materia cælestium corporum.

Objic. 5.° *Omne esse est a forma*, ut scribit Boëtius (1). Deinde si materia existit sine forma, jam desinit esse pura potentia, vel certe non erit in potentia, nisi ad actum accidentalem. Ergo materia sine forma esse non potest.

Resp. ad primum, *dist.* assertum. Omne *esse* completum in specie ac perfectum, *conc.*: *esse* incompletum, *neg.* Ad alterum, *neg.* simpliciter antecedens, ut constat ex superius dictis de materiæ propria existentia. *Esse* enim proprium et identificatum cum materia, non illam extrahit nisi ex potentia objectiva seu ex statu possibilitatis, ac tantum constituit illam potentiam physicam vel realem, quin ullum actum physicum vel formalem tribuat, existentia enim non est forma. Ergo materia adhuc cum sua existentia propria et partiali remanet purissima potentia physica, et compleri potest, ac debet, substantialiter per formam ad constituendum corpus.

Objic. 6.° Nullum ens potest privare suo fine primario. Sed finis primarius materiæ est forma substantialis. Ergo.

Resp. 1.° Retorqueo argumentum in accidentibus eucharisticis, quæ etiam privantur suo fine primario.

Resp. 2.° *dist.* Major. Nullum ens potest privari suo fine primario essentialiter debito, *conc.*, naturaliter tantum debito, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 7.° Materia nequit existere sine omni accidentali forma, saltem sine ubicatione. Ergo multo minus sine substantiali: 1.° quia materia magis indiget forma substantiali, quam accidentali, siquidem ab illa magis perficitur. 2.° Quia quæ magis accedunt ad unitatem, magis inseparabilia sunt. Materia vero et forma, utpote quæ unum per se efficiunt,

(1) *De Trinit.*, cap. 3; et in Opusc. *de Unit. et Uno.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magis accedunt ad unitatem, quam materia et quævis forma accidentalis, cum qua solum facit unum per accidens.

Resp. *neg.* conseq. Primam probationem retorqueo in accidentibus eucharisticis, quæ nequeunt existere sine ubicatione, et possunt tamen sine subjecto, quamvis magis ab hoc, quam ab illa perficiantur. Itaque separabilitas vel inseparabilitas non dimetienda est solum ex majori indigentia naturali ad propriam perfectionem habendam, sed insuper respiciendum est, utrum separatio repugnantiam conceptuum implicet. Jam vero nondum probatur repugnantia materiæ divinitus conservatæ sine forma; manifeste autem omnibus videtur repugnare, quod existat res, et tamen nuspiam existat (1). Simili modo ex eo, quod nequeat quantitas esse sine aliqua figura, perperam colligeretur nec materiam posse omni forma privari etiam per divinam omnipotentiam.

Altera quoque probatio retorquetur. Nam materia magis accedit ad unitatem cum forma substantiali determinata v. g. hominis, canis etc., quam cum eadem ubicatione, quantitate etc.; et nihilominus facilius separatur per naturalem corruptionem a quavis determinata forma, quam ab ubicatione et quantitate. Principium ergo, quod assumit secunda illa probatio, si sermo sit *de unitate compositionis*, quæ resultat ex plurium distinctorum unione, falsum esse deprehenditur, ac proinde negandum est.

Plura dabunt veteres auctores ac nominatim Suarez et Lossada, apud quem videri etiam potest, utrum actio, qua Deus conservaret materiam sine forma, esset eadem ac actio, qua conservat illam cum forma, prout tenent plerique Nostri cum Suarez (2), an vero diversa.

Duplex materiæ causalitas.

Ad extremum animo recolenda hic est duplex, eaque diversissima causalitas, quam ut in Ontologia docuimus (3), exercet materia; *intrinseca* altera, respectu totius compositi, altera *extrinseca*, nimirum respectu formæ substantialis. Materia enim ita causat compositum, ut ejusdem sit causa

(1) Cfr. *Ontolog.* n. 373, pag. 1067.
(2) Disp. 15 *Metaph.* sect. 9, n. 7.
(3) *Ontolog.*, n. 408, pag. 1167.

et principium seu constitutivum intrinsecum et substantiale, formam autem ita causat, ut eamdem intrinsece non componat, sed solum extrinsecus ad hujus productionem concurrat modo inferius declarando, prout jam in *Ontologia* (1) notatum est, et inferius magis declarabitur, exponendo eductionem formæ de potentia materiæ. Unde materia a composito solum distinguitur *adæquate*, cum sit ejusdem pars essentialis; a forma vero *adæquate* distinguitur.

Varia materiæ nomina.

Jam de variis nominibus, quibus materia a veteribus appellata est, loqui necesse non est: eam dita fuit *fundamentum naturæ*, *sylva* et *mater* et *chaos*, de quibus aliisque appellationibus legi potest P. Petrus Fonseca (2). Scilicet fundamentum naturæ vocata est, quia est primum subjectum; *sylva* et *mater*, quia est principium passivum, ex quo formæ omnes materiales educi possunt; *chaos* denique, quia est pura potentia, in qua nulla inest species nec distinctio perfectionis.

ARTICULUS IV.

Quid et qualis sit forma substantialis.

Quid forma et quotuplex.

155. Accedimus jam ad alterum corporis essentiale constitutivum declarandum, formam videlicet substantialem, cujus nomen magis adhuc, quam materia prima, stomachum movet atomistis (3). Forma in generalissima acceptatione dici potest esse id, quod rem determinat ad certam quamdam rationem: et multiplex a Peripateticis distinguitur. Alia enim est *extrinseca*, quam etiam *exemplarem* vocant, id est idea seu exemplar alicujus rei faciendæ. Alia dicitur forma *separata* vel *subsistens*, cujusmodi est angelica natura, quæ neque unitur, neque uniri alteri enti potest ad unam conflandam substantiam. Alia demum est forma *informans*,

(1) *Ontolog.* n. 409 et 410, pag. 1168, 1169.
(2) Op. cit. lib. 1, cap. 7, quæst. 3 sect. 9.
(3) «Il semble, inquit Leibnitz, que depuis peu le nom de *formes substantielles* est devenu infame auprès de certaines gens, et qu'on a honte d'en parler. Cependant il y a encore peut être en cela plus de mode, que de raison». Leibnitz, *Nouv. Essais* etc. liv, 2, chap. 6, paragr. 24.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ in subjecto recipitur, illudque actuat, et perficit. Hæc est propria instituti nostri, ac dividitur in *substantialem* et *accidentalem:* illa ad substantiam componendam concurrit, ut v. g. anima rationalis: hæc substantiam jam constitutam accidentaliter afficit, ut v. g. albedo (1). Nos ergo hic formam substantialem explicandam suscipimus. Ea vocata est ab Aristotele aliisque priscis auctoribus *species*, *ratio quidditatis*, *entelechia* (εντελεχεια) atque aliis nominibus, quæ declarata videri possunt apud P. Fonseca (2). *Species* dicitur, vel quia omnis rerum corporearum pulchritudo ab ea existat, vel quia ipsa tribuat gradum specificum corporibus; *ratio quidditatis*, quia ab ea præcipue desumitur rerum naturalium definitio; *entelechia* demum, quasi forma inhærens (απο του εντελης εχειν), quemadmodum interpretatur idem Fonseca.

Varia formæ nomina.

Declaratio formæ substantialis per analogiam.

Ad ejus declarandam naturam, viam nobis sternet artefactorum analogia. Perinde enim se habet in diversis opificiis figura respectu materiæ, ex qua suum artifex opus fabricatur, ac forma substantialis in corporeis substantiis. Figura es, in operibus artis id, quod speciem imprimit materiæ, illamque constituit in ratione domus, statuæ, horologii: atque ita demum fit, ut ex eadem auri, marmoris vel ligni materia pro diversitate illius accidentalis formæ varia possint existere artefacta. Simili ergo modo forma substantialis est ea realitas, quæ communi illi subjecto, materiæ primæ, instar sigilli impressa, substantiam efficit aquæ, ferri, carbonis reliquorumque corporum specie discrepantium.

Definitio formæ substantialis.

Quocirca definiri cum Suarezio potest forma substantialis: «*substantia quædam simplex et incompleta, quæ ut actus materiæ cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ*. In qua descriptione substantia ponitur loco generis eo modo, quo a Philosopho distinguitur in materiam, formam et compositum. Et per eam particulam distinguitur hæc forma ab accidentalibus, quæ substantiæ non sunt: distingui etiam potest

(1) Discrimen inter formam substantialem et accidentalem declarat Angelicus Doctor Opusc. *de Ente et Essent.* c. 7, 1 p. q. 77. a. 6, et lib. 2.° *de Anima*, lect. 1. paragr. *d*, et alibi. Vide *Ontolog.* n. 309. pag. 894, ubi et in quo conveniant, et in quo discriminentur istæ duæ formæ, ex Cajetano explanavimus.

(2) Op. et loc. cit. Cfr. S. Th. 1.a *Physic.* lect. 15. paragr. *d*.

a modis substantialibus, nam licet hi ad prædicamentum substantiæ revocentur, non tamen sunt substantiæ in ea proprietate: unde neque ab Aristotele in ea partitione enumerantur, quia non sunt proprie entitates substantiales, ut est forma, quæ hac ratione substantia dicitur. Additur vero *simplex* et *incompleta*, ut per priorem particulam a composita substantia separetur, per posteriorem vero a substantiis separatis, quæ interdum vocari solent *formæ assistentes*..., quæ revera non exercent munus causæ formalis, sed efficientiam aliquam; quare non sunt formæ substantiales, prout nunc de illis loquimur. Reliqua pars definitionis distinguit formam a materia, quæ etiam est substantia simplex et incompleta, tamen ut potentia, forma vero ut primarius actus illius potentiæ» (1) Et ratio est, quia sicut differentia specifica in ordine abstracto et metaphysico cognitionum nostrarum genericas et universaliores entis perfectiones restringit, definit, ac intra limites certæ cujusdam naturæ concludit; ita etiam forma in linea realitatis concretæ et physicæ potentialem et ad diversas species constituendas indifferentem materiæ entitatem, ad unam illarum præ aliis actuat, determinat, et circumscribit.

Aliæ descriptiones formæ.

Hinc intelliges illas alias descriptiones, secundum quas forma substantialis dicitur *actus primus corporis physici*, aut *ratio quidditatis*, aut *etiam prima radix proprietatum uniuscujusque speciei corporis naturalis*. Etenim forma tribuit actum corporis materiæ primæ, quæ independenter a forma est dumtaxat in potentia ad hoc, ut sit corpus, et corpus determinatæ speciei: ideoque tribuit corpori actum primum, nimirum substantialem, et ita est ratio quidditatis specificæ ac determinatæ, quodque exinde sponte consequitur, fons existit proprietatum atque attributorum ab illa corporis specie manantium (2).

Forma non est tota compositi quidditas.

Quæ cum ita sint, patet etiam, formam substantialem non esse totam compositi quidditatem seu essentiam, quemadmodum pauci quidam veteres opinati sunt. Ut enim scribit Lossada, «compositi quidditas est substantia physice

(1) Suarez, disp. 15 *Metaph.*, sect. 5, n. 1, 2.

(2) Cfr. Lossada, Op. cit. tom. 2. tr. 1, disp. 4. cap. 4. n. 40 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

completa, forma autem nonnisi incompleta substantia est.» (1).

Proprietates formæ: est simplex.

156. Jam ut de formæ substantialis attributis nonnihil dicamus; **forma substantialis dicitur in primis simplex.** Cave autem ne eam proprietatem perperam intelligas; simplicitas enim, quæ formæ ab omnibus Peripateticis tribuitur, *exclusionem essentialis compositionis* importat: quo sensu non minus simplex est materia prima, quæ pariter est substantia quædam non composita ex aliis principiis essentiam ipsius constituentibus. Id tamen non impedit, quominus forma substantialis, non secus ac materia prima, partibus integrantibus constet, quæ per quantitatem ita extenduntur in loco, ut singulæ singulis spatii partibus respondeant, et commensurentur. Quæ doctrina usque adeo invaluit apud Scholasticos, ut etiam communissime docerent animas ipsas plantarum et brutorum imperfectorum esse divisibiles in partes integrantes: quoad animas vero brutorum perfectorum acriter disputarent, num idem esset dicendum. Anima vero humana simplex procul dubio est, non modo essentialiter, sed etiam integraliter, totaque informat totum corpus et singulas partes. Deinde

Fons activitatis.

Forma dicitur fons et principium activitatis corporeæ, eidemque adscribendæ sunt specificæ corporum proprietates. Etenim cum activitas speciem corporis consequatur, illi realitati adscribenda est, quæ speciem singulorum corporum determinat. Ad rem Angelicus: *Agere non est nisi rei subsistentis, et ideo neque materia agit, neque forma, sed compositum, quod tamen non agit ratione materiæ, sed ratione formæ, quæ est actus et actionis principium* (2). Similiter cum proprietates corporum varient pro specifica eorumdem varietate, ab eo principio manare dicendæ sunt, quod speciem corporibus tribuit, nempe a forma substantiali. Sicut

(1) Ibid. n 43. Vide S. Thomam (in lib. VIII *Metaph.* lect. 3; de *Potentia*, quæst. 3, art. 11, ad 11um; *de Ente est Essentia* cap. 5), aliosque passim AA. et potissimum Suar. (disp. 36 *Metaph.* sect. 2). Cfr. etiam Cajetan. in Opusc. S. Th. *de Ente et Essentia*, quæst. 4.

(2) 1.ª dist. 12. q. 1, art. 2.

ob oppositam rationem quantitatis radicem diximus superius esse materiam primam. Præterea

educitur de potentia materiæ.

Forma dicitur educi de potentia materiæ, et pariter perire per corruptionem: quæ proprietas opponitur illi, qua materia dicitur ingenerabilis, et incorruptibilis, ut superius declaravimus. Materia enim est *ingenerabilis*, quia solum per creationem, nimirum absque ullo præsupposito subjecto, produci potest; forma vero *educitur*, non creatur, quia fit ex præsupposito subjecto. Materia est *incorruptibilis*, quia solum perire potest per annihilationem, ita ut si ipsa destruatur, nihil ultra remaneat, quod ad ejusdem constitutionem pertinuerit, forma vero ita perit, ut superstes sit ejus subjectum seu materia. Hæc porro proprietas formæ minime convenit formæ seu animæ rationali, quæ ex peculiari sua spitualitatis conditione, quemadmodum e nihilo creatur, ita desinere in existentia nequit, nisi per anihilationem.

Quid sit formam educi de potentia materiæ.

Age vero quid sibi velit formam educi de potentia materiæ satis explicatum manet, opinor, in *Ontologia* (1); verum juvat hic amplius declarare, propter gravissimum rei momentum. Formam educi de potentia materiæ perinde est, ac ipsam fieri dependenter a materia. *Actum extrahi de potentia materiæ*, inquit Angelicus, *nihil aliud est, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia* (2), intellige per actionem dependentem a materia. Quod ut melius percipias, adverte non posse proprie *extrahi* nec *educi*, nisi quod aliquo modo inclusum et contentum est. Includi autem et contineri aliquid in alio potest, vel *formaliter* secundum proprium entitatem actualem, eo modo quo pecunia est in crumena, gladius in vagina; vel solum *potentialiter*, tamquam in causa, quæ potest in rei productionem concurrere. Et planum est, formam, antequam producatur, nullibi contineri *formaliter* seu actualiter (3), quemadmodum

(1) Vide *Ontologiam*, num. 414, pag. 1173.

(2) S. Thom. 1, p. q. 90, a. 2, ad 2.um.

(3) *Dicendum, quod forma præexistit in materia imperfecte, non quod aliqua pars ejus sit ibi in actu et alia desit, sed quia tota præexistit in potentia, et postmodum tota producitur in actu.* S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 8, ad 10.um Cfr. 1 p., quæst. 45, art. 8; lib. 7.º *Metaph.*, lect. 7, paragr. *b*, quibus aliisque in locis S. Doctor explodit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quidam veteres somniarunt, existimantes formas in sinu materiæ, saltem incomplete et secundum quamdam inchoationem, latitare (1); sed solum continetur in potentia causarum suarum, ex qua si *extrahatur*, produci dicitur. Jam quænam causæ concurrunt physice ad formæ substantialis (de formis non rationalibus semper loquimur) productionem? Causæ efficientes et causa materialis, seu materia prima; sed cum hoc discrimine, quod efficientes causæ *active* et *virtualiter* influant, materia vero prima solum *passive* et *receptive*; illæ enim agunt, at hæc illarum actionem recipit, et forma producitur per illarum actionem receptam in materia, nec produci posset naturaliter absque concursu activo causarum efficientium et passivo materiæ (2). Tolle enim efficientem causam, et effectus sequi minime poterit; tolle subjectum, quod agentis actionem sustentet, formamque recipiat, et actio locum habere non poterit, nec proinde terminus ejus. Neque enim est ullum agens creatum, quod agere possit, nisi materia aliqua seipsam præbeat, in qua suam illud actionem exerceat. Itaque quemadmodum si quis diceret formam *educi de potentia agentis*, nihil aliud significaret, quam formam fieri per virtutem atque activum influxum efficientis causæ; ita etiam cum Peripatetici formam *educi de potentia materiæ* pronuntiant, id unum verbis intendunt exprimere, formam fieri ex præsupposita materia, seu dependenter a materia, nimirum per actionem in materia receptam, cujus proinde terminus nonnisi eidem inhærens materiei existere potest.

formas in sinu materiæ, sive perfecte sive etiam imperfecte, secundum propriam substantiam latitantes.

(1) Vide S. Th., 1 p., quæst., 45, art. 8; *de Potent.*, quæst. 3, art. 8; 2.ª dist. 18, quæst. 1, art. 2.

(2) *Quia quamvis formæ educantur de potentia materiæ, illa tamen potentia materiæ non est activa, sed passiva tantum; sicut enim ut Commentator dicit (8.º Physicor.) in motu locali oportet esse aliud movens et aliud motum, ita etiam in motu alterationis... Nec tamen sequitur, si in materia est potentia passiva tantum, quod non sit generatio naturalis, quia materia coadjuvat ad generationem non agendo, sed in quantum est habilis ad recipiendum talem actionem, quæ etiam habilitas appetitus materiæ dicitur et inchoatio formæ.* S. Thom. 2.º Dist. 18, q. 1, art. 2. Cfr. *de Verit.*, quæst. 11 *(de Magistro)*, art. 1, in corp.

Unde vides, formam educi de potentia materiæ, *in quantum materia, quæ est in potentia ad formam, fit actu sub forma; quod est facere compositum* (1); vel in quantum materia ipsa transmutatur substantialiter tali actu, qui esse nequit nisi unitus materiæ, illamque afficiens et complens in *esse* substantiali (2). Nam sicut per transformationem accidentalem, secundum terminos quantitatis figura nova existit in cera, ita ut *esse* illius ac *fieri* dependeat ab eo, quod figuratur, simili modo per virtutem agentium naturalium materia transmutatur substantialiter; admittendæ namque sunt substantiales mutationes (3). Et sic quæ prius erat sub una forma, nunc actuatur alia forma, quæ in tantum existit, in quantum illam materiam informat. Quamobrem formæ materiales, illæ nimirum, quæ in suo *esse* dependent a materia, dici nequeunt extrinsecus advenire vel superaddi materiæ, quia et sunt, et fiunt penitus eidem affixæ, non secus atque ipsæ formæ accidentales: e converso forma spiritualis, cum habeat *esse* per se, et non dependenter a materia, non fit per materiæ transmutationem, sed actione distincta et creativa, ac proinde dicitur esse ab extrinseco ac materiæ extrinsecus advenire (4).

Est hæc doctrina apud Scholasticos frequentissima (5), quam sic breviter complectitur P. Benedictus Pererius: «Ut autem plenius intelligatur, quid sit *educi e potentia materiæ*, exponemus quinque proprietates, quas habent formæ omnes

(1) S. Th. 7.ª *Metaph.*, lect. 7, in fine paragr. primi.

(2) Cfr. S. Th. *de Pot.*, q. 3, a. 11, 12; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 80.

(3) *Materia transmutatur non tantum transmutatione accidentali, sed etiam substantiali, utraque enim forma in materia præexistit, unde agens naturale, quod materiam transmutat, non solum est causa formæ accidentalis, sed etiam substantialis.* S. Th. *de Potent.*, quæst. 3, art. 11 ad 10.um Sed de his fuse superius egimus.

(4) Vide S. Thom. *de Spirit. creat.*, art. 2, ad 8.um

(5) Vide Suar. (disp. *Metaph.* 15, sect. 2); Semery (Op. cit., tom. 2, disp. 1, quæst. 7, art. 4), Lossada (loc. sup. cit. n. 25 seqq.), Joannem de Ulloa, qui egregie rem exponit (in *Physic.*, disp. 1, c. 1, n. 16, seqq.), Alemanni (Op. cit., *Prima secundæ*, quæst. 7, art. 12, 13), Ferrariensem (in lib. 2, *Contr. Gent.*, c. 68, vers. medium), et alios passim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eductæ ex potentia materiæ: prima est, quod tales formæ producuntur ab agentibus materialibus per actiones materiales et per dispositiones materiales, hoc est, hærentes et infixas in ipsa materia: secunda est, quod tales formæ pendent in *fieri* a materia, hoc est non possunt gigni nisi intra materiam, eique penitus copulatæ, non enim per se producuntur, et extrinsecus adveniunt, et adjunguntur materiæ: tertia est, quod pendent a materia in *esse*, nam extra eam materiam, in qua ab initio productæ sunt, ne puncto quidem temporis aut per se subsistere, aut in alia materia existere possunt; sed plane idem est eas separari a sua materia, quod ipsas penitus interire: quarta est, quod pendent a materia in operationibus suis, ex quo fit, ut operationes hujusmodi formarum subjective non sint in forma, sed in toto composito: quinta est, quod pendent a materia quidditative, quamobrem sine ea nequeunt aut definiri aut perfecte intelligi. Eas igitur formas materiales et eductas ex potentia materiæ appellare oportet, in quibus inerunt prædictæ quinque proprietates» (1).

(1) *Benedicti Pererii Societatis Jesu, de Communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus*, lib. 4, cap. 22, sub fin.

Hanc Scholasticorum doctrinam si considerasset cl. Frédault, nunquam adeo turpiter aberrasset, hæc scribens. «Tous ces corps (les éléments) ont pour base une matière première, qui est, par elle même, un vaste *devenir phanthéiste*, dans lequel sont en *puissance, in virtute*, (en quomodo confundat potentiam passivam materiæ cum activa, propria causæ efficientis) toutes les formes que cette matière peut prendre; de telle sorte que si la matière change de composition, les formes des éléments composants disparaissent et *on voit surgir du fonds matériel comme une forme nouvelle qui donne la figure du composé... Une forme d' être émerge du fonds commun de la matière première pendant que les formes de composants s' y replongent pour n' y être plus que des devenir ou des puissances*» Frédault (*Matière et forme*, ch. 7, pag. 75, Paris 1876). Quibus similia sunt hæc alia: «Mais cette immense matière première... *qui détient dans son fond*, cette multitude de principes formels; *qui produit ces formes tantôt par ci, tantôt par, là pour apparaître en les prenant comme un vetement selon l' ocasion;* qui déclare ensuite que ces formes qu' elle émet sont des formes d' être: c' est *du vrai, du pur pantheisme*». (Ib. ch. 8, pag. 86). Nimirum claros scriptor cum thomisticam sententiam describere vellet, aliam jam diu antiquatam descripsit, doctrinamque

Merito ergo eductio a Lossada definitur: *productio formæ pendens essentialiter a subjecto præsupposito..... et aliquatenus incompleto, a quo et formam productam actualiter pendere et sustentari facit*». Ea quoque celeberrima est inter omnes Scholasticos formæ materialis proprietas, secundum quam,

Forma non est nec fit per se;

Forma nequit dici per se fieri nec esse. «Ratio autem est, inquit Suarez, quia ejus est per se primo fieri, cujus et esse, cum fieri tendat ad esse. Sed id proprie est, quod subsistit. Ergo id proprie fit. Sed hæ formæ non subsistunt, sed composita ex ipsis: ergo ad composita proprie et principaliter terminatur actio. Confirmatur, nam actio est una, ut supponimus: ergo et terminus adæquatus est unus; sed hic non potest esse forma, quia compositum re vera fit, et non est forma: ergo. Majoris autem claritatis gratia distingui solet duplex terminus, scilicet, *ut quod*, et *ut quo*, seu *qui* absolute fit, vel *quo* aliud fit. Compositum ergo est terminus *qui*, seu *ut quod*, quia illud per si primo fit: nam illud maxime intenditur per generationem, et in id ultimate terminatur generatio; et a simili patet in artificialibus, nam domus est, quæ per se primo ædificatur, etc. Terminus autem *quo* est forma, quia fit, ut per eam compositum constituatur. Unde, quia verbum *educi* proprie tantum indicat habitudinem ad hunc terminum *quo*, ideo proprie ac simpliciter dicitur forma educi de potentia materiæ, non autem compositum: verbum autem *generari* aut *fieri*, dicit habitudinem principalem ad id, *quod* est, vel *quod* fit, et ideo simpliciter dicitur de forma, et non de materia» (1). Quam doctrinam didicit Doctor Eximius ab Angelico, sic scribente: *Neque materia neque forma neque accidens proprie dicuntur fieri, sed id quod fit, est res*

latitantium in sinu materiæ formarum Thomistis appinxit, communiter a Scholasticis repudiatam explosamque. Materia profecto illa capacissimo quodam prædicta formarum armario, quasi totidem vestimentorum, quibus se pro temporum conditione indunt, risum quidem excitare potest ignorantium hominum, peritorum vero nescio utrum magis stomachum commoveat, an miserationem erga scriptorem adeo turpiter lapsum, deque hoste ficto gloriose triumphantem.

(1) Suarez. (*Metaph.*, disp. 15, sect. 4, n. 4). *Cfr.* Conimbricem. (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, quæst. 15), et Rubius (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 3 et 4, tract. 1, quæst. 3).

subsistens. Cum enim fieri terminetur ad esse, proprie ei convenit fieri, cui convenit per se esse, scilicet rei subsistenti (1). Idemque S. Doctor alias scribit cum Aristotele, illud quod generatur esse totum compositum ex materia et forma (2), et formas proprie non fieri, sed *comproduci* seu *concreari* (3); sicut magis sunt *coëxistentia*, quam *entia*, ex eo quod non subsistant (4). Eademque plane est sententia S. Bonaventuræ: *Proprie loquendo*, inquit, *forma non generatur, sed compositum. Cum enim producitur forma, non producitur in se nec per se, sed in materia, et sic facit compositum, et ad illud terminatur generatio; nihilominus generatio vel productio naturalis respicit compositum gratia formæ* (5).

Quare forma materialis, quia non est subsistens, non dicitur fieri vel esse per se, verum per accidens, et ut *quo*, quia non fit, nec est, nisi quatenus ea fit, et est compositum; sicut e converso dicitur non per se, sed per accidens corrumpi, quia per corruptionem subjecti, desinit etiam ipsa esse.

Dices. Materialis forma fit, ut nuper docuimus, per eductionem de potentia materiæ, atque adeo ita dependenter ab illa, ut per hujusmodi actionem non fiat ipsa materia. Atqui exinde aperte sequi videtur per eductionem formam solam per se primo fieri.—**Resp.** *neg.* Minor. «Quia loquendo de ordine temporis, non prius fit forma, quam compositum, neque e converso. Loquendo autem de ordine naturæ, compositum non solum prius fit, sed etiam absolute illud solum fit per hanc actionem: forma vero solum confit. Et quamvis demus, in aliquo genere causæ formam prius natura educi, quasi ordine executionis, absolute tamen non intelligitur terminata actio, nec factum id, quod per se primo intenditur, donec fit totum compositum. Nec refert, quod aliqua pars compositi supponatur, et non formæ: oportet enim quatuor genera actionum distinguere:

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 1 ad 12.um Cfr. ibid. art. 8; 1.ª dist. 23, quæst. 1, art. 1; 1 p., quæst. 45, art. 4, et art. 8; et quæst. 65, art. 4.

(2) S. Thom., *Metaph.*, lib. 7, lect. 8; lib. 12, lect. 5.

(3) S. Thom., 1 p., quæst. 45, art. 4, et art. 8.

(4) S. Thom., 1 p., quæst. 45, art. 4.

(5) S. Bonavent. 2.ª dist. 7, part. 2.ª, art. 2, quæst. 1 ad argum.

quædam enim est actio productiva tantum, et non unitiva, et hæc semper terminatur ad rem simplicem, et ideo ex se terminari potest ad entitatem partialem, si nata sit hoc modo produci, et talis est creatio animæ rationalis, atque idem est de creatione materiæ primæ, ut opinor. Alia est actio unitiva tantum et non productiva componentium, ut est generatio hominis, et hæc sine controversia terminatur tantum ad compositum *ut quod*, et ad unionem *ut quo*. Rursus est alia actio ita productiva alicujus compositi, ut simul sit unitiva et comproductiva omnium componentium, et hujusmodi est creatio prima corporum elementarium, quam constat per se primo terminari ad compositum, concomitanter vero ad materiam et formam. Alia denique est actio, simul unitativa e comproductiva alterius partis componentis ex præsuppositione alterius, et hujusmodi est actio eductiva, de qua nunc agimus, et ideo non est de ejus ratione, ut ipsius adæquatus terminus ita fiat de novo, ut nulla ejus pars præsupponatur esse (1).

Estque unica in singulis corporibus.

Forma dicitur etiam in singulis corporibus unica (2), cujus rei hæc ratio redditur: forma dat *esse* corpori, id est, in sua specie constituit, unius autem corporis una species atque essentia est. Audi S. Thomam: *Unius rei est unum esse substantiale. Sed forma substantialis dat esse substantiale. Ergo unius rei est una tantum forma substantialis* (3).

Hoc attributum formæ hic expendere pro dignitate non possumus, nimis enim longam postularet tractationem, alio commodius differendam. Sufficiat ergo pauca quædam notare de celeberrima controversia circa pluralitatem formarum in eodem subjecto, quam fuse atque eruditissime discussam vide apud Suarezium (4).

Quid dicendum de formarum pluralitate.

In primis plures formæ concipi in eadem materia possent, vel invicem *subordinatæ*, quorum aliæ aliis subservirent, subjectumque disponerent ad earumdem receptionem; vel

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 15, sect. 4, n. V.

(2) De hoc argumento habet S. Thomas integrum opusculum, quod *de Pluritate formarum* inscribitur.

(3) S. Thom. 1 p. quæst. 76, art. 4.

(4) Disp. *Metaph.* 15, sect. 10. Cfr. alii veteres *Cursus Philosophiæ* passim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non *subordinatæ*, sed inter sese *disparatæ*, quarum aliæ aliarum consortio minime egerent ad subjectum perfecte actuandum et ultimo complendum, quales essent, v. g. formæ duorum elementorum diversorum. Itaque de formis hujusmodi non sibi mutuo subordinatis, sed disparatis, communis est Peripateticorum sententia, plures esse simul in eodem subjecto seu materia naturaliter non posse; idque plane evincit manifestissima illa ratio, quam modo attulimus.

De formis autem invicem subordinatis variæ perhibentur sententiæ. Prima Avicennæ, statuentis formam quamdam corporeitatis, materiæ coævam, atque inseparabilem, et prorsus incorruptibilem, cujus munus sit substantiam in gradu corporeitatis generico reponere, qui gradus deinceps contrahatur per formas peculiares et specificas singulorum corporum. Hæc sententia jam pridem antiquata est, et refutatur a Suarezio (1). Alia sententia, quæ paucos nacta est patronos, multiplicat formas pro diversitate prædicatorum essentialium et graduum entitatis, ita ut corpus ab alia forma esset substantia, ab alia corpus, ab alia vivens etc. Hanc pariter jam antiquatam rejicit Suarezius (2). Utraque hæc sententia vel eo solum nomine satis excluditur, quod una sola forma sufficiat ad speciem diversaque prædicata essentialia corpori tribuenda. Id patet exemplo animæ in homine, quæ cum una sit tantum, ut certum omnino est ex alibi dicendis; tribuit non solum gradum specificum rationalis, sed etiam genericos animalis et vegetabilis entis, immo et ipsam rationem corporis, quemadmodum ostendetur in *Psychologia*, Deo favente, contra Scotistas. Frustra ergo multiplicantur formæ, ubi una sufficit. Tertia est opinio eorum, qui formas elementorum in mixtis integras atque incorruptas admittebant: qua de re fuse superius egimus.

Quarta succedit opinio celebertrima Scoti et Henrici Gandavensis, qui formam corporeitatis posuerunt in viventibus,

(1) Disp. *Metaph.* 13, sect. 3, n. 12 seqq.; et disp. 15, sect. 10, n. 4 seqq.

(2) Disp. *Metaph.* 15. sect. 10, n. 5 seqq. Cfr. *de Anima*, lib. 2, cap. 6, n. 4.

ille quidem in omnibus, hic vero solum in homine. Hujusmodi forma esset ea ipsa, quæ in corpore viventium statim post animæ separationem remanet, antequam organismus destruatur, ejusque munus esset «constituere materiam in *esse* corporis physici organici, quod est proprium viventium, et quod ita constitutum ordinaretur, ut ultimo complebile, ad animam per quam constituitur in specie corporis viventis», ut ait Lossada (1). Hanc opinionem Scotistarum communissime refutant Thomistæ nostrique Auctores (2). Cæterum principium hoc de una tantummodo forma in singulis corporibus, communissimum inter Scholasticos, sæpe assumitur ab Angelico Doctore (3).

Formæ se habent sicut numeri

Cum hac doctrina de unitate formæ substantialis in singulis corporibus intime conserta est, tamquam ejusdem complementum et corollarium, illa alia pulcherrima doctrina Doctoris Angelici, quæ formas numeris assimilat ita, ut quemadmodum in numeris additio unitatis variat speciem, novumque numerum efficit continentem numeros inferiores et aliquid amplius, idem quoque locum habeat in formis substantialibus. Sed præstat audire Aquinatem: *Relinquitur... dicendum, quod cum formæ rerum naturalium sint sicut numeri, in quibus est diversitas speciei; addita vel subtracta unitate, ut dicitur (in octavo Metaphysicorum text. comm. 10), oportet intelligere diversitatem formarum naturalium, secundum quas constituitur materia in diversis speciebus ex hoc, quod una addit perfectionem super aliam, ut puta quod una forma constituit in esse corporali tantum* (4): *hunc enim oportet esse infimum gradum formarum materialium, eo quod materia non est in potentia nisi ad formas corporales: quæ enim incorporeæ sunt, immateriales sunt... Alia autem perfectior forma constituit materiam in esse corporali, et ulterius dat ei esse vitale,*

(1) Op. cit. tom. 2. disp. 5. n. 5, ubi fuse refutatur ejusmodi forma corporeitatis.

(2) Vide Suarez (disp. *Metaph.* 15, sect. 10. n. 8 seqq.), Lossada (loc. cit.), et alios passim.

(3) Vide 1 p. quæst. 76, a. 3. 4; *Contr. Gent.* lib. 2. c. 58; *de Anima* art. 11; *Quodlib.* 1, q. 4. a 6; lib. 2. *de Anima*, lect. 1. paragr. 4; *de Spirit. creat.* art. 3, etc.

(4) Numirum corporis non viventia.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et ulterius alia forma dat ei et esse corporale et esse vitale, et super hoc addit ei esse constitutivum, et sic in aliis.. (1).

Hinc nulla est necessitas multiplicandi formas pro varietate perfectionis, sed *quod in rebus naturalibus ad altiorem gradum perfectionis attingit, per suam formam habet quidquid perfectionis convenit inferiori naturæ, et per eamdem habet id, quod eidem de perfectione superaditur. Sicut planta per suam animam habet, quod sit substantia, et quod sit corporea, et ulterius quod sit animatum corpus; animal autem per suam animam habet hæc omnia, et ultra, quod sit sentiens; homo autem super hæc omnia habet per suam animam, quod sit intelligens* (2). Et rationem reddit S. Doctor hujus doctrinæ: *Quod quidem sic considerari potest. Forma enim est similitudo agentis in materia. In virtutibus autem activis et operativis hoc invenitur, quod quanto aliqua virtus est altior, tanto in se plura comprehendit, non composite sed unite, sicut secundum unam virtutem sensus communis se extendit ad omnia sensibilia, quæ secundum diversas potentias sensus proprii apprehendunt. Perfectioris autem agentis est inducere perfectiorem formam. Unde perfectior forma facit per unum omnia, quæ inferiores faciunt per diversa, et adhuc amplius. Puta si forma corporis inanimati dat materiæ esse et esse corpus, et forma plantæ dabit ei et hoc, et insuper vivere. Anima vero sensitiva et hoc, et insuper sensibile esse. Anima vero rationalis e. hoc, et insuper rationale esse etc.* (3).

ARTICULUS V.

Solvuntur difficultates.

Objectiones, ut clarius procedamus, in tria capita distribuemus; primum earum, quæ integrum systema, alterum earum, quæ materiam primam, tertium denique earum, quæ substantiales formas conantur profligare.

(1) S. Th., quæst. *de Anima*, art. 9; et quæst. *de Spirit. creat.* art. 3, vers. fin. Vide etiam 1. p. q. 76, art. 3, vers. fin. corp.; et *Quodlibeto* 1. a. 6; Opusc. de *Pluralitate formarum* etc.

(2) S. Th. *Comp. Theol.*, c. 92. Cfr. lib. 2, de *Anima*, lect. 1, paragr. *d*; *Quodlib.* 11, q. 5, a. 5; et alibi.

(3) Quæst. *de Spir. creat.*, art. 3, vers. fin.

§ I.—DIFFICULTATES CONTRA INTEGRUM SYSTEMA.

157. **Objic. 1.°** Rejicienda est illa hypothesis, quæ magnas patitur difficultates, si aliæ hypotheses planæ atque intelligibiles ad rem, de qua agitur, explicandam idoneæ præsto sint. Atqui Scholasticorum hypothesis magnas certe patitur difficultates, aliæque opportunæ hypotheses non desunt. Ergo...

Resp. *dist.* 1.am partem Majoris; si difficultates illæ insuperabiles sint, *conc.*; secus, *trans.*

Contradist. 1.am partem Minoris. Systema scholasticum patitur difficultates insuperabiles, *neg.*; facilius superabiles aliis systematibus, quæ perhibentur, *conc.* Et *nego* 2.am partem Minoris.

Objic. 2.° Illud systema rejicienDum omnino est, quod ea ipsa facta, quæ maxime explicare deberet, non explicat; præsertim si aliud adsit systema, quod facta illa commode explicat. Atqui peripateticum systema nullum factum, nullas leges compositionem corporum respicientes explicat, explicat vero solide, dilucide, harmonice, pulchre omnia chymicum systema. Ergo.

Resp. *dist.* 1.am partem Minoris; id est nullius facti aut legis rationem reddere potest, *neg.*; id est, non explicat, et describit facta et leges, quatenus respiciunt proxime modum practicum, quo compositionis et resolutiones chimicæ peragi debeant, *subdist.*: quia id non spectat ad provinciam suam, *conc.*; secus *neg.*

Distinguo etiam 2.am partem; chimicum systema omnium factorum reddit sufficientem rationem, *neg.*; ea facta dilucide explicat, et describit, quæ practicum modum continent chimicas operationes peragendi, *conc.* Verum patent hæc ex superius dictis.

Objic. 3.° Constat combinationes omnes corporearum substantiarum lege *proportionum determinarum* et *multiplorum* regi. Atqui harum legum in hypothesi peripatetica nulla reddi ratio potest. Ergo.

Resp. *neg*, Minor. Combinationes enim fiunt ope virium, quas affinitates dicunt, quasque, seclusa vocabuli novitate,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

admissas a priscis Philosophis esse constat. Dicet ergo Peripateticus vires illas, per quas agunt mutuo corpora, et agendo se miscent, ut novum corpus efficiant, non aliter apte ad hunc finem agere posse, nisi secundum eas proportiones et conditiones, quæ duplici laudata lege continentur: verbo idem respondere poterit, quod Chimicus. Sicut enim experientia docet ignem comburere, vel certam vim caloris certum dilatationis gradum gignere; ita experientia docet combinationes legibus proportionum determinatarum et multiplorum subjici.

Objic. 4.° Systema Scholasticum docet materiam et formam non esse substantias completas, sed partes tantum substantiæ. Atqui hæc hypothesis pugnat cum certissimis principiis Philosophiæ. Ergo... Probatur Minor. Quæcumque realitas vel substantia est, vel accidens. Atqui duplex illa realitas, materia et forma, nec substantia est nec accidens. Non accidens, quia ex compositione accidentium nequit resultare substantia. Non substantia, quia si esset substantia, non esset pars substantiæ, sed completa et integra substantia; siquidem substantia, cum in indivisibili consistat, si non est completa, nullo modo substantia est.

Resp. *Neg. Minor* ad probat. *conc.* Major., et *neg.* primum membrum Minoris. Materia et forma non dicuntur partes substantiæ, quasi non competat eis tota ratio ac definitio substantiæ, sumptæ in sensu transcendentali, quatenus est ens per se vel, ensn on in alio, et complectitur omnem realitatem non accidentalem, quæcumque illa sit. Sed dicuntur partes substantiæ, sumptæ in sensu prædicamentali, substantiæ videlicet completæ; non enim ipsæ seorsim ab alia præ se ferunt totam illam perfectionem substantialem, quam ex naturæ instituto debent habere, sed eam accipiunt per unionem cum alia comparte, constituendo corpus. Verum hæc fusius declarata et demonstrata sunt in *Ontologia*, ubi relegi possunt (1).

Objic. 5.° Unum ex dogmatis, quæ Peripatetici postulant, est mutua corporum saltem elementarium transmutabilitas. Atqui id absurdum est.

(1) *Ontol.* n. 278. 279. pag. 810 seqq.

Resp. *dist.* Major. Peripatetici recentiores, *neg.*; antiqui, *subdist.*: idque non suo, sed temporum vitio, et ex rudi scientiarum naturalium conditione ac statu, *conc.*; secus, *neg.* In hac parte nos Chimicam consulimus; et transmutationes substantiales admittimus ad mixtorum generationem; mutuas autem elementorum aliorum in alia conversiones admittendi jus non habemus, nisi *forte* in corporibus *allotropis*, quæ secundum superius dicta nullo alio modo melius explicari videntur, quam per substantialem transmutationem in alium statum, in quo diversissimas præ se ferant proprietates. Quamquam fateor phænomena allotropiæ obscurissima omnibus esse.

§ II.—DIFFICULTATES CONTRA MATERIAM PRIMAM.

158. **Objic. 1.°** Nulla est necessitas materiæ primæ, si generationes substantiales fieri possint absque ullo communi subjecto, quod ab uno *esse* vel forma transeat ad aliud. Atqui explicari eo modo possunt generationes substantiales. Ergo... Et probatur Minor. Quia possumus dicere hanc esse legem in natura, ut in productionibus totum, quod præcessit, prius destruatur, ac deinceps totum pariter corpus de novo gignatur.

Resp. *neg.* Minor., ejusque probationem, quæ jam præoccupata fuit, cum probaretur existentia materiæ primæ.

Objic. 2.° In rebus naturalibus, quæ in aspectum cadunt, debemus judicium sensuum sequi. Atqui sensus in transmutationibus substantialibus nullum subjectum, quod remaneat, corrupto priori corpore, nobis exhibent; secus atque in accidentalibus mutationibus. Ergo neganda est materia prima.

Resp. *dist.* Major. Solum judicium sensuum sequi debemus, *neg.*; judicium sensuum ratiocinatione mentis adjutum et perfectum, *conc.*

Contradist. Minor. Sensus soli, *trans.*; sensus ratiocinatione adjuti et perfecti, *neg.* Si enim in generationibus nullum subjectum substantiale remanet, sed totum prævium corpus in nihilum redigitur, et totum novum creatur; cur nova corpora et augmentationes ac nutritiones semper, ad

hoc ut existant, alia corpora præsupponunt? quis præsuppositа illa corpora totaliter destruit? an seipsa interimunt? an a novis destruuntur? Sed cur ita, si omnia pacifice existere possunt, quoad commune subjectum, mutatis dumtaxat formis, potissimum si sufficiens omnibus capiendis pateat locus? Verum hæc omnia nimis nota atque evidentia sunt (1).

Objic. 3.° Materia prima dicitur pura potentia. Atqui pura potentia nequit esse reale principium, cum sit physice nihil. Ergo..

Resp. *dist.* Major. Dicitur pura potentia logica, *neg.*; pura potentia subjectiva et physica, *conc.*

Et *contradist.* Minore ac ejus probatione, *neg.* conseq. Omniaque patent ex superius declaratis.

Objic. 4.° Materia prima, saltem juxta Thomistarum doctrinam, ex se non habet *esse*, sed habet a forma ut sit; forma autem ex materiæ potentia dicitur educi. Atqui hæc repugnant; nam tunc se invicem causarent materia et forma.

Resp. *Transmissa* Majore, *neg.* Minor., et hujus probationem *disting.* Materia et forma sibi invicem causa forent in diverso genere causalitatis, *trans.*; in eodem, *neg.* Tum *neg.* conseq. Jam notavimus superius materiæ potentialitatem diversimode ab auctoribus declarari; objectio vero cum unam tantum illarum explicationem impetat, ad summum probaret, illam haud satis aptam esse, ideoque alteram teneri debere. Quamquam ne id quidem necessario sequitur, quandoquidem in nullius sententia materia dicitur esse *pura potentia* logica; sed juxta omnes communiter AA. est vera potentia physica (2), quæ proinde potest causalitatem suam subjectivam præbere, ut forma ex ipsius potentia educatur. Et sic materia causat formam (loquor semper de formis materialibus), sustentando eam; forma vero causalitatem exercet in materiam, communicando ipsi *esse* substantiale ac specificum et existentiam. Cæterum cum aliam nos hac de re sententiam probabiliorem reputemus, nullum nobis objectio hæc negotium facessit.

(1) Vide Angelicum Doctorem, *de Potent.*, quæst. 5, art. 4; I P., quæst. 104, art. 4; quibus in locis ostenditur nullam rem annihilari. Cfr. Suarez, disp. 13 *Metaph.*, sect. 1, num. 6-10.

(2) Cfr. superius dicta in articulo præcedenti.

Objic 5.° Materia pariter dicitur *in potentia omnia*. Atqui id contradicit experientiæ omnium sæculorum.

Resp. *dist* Major. Scilicet est in potentia remota ad formam cujuslibet corporis, *conc.*, est in potentia proxima et expedita, *neg.*

Contradist. Minor., et *neg.* conseq. Quemadmodum ex hactenus dictis abunde patet, nihil studiosius cavere in hac disputatione conati sumus, quam ut quidquam a priori decerneremus, eo semper animum intendentes, ut ex phænomenis experientiæ ad corporum naturam materiæque et formæ essentiam cognoscendam assurgeremus. Experientia porro, chimicis observationibus illustrata et perfecta, non alias corporum trasmutationes perspicuas atque indubias nobis exhibet præter simplicium in mixta syntheses et compositorum in simplicia resolutiones, ac forte transformationes allotropicas. Itaque non sic possumus materiæ potentiam ad omnia intelligere, ut corrupto quolibet corpore, materia ipsius illico accipere possit quamlibet aliam formam, et ita quodlibet corpus etiam simplex v. g. in aurum convertatur. Quamquam enim materia prima, utpote una specifice in omnibus corporibus, quantum est de se, copulari possit cum qualibet horum forma, tamen fieri bene potest, ut semel copulata uni formæ, cum qua certum constituat corpus, multas alias recipere, cumque illis certa alia corpora constituere, non possit, non quidem ex defectu *potentiæ passivæ* in ipsa, sed ex defectu *potentiæ activæ* in agentibus, quæ communiter applicantur, nimirum ex conditione causarum naturalium, quæ virtutem non habent formas illas educendi. Quare materia prima ex se quidem nulli formæ repugnat, sed tamen dum est sub formis certorum corporum, non habet potentiam proximam et expeditam, ut possit certas alias formas accipere.

§ III.—DIFFICULTATES ADVERSUS FORMAM SUBSTANTIALEM

159. Objic. 1.° Unumquodque componitur ex iis, in quæ per chimicam analysin resolvitur. Atqui in chimica resolutione nullum cernitur formæ substantialis vestigium. Ergo.....

Resp. dist. Major. Unumquodque ex iis *solis* componitur, quæ in resolutione chimica oculis cernuntur, *neg.* Illa quæ in analysi chimica deprehenduntur, vere componebant corpus, saltem aliquo modo, *trans.*: de hoc enim fuse disputatum est in primo capite (1).

Trans. Minor, et *neg.* conseq. Fac analysin chimicam canis vel hominis, et nullibi poteris videre animam, quæ tamen certissime compositum constituebat caninum vel humanum. Nimirum *nulla forma substantialis est per se sensibilis, sed solo intellectu comprehensibilis* (2).

Objic. 2.° Forma substantialis, quæ sit entitas realis et physica distincta realiter a materia, vel ex ipsa Philosophi ac D. Thomæ doctrina rejicienda est. Nam juxta hos Scholæ peripateticæ principes duces, *forma... non generatur, nec fit nisi per accidens, nec proprie habet esse.* Atqui hæc intelligi nequeunt, admisso peripatetico formæ substantialis conceptu. Sane quod nec est, nec fit, nihil est nisi pure possibile.

Resp. *neg.* assert. Ad probation. *neg.* Minor. Nam prout jam satis explicuimus, licet forma non sit, nec fiat *per se*, nempe instar subsistentis, sed vere fit, et est quodammodo per accidens, seu concomitanter et *ut quo*, quatenus ea in actum educta fit, et est compositum; et ita etiam dicitur *confieri*. Quare «neque Aristoteles nec D. Thomas omnino negat formam vere produci; quin potius ita loquitur sæpe S. Thomas, v. g. quæstione 3.^a *de Potentia* (a. 8. ad 10.^um): *Forma tota præexistit in potentia, et postmodum tota producitur in actu.* Et eadem quæstione (art. 9 in corp.): *Forma exit in esse per generationem:* quia scilicet producitur eadem actione, qua compositum generatur. Ea tamen actio, quæ respectu compositi dicitur *generatio*, illudque denominat *generatum* seu *genitum*, respectu formæ dicitur *eductio*, illamque denominat, non *genitam*, sed *eductam*. Quare? Quia ita fert usus veterum» (3).

Objic. 3.° Substantia non est id, quod alteri tamquam subjecto inhæret. Atqui forma substantialis materiæ tamquam

(1) Artic. 4.

(2) S. Thom., lib. 2. *de Anima* lect. 14, paragr. *h*.

(3) Lossada, *Physic.* tract. 1. disp. 4. c. 2. n. 12. 13. Et vide Suar. citat. disp. 15, sect. 4, n. 4.

subjecto inhæret. Ergo forma, quæ substantialis dicitur, vere substantia non est, sed accidens (1).

Resp. dist. Major. Substantia non est id, quod alteri tamquam subjecto complete constituto in sua essentia et specie inhæret, quodque *subjectum inhæsionis* dicitur, *conc.* Substantia non est id, quod alteri inhæret tamquam subjecto incompleto, quod illius actum ex naturæ ordinatione postulat, ut integram essentiam et speciem præ se ferat, quodque *subjectum informationis* vel *sustentationis* dici potest, *neg.*

Contradist. Minor., et *neg.* conseq. Solutio satis, puto, manifesta est ex iis, quæ supra de completa et incompleta substantia explicuimus. Sunt enim nonnullæ entitates adeo imperfectæ atque imbecilles, ut vel ad ipsum primum *esse* rei complete exhibendum, unionem et consortium sibi vindicent alterius compartis. Ita sola materia non habet *esse* primum corporis, sed est potentia, quæ per aliam realitatem actuata, illud habebit; et forma pariter non est totum *esse* primum corporis, sed actus, qui in materia receptus corpus in *esse* primo complet. Et quamquam forma non potest *esse* primum corpori tribuere, essentiamque ejusdem constituere, nisi *materiam informando, materiæ inhærendo* tamquam subjecto; accidens tamen dici nequit, accidens enim non est actus, qui potentiam substantiæ materialis complet in ratione integræ essentiæ naturalis. Unde solus conceptus *inhæsionis*, seu *informationis*, seu *essendi in alio*, non constituit definitionem accidentis, nisi addatur vel subaudiatur inhæsionem illam in eo subjecto locum habere, quod jam aliunde completa gaudeat essentia (2).

Instabis. S. Thomas (3) contra accidentium a substantia separationem in Eucharistia hoc sibi proponit argumentum secundo loco ex ipsis accidentis et substantiæ definitionibus: *Ad definitionem accidentis pertinet, quod sit in subjecto, ad definitionem vero substantiæ, quod per se subsistat, non in*

(1) Cfr. apud Suar. *Metaph.* disp. 15, sect. 1, n. 2.

(2) Cfr. Suar., disp. 15, sect. 1, n. 19, 20; disp. 16, sect. 1, n. 13. Et vide quæ in *Ontol.* n. 275, pag. 708 diximus de subjecto, ubi explicatum manet, qualenam subjectum sit illud, cui accidens inhæret.

(3) S. Thom., 3 p., quæst. 77, art. 1, arg. 2.

subjecto. Atqui in responsione non usurpat hanc nostram doctrinam, sed difficultatem solvit, dicens in illis definitionibus *inhæsionem* aut non *inhæsionem* non sumendas esse *actualiter*, sed *aptitudinaliter* et secundum exigentiam. *Non est ergo definitio substantiæ*, inquit, **ens per se sine subjecto**, *nec definitio accidentis*, **ens in subjecto**; *sed quiddităti seu essentiæ substantiæ* **competit habere esse non in subjecto**; *quiddităti autem, sive essentiæ accidentis* **competit habere esse in subjecto**. Ergo S. Thomas censuisse putandus est, quidquid alteri tamquam subjecto inhæret, aut inhærere postulat, accidentis habere rationem.

Resp. *dist.* Minor. Non usurpavit expositam a nobis doctrinam, quia illa instituto suo non conducebat, *conc.*; quia eam non approbabat, *neg.* Doctrina superius declarata omnino S. Thomæ est, non uno in loco tradita. Sic in Opusculo de *Natura accidentis*: *Et quia esse*, inquit, *est actus entis, hoc autem verum* **inesse** *est designans inhærentiam accidentis; ideo* **inesse rei perfectæ** *est esse accidentis, quod* **extraneum a rei natura esse necesse est** (1).

Verum opus non est, ut hic diutius immoremur. Angelici enim Doctoris et commune Scholasticorum principium est, formas alias esse subsistentes, alias *inhærentes*, et materiam esse in *potentia* ad formam, formam vero esse *actum*, qui *recipitur* in materia: quæ aliaque axiomata peripatetica, immo tota theoria circa corporum constitutionem, necessarid postulant formæ substantialis inhæsionem in materia, quæ proinde illius subjectum existit. Denique communis divisio formæ in substantialem et accidentalem satis ostendit, informationem esse utrique communem, et differentiam proinde

(1) Vide etiam quæst. *de Spirit. creat.*, art. 3, ubi hæc habentur manifestissima: *Secundo vero, quia in hoc consistit ratio accidentis, quod sit in subjecto*, **ita tamen quod per subjectum intelligatur aliquod ens actu, et non in potentia tantum**; *secundum quem modum forma substantialis non est in subjecto*. Et alibi: *Per animam enim intelligimus id, quo habens vitam vivit: unde oportet, quod intelligatur sicut aliquid* **in subjecto existens; ut accipiatur hic large subjectum, non solum prout subjectum dicitur aliquid ens actu, per quem modum accidens dicitur esse in subjecto, sed etiam secundum quod materia prima quæ est ens in potentia dicitur subjectum.** S. Thom., lib. 2.º *de Anima*, lect. 1, paragr. *d*.

quærendam esse in eo, quod substantialis forma primam et intimam rei entitatem constituat, accidentalis vero constitutam supponat. Itaque quando substantia dicitur non inesse in alio tamquam in subjecto, secus atque accidens, nomine *subjecti* debet intelligi ex communi sententia subjectum, quod sit substantia completa, hæc enim proprie et simpliciter et quasi antonomastice subjectum dicitur (1).

Objic. 4.º Inter corpus et spiritum nihil substantiale datur medium. Atqui forma substantialis, juxta Peripateticos, neque est corpus neque spiritus. Ergo est aliquod ens prorsus chimæricum.—**Resp.** *neg.* Major. Principia enim corporis intrinseca neque spiritus neque corpus esse possunt.

Objic. 5.º Forma substantialis dicitur produci in generationibus substantialibus. Atqui causæ naturales pertingere nequeunt ullius entitatis substantialis productionem. Ergo... Prob. Minor. Nam causæ naturales non agunt nisi per motum. Sed motu non gignitur nisi motus vel quædam dispositio rei motæ, non vero ulla nova entitas substantialis. Ergo...

(1) Ad rem Angelicus Doctor: *Duplex est esse, scilicet esse essentiale sive esse substantiale rei, ut hominem esse; et hoc est esse simpliciter. Est autem aliud esse accidentale, ut hominem esse album; et hoc est esse secundum quid. Ad utrumque autem esse est aliquid in potentia: aliquid enim est in potentia, ut sit homo..., aliquid in potentia, ut sit album... Sed in hoc differunt: quia illud quod est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia ex qua: quod autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur materia in qua. Item proprie loquendo, illud quod est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia prima: quod autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur subjectum: subjectum enim dat esse accidenti, scilicet existendi, quia accidens non habet esse nisi per subjectum: unde dicitur quod accidentia sunt in subjecto. Et secundum hoc differt materia a subjecto, quia subjectum est, quod non habet esse ex eo, quod aliquid ei advenit, sed quod est per se, et habet esse completum, ut homo non habet esse per albedinem. Sed materia dicitur quod habet esse ex eo, quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, imo nullum esse habet, ut dicit Commentator in 2 de Anima. Unde simpliciter loquendo, forma dat esse materiæ, accidens autem non dat esse subjecto, sed subjectum accidenti: licet aliquando ponatur unum pro alio, scilicet materia pro subjecto, et e contrario.* S. Thomas, *de Principiis naturæ*. Cfr. 1 p., quæst. 76, art. 4; *de Ente et Essent.* c. 7. *Unde forma quamvis in se considerata* etc.

Resp. *neg.* Minor.

Ad probation. *dist.* Major. Ita ut non aliam exserant activitatem præter merum localem motum, *neg.*: ita ut localis motus sit quasi vehiculum actionum causarum naturalium, *conc.*

Contradist. Minor. Motu pure locali, *trans.*; motu physico seu operatione naturalium causarum, *neg.* Quod causarum naturalium activitas ultra motus mechanici et accidentalium ambitum modificationum non porrigatur, doctrina quidem est atomistarum, nondum tamen satis solidis argumentis confirmata. Nos vero qui necessitatem formarum substantialium agnoscimus ad rite explicandas mutationes substantiales, logice concludimus admittendas esse vires in natura et activitatem formis ejusmodi producendis parem. Si quis autem quærat, ubinam est ejusmodi activitas, respondebimus eam repetendam esse a formis substantialibus et qualitatibus corporum ipsorum, quæ invicem agunt, non solum loco movendo, sed etiam alterando atque adeo destruendo corporea composita (1). *Propria forma*, inquit Angelicus, *uniuscujusque faciens ipsam esse in actu, est principium operationis ipsius* (2). Verum de his inferius accuratius disputandum est: quare ab aliis difficultatibus hac super re urgendis nunc supersedemus.

Objic. 6.° Forma substantialis dicitur educi de potentia materiæ. Atqui formarum eductio vel absurdum continet, vel nihil aliud est in reipsa, quam creatio. Ergo Peripatetici vel absurda cogentur admitere, vel creandi potestem naturalibus causis tribuere. Prob. Minor. Eductio enim illa vel ita intelligitur, ut formæ substantiales in materia præexistant, sive secundum se totas, sive saltem secundum partem sui, vel ita ut nihil de illis præexistat, ideoque secundum se totas producantur. Primum a nobis ipsis tamquam absonum veritati repudiatum est; alterum vero implicat formæ substantialis productionem de nihilo, videlicet creationem. Ergo stat Minor probanda.

(1) Cfr. in hanc Suarezius, *Metaph.* disp. 15, sect. 1, n. 17; disp. 18, sect. 1, n. 14, seqq. et sect. 2.

(2) 3. 2. quæst. 179. a. 1.

Resp. 1.° *neg.* Minor.

Ad hujus probationem, *conc.* Major., et eligo secundum membrum. Minoris primam partem *conc.*, alteram *dist.* Eductio implicat formarum substantialium productionem e *nihilo sui*, sed ex præjacente materia, *conc.*; *e nihilo sui et subjecti*, quemadmodum ratio postulat creationis, *neg.*

2.° Responderi etiam potest, retorquendo totam vim argumentationis objectæ contra productionem formarum accidentalium. Intellectio et volitio actiones sunt reales, quæ proinde realem quoque sibi terminum vindicant: *realem*, inquam; si enim controversia de nomine seponatur, actus ipse intelligendi et volendi, ad quem intellectio et volitio illa terminantur, aliquid est independenter ab omni mentis consideratione, atque adeo reali aliqua gaudet entitate. Quæro ergo de hujusmodi entitate, sitne terminus creatus. Qua in re neminem fore puto, qui tantisper hæreat. Atqui tamen actus ille prius non existebat, et totus quantus e *nihilo sui* productus est. Igitur sola rei productio ex nihilo sui constituere actionem creativam nequit, nisi etiam prævio subjecto careat, in quo actio exerceatur, et recipiatur terminus productus. Audi, quæ scribit S. Basilius super illa verba *Genesis* (cap. 1, vers. 11). **Germinet terra herbam:** *Nec tanc palmam aut quercum aut cupressum aliquo in loco inferioris uteri sui extenus retrusa, in apertum et propalam eduxit et edidit.* **Germinet**, inquit, **terra**: *non id quod habet emittat, sed id quo non est prædita, consequatur, actionis operationisque Deo facultatem atque potentiam largiente* (1). Quæ quamquam de viventibus scripta fuerint, locum habent generatim in generationibus corporum inorganicorum secundum proprium gradum.

Instabis 1.° S. Thomas (2) creationem definit *emanationem totius entis a causa universali.* Atqui exinde aperte sequitur vera formarum substantialium creatio. Et probo. Id quod producitur in eductione formarum de potentia materiæ est ipsa forma substantialis. Aliunde vero nihil de formæ entitate præexistit. Ergo tota quanta de novo producitur, ac proinde

(1) Homil. 8 in *Hexaem.*

(2) 1 p., quæst. 45, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

productio ejusdem vere est emanatio totius entis, quod e possibilitatis statu ad actum emergit existentiæ.

Resp. *dist.* Major. Creatio ad mentem S. Thomæ est emanatio totius entis nimirum totius suppositi vel subsistentis, quod secundum totam suam realitatem accipiat existentiam, *conc.*; entis non subsistentis, *neg.* Nulla est in doctrina Doctoris Angelici reliquorumque Scholasticorum contradictio. Una enim est omnium communis ratio loquendi, secundum quam terminus *qui* creationis, et etiam generationis, est res subsistens, cum hoc tamen discrimine, ut terminus creationis totaliter fiat, terminus autem generationis non fiat totaliter, sed ex præsupposito subjecto. Jam vero materialis forma non est subsistens, sed subsistit in materia tamquam actus ejus, dependens ab illa in *esse*. Ergo quod tota entitas formæ, prout a materia condistinctæ, sit simplex, ac totaliter in illa sua incompletæ substantiæ ratione producatur, satis non est, ut creari dicenda sit; sed præterea requiritur, ut neque in *fieri* neque in *esse* ab ullo subjecto seu materia dependeat, ac proinde sit terminus *qui* productionis: id enim poscit ratio entis subsistentis. Cum itaque formæ omnes, rationali excepta, a præjacente subjecto dependeant, non recte potest illarum productioni definitio creationis applicari. Neque enim ejusmodi formæ e nihilo producuntur, sed e potentia educuntur materiæ; neque per earum productionem revera *totum ens* (quod sit terminus *qui* actionis) emanat a causa efficiente, sed partim emanat, partim præsupponitur.

Instabis 2.° Atqui id purus verborum lusus videtur, et forma substantialis non modo *e nihilo sui*, verum etiam e nihilo subjecti educitur. Nam minime fit e subjecto, quod subjecto non constat, neque ex illo componitur. Atqui forma substantialis, cum sit essentialiter simplex, nec subjecto constat, neque ex illo componitur. Ergo nisi ludere vocibus velimus, forma vere creatur (1).

(1) Simili argumento veteres occasionalistæ suum errorem fulcire voluerunt apud Angelicum Doctorem (lib 3. *Contr. Gent.* cap. 69): *Hunc autem errorem rationibus confirmare conati sunt, ostendentes nullam formam*, **neque substantialem neque accidentalem, nisi per viam creationis produci in esse. Non enim possunt formæ et accidentia fieri ex materia, cum non habeant materiam partem sui.** *Unde si fiant, oportet, quod fiant ex nihilo, quod est creari. Et quia creatio solius Dei actio est... sequi videtur, quod solus Deus tam formas substantiales, quam accidentales, in natura producat.* Ex quibus etiam confirmatur, quam non sit vanus suspicio affinitatis, quam intercedere diximus superius inter atomismum et occasionalismum.

Resp. *neg.* subsumptam Minorem.

Ad probationem *dist.* Major. Minime fit e subjecto id, quod subjecto non constat, etc., si sermo sit de re subsistenti, *conc.*; si sermo sit de forma non subsistenti, *subdist.*: minime fit e subjecto, tamquam ex causa materiali intrinseca, quod subjecto non constat, etc. *conc.*; tamquam ex causa materiali extrinseca, *neg.*

Et *contradist.* Minor. Quia nimirum non habet causam materialem intrinsecam, *conc.*; secus, *neg.* Et *nego* conseq. Revoca in mentem, quæ superius observavimus de duplici causalitate materiali, intrinseca nimirum et extrinseca. Nam actio creativa et terminus vere cretus utramque excludit ex communi Scholasticorum sententia. Ut ergo aliquid vere creatum dicatur, non sufficit, ut in se non contineat partem aliquam, quæ prius extiterit, sed præterea tale esse debet, ut neque in sui productione, neque in sui existentia dependeat ab aliquo subjecto prius per aliam actionem producto. Atqui hæc ultima conditio in formam substantialem ejusque productionem minime quadrat. Ad rem insignis theologus P. Gregorius de Valentia: «Nec obstat, quod formæ naturales et artificiales, cum producuntur ab agentibus naturalibus et artificialibus, videntur ab eisdem creari, quandoquidem producuntur secundum se totas, et non componuntur ex subjecto. *Non*, inquam, *hoc obstat.* Nam, ut recte D. Thomas docet hic art. octavo (1), minime istæ formæ creantur. Nam etsi fiunt ipsæ totæ, *fiunt tamen ex subjecto, non ex quo componantur, sed ex cujus potentia educantur.* Adde quod proprie solum dicuntur creari res subsistentes. Itaque etiam tum, cum totum compositum crearetur, forma non diceretur *creari*, sed *concreari*, ut ibidem ait D. Thomas» (2).

(1) 1 p. quæst. 45.

(2) *Commentarior. Theologicorum...* tom. 1, disp. 3 q. 2. punct. 4, paulo post initium. Et vide Suarez. disp. *Metaph.* 15, sect. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Atque hic est creationis conceptus, qui apud Philosophos et Theologos christianos per plura sæcula invaluit. Mirandum porro vehementer foret, tot tantaque Ecclesiæ lumina tamdiu veram creationis rationem ignorasse.

Instabis 3.° Sed nonne tanta virtus requiritur ad eductionem hoc modo explicatam, quanta ad veram creationem? Subjectum enim præsuppositum, ex cujus potentia educi forma dicitur, revera causam hujus efficientem non juvat. Ergo ad eductiones formarum peripateticas virtus altior et potentior naturali quærenda erit.

Resp. *neg.* instantiam. Ad probationem *dist.* ant. Non juvat augendo virtutem ipsius, *conc.*; sustentando ejus actionem et fundamentum præbendo, *neg.* «Nam licet subjectum non coefficiat, nec vires agentis augeat in genere causæ activæ, vere tamen adjuvat in genere fundamenti, sine quo nihil efficeret causa creata; sicut nihil efficeret architectus sine fundamento, quo domum superstrueret, vel sine materia, in quam induceret formam domus. Hoc autem fundamento non indiget virtus creativa, quæ, utpote infinita, sine ullo fulcro aut sustentaculo præsupposito operari valet» (1).

Instabis 4.° Atqui exposita formæ productio ipsam penitus rationem eductionis pessumdat. Nam eductio est actio ex præsupposito subjecto. Atqui juxta nostram explicationem forma non fit ex materia, sed potius in materia. Ergo...

Resp. *neg.* subsumptam Minorem. Et probationis *dist.* Major. Eductio est actio ex præsupposito subjecto, intellecta vulgari modo *neg.*; philosophico, *conc.*

Et *contradist.* Minorem. Audi Aquinatem: *Id quod fit non est forma, sed compositum, quod ex materia fit, et non ex nihilo. Et fit quidem ex materia, in quantum materia est in potentia ad ipsum compositum, per hoc quod est in potentia ad formam. Et sic non proprie dicitur, quod forma fiat in materia, sed magis quod de materiæ potentia educatur* (2). Nam quamvis *educi*, scribit P. Ludovicus Lossada in sensu vulgari significet *extractionem* rei præexistentis et alicubi latentis; at in sensu philosopico non id significat, sed veram *productionem*

(1) Lossada, Op. cit., tr. 1, disp. 4, cap. 3, n. 35.
(2) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 3, art. 8.

rei dependentes a causa materiali non constitutiva. Sic *producere* apud Philosophos proprie significat *dare esse;* cum tamen apud vulgus aliter significet, ut cum quis dicitur producere testes aut copias. Est ergo formam educi, poni extra potentiam passivam materiæ: non ita, ut a materia separetur, cum potius ei intrinsece inhæreat; sed, ita, ut actualiter accipiat *esse* per actionem a materia pendentem, vi cujus actionis potentia passiva materiæ reducitur in actum sive exercitium. Sic effectum produci idem est, ac poni extra causam efficientem, non quod intra illam præextiterit, sed quia producitur per actionem, vi cujus reducitur ad actum potentia activa causæ efficientis» (1). Sed hæc satis patere videntur ex declaratione, quam suo loco præmisimus actionis eductivæ.

Alias difficultates adversus argumenta, quibus probatur a nonnullis recentioribus peripateticum systema, fieri solitas, dissolvi a nobis in hoc loco necesse non est.

ARTICULUS VI.

De unione materiæ ac formæ.

160. Corpus non coalescit ex materia et forma nisi unitis: complementum itaque hujus tractationis postulat, ut postquam materiam et formam singillatim tum quoad existentiam, tum quoad essentiam ac proprietates, consideravimus, earum nunc unionem atque ad totum compositum corporeum constituendum coagmentationem contemplemur. Hujus sane unionis accurata cognitio res est haud exigui ponderis ac momenti, cum exinde pendeat intelligentia unionis animæ cum corpore humano, prout clarius in suo loco patebit.

§ 1. —NOTIO ET DIVISIONES UNIONIS.

Unio generatim est vinculum et nexus seu ligamen duorum aut plurium; eoque natura sua tendit, ut ex multis Quid unio generatim.

(1) Lossada, loc. cup. cit., n. 13.

Atque hic est creationis conceptus, qui apud Philosophos et Theologos christianos per plura sæcula invaluit. Mirandum porro vehementer foret, tot tantaque Ecclesiæ lumina tamdiu veram creationis rationem ignorasse.

Instabis 3.° Sed nonne tanta virtus requiritur ad eductionem hoc modo explicatam, quanta ad veram creationem? Subjectum enim præsuppositum, ex cujus potentia educi forma dicitur, revera causam hujus efficientem non juvat. Ergo ad eductiones formarum peripateticas virtus altior et potentior naturali quærenda erit.

Resp. *neg.* instantiam. Ad probationem *dist.* ant. Non juvat augendo virtutem ipsius, *conc.*; sustentando ejus actionem et fundamentum præbendo, *neg.* «Nam licet subjectum non coefficiat, nec vires agentis augeat in genere causæ activæ, vere tamen adjuvat in genere fundamenti, sine quo nihil efficeret causa creata; sicut nihil efficeret architectus sine fundamento, quo domum superstrueret, vel sine materia, in quam induceret formam domus. Hoc autem fundamento non indiget virtus creativa, quæ, utpote infinita, sine ullo fulcro aut sustentaculo præsupposito operari valet» (1).

Instabis 4.° Atqui exposita formæ productio ipsam penitus rationem eductionis pessumdat. Nam eductio est actio ex præsupposito subjecto. Atqui juxta nostram explicationem forma non fit ex materia, sed potius in materia. Ergo...

Resp. *neg.* subsumptam Minorem. Et probationis *dist.* Major. Eductio est actio ex præsupposito subjecto, intellecta vulgari modo *neg.*; philosophico, *conc.*

Et *contradist.* Minorem. Audi Aquinatem: *Id quod fit non est forma, sed compositum, quod ex materia fit, et non ex nihilo. Et fit quidem ex materia, in quantum materia est in potentia ad ipsum compositum, per hoc quod est in potentia ad formam. Et sic non proprie dicitur, quod forma fiat in materia, sed magis quod de materiæ potentia educatur* (2). Nam quamvis *educi*, scribit P. Ludovicus Lossada in sensu vulgari significet *extractionem* rei præexistentis et alicubi latentis; at in sensu philosopico non id significat, sed veram *productionem*

(1) Lossada, Op. cit., tr. 1, disp. 4, cap. 3, n. 35.
(2) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 3, art. 8.

rei dependentes a causa materiali non constitutiva. Sic *producere* apud Philosophos proprie significat *dare esse;* cum tamen apud vulgus aliter significet, ut cum quis dicitur producere testes aut copias. Est ergo formam educi, poni extra potentiam passivam materiæ: non ita, ut a materia separetur, cum potius ei intrinsece inhæreat; sed, ita, ut actualiter accipiat *esse* per actionem a materia pendentem, vi cujus actionis potentia passiva materiæ reducitur in actum sive exercitium. Sic effectum produci idem est, ac poni extra causam efficientem, non quod intra illam præextiterit, sed quia producitur per actionem, vi cujus reducitur ad actum potentia activa causæ efficientis» (1). Sed hæc satis patere videntur ex declaratione, quam suo loco præmisimus actionis eductivæ.

Alias difficultates adversus argumenta, quibus probatur a nonnullis recentioribus peripateticum systema, fieri solitas, dissolvi a nobis in hoc loco necesse non est.

ARTICULUS VI.

De unione materiæ ac formæ.

160. Corpus non coalescit ex materia et forma nisi unitis: complementum itaque hujus tractationis postulat, ut postquam materiam et formam singillatim tum quoad existentiam, tum quoad essentiam ac proprietates, consideravimus, earum nunc unionem atque ad totum compositum corporeum constituendum coagmentationem contemplemur. Hujus sane unionis accurata cognitio res est haud exigui ponderis ac momenti, cum exinde pendeat intelligentia unionis animæ cum corpore humano, prout clarius in suo loco patebit.

§ 1. —NOTIO ET DIVISIONES UNIONIS.

Unio generatim est vinculum et nexus seu ligamen duorum aut plurium; eoque natura sua tendit, ut ex multis Quid unio generatim.

(1) Lossada, loc. cup. cit., n. 13.

et quotuplex.

extremis seu partibus unum quiddam componat. Potest esse moralis et physica. Unio moralis minime nectit ipsam realem et physicam extremorum entitatem, sed vel desumitur ex metaphorica voluntatum affectuumque copulatione, vel ex unitate finis et scopi, ad quem plura conspirant, vel principii unde fluunt, vel generatim ex comparatione unius alicujus objecti, quod illa, licet inter se diversa, simili tamen modo respiciunt. Hac ratione amicos vinculum amicitiæ, societates communitas conspiratioque studiorum arctissime connectit: hoc modo una familia ratione capitis, unum regnum ratione unius præsidis atque earumdem legum, una demum fides totius Ecclesiæ dicitur ratione ejusdem objecti tum materialis tum formalis. Unio autem materiam inter et formam non est ejusmodi, sed physica.

Unio physica partes et membra diversa secundum realem entitatem et per physicum contactum conjungit. Et potest esse vel *intrinseca* vel mere *extrinseca* et localis, qualis habetur in corporibus contiguis, v. g. in acervo lapidum, et in plurimis artefactis. In omnibus istis unionibus, sola excepta intrinseca, illud quod ex pluribus congregatis coalescit, revera physice unum non est, sed plura actu inter se secundum ipsam entitatem divisa.

Unio physica:

accidentalis et substantialis.

Physica ergo unio intrinseca est ea, vi cujus plura extrema communi ligantur vinculo, ut unum physice individuum efficiant; dividiturque in *accidentalem* et *substantialem*. Accidentalis est, quæ inter accidentia vel inter substantiam et et accidens; substantialis, quæ viget inter partes substantiales in unam coeuntes substantiam. Et substantialis alia dicitur *continuitatis*, alia *compositionis*.

hæc alia est continuitatis, alia compositionis, quæ multiplex et ipsa est.

Unio continuitatis est illa, vi cujus partes integrantes substantiam, invicem continentur. Unio denique *compositionis* appellatur, quæ vel naturam vel suppositum constituit: unde duplex distinguitur, altera *naturalis*, *personalis* altera. Unio personalis seu hypostatica est ea, per quam natura plena et integra secundum essentiam existit. Denique ipsa hæc unio adhuc duplex distingui potest: altera *mixtionis*, altera *propria actus et potentiæ*.

Inter materiam et formam existit unio propria

Unio inter materiam et formam unio est naturalis compositionis, non tamen instar mixtionis, quemadmodum ex

actus et potentiæ.

hactenus disputatis facile derivatur; sed instar unionis actus et potentiæ. Quam necesse est nunc aliquo modo declarare; quamquam fateor rem esse captu difficillimam, utpote penitus a sensibus abstractam, ac procul extra imaginationis nostræ confinia positam.

§ II.—EXPLICATUR UNIO MATERIÆ ET FORMÆ.

Unio importat 1.am intimam entitarum præsentiam.

161. Quid ergo est unio hæc naturalis vel substantialis compositionis, quæ materiam inter ac formam viget? Primum debemus hanc unionem concipere tamquam aliquid, vi cujus duo extrema distincta mutuam præsentiam ita exigunt, ut ubicumque sit unum, et alterum esse debeat, et quocumque unum localiter moveatur, et alterum pariter moveri necesse sit, donec unio illa præcidatur. Hujus rei exempla quædam rudia nobis suppeditant artificiales, quos passim cernimus, diversarum partium nexus et commissuræ, cujuslibet opificii fabricam vincientes ac continentes. Verum multo luculentius prostat exemplum in Eucharistiæ atque Incarnationis venerandis mysteriis, quæ tamquam verissima certissimaque, quod Philosophi christiani officium est, nunc supponimus. Ex Tridentini enim Concilii doctrina, totus quidem et *integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius specie parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit, ita tamen ut semper hæc fides in Ecclesia Dei fuerit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed Corpus quidem sub specie panis, et Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque*, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, *qui jam ex mortuis surrexit, non amplius morituris*, inter se copulantur; *divinitatem porro propter* mirabilem illam ejus cum Corpore et Anima hypostaticam unionem (1).

2.a Unio importat mutuam com-

Deinde naturalem hanc unionem concipere debemus instar intimæ communicationis suarum entitatum, per quam

(1) Concil. Trident. sess. 13, *de Eucharist.*, c. 3.

manifestionem proprii esse

materia et forma ita se pervadunt mutuo, ut forma se penitus insinuet materiæ, materia formam veluti gremio suo recipiat, arcteque complectatur; forma materiam perficiat, actuet, transmutet atque intime afficiat in sua entitate, materia vero se perficiendam et complendam præbeat, unde jam ratione formæ desinat esse ens potentiale ac dimidiatum, habeatque naturale complementum, ut possit existere. Quapropter, quemadmodum ea, quæ in eodem spatio versantur, non habent distincta loca, sic etiam materia et forma, quia se per mutuam communicationem entitatis propriæ sociarunt, jam non habent singulares suas realitates præcisas, sed in unum redactas, ut jam substantia inde resultans non sit materia nec forma, sed materia *informata* seu *transformata*, et forma *materializata* quodammodo, nimirum substantia ex utraque composita: neque enim ulla potest assignari particula materiæ, que non sit actuata, et substantialiter affecta, atque specificata per formam. Hanc arctissimam communicationem, ex qua una substantia essentialiter composita coalescit, ipsa nobis experientia liquido videtur demonstrare. Quamquam enim illico pateat intuentibus *integralis* corporum omnium compositio, seu distinctio partium molem ipsam efficientium: compositio vero essentialis adeo a sensibus est remota, ut nisi attente contemplaretur transmutationes corporum substantiales, vix posset mens sibi persuadere substantias corporeas, quæ tantam præ se ferunt unitatem, non esse simplices secundum essentiam, sed ex duplici principio realiter distincto coalescentes. Sed cum passim videamus materiam transformari, et quod modo est sub actu et in specie oxygenii v. g. vel hydrogenii, modo esse sub actu et in specie aquæ; concludimus profecto subjectum illud, quantumvis perfectissime *unum* in essentia, et secundum omnes vel minutissimas partes ad speciem oxygenii pertinens, non tamen secum *identificare* essentialiter actum oxygenii, sed ex se esse *puram potentiam*, ut sit oxygenium vel aqua per intimam junctionem et actuationem formæ, quæ speciem tandem imprimat oxygenii vel aquæ. Atque hinc ulterius sequitur, substantiam illam, quæ simplex videbatur nullumque præbebat, quamdiu durabat, dualitatis atque essentialis compositionis signum, revera compositam

esse ex quadam potentia physica et actu, nec ita in unum coalescere potuisse, nisi ex substantiali coagmentatione duplicis principii, potentialis et actualis.

3.ª Unio substantialis fons moverum proprietatum atque operationum communium.

Ex hac intima communicatione, quæ unam compositam substantiam conflat, novæ proprietates ac vires efflorescunt, non singulis componentibus seorsum convenientes, sed utrique conjunctim communes; novumque proinde operationum communium enascitur principium. Cum enim proprietates fluant ex essentia, operationesque sequantur ipsam rei substantiam, unaque sit communis ex materia et forma in composito substantia, communes proinde sint proprietates atque operationes, oportet; quamquam, sicut forma est principium specificæ distinctionis in corporibus, ita sit etiam radix diversitatis proprietatum atque operationum pro specierum ipsarum varietate. Tota hæc doctrina nullibi melius patescit, quam in viventibus, et potissimum in homine. Vide quantopere transformetur materia hominis per animam, quæ forma ejus est. Eadem materia, quæ in morte ac dissolutione compositi humani, tam horrida nobis turpisque apparet, dum per innumeras vicissitudines ac transmutationis resolvitur, eadem ipsissima, per animam actuata, in formosissimam speciem humani corporis figuratur, vivificatur, vegetat, sentit, movetur; anima vero vivificat materiam, et vegetationem, sensum ac motum localem in ea et per eam ita efficit ut, licet in se immaterialis atque spiritualis, ratione tamen materiæ jam obnoxia sit corporeis impressionibus, et vere languorem, defatigationem, ægritudinem, membrorum amputationem, calorem, frigus cæterasque affectiones materiales ut *suas* penitus experiatur, ac sentiat. Jam neque materia nisi ratione animæ, qua actuatur, nec anima nisi *cum* et *in* materia, quam informat, ullam ex prædictis proprietatibus atque operationibus habere potest, ut manifestum est. Nec concipi valet, quomodo competat omnia illa homini, nisi anima et materia, quibus constat, se penitus secundum proprium *esse* communicent, ac substantialiter afficiant. Lege Aquinatem statim citandum.

Discrimen inter actionem causæ

Quæ cum ita sint facile cognosces discrimen inter actionem, quæ est causalitas causæ efficientis, et unionem, quæ est materiæ ac formæ causalitas. Nam actio ita est causalitas

efficientis et unionem.

causæ efficientis, ut agens quatenus agens est, omnino maneat extra effectum, eumque actuet ac producat, virtutem suam extrinsecus communicando; unde realis atque adæquata distinctio intercedit inter causam efficientem ejusque effectum. At vero unio ita est causalitas, ut forma per seipsam et in sua propria substantialitate se communicet materiæ, et materia formæ, se ipsas mutuo et intrinsece præbendo; atque hoc modo producant effectum intra ipsum manentes: effectus enim est ipsum compositum, id est, ipsæ causæ, materialis et formalis, invicem unitæ (1). Quare ejusmodi causæ, singillatim spectatæ, differunt quidem *realiter*, sed solum *inadæquate* a suo effectu, nimirum velut inclusum differt ab includente, vel pars a toto.

Dices. Forma videtur active se habere ad sui communicationem respectu materiæ. Nam ex communi loquendi modo anima dicitur *animare*, *vivificare* corpus, et similiter omnis forma *informat* materiam. Item materia dicitur formam recipere. Atqui hæc verba quamdam profecto actionem sonant. Ergo unio formæ ac materiæ videtur in quadam actione mutua earumdem consistere.—Resp. *neg.* assert., et ad probat. *neg.* conseq. Nam verba illa quamvis grammaticaliter activa sint, philosophice tamen non exprimunt ullam actionem, quæ a forma in materiam, vel vicissim, exerceatur, sed mutuam dumtaxat communicationem per modum actus et potentiæ, per operationem causæ efficientis.

4.o Ex materia et forma fit vere unum per se.

Ex dictis etiam facile intelligitur, quomodo compositum ex materia et forma est vere *unum per se* substantiale. Quemadmodum enim observat Eximius Doctor (2), cum *unum* sequatur *ens*; illud est per se unum, quod est ens per se. Ens autem per se illud est, quod habet in suo genere integram et completam essentiam. Jam vero nec materia nec forma sunt in genere substantiæ completæ, quia materia de se est tantum potentia *physica* capax, ut per *actum* sibi impressum efficiat substantiam completam, corpus; et forma est actus ille materiam constituens in ratione corporis. Unde utravis indiget

(1) Vide Suarez (disp. *Metaph.* 15, sect. 6, n. 7]. Cfr. S. Thom. (2.a *Contr. Gent.*, c. 68. *Ad hoc enim...*)

(2) Disp. *Metaph.* 4, sect. 3, n. 8.

alterius complemento, ut sint ens completum in genere substantiæ. Si ergo conjungantur, existet ens per se, ac proinde *unum per se*, seu *indivisum*, utpote resultans ex unione entitatum substantialium dimidiatarum atque imperfectarum, quæ natura sua ordinantur, ut mutuo se perficiant instar potentiæ et actus sibi proportionati. Atque hæc causa est, cur Aristoteles docuerit (1), quærendum non esse, an unum sint anima et corpus, et generatim forma et materia; cum enim se mutuo indigeant, et naturaliter perficiant ad ens completum constituendum, et natura entia completa requirat, habent materia et forma ingenitum sibi appetitum, ut in unum coalescant. Et præterea etiam nihil medium opus est ad materiam et formam invicem uniendas eo modo, quem mox magis declarabimus: medium enim ejusmodi solummodo desiderari potest, ubi extrema diversa penitus sunt inter se, nullamque servant proportionem atque ordinationem naturalem ad unionem. Audi Angelicum: *Forma unitur materiæ absque omni medio; per se enim competit formæ, quod sit actus corporis, et non per aliquid aliud: unde nec est aliquid unum faciens ex materia et forma, nisi agens quod potentiam reducit ad actum..... Nam materia et forma se habent, ut potentia et actus* (2).

Atomistæ nequeunt ullam veri nominis unionem intrinsecam admittere

Hujusmodi unitatem per se atomistæ nequeunt explicare, eamque corporibus denegant, et solis tribuunt substantiis, tum essentialiter tum integraliter simplicibus. Et ratio est planissima; cum enim secundum atomistas corpora coalescant ex corpusculorum aggregatione, nullam physicam et substantialem unionem habentium; non aliam in eis majorem unitatem agnoscere possunt, quam eam, quæ intercedere potest inter entia actu plura et individua, natura tamen sua ordinata, ut in unam communem operationem conspirent. Quæ certe unitas non est intrinseca et substantialis, sed prorsus extrinseca; non unitas, quæ in ipsorum operantium entitate existit, sed quæ solum est in eorum effectu aut fine. Unde non satisintelligitur, quænam major unitas sit in corporibus

(1) 2.o *de Anima*, cap. 1. Cfr. S. Th. ib. lect. 1 § *h*.

(2) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 71. Cfr. *Metaph.* lib. 8, lect. 5, fin. cum Aristotele ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex hac doctrina, quam in machina qualibet affabre facta: machina enim non minus est plurium partium actu separatarum et individualium complexus, quæ in unum communem operationem collatis viribus tendunt. Neque alia sane videtur in hoc assignari posse differentia, nisi quod atomi ex naturæ ipsius instituto, partes vero machinæ solum ex artis directione, conspirationem illam in unum effectum nanciscantur.

Discrimen inter unionem hypostaticam et naturalem modo expositam.

Disces hinc etiam, quantum intersit hanc inter unionem naturalem et hypostaticam. In hac enim licet sit unum suppositum, quod operatur in duplici natura, at vero naturæ ipsæ, cum non sint in se confusæ, nec substantiam unam efficiant, retinent suas quæque operationes singillatim proprias, ut fit in composito *theandrico*, Christo Domino, in quo est unum suppositum cum duplici natura, divina et humana, operationes eliciens proprias Dei et hominis. At vero unio hæc naturalis naturam unam constituit. Præterea unio hæc intercedit inter extrema se mutuo perficientia: secus autem unio hypostatica, in qua licet Verbum quidem perficit humanam Christi naturam, non tamen vicissim humana natura perficit Verbum.

Itemque inter compositum naturale et artificiale.

Patet denique, quantum distet artificiale compositum a naturali. In illo enim, sive partes ipsæ componentes uniantur inter se, sive secus, semper actu eædem remanent, quæ prius erant. Itaque compositum ejusmodi nequit constituere unum ens per se, sed per accidens tantummodo; quatenus ejus partes vel una certa figura donantur, vel in unum rediguntur ordinem, vel ad eumdem finem et communem operationem collineant. Ex quo etiam illud consequitur, in artificiali composito non aliam novam esse activitatem præter componentium activitatem. Sicut enim artificium, ipsas partium substantias inalteratas in se relinquit; ita etiam nullas addere toti vires potest, sed eas tantummodo componere, temperare ac dirigere, ut motus edant diversimode ordinatos. Id quod in quavis vel potentissima artificiosissimaque machina cernere facile potes, quæ non aliter stupenda illa præstat officia, nisi per vires naturales partium suarum in unum collectas, et certo quodam modo applicatas invicemque sociatas, prout magis patebit inferius.

§ III.—In quo sita sit unio materiae ac formae.

162. Ex hactenus dictis colligi videtur unionem formæ ac materiæ esse inhærentiam quamdam formæ substantialis materiæ per actuationem atque informationem. Verum si jam subtilius quæras, quid tandem sit in re ipsa unio ista, unde una resultat substantia et natura cum communibus proprietatibus atque operationibus; per sequentes propositiones respondebo.

PROPOSITIO 1.ª **Unio materiæ ac formæ non potest in eo consistere, quod illæ vires suas in unum conferant.**

Unio materiæ ac formæ non consistit in eo quod illæ vires suas in unum conferant.

Prob. 1.° Etenim collatio hæc virium efficere quidem posset, ut unus inde prodiret effectus et communis terminus actionis; minime vero ut una resultet inde substantia seu natura, donec ponatur unio ipsam substantialem entitatem componentium pertingens. Ad rem S. Thomas: *Impossibile est, quod eorum quæ sunt diversa secundum esse, sit operatio una. Dico autem operationem unam, non ex parte ejus, in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente. Multi enim trahentes navim, unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multæ actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum. Cum enim actio consequatur formam et virtutem, oportet, quorum sunt diversæ formæ et virtutes, esse et actiones diversas* (1).

Prob. 2.° Hinc si sola virium in unum collatio sufficeret ad unionem materiæ cum forma explicandam, duo equi currum trahentes, et generatim plura agentia in unum opus conspirantia, compositum quoddam substantiale possent efficere, quale resultat ex forma et materia. Quod certe nimis est absonum, ut mereatur refutari.

Prob. 3.° Accedit, quod ut superius vidimus, materiæ ex se nullæ sint vires, quin sit pura potentia, forma vero sit radix prima totius activitatis.

(1) Lib. 2. *Contr. Gent.*, c. 57. paulo post initium.

163. PROPOSITIO 2.a **Unio hæc non consistit in simultanea existentia materiæ ac formæ in eodem tempore.**

nec in simultanea existentia in eodem tempore

Id patet vel ex ea simplici ratione, quod materia prima et forma hominis mortui adhuc permanent, et sibi coëxistunt, et tamen unio earum est abrupta, in cujus unionis dissolutione posita mors homini est.

164. PROPOSITIO 3.a **Unio inter materiam et formam non consistit in simultanea earum existentia in eodem loco, seu in compenetratione.**

vel loco;

Prob. 1.o Si unio consisteret in compenetratione formæ cum materia, casu quo corpus A compenetraretur per divinam virtutem cum corpore B, forma substantialis corporis A etiam uniretur substantialiter cum materia prima corporis B, et vice versa. Atqui absurdum id esse patet.

Major constat, quia corpora penetrari nequeunt, quin simul formæ ac materiæ ipsorum compenetrentur.

Minor autem probatur: α) secus enim forma corporis A et materia corporis B unum idemque corpus efficerent, et vicissim forma corporis B et materia corporis A. Itaque duo illa corpora in compenetratione substantialiter atque entitative mutata fuissent. β) Exinde sequeretur animam Christi Domini nascentis, resurgentis, clausasque cœnaculi januas pervadentis unitam substantialiter fuisse cum materia prima claustri virginalis, lapidis sepulchri et januæ cœnaculi. γ) Item ex illa doctrina consequeretur, angelos, cum assumunt corpora, et Deum ipsum, qui præsens intime est materiæ primæ corporum omnium, uniri substantialiter, quod certe vel cogitare nefas et horrendum est.

2.o Præterea, ut modo notabamus, unio efficit, ut ea quæ sunt conjuncta, exigant sibi mutuo præsentia esse in eodem loco. Jam vero quæ compenetrata dumtaxat sunt, nondum habent ex eo solum exigentiam ac necessitatem permanendi in eodem loco, ut si quis unum eorum alio abducat, et alterum sequi debeat.

165. PROPOSITIO 4.a **Unio substantialis materiæ et formæ non consistit in dispositionibus materiæ ad formam, quemadmodum nonnulli dixerunt.**

neque in dispositionibus materiæ ad formam recipiendam;

Et probatur, quia stare possunt omnes illæ dispositiones quin tamen unitæ sint materia et forma. Atqui stante unione materiæ et formæ, non possunt illæ non esse unitæ. Ergo unio sita non est in illis dispositionibus, **Major probatur.** Nam non magis repugnat materiæ proxime ad formam dispositæ formam non infundi, quam causam secundam necessariam, positis omnibus ad agendum prærequisitis, non agere. Sed hoc secundum non repugnat, saltem per omnipotentiam divinam, ut jam superius vidimus. Ergo neque primum.

Notare autem debes sensum trium harum assertionum exclusivum minime esse. Non enim contendimus nihil horum ad unionem requiri, quum potius omnia hæc unioni substantiali inesse oporteat: id unum ergo volumus, nihil horum, immo vero nec tria illa, ad unionem materiæ formæque declarandam sufficere. Quid igitur præterea adjungendum est? Quidam reponunt addendum esse Dei decretum præcipientis compositum existere, in eoque decreto unionem sitam esse.

nec in divino decreto de compositi existentia;

166. PROPOSITIO 5.a **Id quod formaliter constituit materiæ ac formæ unionem, non est divinum decretum de compositi existentia.**

Nam decretum hujusmodi potius esset considerandum velut causa efficiens unionem, non vero ut ratio ejusdem formalis. Deinde istud decretum est aliquid divinum, æternum, ipsisque componentibus et composito extrinsecum. Præterquam quod eodem pariter jure dicendum esset actionem, passionem, motum aliaque similia in divino decreto consistere. Itaque alii putant unionem substantialem consistere in entitate quadam absoluta, quæ vinculum sit materiam formamque mutuo vinciens: fere sicut in artefactis glutine aliave media substantia copulari corpora solent invicem.

167. PROPOSITIO 6.a **Unio non consistit in aliqua entitate absoluta, quæ materiam inter et formam mediet.**

nec in aliqua entitate media absoluta:

Et ratio est, quia forma immediate, nulloque alia tertio interjecto ente, materiam informat, et actuat. Atqui eo ipso jam materiæ unitur. Ergo... Præterea inutilis prorsus esset ejusmodi entitas ad copulandam formam cum materia. Hæ namque cum inter se comparentur per modum actus et potentiæ, jam per seipsas justam habent proportionem ad unionem peragendam. Neque vero ulla inest talis entitatis adventitiæ necessitas. Si enim fingatur non posse materiam cum forma uniri, quin prius uniantur cum illo communi vinculo, quæro, quomodo illæ cum hoc connectantur, immediatene, an mediate. Si immediate, potuerunt et materia et forma pari ratione inter sese copulari; si mediate, alia nova entitas requirenda erit, et sic abibitur in infinitum. Verissime igitur scripsit S. Thomas, Aristotelis secutus vestigia: *Unde simile est quærere, quæ est causa rei, et quæ est causa, quod illa res sit una, quia unumquodque, in quantum est, unum est: et potentia et actus quodammodo unum sunt. Quod enim est in potentia, fit in actu, et sic non oportet ea* **uniri per aliquod vinculum**, *sicut ea, quæ sunt penitus diversa. Unde nulla causa est faciens unum ea, quæ sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam in actum* (1). Quibus affinia sunt hæc alia Doctoris Angelici verba: In unione humanæ naturæ ad divinam *nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura conjungatur, quam divinæ personæ; sicut inter materiam et formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis* (2).

Nec potest in contrarium produci similitudo et exemplum artefactorum. In his enim in primis unio est valde accidentalis; et nexus ad extrema vincienda ideo in alio extraneo corpore quæritur, quia ipsa extrema sunt in se completæ

(1) In I. S. *Metaph.* lect. 5. Cfr. 1 p., quæst. 76, art. 7; lib. 2, *Contr. Gent.* cap. 71.

(2) In 3.m dist. 2, quæst. 2, art. 2, sol. 1.a Cfr. Suar. disp. 15, sect. 6, n. 2.

substantiæ, quæ non habent naturalem atque innatam propensionem et exigentiam talis unionis.

168. PROPOSITIO 7.a **Dicendum videtur unionem esse modum substantialem materiæ ac formæ superadditum.**

sed in modo aliquo substantiali.

Hæc sententia plurimos habet assertores, et non paucos etiam adversarios. Eam tenent plures e PP. Prædicatorum Ordine, ut v. g. Bañez et Cabrera apud Complutenses (1), qui etiam eidem adstipulantur, et maxima pars Doctorum Societatis Jesu cum Suarez, Vazquezio, Cardinali Lugone, Arriaga, Compton, Sylvestro Mauro, Soarez lusitano, Ulloa, Hurtado, Lossada Semery, Rhodes, De Benedictis aliisque (2). Et pro eadem, puto, laudari possunt DD. Scotistæ, si quæstio ita in genere proponatur; nam in ratione modum illum explicandi major est sententiarum diversitas, de quo videri potest Mastrius. Contrariam tamen sententiam sequuntur Nominales et plures Thomistæ cum Card. Cajetano, Antonio Goudin (3), Joanne a S. Thoma (4) et ceteris, quos longum esset referre. Sanctum Thomam utraque pars suum esse, aut certe sibi non adversari, contendit, ut sæpe usu venit in hujusmodi quæstionibus.

In hac ergo domestica controversia, proposita sententia nobis magis arridet, quam sequenti suadere possumus argumentatione. Unio est aliquid reale independens a mentis consideratione. Non autem consistit formaliter in simultanea materiæ ac formæ existentia *(Prop. 2.a)*; nec in compenetratione *(Prop. 3.a)*; nec in dispositionibus materiæ ad formam *(Prop. 4.a)*; nec in divino decreto *(Prop. 5.a)*; nec in intermedia aliqua entitate absoluta, per quam mediate tantum inter sese uniatur *(Prop. 6.a)*. Ergo nihil aliud remanet, in quo unio illa possit reponi præter modum aliquem, qui materiam et formam ex sese aptitudinem et proportionem ad mutuum nexum et communicationem habentes, ad eamdem actu exercendum determinet.

(1) *Disputat. in Arist Stagir. libros Physic.*, disp. 6, quæst. 2.

(2) In lib. *Physicor.* post tractation. materiæ ac formæ, vel ubi agunt de composito corporeo.

(3) *Physic.* prim. pars, disp. 1, quæst. 4, art. 2.

(4) *Physic.* quæst. 6, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Modus porro hujusmodi ideo dicitur substantialis, quia cum sit id, *quo* formaliter substantia composita existit, vere pertinet ad substantialem corporis constitutionem. Ad rem S. Thomas: *Magister Sententiarum posuit, quod Christus in triduo mortis fuit homo, quia credit, quod* unio *animæ et carnis non esset de ratione hominis, quod est falsum* (1). Et alibi: *Hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem, non est præter animam et corpus et* unionem *aliquid positive* (2). Jam quod de animæ humanæ et corporis unione dicitur, intelligi debet de unione cujuslibet formæ ac materiæ.

Quid sit unio quod rem ipsam.

Quamobrem unio materiæ ac formæ generatim describi potest *formalis et ultima determinatio materiæ ac formæ ad constituendam substantiam completam corpoream.*

169. **Objic. 1.°** Semel ac supponamus materiam rite dispositam et formam ipsi præsentem intime ac penetratam, seclusa qualibet alia entitatula modali, vera et substantialis aderit unio. **Resp.** *neg.* assertum. Adhuc enim materia illa et forma non sunt sufficienter et ultimo determinatæ ad substantialis unionis exercitium; et adhuc posset hanc Deus impedire, ut superius (Prob. 4.ª) argumentabamur. Præterea cum Christus Dominus compenetravit se cum virginea carne Deiparæ, anima Infantis divini penetrata erat cum Matris sanctissimæ materia prima, et hæc pariter disposita erat ad formam recipiendam, non tamen substantialiter unita fuit cum illa (3).

Objic. 2.° Forma immediate informat materiam, cum per seipsam et non per aliud sit actus ipsius substantialis. Atqui materiam informare est illi se unire. Igitur non est admittendus ullus *modus* unionis.

Resp. *dist.* Major. Forma immediate informat materiam *ut quod*, conc. *ut quo*, neg. Et eodem modo *dist.* probationem. *Et concessa* Minori, *neg.* cons. Informare seu actuare *ut quod* est esse id, quod informat. Et hoc modo anima per se ipsam informat, et immediate cum materia unitur: inter

(1) 3 p., q. 50, a. 4.

(2) S. Thom. 3.ª dist. 6, quæst. 1, a. 2, ad 5.um Cfr. ib. quæst. 2. art. 3.

(3) Vide P. Andream Semery, Op. cit., t. 2, disp. 2, quæst. 10, art. 1. Cfr. Lossada, *Physic.*, tract. 1. disp. 6, cap. 1, n. 18.

materiam enim et formam non adest tertia quæpiam entitas, cum qua illæ prius conjungantur, quin per proprias suas entitates sese contingant, et mutuo communicent. Informare autem seu actuare *ut quo* est esse exercitium ipsum et actuationem unionis atque informationis. Quo certe sensu, forma et materia per seipsas, et nullo alio superaddito, non uniuntur. Rem declarat egregie P. Lossada. «Forma unitur materiæ *ut quod*, quia est *id quod* denominatur, et redditur immediate unitum a formali et actuali exercitio uniendi: non tamen unitur inmediate *ut quo*, sive immediatione actualis exercitii: quia *non identificat secum exercitium istud*. Nec unio, quam adstruimus, proprie mediat. Quia id solum proprie mediare dicitur, quod non sinit extrema sese immediate contingere, sed ea tantum sibimetipsi jungit hinc et inde, ut cum calx mediat inter lapides; vel etiam quod non sinit extrema sese immediate afficere, nec est utriusque unio formalis, sed tantum singularum in se terminat unionem: quomodo albedo unitur materiæ media quantitate. At nihil horum convenit unioni, quæ sit purum exercitium uniendi: hæc enim potius *est immediatus et intimus contactus extremorum inter se, immediata affectio et unio formalis eorumdem. Improprie tamen et abusive* dicitur *mediare*, quia loquimur, ut apprehendimus, et non apprehendimus unionem per species proprias, sed instar calcis aut bituminis mediantis; sicut angelum instar juvenis aligeri. Eadem ratione partes unitæ vocantur *extrema*.» (1).

Tota hæc doctrina illustrari etiam potest actionis exemplo. Agens, saltem creatum, effectum producit aliquando immediate, aliquando mediate, *ut quod*, immediate nimirum, quando sine instrumento agit, mediate autem, quando per instrumentum operatur. Verum idem agens semper agit mediate *ut quo*, id est media *sua actione*, non enim est ipsum sua actio. Ita etiam oculus dicitur videre objectum immediate, *ut quod*, quia illum videt, non per reflexionem super alium terminum exercitam, sed in seipso; nihilominus idem objectum ab oculo dicitur attingi mediate, *ut quo*, neque enim apprehendi potest nisi mediante visione. Itaque quicumque in aliis rebus admittunt modos reales omnem

(1) Lossada, *Physic.* tr. 1. disp. 6. cap. 2, n. 2, 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

operationem intellectus præcedentes, non est, cur abhorreant a modo unionis recipiendo.

Objic. 3.° S. Thomas et Aristoteles (1) perpetuo docent materiam et formam seipsis immediate uniri. Ergo rejiciendum est quodlibet medium.

Resp. *dist.* ant. et conseq., ut in præcedenti difficultate. Aquinatis interpretem aptiorem invenire nullum possumus ipso Aquinate. Dicit in 8.° *Metaphysicor.* (2) non oportere actum et potentiam *uniri per aliquod vinculum, sicut ea quæ sunt penitus diversa*, neque proinde quærendam esse ullam causam facientem unum *ea, quæ sunt composita ex materia et forma*, nisi quod movet potentiam in actum. At idemmet S. Doctor alibi explicat (3), quid in eo loco ipse cum Philosopho improbare voluerit: *Dicendum, quod propter hanc objectionem* (petitam nimirum ex maxima diversitate inter animam et corpus) *Plato posuit, ut Gregorius Nyssenus* (lib. 2 *de Anima*, c. 5) *narrat, quod anima est in corpore sicut motor in mobili, ut nauta in navi, et non sicut forma in materia: unde dicebat, quod homo non est aliquid ex anima et corpore, sed quod homo est anima utens corpore; et propter hoc etiam quidam quæsierunt quædam media inter animam et corpus, ut spiritum corporalem, animam vegetabilem et sensibilem et lucem, quibus mediantibus anima rationalis corpori uniretur: quæ omnia absurda sunt secundum Philosophiam et improbata a Philosopho in 8.° Metaphys.*, (tex. 1116), nimirum in loco, quem adversarii nobis opponunt. Ipse hujus testimonii contextus manifeste ostendit nihil commune habere *modum*, quem nos cum frequentissima Scholasticorum sententia defendimus, cum deliramentis, quæ Doctor Angelicus post Aristotelem explodenda sibi proposuit. Eamdem doctrinam reperies a S. Thoma multis in locis traditam (4), ubi potissimum quærit, utrum anima immediate uniatur corpori. Et ubicumque media unionis excludit, illa

(1) Vide loca superius citata [Prop. 6.ª]: quibus facile est alia similia reperire.

(2) Lect. 5.ª

(3) 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 4, ad 3.^um

(4) Vide 1 p., quæst. 76, art. 6, 7; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 72; quæst. *de Anima*, art. 9; quæst. *de Spirit creat.*, art. 3 etc.

evidentissime intelligit in sensu cujuspiam entitatis absolutæ interjectæ, prius in materia receptæ, quæ sit velut instrumentum ad unionem perficiendam, puta, alterius formæ substantialis imperfectioris (1), vel potentiarum animæ (2), vel phantasmatum (3), vel spiritus corporei (4), vel dispositionum accidentalium (5), vel etiam lucis (6).

Id quod suadetur non modo ex dissertissimis verbis S. Doctoris, sed etiam ex doctrina, quam in locis citatis aliisque similibus tradit. Etenim. 2) agens de anima humana, duplex eidem tribuit munus respectu corporis, formæ nimirum et motoris (7): et docet animam, ut forma est, immediate, ut vero motor, mediate uniri corpori, quia corpus suum *administrat... et movet per suam potentiam et virtutem* (8), vel *per cognitionem et appetitum* (9), vel *quia mediante aliqua prima parte primo mota movet alias ad suas operationes; sed secundum quod dat esse corpori, immediate dat esse substantiale et specificum omnibus partibus corporis* (10). Atqui hæc oppositio inter animam ut formam et motorem evidenter innuit in animæ informatione excludi media illa, quæ entitatem absolutam habeant, non vero modum, quem nos ponimus. β) Id ipsemet S. Doctor declarat in ultimo loco; post verba enim nuper exscripta, sic pergit: *Et hoc est, quod a multis dicitur, quod anima unitur corpori ut forma sine medio, ut motor autem per medium* (11).

(1) Ita v. g. quæst. *de Anim.*, art. 9; et quæst. *de Spirit. creat.*, art. 3.

(2) *Contr. Gent.*, lib. 2, c. 72; quæst. *de Anim.* ib.

(3) Ibid.

(4) 1 p., q. 76; *Contr. Gent.* loc. cit.; 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 4 ad 3.^um; quæst. *de Anim.* ib.

(5) 1 p., q. 76, art. 6.

(6) 1 p., quæst. 76, art. 7 et alias in locis citatis. Cfr. Ferrariens., in lib. 2. *Cont. Gent.*, cap. 17.

(7) 1 p., quæst. 76, art. 6, ad 3.^um; quæst. *de Anima*, art. 9, in corp.; quæst. *de Malo*, 16, art. 1, ad 5.^um; quæst *de Spirit. creat.*, art. 3, in corp.

(8) 1 p., quæst. 76, art. 6, ad 3.^um

(9) *De Spirit creat.*, art. 3, ad 4.^um

(10) *De Anima*, l. c. Cfr. *de Spir. creat.* l. c.

(11) Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ergo ex mente Aquinatis hoc est uniri animam corpori inmediate, et ut formam, ut nimirum uniatur sine mediis similibus illorum, quibus ad corpus movendum regendumque utitur, et per quæ si uniretur, non esset forma, sed tantummodo motor (1). γ) Idem evincitur ex ratione, qua inmediatam illam unionem passim confirmat, ex eo videlicet quod forma et materia se habeant ut actus et potentia, ideoque naturali gaudeant proportione atque aptitudine ad mutuam communicationem, nec sint duo entia in se completa. Atqui exinde recte quidem colligitur, nihil medium interesse posse *ut quod* et per modum ligaminis, quod utrumque extremum sibi vinciat, minime vero excluditur medium, quod se habeat *ut quo* et per modum exercitii atque ultimæ determinationis ad mutuam communicationem. Nam idem de causalitate hac formali per unionem dicendum esse videtur, quod de causalitate efficienti per actionem. Atqui proportio et aptitudo causæ efficientis ad agendum, etiamsi adsint omnia requisita in promptu, non tollit necessitatem actionis, quæ est modus et *medium, quo* effectus existit. Ergo eodem pacto ratiocinandum est de forma et materia.

Objic. 4.° Si vera est nostra sententia, ponendæ sunt tres substantiales mutationes in unione materiæ ac formæ: prima principalis, qua fit ex ente in potentia ens in actu; et duæ minores, quibus materia fit de non substante substans et forma de non informante informans, quæ terminentur ad duos actus modales, sustentationem scilicet et informationem, ex quibus unicus confletur totalis modus unionis. Atqui unica posita reali mutatione, qua materia reducitur in actum formæ, secluso ulteriori modo, habemus compositum. Ergo.

Resp. *Transmitt.* Major., *disting.* Min. Et materia reduci in actum potest sine modo et medio *ut quo*, *neg.*; et materia exigit talem modum, ut præcise reducatur in actum formæ, *conc.* Semel ac habeatur materia per formam actuata, non est opus ulteriori modo, quis id dubitet? Sed quæstio est, utrum hæc actuatio ipsa formaliter consistat in modo. Qui

(1) In locis cit.

ergo nostram sententiam vult impugnare, nihil evincit impugnando modos imaginarios, quos non admittimus, illos nimirum, qui concipiantur adjecti, postquam forma supponitur materiæ communicata in eaque recepta.

Transmisimus autem Majorem, quia controvertitur inter patronos hujus sententiæ, utrum mutatio quam implicat substantialis communicatio materiæ ac formæ, contineat duplicem modum unionis, unum ex parte formæ, alteram ex parte materiæ, quemadmodum statim dicemus.

Objic. 5.° Materia et forma seipsis proportionantur in actu secundo, hæc enim proportio consistit in ratione primi subjecti et primi actus. Ergo non egent ullo unionis modo. Frustra enim contendimus quærere actum ipsius actus seu formæ, quæ ex se habet totam actualitatem, qua materia primo et immediate constituatur in actu.

Resp. *dist.* ant. Si proportio in actu secundo significet plenam aptitudinem recipiendi et informandi, in qua stat quidditas primi subjecti et primi actus, *conc.*; si significet exercitium illius aptitudinis, *neg.* (1).

Neg. conseq. Ad probation. *dist.* Frustra contendimus quærere actum ipsius actus seu formæ, per modum complementi in propria substantialitate, *conc.*; per modum exercitii, quo proprium subtantialitatem materiæ communicat, *neg.* Non enim forma secum identificat unionis atque informationis actualitatem seu exercitium.

Objic. 6.° Si materia et forma uniuntur media unione distincta, ipsa unio, quæ unitur etiam cum illis, alia egebit unione, et sic abibimus in infinitum.—**Resp.** *neg.* assertum. Eodem modo atque actio, per quam effectus fluit a causa efficiente, non indiget alia actione, per quam et ipsa procedat, sed omnino per seipsam immediate etiam *ut quo* efflorescit ab agente; ita etiam unionis ille modus, quem ponimus tamquam formale vinculum materiæ ac formæ, per seipsum, non vero alia secunda unione mediante, unitur illis. Et ratio est, quia modus ejusmodi, secus ac materia et forma, est essentialiter et formaliter ipsa unionis determinatio: unde non debet per aliud superadditum determinari ad uniendum.

(1) Cfr. Lossada ibi. cap. 2, n. 21.

§ IV.—RESOLVUNTUR QUÆDAM QUÆSTIONES UNIONEM MATERIÆ CUM FORMA RESPICIENTES.

Quotuplex sit unio in composito substantiali.

170. **Quæritur 1.°** ***Quotuplex sit unio in composito substantiali.*** Et difficultas est de unione inter formam et materiam, quæ constituit ipsam corporis essentiam; nam quod unionem attinet, qua partes integrantes substantiæ corporeæ vinciuntur efficiendo continuum verum ac reale, ut nunc supponimus, et inferius probandum est; alibi disputandum evit, num sit una, an vero multiplex. Relate itaque ad unionem materiæ cum forma, Mastrius (1) et Pontius (2) cum suo Magistro ac Duce Scoto cæterisque Scotistis, et e nostris Franciscus Soarez lusitanus (3), Hurtadus (4), Bartholomeus Amicus (5) et Rhodes (6), existimant duplicem dari unionem, alteram ex parte materiæ, alteram ex parte formæ. Communior tamen est sententia, unicam tantum ponens unionem ex utraque parte se tenentem: quam tuentur Complutenses (7), Suarez (8), Vazquez (9), Rubius (10), De Benedictis (11), Semery (12), Ulloa (13), Lossada (14), Antonius Mayr (15), Sylvester Mauri (16), et alii.

Prima sententia duplicem asserens unionem;

altera communior, unam tantum ponens unionem materiam inter et formam.

Et hæc opinio mihi quoque probabilior videtur, quam sic probo communi argumento. Sufficit una unio. Ergo frustra duplex obtruditur. Prob. antec. cum Joanne B. de Benedictis. «Aut enim duplex requiritur ad uniendum, aut ad

elicitur.

(1) *Physic.* disp. 5, quæst. 10.
(2) *Physic.* disp. 2, quæst. 3.
(3) *Physic.* disp. 5, sect. 2, paragr. 1.
(4) *Physic.* disp. 5, sect. 7.
(5) *Physic.* tract. 10, dubit. 4, art. 2.
(6) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 1, quæst. 2, sect. 5, parag. 3.
(7) *Physic.* disp. 6, quæst. 2.
(8) *Metaph.*, disp. 14, sect. 9, n. 13.
(9) In 1.am part., disp. 188, n. 11.
(10) *Physicor.*, lib. 1, tract. 2, quæst. 6, a. n. 66.
(11) *Philos. perip.*, tom. 2, lib. 2, quæst. 3, cap. 4, paragr. 2.
(12) *Trienn. philos.*, tom. 2, disp. 2, quæst. 10, art. 5.
(13) *Physic. specular.*, disp. 1, n. 191.
(14) *Pysic.*, loc. cit., cap. 5.
(15) *Philos. perip., secund. pars*, num. 63.
(16) *Quæstion. philos.* lib. 2, quæst. 10, ad 5.um

perficiendum utrumque extremum. Non hoc secundum; extrema enim physica se ipsis mutuo perficiuntur, neque indigent unione, ut perfectivo, sed ut mero exercitio mutuæ perfectibilitatis. Non primum; per illud enim intelligitur unita materia cum forma, et e contrario, per quod intelligitur ablata a partibus omnis indiferentia, quam per se habent, ut faciant, aut non faciant unum. Atqui hujus indiferentiæ ablatio unica unione præstatur; posita enim unione materiæ ad formam, non potest forma eo ipso non esse unita materiæ, quia nihil potest intelligi unitum illi, quod sit realiter ab ipso divisum. Confirmatur. Omnis unio facit unum; ergo unio materiæ ad formam facit, ut materia et forma sint unum; quare alia unio superaddita actum agit, et est naturaliter saltem imposibilis (1).

Quædam difficultates solutæ.

171. **Objic. 1.°** Si unica daretur unio inter materiam et formam, aut reciperetur in sola materia, aut in sola forma, aut in utraque. Atqui nihil horum recte dici potest. **Non primum,** tum quia non major est ratio, cur item non debeat recipi in forma, quæ non minus est per unionem perfectibilis; tum quia unio est vinculum duorum: ergo non est in uno ad aliud, sed in duobus: tum demum quia id videtur proprium unionis hypostaticæ, quæ quia Humanitatem Verbo conjungit incapaci formæ intrinsecus receptæ, consequens est, ut in sola humanitate sit, ut in subjecto. Verbum vero respiciat ut merum terminum. At physica unio utrumque extremum respicit ut perfectibile. Ergo in utroque debet recipi. **Nec potest dici secundum:** tum quia non est ratio, cur non debeat unio recipi etiam in materia: tum quia forma hominis est intrinsece spiritualis, nec capax unionis materialis, qualis tamen esse debet unio, quæ efficienter procedit a seminali virtute materiali. **Non demum potest dici tertium:** primo quia, nulla entitas modalis potest esse intrinseca duplici modificato. Sic duplex quantitas non recipit unam figuram, nec duplex mobile unicum motum, nec duplex passum unicam actionem. Ergo nec duplex pars unicam unionem. Deindè est specialis difficultas in unione materiæ atque animæ rationalis in homine: si enim una daretur inter illas

(1) De Benedictis, loc. cit. Cfr. Suarez, loc. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unio, vel esset materialis vel spiritualis. Si materialis, non posset recipi in anima; nec si spiritualis, in corpore vel materia. Ergo necesse est duplicem ponere unionem. Ita fere P. Georgius Rhodes (1).

Resp. *conc.* Major., eligendo primum membrum, quemadmodum in sequenti quæstione probabo.

Neg. Minor, quoad primum. Ad ejus primam probationem resp., *neg.* assertum, ut patebit ex dicendis in duabus sequentibus quæstionibus.

Ad secundam probationem *neg.* conseq. Quod enim aliquid sit vinculum duorum, non probat illud in utroque debere recipi, ut evidenter patet in unione hypostatica, quæ vinculum est Humanitatis Christi Domini et Verbi, nec tamen recipitur nisi in Humanitate.

Ad tertiam probationem, *neg.* assertum. Nec enim necesse est, ut unio hypostatica et unio naturalis compositionis in eo distinguantur, ut illa solum in alterutro extremo subjectetur, ac recipiatur; sed quamvis in hoc conveniant, discrepant adhuc in duobus, quæ superius notavimus (2).

Objic. 2.° Datur connexio non mutua inter duo extrema, v. g. inter creaturam et Deum, scientiam et scibile, modum et rem. Atqui unio est connexio quædam. Ergo non omnis unio est mutua; atque adeo non sufficit unica unio inter materiam et formam, sed duplex requiritur. **Resp.** *neg.* conseq. Quia «quam certum est dari connexionem non mutuam, tam est certum repugnare in suis terminis unionem non mutuam. Quare hoc unioni repugnat, non ex genere connexionis, sed ex propria ratione unionis, quæ scilicet habet duo conjungere in aliquam totius unitatem. Profecto intelligi non potest materiam facere unum actu cum forma, atque esse cum illa in unitate naturæ conjunctam, quin forma intelligatur facere unum cum materia» (3). Plura dabunt AA. laudati.

Quodnam sit unionis subjectum.

172. Quæritur 2.° *Quodnam sit ejusmodi unicæ unionis subjectum.* Dubium non est de subjecto denominationis,

(1) Cfr. de Benedictis, loc. cit. *Objic. 2.*
(2) Num. 159. Cfr. De Benedictis, loc. cit.
(3) De Benedictis, loc. cit.

certum quippe est tam materiam, quam formam, esse subjectum denominationis, siquidem utraque denominatur unita; sed de subjecto sustentationis, ex quo præsupposito unio educatur. Resque in utramque partem controvertitur, quamvis fortasse communior est opinio illorum, qui solam materiam esse subjectum unionis, quod vocant sustentationis, formam vero esse terminum, qui intrinsece afficiatur, atque adeo etiam, ut quibusdam placet (1), subjectum informationis (2). Ita existimant inter alios Rubius (3), De Benedictis (4), Semery (5), Lossada et Mayr, et innuitur ab Eximio Doctore (6).

Sola materia videtur esse subjectum sustentationis.

Et hæc opinio satis probabilis videtur, ac supposita identitate reali unionis cum generatione substantiali vel actione eductiva ipsius formæ substantialis, de qua in sequenti quæstione dicemus, planissime probari potest. Nam actio eductiva non pendet a forma substantiali, quæ terminus est illius, tamquam a subjecto sustentationis, alioquin forma esset causa materialis ad sui ipsius eductionem. Ergo si unio formæ cum materia, quoad rem ipsam, identificatur cum eductione, omnino conficitur, subjectum illius sustentativum solam materiam esse. Qui autem unionem ab eductione distinguunt solent plerumque dicere «unionem produci per eamdem eductionem, qua forma producitur: unde cum forma non præsupponatur ad eductionem sui, non præsupponitur ad eductionem unionis, consequenter non est unionis causa materialis; quia nullus effectus a causa materiali pendet, nisi quatenus ejus eductio pendet a tali causa, ut a subjecto præsupposito» (7).

Probatur præterea eadem opinio ex unione rationalis animæ cum corpore, ex qua desumi argumentum poterit ad

(1) Vide v. g. Anton. Mayr, loc. nup. cit. n. 641), et Lossada (loc. cit. n. 16).
(2) Vide *Ontolog.* n. 275, pag. 797, ubi explicatur ratio subjecti informationis, ac discrimen ejus a subjecto sustentationis.
(3) *Physicor.*, lib. 1, tract. 2, *de Forma*, quæst. 6, a n. 60.
(4) Loc. nup. cit.
(5) *Trienn. philos.*, t. 2, disp. 5, quæst. 2.
(6) *Metaph.*, disp. 13, sect. 9, n. 13.
(7) Lossada, loc. nup. cit. n. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cujuslibet alterius formæ substantialis unionem. Illud enim est subjectum sustentativum unionis humanæ, a quo præsupposito pendet istius unionis eductio. Sed hæc a sola materia tamquam a præsupposito subjecto pendet. Ergo...

«Prob. Minor, tum quia in homine eductio unionis est generatio totius. At omnes Philosophi cum Aristotele statuunt solam materiam esse subjectum generationis totius sive compositi, sicut sola est subjectum mutationis substantialis. Tum etiam quia generans ab eo subjecto præsupposito pendet in generando sive in educendo, quod prævie disponit, ac præparat ad formam et unionem: hoc autem subjectum in generatione hominis sola materia est, non enim generans præviam aliquam dispositionem inducit in animam rationalem» (1).

Probatio hæc præscindit quidem a controversia illa circa identitatem vel distinctionen eductionis ab unione, sed supponit tamen id, quod alibi propriam sedem habet, unionem animæ rationalis cum materia a generante directe produci atque entitative materialem esse, utpote quæ suapte natura causatur, ac pendet a materia, quamvis simul dici possit connexive ac determinative spiritualis, quia nimirum connectitur cum anima spirituali, et illam ultimo determinat ad constituendum hominem (2).

Utrum eductio formæ materialis re distinguatur ab ejusdem unione cum materia. Sententiarum varietas.

173. **Quæritur 3.° et ultimo**, *utrum eductio formæ materialis re distinguatur ab ejusdem unione cum materia*. Et sermo est de materiali forma, nam rationalis, utpote spiritualis, non educitur de potentia materiæ, sed creatur, ac proinde illius effectio realiter distinguenda est ab unione ipsa cum corpore. Affirmantem sententiam sequuntur PP. Georgius Rhodes (3), Petrus Hurtadus (4), Bartholomæus Amicus (5), Arriaga (6), Antonius Mayr (7), Soarez

(1) Lossada, loc. nup. cit. n. 10.
(2) Lossada, ibid. n. 11.
(3) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 1, quæst. 1, sect. 5, paragr. 2.
(4) *Physic.* disp. 5, sect. 2, n. 21.
(5) *Physic.* tract. 11, quæst 10, dubit. 2. art. 3, n. 9.
(6) *Physic.* disp. 4, sect. 3, n. 77, 78.
(7) *Philos. perip.* para 2, disp. 1, quæst. 7, art. 3, n. 620.

lusitanus (1), aliique fortasse communius. At vero unionem realiter ab actione eductiva formæ negant distingui PP. Suarez (2), Rubius (3), Conimbricenses (4), De Benedictis (5), Lossada (6), itemque P. Bernaldus Quiros relate ad eductionem passivam seu passionem (7), quam tamen realiter distinguit a passione (8). Controversia hæc mihi quidem dificillima et valde dubia videtur. Quam bene ante omnia oportet intelligere. Per efficientiam agentium, qua novum corpus generatur, nostro modo concipiendi tria hæc ordine contingunt: educitur forma nova de potentia materiæ unitur eidem formæ substantialiter, et ex hac unione substantiale compositum, corpus, existit. Actio illa, qua forma de potentia materiæ educitur, prout est ab agente, vocatur *eductio activa*, et prout dependet a materia, circa quam exercetur, dicitur *eductio passiva*, vel *sustentatio*, vel *passio*, vel *receptio formæ*. Convenit apud omnes eductionem formæ concomitari unionem ejusdem cum materia, itemque posita unione materiæ cum forma, non posse non existere compositum; verum acriter disputatur, utrum ispa passiva eductio formæ sit realiter unio ejusdem cum materia, de cujus potentia educitur. *Realiter*, inquam, nam ratione quidem distinguuntur unio et eductio; quia quamvis omnis eductio passiva conjungatur cum unione, potest tamen esse unio substantialis formæ absque eductione, ut patet 1.° in unione rationalis animæ cum corpore, forma enim spiritualis nequit produci per eductionem, sed per creationem. 2.° idem patet in forma materiali, quam Deus miraculose produceret absque materiæ concursu, eidemque uniret. Et propterea dicunt, sicut productio potest esse vel

Status quæstionis declaratur.

(1) *Physic.* tract. 1, disp. 5, sect 1 paragr. 5.
(2) *Metaphys.* disp. 11, sect. 9, num. 10 et 11.
(3) *De Generat. et Corrupt.* lib. 1, cap. 3 et 4, tract. 1, quæst 3, num. 39.
(4) *De Generat. Corrupt.* lib. 1, cap. 4, quæst. 15, art. 2, 4.^a assertio.
(5) *Philos. perip.* t. 2, lib. 2, quæst. 3, cap. 4, paragr 3.
(6) Op. cit. *Physic.* tract. 1, disp 6, cap. 3.
(7) *Curs. Philos., Physicor.* disp. 48, sect. 2 fin. n. 12. et disp. 61, sect. 6.
(8) Ibid. disp. 61, sect. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per creationem vel eductionem, ita etiam unionem formæ cum materia accidere posse sive cum eductione, ut fit semper in materialibus formis, nisi miraculum intercedat, sive cum creatione, ut pariter semper evenit in forma rationali. Dubitatur ergo utrum unio formæ materialis eductæ de potentia materiæ sit revera unum idemque cum ipsa eductione passiva formæ, an potius modus distinctus et productus simul cum forma per actionem eductivam. Prima sententia ex duabus relatis dicit esse modum distinctum, ac proinde in generatione substantiali corporis agnoscit duos modos, alterum qui sit passio vel eductio formæ, alterum ejusdem unio; et sic eductio non est *formaliter* ipsa *unio*, sed tantum *efficienter*, seu est *unifio* vel actio, cujus terminus formalis est unio formæ cum materia. Unde etiam consequenter docent solam sustentationem esse causalitatem materiæ respectu formæ; unionem autem esse causalitatem materiæ simul ac formæ respectu compositi. Secunda sententia e converso affirmat passivam eductionem formæ re identificari cum ejusdem unione, atque adeo esse formaliter, non efficienter, unionem. Cumque cæteroquin passionem ab actione re nullatenus distinguant, in generatione substantiali unicum distinguunt modum, qui prout consideratur relate ad causam efficientem vocetur eductio activa, et relate ad subjectum a quo sustentatur, passio vel eductio passiva, relate demum ad terminum eductum et unitum, appelletur unio: quare causalitatem materiæ respectu formæ esse sustentationem vel unionem.

Secundæ sententiæ argumentum primum.

174. **Pro secunda sententia** hæc omnium fortissima, mea quidem opinione, argumenta afferuntur: 1) passiva eductio seipsa constituit formam actualiter in materia receptam, siquidem passio est receptio proprie et stricte talis, ut ipsimet adversarii concedunt. Ergo seipsa constituit formam actualiter materiæ unitam, ac proinde seipsa est unio.

Antecedens probatur. Per illud forma unitur formaliter et non tantum efficienter, quo posito, quin aliud superaddi concipiatur, forma intelligitur in materia. Atqui posita eductione passiva, quin aliud superaddatur, forma necessario intelligitur in materia. Ergo stat antecedens.—**Prob. etiam**

consequens. Nequit intelligi forma recepta in materia, quin tribuat eidem suum effectum formalem. Etenim non potest intelligi forma recepta, quin intelligatur communicata materiæ, ut patere videtur ex ipsis terminis; forma autem subjecto capaci communicata, eo ipso tribuit suum effectum formalem. Atqui forma non tribuit suum formalem effectum, nisi prout est unita materiæ. Ergo nequit intelligi forma recepta in materia, quin intelligatur unita: quare si eductio passiva per seipsam formaliter reddit formam actualiter in materia receptam, reddit etiam actualiter unitam.

Præterea forma recepta in materia, præciso quovis alio diverso modo unionis, excludit privationem sui: secus enim materia esset simul habens formam et privata forma, quod contradictionem implicat. Atqui forma non nisi informando, suumque effectum formalem tribuendo, privationem sui a subjecto excludit. Ergo (1).

Communis responsio, qua contrariæ opinionis assertores vim hujus argumenti enervare conantur, negat formam recipi vel esse in materia *formaliter* per hoc, quod educatur de potentia materiæ, sed tantum efficienter vel radicaliter vel etiam concomitanter; quia nempe ratione passivæ eductionis adest etiam infallibiliter receptio, atque adeo unio formæ. Eductio enim passiva, inquiunt, cum sit fieri formæ simul et unionis, non est id, quo formaliter unitur forma materiæ, sed id, quo fit ipsa unio formalis (2). Sicut ergo decretum Dei volentis extrema uniri, ea non unit formaliter, sed radicaliter, ita nec eductio est formalis unio, seu non formaliter unit; nec proinde reddit materiam formaliter subjectum informationis, sed tantum sustentationis (3).

Eiusque communis responsio;

3) Eductio passiva cum sit passio seu receptio, alicujus rei est receptio formalis. Atqui videtur nullius alterius rei posse esse formalis receptio, nisi ipsius formæ. Nam eductio activa est realiter idem, ac eductio passiva. Ergo per eductionem passivam illud formaliter recipitur in materia, quod

argumentum accuditur.

(1) Vide Lossada [loc. cit. cap. 3, n. 74 et seqq.). Cfr. De Benedictis (loc. cit.).

(2) Vide Rhodes, loc. cit. in resp. ad *Object.* 1.um

(3) Cfr. Mayr, loc. cit., n. 625.

per activam eductionem de materiæ potentia formaliter educitur. Atqui activa eductio est formalis eductio formæ. Ergo...

responsio: Respondet Mayr eductionem esse formaliter receptionem seu unionem suipsius, non vero receptionem formæ per illam productæ.—Verum fateor, hæc responsio mihi captu difficillima accidit, ac penitus contraria videtur notioni actionis ac passionis, quam cum communissima sententia exposuimus in *Ontologia*.

argumentum tertium, γ) Propria dependentia formæ a materiali causa intrinsece et essentialiter includit unionem ita, ut neque fieri neque intelligi possit, quin illam intime includat. Atqui passiva eductio est ipsa dependentia formæ a materia. Ergo intrinsece et essentialiter includit unionem (1).

responsio. Respondent adversarii distinguendo dependentiam formæ a materia, tamquam a subjecto sustentationis, et tamquam a subjecto informationis. Subjectum sustentationis dicunt esse illud, in quo recipitur actio generativa seu eductio; subjectum vero informationis dicunt esse illud, quod ab altero perficitur. Jam materia quidem perficitur a forma, verum non per eductionem, sed per unionem, itemque munus subjecti sustentionis exercet per eductionem, munus vero subjecti informationis, per unionem. Si ergo eductio non est exercitium subjecti informationis; neque erit formalis unio, sed tantum radicalis aut illativa, quatenus naturaliter connectitur cum unione, illamve infert (2). Sola itaque dependentia formæ a materia tamquam a subjecto informationis includit intrinsece et essentialiter unionem, non autem dependentia tamquam a subjecto sustentationis seu eductio.

Porro munera ista subjecti informationis et sustentationis separari possunt, ut constat in materia respectu rationalis animæ, nam materia est quidem subjectum informationis respectu illius, at nullatenus subjectum sustentationis. Atque adeo unio etiam et eductio distingui realiter dicendæ sunt, quia, potest prima esse sine secunda (3). Verum hoc ultimum

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., n. 11.

(2) Vide Mayr (loc. cit., n. 628, in resp. ad *Confirm.*). Cfr. Lossada (loc. cit., n. 8).

(3) Cfr. Rhodes, (loc. cit., *Secunda ratio*).

nihil probat, quia ex eo quod non omnis unio formæ sit eductio, non sequitur vicissim, quod eductio formæ non sit unio; sicut ex eo quod non omne animal sit rationale, non sequitur quod rationale non sit realiter idem cum animali. Quod autem primam partem responsionis attinet, nescio annon satis præoccupata maneat per priores probationes. Sane si eductio est receptio formæ, videtur etiam eo ipso esse unio (1).

175. **Pro prima sententia distinguente unionem ab eductione formæ**, hæc præcipue argumenta proponuntur. Prioris sententiæ argumentum primum, α) Eductio et unio habent munera et prædicata diversa; nam edutio est productio formæ ac dependentia ejus a causa efficiente et a materiali, unio vero est purus nexus extremorum, et ultima determinatio, ut constituat unum. Ergo sunt duo modi distincti, sicut ob similem rationem distinguuntur actio et ubicatio vel duratio.

responsio: Respondent adversarii *negando* conseq. Nam unus idemque modus potest varia obire munera, sicut cernere est in ipsa eductione, quæ gerit munera actionis et passionis. Neque vero est paritas inter actionem vel ubicationem durationemve, hæ namque re distinguuntur, non præcise quia munera obeunt diversa, sed quia separabiles invicem illas esse ipsa experientia novimus (2).

argumentum secundum, β) Eductio est prior forma, cum sit via ad illam, unio autem est posterior forma, quia est ultima formalis determinatio formæ jam existentis ad constituendum unum cum materia, et causalitas, qua forma causat compositum. Atqui unum idemque nequit esse simul prius et posterius respectu ejusdem. Ergo.

responsio: Verum eductio, ut adversarii respondet, «non est prior prioritate aliqua proprie tali, quam vocant *in quo*, vi cujus intelligi possit eductio in aliquo signo, in quo nondum intelligatur forma producta; repugnat enim intelligi ultimam determinationem, ut forma sit producta, et tamen nondum productam esse formam. Solum ergo competit eductioni respectu formæ prioritas impropria, quam vocant

(1) Plura vide, si lubet, apud Lossada.

(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 2, 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pure *a quo* (1), et quæ non prohibet utramque existere et intelligi in eodem signo» Negant pariter «quod unio sit physice posterior forma, quin obstet titulus ultimæ determinationis causalitatis, aut exercitii causæ formalis. Causalitas et exercitium causæ efficientis, debet quidem esse ipsa posterior, quia ab ea physice oritur; at a causa formali non oritur ejus causalitas, aut exercitium, siquidem unio, etiam juxta adversarios, producitur a generante vel a solo Deo. Ad summum ergo habet unio respectu formæ posterioritatem logicam, quam vocant sin subsistendi consequentia; quatenus forma potest existere sine unione, non e converso. Cæterum hoc sensu etiam eductio determinata posterior est forma.»

Dices. Eductio est causalitas, per quam forma causatur; unio autem est causalitas, per quam forma causat compositum: nequit autem forma causare per eamdem causalitatem, per quam ipsa causatur».—**Negatur** hoc ultimum, quando sermo est de diverso genere causæ, ut in præsenti: cum enim causalitas formæ, ut causæ formalis, non oriatur a forma, potest sine incommodo esse causalitas, per quam forma oritur a causa efficiente (2).

argumentum tertium.

γ) Probabilius et sensui communi doctorum et indoctorum conformius est, quod compositum naturale idem sit, sive a solo Deo producatur absque ullo concursu, vel efficienti vel materiali, causarum naturalium, creando videlicet formam, sive mediis hisce forma educatur de potentia materiæ. Atqui supposita identitate eductionis cum unione, compositum ex eadem materia et forma specifice variare potest, prout a solo Deo vel mediis causis secundis efficiatur. Etenim unio materiæ ac formæ spectat ad essentiam compositi. Ergo ubi unio diversa est, etiamsi materia et forma sint eadem, compositum varietur, oportet. Atqui unio, quæ identificetur cum eductione, atque adeo cum concursu naturalium causarum efficiatur, diversa est ab unione, quæ non identificetur cum eductione, sed a solo Deo efficiatur

(1) De hisce prioritatibus *in quo* et *a quo* deque signis prioris ac posterioris, vide *Ontolog.* n. 176, pag. 511 et 514

(2) Lossada, loc. cit., cap. 4, nnm. 4 et 5.

creando formam. Ergo (1)..... Præterea ex eadem doctrina sequi videtur compositum, quod generatione transacta conservatur, non esse idem ac ipsum compositum, dum generatur. Nam dum generatur actio, qua forma educitur, atque unitur, est a Deo simul cum causa efficiente creata, verum dum conservatur, solum est a Deo (2).

Verum prioris sententiæ patroni *negant* Minorem; ad cujus probationem communiter respondent, *negando* conclusionem, et quidam etiam *negant* antecedens. Non enim desunt, qui dicant ad essentiam compositi, numero et specie determinati, non pertinere determinatam unionem, sed aliquam tantum indeterminate, cujuscumque indolis sit, dummodo sit vera unio physica et substantialis, ac proinde licet varietur unio cum eductione nullo modo variari essentiam compositi, quamdiu permanent eædem materia et forma per unionem aliquam copulatæ (3). Quam doctrinam approbat etiam Soarez lusitanus, et propterea rejicit ut inefficax istud argumentum (4): eamdemque late firmat P. Henao (5) ratione et auctoritate plurimorum; quamvis uterque scriptor distinctionem unionis ab eductione tueatur. responsio.

Quidquid tamen de hoc sit, sola unione variata ob identitatem illius cum eductione non variaretur compositum simpliciter et absolute, sed tantum secundum quid. «Manent enim, inquit Lossada, invariata præcipua constitutiva, sive partes componentes *ut quod;* ex quibus absolute sumitur compositi perfectio, indoles et identitas, tum specifica tum numerica, et ex quibus pendet varietas operationum et proprietatum, sive accidentium compositi, necnon varietas aut identitas definitionis, tum physicæ tum metaphysicæ; non enim aliter definiretur Petrus, v. g., si retinens idem corpus eamdemque animam, nunc haberet unionem A, nunc unionem B. Hinc P. Suarez (6), docet cum D. Thoma, ut vere ac

(1) Vide Mayr, loc. cit., n. 620. Cfr. Lossada, loc. cit., cap. 4, n. 12.

(2) Rhodes, loc. cit. *Ratio conclusion. primi.*

(3) Lossada, loc. cit., cap. 4, n. 13.

(4) Loc. cit., *Quarto rejicitur*, n. 370.

(5) *Empyreolog.*, exercit 7. n. 72.

(6) Tom. 2 in 3.tm part., disp. 44, sect. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

simpliciter dicatur resurgere idem homo, non requiri, quod redeat unio eadem numero, dummodo idem sit corpus eademque anima. Sic etiam aqua, licet mutet uniones continuativas, ut si dividatur, et iterum continuetur, non evadit simpliciter alia.

«Concedo igitur, posse Deum se solo conservare ignem eumdem simpliciter, qui ab alio igne productus est, non tamen eumde metiam secundum quid et undequaque; non enim conservare potest eamdem unionem, cum hæc probetur essentialiter pendens a causa creata. Qua in re nullum est absurdum, cum omnes concedant, non posse Deum se solo producere effectus modales essentialiter a causa creata dependentes; quia ad omnipotentiam Dei non pertinet evertere rerum essentias. Deus ergo conservare poterit ignem illum invariatum, quatenus est effectus absolutus: sed non ita potest, quatenus ille ignis includit modalitatem essentialiter ortam ab alio igne. Admitto pariter diversitatem unionis specificam ex diversitate eductionis, non quidem formalem, sed pure materialem in ordine ad munus uniendi et constituendi compositum: non enim actio Dei solius (quam suppono eductivam) diversa foret ab actione ignis sub conceptu passionis aut receptionis, qui solus unionem imbibit, quique solum specificatur a subjecto et forma recepta; sed tantum sub conceptu egressionis a principio activo, qui conceptus quasi de materiali se habet ad munus uniendi seu constituendi compositum. Sed quomodolibet appelletur ea diversitas, nunquam erit simpliciter talis respectu compositi, sed semper secundum quid. Nego autem, quod nova Dei actio conservativa sit prima productio ignis, quamvis revera sit productio unionis tunc advenientis: non enim esse potest prima productio respectu illius termini, qui jam existebat simpliciter idem in instanti antecedenti. Nec unio tunc adveniens est ultimum determinativum, ut ille ignis simpliciter incipiat existere, sed solum ut existere pergat. Sic productio novæ unionis inter corpus et animam hominis mortui, non dicitur prima hominis productio, sed reproductio aut resurrectio» (1).

(1) Lossada, loc. cit. cap. 4, num. 14-17.

argumentum quartum.

8) Eductio est modus accidentalis. Unio autem materiæ et formæ substantialis est. Ergo nequit utraque identificari. Major porro probatur, tum quia actio pertinet ad prædicamentum accidentis, tum quia non existit propter se, sed propter aliud, scilicet propter terminum.

responsio.

Cui argumento respondent adversarii, *negando* Majorem, si sermo sit de formæ substantialis eductione. Nec deterrentur adjectis probationibus: non prima, quia non vetat, quominus entitas in se substantialis possit ad prædicamentum accidentis spectare, ut constat v. g. in *habitu*, et in quibusdam etiam relationibus secundum doctrinam in *Ontologia* (1) traditam admissamque a multis assertoribus contrariæ hac in re sententiæ. Non secunda, nam forma etiam est propter compositum, et nihilominus substantia est (2).

Judicium Auctoris.

Harum opinionum eligat prudens lector, quæ sibi magis arrideat. Mihi probabilior videtur illa, quæ negat eductionem passivam ab unione realiter distingui; quia rationes, quibus fulcitur, difficiliorem admittunt solutionem. Aliunde etiam clarius in ea intelligitur, quomodo forma non prius sit, vel fiat, quam ipsum compositum.

ARTICULUS VII.

De composito substantiali corporeo seu corpore naturali.

Quintuplex totum.

176. Explicatis singillatim partibus substantialibus corporis, restat ut pauca dicamus de ipso toto, quod exinde coalescit, et vocari solet corpus naturale, vel compositum substantiale. Totum, quemadmodum constat ex dictis in *Logica Minori* (3), quintuplex potest esse: essentiale, sive physicum sive metaphysicum, integrale, potestativum et logicum vel potentiale. Totum logicum est idea universalis; totum potestativum est quævis res relata ad suas potentias et facultates: de quibus non est nobis nunc

(1) Vide num. 336, pag. 987, collat. cum num. 340, pag. 1002.
(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 20, apud quem plura videri possunt. Cfr. De Benedictis.
(3) *Logic. Minor.* n. 82, 84, pag. 215 seqq.

Totum substantiale est corpus.

sermo, quia agimus de toto substantiali, quod dicunt corpus *naturale* vel *physicum*, ad differentiam corporis *mathematici*, quod est quantitas, et *artificialis*, quod est opificium arte factum. In hoc ergo toto substantiali physico, quod vocatur corpus naturale, duplex totalitas substantialis spectari potet, *integralis* et *essentialis:* prima exsurgit ex partibus integrantibus, altera ex essentialibus sive physicis, quales sunt materia et forma, quæ constituunt simul cum unione totum essentiale physicum, sive metaphysicis, genere videlicet ac differentia, per ordinem ad quas

ejus definitio.

idem totum physicum vocatur totum metaphysicum. Jam corpus naturale, quatenus est totum quoddam metaphysicum seu in ordine ad partes metaphysicas, definitur *substantia corporea*. Sed quia differentia hæc corporeitatis intelligi et declarari a nobis non potest, nisi afferendo ipsa principia vel partes physicas, quibus corpus naturale constituitur; ideo optima hæc est corporis generatim essentialis definitio, ut sit *substantia composita ex materia et forma*. Quid autem sit materia et forma abunde jam explicatum manet. Illa vero alia est descriptiva definitio, secundum quam corpus dici potest *substantia capax trinæ dimensionis, vel habens naturaliter molem seu extensionem;* desumitur enim ex proprietate illa quantitatis, quam naturaliter comitatur omne corpus, tribuens ipsi exigentiam collocandi partes suas, alias extra alias, in spatio. Quod corpus essentialiter constituatur ex materia et forma unitis, satis, puto, probatum est hactenus; illa enim ad essentiam rei pertinent, quibus positis habetur, quibus non positis nondum habetur essentia illius. Atqui tales sunt materia et forma earumque unio substantialis. Scotistæ nihilominus putant unionem non esse de essentia corporis, sed tantum conditionem simpliciter necessariam tam ad ejus constitutionem, quam conservationem (1).

Utrum totum substantiale re distinguatur a suis partibus

Illud jam in controversiam potissimum vocatur, utrum ad constituendum totum substantiale corporeum, aliquid amplius requiratur realiter distinctum a partibus componentibus earumque unione. Et quamvis quæstio agitari possit de toto

(1) Vide Mastrium, *Physic.* disp. 5. quæst. 12. art. 2, n. 140 seqq.

unitis vel simul sumptis.

ac partibus tum integralibus tum essentialibus physicis, potissimum tamen dubitatur de essentialibus; et sic dubitatur utrum tota substantia corporea præter materiam, formam et unionem aliquid amplius includat, vel utrum a materia et forma simul sumptis et unitis re distinguatur. *Simul sumptis et unitis*, inquam, nam compertum omnibus est compositum a singulis componentibus seorsim sumptis inadæquate distingui, sicut includens et inclusum. Quæstio porro est de toto substantiali, non prout suppositum est; nam distinctio suppositi a corporea substantia declarata manet ex disputatis in *Ontologia;* sed agitur de toto substantiali, quod sit essentia completa corporis in *esse* naturæ, et in hoc sensu investigatur, utrum integra quidditas vel essentia corporis distinguatur a materia et forma unitis. Totaque controversia revocatur ad totum per se; nam totum per accidens fatentur a suis partibus non distingui etiam illi, qui totum per se distinguunt, ut videre est apud Mastrium (1). In proposita ergo controversia celebris est Scotistarum (2) communis sententia tenens in composito physico substantiali, præter materiam et formam unitas ac simul sumptas, dari tertiam quamdam entitatem positivam realiter ab illis distinctam. Scotistis adhærent quidam nobiles Thomistæ, ut Capreolus (3), Cajetanus (4), Ferrariensis (5), aliique. Eamdem sequitur e Nostris Fonseca (6), et in eamdem inclinant Conimbricenses (7). Non convenit tamen apud Scotistas, utrum solum totum essentiale, an vero etiam integrale, a partibus simul sumptis et unitis distinguatur, aliis affirmantibus, negantibus aliis, ut videre est apud Mastrium (8), et Pontium (9). Contrariam

Opinio Scotistarum

et quorundam Thomistarum.

(1) *Physic.* disp. 5. quæst. 17, n. 151 fin.

(2) Vide apud Mastrium (loc. nup. cit. quæst. 12, n. 151), Pontium (*Physic.* disp. 6, quæst. 1, n. 3), Frassen (*Physic.* disp. 3, quæst. 1).

(3) 3.a dist 2, art. 1.

(4) In 3.um part., quæst. 6, art. 5, *Ad primam autem Durandi rationem.*

(5) *Physicor.* lib. 1, quæst. 5; et in 4.um lib. *Contr. Gent.* cap. 85.

(6) *Metaphys.* lib. 7, cap. 17, quæst. unic.

(7) *Physicor.* lib. 1, cap. 2, quæst. 1, art. 1.

(8) Loc. cit. n. 151, et art. 2, a n. 176.

(9) Loc. cit. quæst. 2, n. 23 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Altera opinio communior, negans totum a suis partibus unitis realiter distingui.

tuentur, ut omittam veteres Philosophi interpretes græcos (1), S. Thomas, Agidius Romanus, Durandus, Paludanus, Gregorius Ariminensis, cæterique e schola Nominalium (2), itemque Sotus (3), Complutenses (4), Joannes a S. Thoma (5), Goudin (6), et Roselli (7), cum communiori Thomistarum opinione; ac demum Nostrates communiter cum Eximio Doctore, Toleto (8) Rubio (9), Benedicto Pererio (10), Georgio Rhodes (11), De Benedictis (12), Hurtado (13), Suarez lusitano (14), Arriaga (15) Oviedo (16), Sylvestro Mauro (17), Antonio Bernaldo de Quiros (18), Semery (19), Antonio Mayr (20), Ludovico Lossada (21), Bartolomeo Amico (22) aliisque: quæ doctrina communis videtur evasisse jam inde ab exeunte sæc. XVI extra scholam Scotistarum (23). Hanc alteram sententiam probabiliorem reputamus. Sit itaque

(1) Apud Suarez (*Metaph.* disp. 26, sect. 3, n. 6), et Conimbricens. (loc. cit. art. 2).
(2) Apud Suarez et Conimbricenses.
(3) *Physicor.* super lib. 1.um, quæst. 3, *concl.* 1.ª
(4) *Physic.* disp. 6, quæst. 4.
(5) *Physic.* quæst. 6, art. 2.
(6) *Physic.* 1 part., disp. 1, quæst. 4, art. 3.
(7) *Summ. philos.* tom. 2, quæst. 4, art. 1.
(8) *Physicor.* lib. 1, quæst. 8.
(9) *Physicor.* lib. 1, cap. 3, quæst 1.
(10) *De Communib. omnium rerum* etc. lib. 7, a cap. 18. cap. 22
(11) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 1, quæst. 1.ª, sect. 6.
(12) *Philos. perip.* vol. 2, lib. 2, quæt. 3, cap. 5.
(13) *Physic.* disp. 6, sect. 1.
(14) *Physic.* tract. 1, disp. 7, sect. 1.
(15) *Physic.* disp. 5, sect. 1.
(16) *Physic.* controv. 5, punct. 1.º
(17) *Quæstion. philos.* lib. 2, quæst. 11.
(18) *Physic.* tract. 3, disp. 40, sect 2.
(19) *Trienn. philos.*, vol. 2, disp. 1, quæst. 4, art. 1.
(20) *Philos. perip.*, pars. 2.ª, disp. 1, quæst. 7, art. 5, a. n. 642.
(21) *Physic.*, tract. 1, disp. 7, cap. 1.
(22) *Physic.*, tract. 11, quæst. ult. dubit. 4.
(23) Immo vero P. Mayr arbitratur Doctorem Subtilem suam sententiam mutasse; nam in libro 1.º *Physicor.*, quæst. 9, n. 4, hæc habet. *Nunc ponitur ista conclusio:* **Totum est suæ partes ita, quod omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum.** Notat autem Scotista P. Bonaventura Baro (in lib. 1.º *Physicor., apolog.* 9, act. 1, n. 1)

177. PROPOSITIO. **Totum realiter non distinguitur a suis partibus unitis ac simul sumptis.** explicatur,

Hæc videtur esse manifesta doctrina S. Augustini, qui diserte doct *animam et corpus esse totum hominem* (1). Et alibi hæc scribit: *Hoc quidem verum est, quod non totus homo, sed pars melior hominis anima est; nec totus homo corpus, sed inferior hominis pars est. Sed cum est utrumque conjunctum simul, habet hominis nomen* (2). His similia continentur in *Symbolo Athanasiano: Sicut anima rationalis et caro est unus homo, ita* etc.

Neque alia videtur mens S. Thomæ: *De humanitate*, inquit, *non est intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utraque; quia cum per formam et materiam fit hoc aliquid actu, ut dicitur 2.º de Anima* (text. comm. 8), *illa tertia forma consequens non esset substantialis, sed accidentalis* (3). Ex quibus perspicuis verbis explicatur hoc aliud ejusdem S. Doctoris, quod quidam in contrarium objiciunt: *Oportet, quod omnia essentialia hominis in Christo fuerint, et corpus et anima vegetabilis, sensibilis et rationalis, et ulterius forma totius resultans ex conjunctione corporis et animæ, quæ humanitas dicitur* (4). et probatur.

Prob. 1.º Si totum realiter distinguitur a partibus simul sumptis, vel distinguitur adæquate vel inadæquate. Atqui neutrum dici potest. Ergo...

Prob. Minor. per partes: α) *non distinguitur adæquate.* Nam quod adæquate distinguitur ab alio, non continet, nec includit illud in se, sed excludit; non enim dici potest, quod simpliciter præscindat ab eo in suo conceptu, siquidem id est

libros hos physicos a Scoto Parisiis scriptos, esse posteriores ejusdem Doctoris scriptis jam Oxonii editis, in quibus communem Scotistarum tradere doctrinam videtur. Vide Mayr, loc. cit., n. 643; De Benedictis, loc. cit.

(1) Lib. 7 *de Trinit.*, cap. 4.
(2) S. August., *de Civit. Dei*, lib. 13, cap. ult. Cfr. ibid. lib. 9, cap. 3.
(3) S. Thom. 4.º *Contr. Gent.*, cap. 81, *Quod vero secundo objiciebatur...* Cfr. 4.º dist. 44, quæst. 1, art. 1, solut. 2, ad 2.um
(4) S. Thom. 3.º dist. 2, quæst. 1, art. 3, solut 1.ª Cfr. ibid. solut. 3. corp. et ad 3.º m

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proprium dumtaxat eorum, quæ ratione discriminantur. Ergo si totum realiter distinguitur a partibus, non continet illas in se. Atqui intelligi non potest, quomodo totum non includat, sed excludat partes. Primo quia id omnes intelligunt nomine totius, quod ex partibus coalescit, in easque dividi potest: tum quia si totum excludit partes, simplex necessario erit, atque adeo jam corpus vel desinet esse compositum ex partibus, vel dicendum erit simplicem entitatem partes reales distinctas habere.

Prob. **Minor quoad alterum membrum:** β) *totum non distinguitur inadæquate a partibus.* Eatenus totum realiter inadæquate distinguitur a partibus, quatenus præter illas unitas ac simul sumptas tertiam aliquam realem entitatem realiter distinctam complectitur. Jam quæro, quid sit entitas illa tertia, totumne, an pars quædam, quæ simul cum aliis partibus, materia et forma, totum corpus constituat. Si unica illa entitas est totum, relinquitur totum a suis partibus simul sumptis adæquate distingui, quod falsum esse probavimus in priori membro. Si est pars: ergo in toto præter omnes partes simul sumptas adest quædam illa pars: quod implicat in terminis. Præterea de hac tertia entitate, quæ dicitur forma totius ac de partibus ejusdem simul sumptis inquiro, quomodo constituant totum, utrum ita ut totum realiter distinguatur a partibus ac tertia illa entitate, vel non. Si distinguitur, abibimus in infinitum: si non distinguitur, nulla est necessitas fingendi entitatem positivam præter partes compositi unitas ac simul sumptas ad constituendum totum. Nam sicut dicitur partes cum tertia hujusmodi entitate seipsis absque alia re superaddita conflare totum, eodem jure nos dicimus partes compositi, dummodo unionem habeant, nulla alia entitate indigere, ut exinde totum coalescat.

Prob. 2.° Tertia illa entitas a materia et forma unitis ac simul sumptis distincta, vel est tota essentia compositi, vel pars dumtaxat. Si tota: ergo materia et forma non erunt de compositi essentia. Si pars; perperam statuitur totum distingui realiter a partibus: siquidem illa tertia entitas jam non esset totum ipsum substantiale nec forma vel modus totalitatis, sed solum una ex partibus, quæ duabus aliis juncta

totum constitueret. De quibus tribus partibus rursus possemus inquirere, num re distinguantur a toto, quod dicuntur constituere. Si distinguuntur, abibitur in infinitum simili modo argumentandi. Si autem non distinguuntur, sed se solis componunt totum, idipsum æquo jure dicendum erit de sola materia et forma unitis.

Plura dabunt veteres scriptores, ac nominatim Lossada, qui solutiones his aliisque argumentis a Mastrio datas perpendit, ac dissipat. Verum res videtur satis perpicua, nisi velimus voces ad alienam a vulgari sensu significationem detorquere.

Utrum saltem per rationem distinguatur totum a partibus.

Si jam quæras, an saltem per rationem distinguatur totum a partibus collectim sumptis; respondebo non distingui «propria et stricta distinctione rationis, sed tantum illa minus propria, quam vocant *penes implicitum et explicitum*, sive quæ datur inter definitionem et definitum, v. g. inter hominem et animal rationale. Ratio est: quia hic conceptus, *materia, forma et utriusque unio*, expresse ac distincte proponit totam essentiam physicam, quam confuse aut indistincte significat nomen, *compositum, vel totum substantiale*. Nec obstat, quod totum dicatur *resultare* ex partibus. Nam etiam acervus tritici *resultare* dicitur ex multis granis, ternarius ex tribus unitatibus, species ex genere et differentia, et calidum ex calore et subjecto, nec tamen in his stricta rationis distinctio datur. Illa igitur resultantia non probat verum aliquem effluxum totius ex collectione partium, sed unice distinctionem ex modo significandi, seu modum nostrum concipiendi totum instar effluentis» (1).

178. **Objic. 1.°** «Omnis entitas realis realiter causata ab aliquibus, est ab eis realiter distincta; quia causa est, ad cujus *esse* sequitur aliud, vel quæ influit *in aliud*; per quam particulam significatur effectum alietatem in natura importare debere a sua causa... Sed entitas compositi substantialis est realiter causata a materia et forma, sicut a causis intrinsecis... Ergo» (2).

Verum in primis tum hæc objectio tum aliæ similes possent in adversarios retorqueri in toto integrali et in toto

(1) Lossada, *Physic.*, tract. 1, disp. 7. cap. 1, n. 20.
(2) Ita Mastrius, loc. cit., art. 1, n. 154.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

substantiali. Etenim quemadmodum superius notavimus, omnes qui talia objiciunt, fatentur totum accidentale, seu quod est unum per accidens, non distingui a suis partibus, et multi concedunt idem quoque dicendum esse de toto substantiali integrali. Deinde directe

Resp. *dist.* Major.: distinctione adæquata vel saltem inadæquata, *conc.*; distinctione præcise adæquata, *neg.*, ut constat ex dictis in *Ontologia* (1).

Dist. etiam Minor.: Entitas compositi substantialis est realiter causata a materia et forma distributive ac seorsim sumptis, *conc.*; collective ac simul sumptis, *neg.* Tum *neg.* conseq. Partes distributive sumuntur, quando prædicatum aliquod verificatur de singulis seorsim: ut si dicas: *Partes omnes corporeæ substantiæ sunt entitas aliqua substantialis.* Cognoscitur autem sensus distributivus per resolutionem suppositionis secundum regulas, quæ in *Logica Minori* traditæ sunt (2). Si enim propositio talis est, ut enumerari possint singulæ partes subjecti, ac de iisdem singillatim enuntiari vere prædicatum, sensus ac suppositio distributiva est, ut patet in allato exemplo; nam et materia est entitas substantialis, et forma. Partes sumuntur collective, quando prædicatum verificatur de illis non seorsim, sed simul acceptis: ut cum sic enuntiatur: *Apostoli sunt duodecim*, nam singuli certe non sunt duodecim, sed universi collecti: quare ex modo, quo resolvi logice potest suppositio, facile cognoscitur sensus collectivus. In objecta ergo propositione minori, cum enuntiabatur partes causare compositi substantialis entitatem, partes sumuntur distributive, non autem collective. Nam et de materia verum est, quod causet entitatem compositi substantialis, et similiter de forma: non autem verum est, quod et materia et forma unite et collective sumptæ causent entitatem compositi substantialis, quia ipsa complexio materiæ ac formæ unitarum formaliter constituit compositum, seu est ipsum substantiale compositum; verum autem non est, quod substantiale compositum *causet* totum. Sunt etiam, qui concedant partes *causare* totum causalitate

(1) Vide num. 384, pag. 1094.
(2) Vide *Logic. Minor.* n. 60, 61, pag. 194, 195.

intrinseca et constituente ipsum totum: et propterea necesse non esse, ut a toto distinguantur entitative ut a causato, quia non causant per effectionem, sed per mutuam sui communicationem (1).

Instabis. «Materia et forma non sunt integra causa compositi substantialis, nisi ut unitæ et collective seu copulatim sumptæ. Ergo non est collectio, quæ causatur, aut partes sub collectione, sed alia tertia entitas, quæ partes includat cum collectione. Probatur assumptum; nam partes unitæ, sed singillatim sumptæ, non sunt causæ compositi nisi partiales, et collective sumptæ integrant unam causam totalem. Ergo compositum cum sit effectus causatus ab eis collective sumptis, erit quid realiter distinctum ab ipsis etiam collective sumptis» (2).

Resp. 1.° retorquendo argumentum in adversarios in toto integrali et accidentali seu incomposito ex substantia et accidenti.—**Resp.** 2.° *neg.* antec. et conseq. «Quia causa intrinseca idem sonat, ac pars componens: ideoque sicut implicat in terminis pars totalis seu pars adæquata, cum conceptus partis sit impræscindibilis a partialitate et inadæquatione; ita in terminis implicat causa intrinseca totalis sive adæquata ob eamdem rationem. Poterunt quidem materia et forma unaquæque vocari causa intrinseca in suo genere adæquata, id est unica, materia quidem in genere subjecti et forma in genere causæ formalis; quod pariter locum habet in munere partis, quia utralibet est pars adæquata, id est unica, in suo genere, forma quidem in genere partis formalis, et materia in genere partis materialis. Cæterum in ratione causæ intrinsecæ absolute dictæ, prorsus implicat causa totalis vel adæquata. Nec valet exemplum causæ efficientis; quia hæc non dicit ex conceptu suo inadæquationem; nec est ratio, cur nomen ejus verificetur potius de singulis causis partialibus, quam de collectione omnium, cum ista collectio realiter distinguatur ab effectu suo, et extra illum maneat» (3).

(1) Vide Joann. a S. Thoma (loc. cit., *Ad primum fundamentum...*), Mayr. (loc. cit. n. 655).
(2) Ita iterum Mastrius, loc. cit. num. 156. *Ex alio igitur capite.*
(3) Lossada, loc. cit. cap. 2, n. 13. Cfr. n. 16.

Si autem mavis dicere cum aliis, ut notavi in fine responsionis ad præcedentem difficultatem, materiam et formam etiam unitas et collective sumptas *causare* totum, instantia hæc locum non habet.

Objic. 2.° Homo per generationem accipit aliquod *esse* simpliciter, illudque per corruptionem amittit. Atqui *esse* istud nec est *esse* materiæ, nec *esse* animæ rationalis, quippe quæ non generantur, sed creantur, nec proinde corrumpuntur; neque item *esse* unionis, tum quia unio partium non est nisi respectus vel relatio; tum quia unio licet extrinsece sit substantialis, in sua tamen entitate et intrinsece accidentalis est; tum demum quia *esse* unionis non potest esse terminus generationis ut *quod*, sed tantum *ut quo* (1).

Resp. *conc.* Major., *dist.* Minor. Illud *esse* simpliciter nec est *esse* materiæ, nec *esse* formæ, nec *esse* unionis seorsim ac distributive sumptum, *conc.*, collective sumptum, *neg.* Quia est ipsum *esse* compositi, seu *esse* hominis. «Quamvis enim sola unio sit generationis terminus formalis, homo tamen in *esse* totius vere est terminus denominationis, qui scilicet physice seu cum proprietate physica denominatur *generatus*, quia per generationem ultimo efficienter determinatur ad existendum simpliciter, cum determinetur ad habendum omnes suas partes, id est non solum unionem, sed etiam materiam et animam; has quippe non habet homo ut partes sui, donec existat unio, quæ et seipsa componit hominem, et reddit materiam et animam actualiter componentes. Et hæc est ratio, cur homo potius dicatur genitus a generatione unionis, quam creatus a creatione animæ. Similiter per corruptionem unionis determinatur homo ad amittendum suum *esse* simpliciter, quia determinatur ad non habendum ullam sui partem; jam enim anima et materia non sunt partes actuales hominis, et idcirco vere denominatur homo physice *corruptus*. Materia igitur et anima rationalis non corrumpuntur, nec generantur distributive sumptæ, nec per modum termini formalis; bene tamen collective sumptæ cum unione, per modum termini donominationis (2).

(1) Mastrius, loc. cit. n. 157. Cfr. Lossada, loc. cit. n. 17.
(2) Lossada, loc. cit. n. 18.

Unde etiam concidunt probationes a Mastrio ex Bassolis allatæ in proposita objectione ad probandum, quod *esse* unionis nequeat esse terminus generationis. Prima falsum continet, unio enim quamvis transcendentalem relationem importet, fundetque relationem prædicamentalem, qua materia et forma invicem referuntur, non est tamen pura relatio. Secunda etiam falsa est, quia jam probavimus unionem materiæ et formæ esse modum substantialem. Quod denique tertiam spectat, explicatum manet, quomodo *esse* unionis sit, vel non sit terminus generationis.

Objic. 3.° Si totum substantiale non distinguitur a partium collectione, non erit unum per se, sed per accidens; erit enim plura simpliciter et unum secundum quid, nempe secundum unionem (1).—**Resp.** *neg.* assert. et probat., jam enim in superioribus ostensum est, quomodo ex materia et forma, tamquam ex potentia et actu physice unitis, unum per se ac simpliciter existat. Compositum porro dicitur unum non solum secundum unionem, sed secundum totam suam essentiam. Unum enim, quemadmodum in *Ontologia* (2) notatum reliquimus, non importat formaliter negationem divisionis, sed simul entitatem positivam; atque adeo formaliter significat *ens indivisum*. Quapropter compositum substantiale unum involvit entitatem indivisam, nempe materiam et formam indivisas non solum inter se, sed etiam in semetipsis. Et sic unitas hominis non provenit a sola unione modali animæ ac materiæ, sed insuper ab ipsa entitate ac simplicitate animæ, et ab unitate materiæ.

Objic. 4.° Ea distinguuntur realiter, de quibus prædicata diversa reipsa verificantur. Atqui de partibus etiam unitis ac de toto composito verificantur prædicata diversa. Etenim compositum continet, et includit partes, easque unitas, iisdemque constituitur; partes autem unitæ e converso sunt inclusæ et contentæ, et constituunt compositum: item compositum est unum, partes vero sunt unitæ: compositum agit, et accidentia recipit *ut quod*, partes autem nequaquam.

(1) Apud Lossada, ibid. n. 21.
(2) Num. 78, 79, pag. 229, 230.

Resp. *dist.* Minor. De partibus distributive sumptis verificantur prædicata diversa, *conc.*; de partibus collective sumptis, *neg.*, nam partes collective sumptæ non distinguuntur a composito, nec proinde diversa suscipiunt prædicata.

Instabis 1.º Non recte dicitur, quod partes unitæ constant ex partibus unitis. Atqui e converso recte dicitur compositum constare ex partibus unitis. Ergo partes unitæ nullatenus sunt ipsum compositum. Similiter partes non prædicantur de toto, neque totum proprie prædicatur de partibus, sive divisim sive conjunctum sumptis (1).— **Resp.** Hæc et alia similia solum ostendunt compositum a partibus penes modum concipiendi ac significandi discriminari. Ratio vero, cur neque partes simul sumptæ prædicentur de toto, neque vicissim, est quia ad prædicationem non sufficit identitas realis, sed attendendus est modus significandi, cujus solius diversitas satis est, ut unum nequeat de alio prædicari. Cum ergo partes physicæ non significentur per modum totius, sicut significantur partes metaphysicæ, puta ratio generis et differentiæ, nihil mirum quod non prædicentur de toto; cum potissimum in toto substantiali possit esse aliquid aliud præter ipsas partes substantiales unitas, nempe accidentia et ratio suppositi.

Instabis 2.º Quod est plura, non est unum. Atqui partes etiam unitæ revera sunt plures, compositum autem unum. Ergo partes etiam unitæ a toto composito distinguuntur.

Resp. Partes unitæ non sunt plura entia, sed unum ens resultans ex distinctis componentibus; et similiter compositum est unum, non autem unum per simplicitatem, seu indivisibile, sed unum per compositionem, atque adeo divisibile et coalescens ex pluribus distinctis partibus. Verbo partes unitæ, quamvis distinctæ, sunt unum simpliciter et actu, et plura tantum secundum quid et potentia; et eodem pacto compositum.

Objic. 5.º Aristoteles scribit *sex* non esse *bis tria*, sed *semel sex* (2); itemque syllabam *ba* non esse *b* et *a*, sed

(1) Cfr. S. Thom., 4.º dist. 16, quæst. 1, art. 1, solut. 3.ª ad 2.um
(2) *Metaph.*, lib. 5, text. 19.

aliquid aliud (1): et totum quod non est mere coacervatum, esse aliquid aliud præter partes (2). Denique substantiam dividit in materiam, formam et compositum. Nomine autem compositi profecto nequit intelligere materiam et formam, secus enim divisio foret nugatoria; nec unionem, quia sic per vocem compositum significaret aliquid materia et forma imperfectius. Ergo aliquid aliud intelligit (3).

Resp. Primum et alterum Philosophi testimonium adversariis ipsis solvendum esse, quippe qui negant in composito accidentali totum a portibus simul sumptis distingui. nam et senarius et syllabæ illæ sunt composita accidentalia. Cæterum facilis est utriusque testimonii explicatio. *Sex* ideo dici possunt non esse formaliter *bis tria*, vel quia bis tria sumuntur divisim, non copulatim, vel quia senarius importat continuatam unionem seu coordinationem sex unitatum, quam non important duo ternarii: unde jam adest aliqua distinctio inadæquata, nempe ratione unionis. Atque idem dicatur de syllaba *ba*, quæ pariter inadæquate distinguitur a litteris *b* et *a* tum singulatim sumptis, tum ratione conjunctionis et ordinis in proferendo aut scribendo. Quod tertium testimonium Aristotelis attinet, totum non mere coacervatum recte dicitur aliquid aliud præter partes, quia totum ejusmodi partibus addit unionem physicam vel naturalem, quam non habent partes mere acervatæ. Denique postremum, quod objiciebatur ex eodem Philosopho, nihil evincit. Dividendo enim substantiam in materiam, formam et compositum, nomine *compositi* significavit, non solam materiam, nec solam formam, nec unionem solam, sed tres hasce realitates collective sumptas; quare tertium membrum Aristotelicæ divisionis inadæquate distinguitur a duobus prioribus; divisio vera illa ideo recta est, quia et materiæ et formæ et composito ex utraque ratio substantiæ aliquo modo convenit (4).

(1) *Metaph.*, lib. 7, fin.
(2) *Metaph.*, lib. 8, text. 15.
(3) Vide Mastrium (loc. cit., n. 161), Lossada (loc. cit., n. 17, *Confirm.* 2).
(4) Vide Lossada, loc. cit. n. 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cæterum non desunt loca Philosophi, in quibus doctrina nostra continetur (1). Plura de his si cupis, vide apud Lossada (2) aliosque veteres scriptores.

CAPUT IV.

DE NATURA PHYSICA

DEQUE QUIBUSDAM NOTIONIBUS CUM NATURA RELATIONE CONNEXIS.

ARTICULUS I.

Quid sit natura physica.

Variæ acceptiones naturæ.

179. Multæ sunt hujus vocis acceptiones, aliæ aliis magis communes et impropriæ. Primo enim Deus ipse *natura* dicitur (3): quo sensu S. Augustinus scripsit supra hanc nostram naturam esse *naturam non creatam, sed creaticem, id est Deum* (4). Huc revocatur illa acceptio, qua, ut scribit Hugo Victorinus (5), sumitur natura pro mente divina, rerum omnium ac naturarum creatarum opifice ac parente. «Hanc autem Philosophi quidam boni, sed non boni latinitatis auctores *naturam naturantem* appellarunt» (6). Per quamdam oppositionem ad hanc primam naturæ significationem, accipitur natura pro tota rerum creatarum universitate: quare pro eodem habetur aliquid produci, ac poni in rerum natura, vel aliquid existere, ac esse in rerum natura. Et hoc sensu non semel docet S. Thomas totam naturam esse instrumentum Dei, et miraculum dicitur vim excedere totius *naturæ*. Alias etiam reperitur eadem vox in angustiori

(1) Vide lib. 2.° de *Anima*, cap. 1, ubi dicit animam et corpus esse animal, sicut pupilla et visus est oculus. Adde *Physicor.* lib. 4, tex. 33; *Metaph.* lib. 5, text. 31.

(2) Loc. cit. per totam disput. 7.mo

(3) Senec., *de Officiis*, lib. 4.

(4) S. August. *de Trinit.*, lib. 15, cap. 1,

(5) *Didascaleon.*, lib. 1, cap. 11.

(6) Conimbricens., *Physicor.*, lib. 2, cap. 1, quæst 1, art. 1.

acceptione pro natura irrationali, per oppositionem ad ens rationale ac liberum. Tertio natura idem valet, ac temperamentum vel indoles, ut cum hic dicitur natura mitis, ille iracundus etc. Quarto significat natura essentiam rei, potissimum consideratam in ordine ad operationem, ut jam monuimus in *Ontologia:* qui sensus communissimus est, sicut ipsa essentia, omne quippe ens reale, sive substantiale sive accidentale, sive completum sive incompletum, sive infinitum sive finitum, sua gaudet essentia. Paulo restrictior est illa alia significatio, qua natura dicitur per oppositionem ad suppositum, denotatque essentiam complete in sua specie vel quasi specie constitutam; et hoc pacto investigavimus in *Ontologia*, qui differat natura a supposito. Denique sumitur nomen naturæ in alio sensu *naturalis Philosophiæ* proprio, qui nunc declarandus venit. Harum acceptionum præcipuas breviter complexus est S. Thomas non uno in loco (1), Joannes vero Martinez Ripalda ad hasce quatuor revocat: «Prima est Dialecticorum propria, inquit, Philosophiam (naturalem), Metaphysicam et Theologiam transcendens, quæ *naturam* sumit pro cujuscumque rei essentia et quidditate: Secunda propria Metaphysicæ, quæ pro *substantia completa*, ut a subsistentia distinguitur; tertia physica, quæ pro *substantia incompleta*, ut materiam et formam comprehendit; quarta denique Theologorum disputatione frequentissima, quæ pro ea aggregatione rerum, quæ ab *ordine supernaturali* et *gratia* dividitur, usurpari solet» (2).

Definitio naturæ in sensu physico, prout hic sumitur, explicatur.

Definitur ergo natura in sensu physico ab Aristotele et Scholasticis communiter: *principium et causa motus et quietis ejus, in quo est, primo et per se et non secundum accidens* (3). Est natura *principium et causa motus et quietis ejus in quo est*, nempe principium et causa, cur moveatur et quiescat res.

(1) Vide S. Tom. 1.° dist. 17, quæst. 1, art. 1, ad ultimum; 2.° dist. 37, quæst. 1, art. 1; 1 p., quæst 29, art. 1 ad 4.um; 1. 2. quæst. 10, art. 1, 3 p., quæst. 2, art. 1; *de Unione Verbi*, art. 1, (inter *Quæstiones disputatas*); *Contr. Gent.*, libr. 4.°, cap. 35, arg. 3.° et cap. 41; *Metaphys.*, libr. 5, lect. 5; 4.° dist. 5, quæst. 1, art. 2.

(2) Joannes Martinez de Ripalda, *de Ente supernaturali*, disp. 1, sect. 1, num. 9.

(3) Aristot. lib. 2.° *Physicor.*, cap. 1, text.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dicitur autem *principium et causa*, ut indicetur ad rationem naturæ spectare, ut sit non quomodocumque principium, sed principium vere influens et causa: nam ut ex scriptis in *Ontologia* (1) constat, latius patet principium, quam causa, nec ad rationem illius generatim requiritur veri nominis influxus in principiatum (2). Unde fit, ut privatio quamvis sit principium corporis *in fieri*, non tamen naturæ dignitatem obtineat, cum non sit causa in motum influens (3).

Additur in definitione naturam esse principium *motus*, non quidem motus dumtaxat localis, sed cujuslibet sensibilis vel physicæ actionis aut mutationis, de qua sola agebat Aristoteles in *naturali Philosophia*. Quapropter ex mente Philosophi a ratione naturæ hic descriptæ excludenda sunt agentia illa, quæ non sunt causæ motus proprii ac sensibilis vel physici, qualia sunt spiritus puri. Et ratio est, quia Stagirites naturam hic declaravit, quæ sit principium ejus motus, quem describit in libro tertio *Physicorum*, ut liquido evincitur ex hujus libri initio. At motus, quem in tertio libro describit Aristoteles, motus physicus ac sensibilis est.

Adverte porro principium motus intelligendum hic esse sive active sive passive, eo nimirum pacto, quo cuique rei motus convenit: *quibus ergo convenit* **movere**, *est in eis principium activum motus; quibus autem competit* **moveri**, *est in eis principium passivum, quod est materia* (4).

(1) Vide *Ontolog.*, num. 379, pag. 1077 seqq.

(2) Utrum autem in hac prima definitionis parte vox *principium*, cujus ratio jam implicita continetur in voce *causa*, redundet nccne, vide apud Complutenses (*Physicor.*, disp. 7, quæst. 1, n. 2). Sed res non est magni momenti.

(3) Illud tamen notandum est, non deesse Auctores, qui arbitrentur privationem, sicut est per accidens principium generationis, ita etiam esse aliquo modo naturam. Vide Rubium (*Physicor.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 2, n. 22 seqq.). Quod si verum esset, ad rationem naturæ generatim sumptæ non requireretur ullus positivus influxus nec causalitas.

(4) S. Thom. 2.ª *Physicorum* lect. 1, paragr. 2.

Est tamen hac de re varietas sententiarum; nam Scotus, quem sequuntur magis communiter Scotistæ, ut mox dicetur, contendit principium activum, prout tale, naturam non esse, sed tantum principium passivum. alii e contrario putant principium passivum non

Cum autem dicitur *motus* et *quietis*, vox hæc *quies* designat non cessationem a motu vel actione, sed conservationem termini vel perseverantiam in statu per motum comparato. Cæterum disputant Auctores, num voces *motus* et *quietis* in ista definitione copulative accipiendæ sint, an disjuntive, id est, utrum ad naturæ conceptum requiratur, ut sit principium et motus et quietis, an vero sufficiat, ut sit alterutrius. Ea videtur probabilior opinio, quam tenent cum S. Thoma (1), Cardinalis Toletus (2), Fonseca (3), Rubius (4), Benedictus Pererius (5), Joanne a S. Thoma (6), et Complutenses (7) aliique, verba illa intelligenda esse distributive distributione accommoda, huncque omnino præ se ferre sensum, quemadmodum scribit Toletus: «Natura est principium motus et quietis, in quibus est motus et quies; et quietis solius, in quibus est solum quies; et motus solius, in quibus solum est motus». Simili pacto Peripatetici definitionem illam Aristotelicam animæ, secundum quam anima dicitur *principium, quo movemur, sentimus* et *intelligimus*, sic solent interpretari, ut sensus sit, non quod quævis anima sit principium omnium istarum operationum, sed quod in quocumque ente insit aliqua earum, vel plures, vel omnes, ab anima tamquam a primo principio profluant.

Additur in definitione particula illa, *ejus in quo est*, ut excludantur a notione naturæ principia motus extrinseca. Natura namque dicitur respectu eorum dumtaxat motuum, qui in eo ipso subjecto immanent, in quo inest principium et causa talium motuum, non autem respectu illorum, qui

habere rationem naturæ. Qua de re vide, si lubet Conimbricenses (*Physicor.* lib. 2, cap. 1, quæst. 3), Joann. a S. Thoma. (*Physic.*, quæst. 9, art. 2), Complutens. (loc. cit.), Rubium (*Physic.* cap. 1, quæst. 1).

(1) Loc. cit.

(2) *Physicor.* lib. 2, quæst. 1, ad 3.um

(3) *Metaph.* lib. 5, cap. 4, quæst. 2, sect. 4.

(4) *Physicor.* lib. 2, cap. 1, quæst. 1, n. 13.

(5) *De Communibus omn. rerum*, etc. lib. 7, cap. 10.

(6) *Physicor.* quæst. 9, art. 1.

(7) Loc. nup. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in alio subjecto recipiuntur; ut constat ex ipso textu græco (1). Quare quamvis natura possit etiam alia movere seu transeunter agere, vel etiam ab extrinseco agente moveri, non tamen ex eo præcise natura dicenda est in sensu physico. Ratio porro hujus rei est illa, quia videlicet natura in sensu physico debet distingui ab iis, quæ natura non sunt, ac sumi per oppositionem ad illas causas vel agentia, quæ non dicuntur physica seu naturalia, prout sunt v. g. Deus et causæ artificiales ac violentæ. Atqui esse principium et causam motuum in aliis entibus convenit non solum physicis causis, verum etiam Deo et etiam agentibus artificialibus et violentis, ut per se patet. Sane machinæ quoque et generatim instrumenta artis transeunter operantur, et ab aliis quoque impressum motum in se recipiunt; et sæpe causæ transeunter agentes vim passo inferunt, quod ubicumque accidit, causæ illæ non naturales, verum violentæ dicuntur. Ergo proprium naturæ, prout ab his, quæ natura non sunt, distinguitur, est ut sit principium et causa motus et quietis vel conservationis termini per motum acquisiti subjecto ipsi, unde motus vel quies procedit, immanenti (2).

Dicitur *primo* seu *primum*, ad excludenda accidentia et potentias atque habitus, per quæ tamquam instrumenta operantur agentia naturalia. Naturæ enim nomine non venit quodcumque principium motus et quietis, sed primum ac radicale, quod proinde ad internam et essentialem substantiæ constitutionem debet pertinere. Accidens ergo natura non est, sed inest naturæ. Cæterum habitus dici solent quasi quædam natura, cum sunt inveterati, quia cum difficulter exuantur, similitudinem quamdam gerunt cum natura, de qua pulchre scripsit Poeta:

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

(1) Ὅτι ἡ τῆς φύσεως ἀρχή τινος καὶ ἕνεκά του ἐστὶν ἡ φύσις καὶ ἡ πρᾶξις ἐν τῷ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός. Arist. *Physicor.*, libr. 2, cap. 1.

(2) Vide Rubium (*Physicor.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 1, n. 14). Conimbric. (ibid. quæst. 2, art. 3, ad 5.um). Lossada (*Physic.* tract. 2, disp. 1, cap. 1, n. 4). Rhodes (*Philos. peripat.*, lib. 2, disp. 1, quæst. 2, sect. 1).

Quare tales habitus instar secundæ naturæ ad actus suos inclinant.

Denique additur in definitione: *per se et non secundum accidens*, ad excludendas formas quasdam artificiales, quæ inesse quandoque possunt subjecto, in eoque certos gignere motus vel actiones: veluti si medicus ægrotet, sibique ex artis peritia remedia præscribat, quibus sanetur, sanatio illa est quidem ab intrinseco principio, quod tamen per accidens dumtaxat hic et nunc inest subjecto. *Contingit enim aliquando*, inquit Angelicus, *quod aliquis medicus est sibi ipsi causa sanitatis: et sic principium suæ sanationis est in eo, sed per accidens: unde principium sanationis in eo non est natura: non enim secundum quod sanatur, habet medicinam, sed secundum quod est medicus. Accidit autem eundem esse medicum et sanari: sanatur enim, in quantum est infirmus: et ideo, quia per accidens conjunguntur, aliquando per accidens dividuntur; contingit enim alium esse medicum sanantem, et alium infirmum, qui sanatur. Sed principium motus naturalis est in corpore naturali, quod movetur, in quantum movetur: in quantum enim ignis habet levitatem, fertur sursum: nec dividuntur adinvicem, ut aliud sit corpus quod movetur sursum, et aliud leve; sed semper unum et idem. Et sicuti est de medico sanante, ita est de omnibus artificialibus: nullum enim eorum habet in seipso suæ factionis principium; sed quædam fiunt ab intrinseco, sed per accidens, ut dictum est* (1).

Disputant autem, num verba illa, *primo* et *per se*, idem valeant, atque adeo alterutrum redundet: nam certe principium primum et radicale cum substantiale sit, nequit non subjecto convenire *per se*. Quidquid sit de hac quæstione, quæ parvi est momenti, illud certe verum videtur, etiamsi principium *primum* sit quoque reipsa *per se*, conceptus tamen aliquo modo diversos his particulis exprimi; siquidem *primum* opponitur *secundo*, et id quod *per se* est, ei quod est *per accidens*. Atque ita saltem magis videtur res declarari per utramque illam particulam.

Quæ cum ita sint, natura in hac acceptione est omne principium substantiale cujuslibet rei, quod motum internum

(1) S. Thom., *Physicor.* lib. 2, lect. 1, paragr. 5. circa med.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Probatur definitionis prædictæ rectitudo.

causare potest ipsi rei immanentem, ac terminum ejusmodi motu partum conservare. Probatur autem rectitudo expositæ hactenus definitionis. *Naturalia enim differunt a non naturalibus, in quantum habent naturam. Sed non differunt a non naturalibus, nisi in quantum habent principium motus in seipsis. Ergo natura nihil aliud est, quam principium motus et quietis in eo, in quo est, primo et per se, et non secundum accidens* (1). Itaque motus proprius et characteristicus ac distinctivus naturæ est motus immanens et quies vel conservatio termini per talem motum comparati. Non tamen negamus, sed ultro concedimus, naturam posse quoque extrinsecus agere in alia entia et ab illis moveri; sed tantum dicimus cum Aristotele communique Peripateticorum sententia, id non esse proprium et exclusivum naturæ physicæ, prout tali, sed commune cum aliis, quæ naturæ contraponuntur.

Colliges hinc 1.° Naturam esse primum *principium quo* motus et quietis in corpore, corpus autem ipsum esse primum *principium quod*. 2.° Conceptum naturæ perfectissime convenire corporibus viventibus, ac potissimum animantibus; viventia namque habent principia intrinseca motuum immanentium, vitalium nempe operationum. Tales sunt nutritio, augmentatio, motus localis, recuperatio sanitatis, sensationes. 3.° In corporibus non viventibus ratio naturæ physicæ, hactenus descriptæ, salvatur in primis in materia respectu generationis novæ substantiæ, nam vere est principium passivum talis actionis formæque per ipsam eductæ, saltem quatenus supponitur proxime disposita ad novam formam recipiendam (2). Est etiam natura relate ad eos motus, per quos cum semel statum sibi consentaneum amiserunt, eumdem recuperare nituntur, ut accidit v. g. in

(1) S. Thom. loc. nup. cit., paragr. *b*. Cfr. Benedictus Pererius (*de Communibus* etc. lib. 7, cap. 5, 4.° *dubitatio*), ubi duos alios prædictam definitionem colligendi modos reperies.

(2) *Saltem quatenus supponitur disposita ad formam recipiendam*, inquam, quia materia *secundum se præcise sumpta* indifferens est ad quamlibet formam, et mere passivam capacitatem importat recipiendi cujuslibet motus, quin possit illi ullus esse violentus: et propterea negant quidam materiam ita spectatam esse naturam respectu formæ recipiendæ. Cfr. Rhodes loc. cit., sect. 1, paragr. 2.

corporibus elasticis. Deinde supposita ea sententia, quam ut probabiliorem in *Ontologia* propugnavimus relate ad proprietatum dimanationem (1), plane liquet rationem naturæ reperiri in earumdem fluxu a propria essentia perennique conservatione. Quamquam etiam in contraria sententia substantia corporea respectu naturalium proprietatum videtur omnino naturæ dignitatem obtinere: quia licet proprietates dicantur efficienter ab externo pricipio effici, nihilominus adest in rei substantia exigentia illarum, ac positiva aptitudo et appetitus naturalis vel insita inclinatio; quamobrem nequit res, præciso saltem miraculo, produci a suis causis, nisi cum suis proprietatibus, nec semel producta potest, quamdiu durat in existentia, iisdem a creata causa quacumque spoliari. Veteres etiam inter exempla naturalium motuum afferebant localem motum gravium, et ita re vera loquendum esset, si motus ejusmodi non procederent ex attractione vel impulsu externorum corporum, sed ex proprio et insito nisu corporis ipsius versus aliud ruentis, quemadmodum olim communiter arbitrabantur: qua de re inferius agetur.

Realitas naturæ vindicatur.

Jam quod realitatem attinet naturæ, docet Aristoteles ridiculum esse conari demonstrare naturam. Et ratio est, quia ridiculum est afferre demonstrationem eorum, quæ manifesta sunt, et quibus nemo per demonstrationem assentitur. Atqui talis est natura. Plane enim videmus multos motus immanentes in corporibus terminosque perenniter conservatos ex intrinseca necessitate: quorum necesse est dari principium proprium, nempe naturam. Verum id, quod manifestissimum Aristoteles aliique hactenus Philosophi existimarunt, id agnoscere nolunt atomistæ ac cæteri, qui nihil vident in corporibus, nisi materiam et motum extrinsecus impressum. Sed doctrina ista jam in superioribus refutata manet, iterumque magis profligabitur, cum de corporum activitate sermo erit.

Quædam difficultates solutæ.

180. Objic. 1.° Absolutum non recte definitur per relativum. Atqui natura est absolutum quiddam, et ab Aristotele per relativum definitur: principium enim et causa relationem implicant. Ergo non recta est ista naturæ definitio.

(1) Vide *Ontolog.*, num. 323, pag. 927 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* Major. Absolutum non recte definitur per relativum, secundum rationem absoluti, *conc.;* secundum ordinem ad aliud, quem potest etiam importare, *neg.*

Et *contradist.* Minor., *neg.*, conseq. Etenim natura non est relatio, sed absolutum relationem importans. Ponitur, inquit S. Thomas, in *definitione naturæ* principium *quasi genus, et non aliquid absolutum, quia nomen naturæ importat habitudinem principii. Quia enim nasci dicuntur ea, quæ generantur conjuncta generanti, ut patet in plantis et animalibus, ideo principium generationis vel motus natura nominatur. Unde deridendi sunt, qui volentes definitionem Aristoteles corrigere, naturam per aliquod absolutum definire conati sunt, dicentes quod natura est vis insita rebus, vel aliquid hujusmodi* (1).

Objic. 2.° Unum idemque non potest esse principium contrariorum. Atqui motus et quies contraria sunt. Ego.

Resp. *trans.* Major.; *dist.* Minor. Quies si sumatur pro motus privatione et in termino, a quo motus incipit, est contraria motui, *conc.* Si sumatur pro perseverantiapo sitiva in termino connaturali reique consentaneo, ac proinde in termino, ad quem natura ipsa motum instituit, *neg.* Hoc enim pacto motus et quies non solum non opponuntur, quin potius alterum ad alterum ordinantur ut in finem. Planum est autem medium fini non opponi.

Transmisi porro Majorem, quia saltem in entibus liberis potest idem esse principium contrariorum.

Objic. 3.° Ars cantandi et saltandi aliæque similes sunt vere principia interna motuum in ipso subjecto immanentium, et quidem per se: quisque enim cantat, et saltat per artem, quam in se habet. Atque idem dici potest de arte logica seu de arte ratiocinandi. Sed hæ artes certissime natura non sunt. Ergo definitio Aristotelica non convenit soli naturæ.

Resp. *dist.* Major. Et illæ actiones quantum ad ipsam substantiam motus procedunt ab arte, *neg.;* quantum ad modum dumtaxat, *conc.* Tum *neg.* conseq. Nam tum cantus

(1) S. Thom. *Physicor.* lib. 2, lect. 1, paragr. *b.* Cfr. Tolet. *Physicor.* lib. 2, quæst. 1 ad 1.um.

et saltatio, tum etiam ratiocinatio, procedunt quoad rem ipsam a natura, neque ars aliud circa eas præstat, quam dirigere, ut certo modo artificioso fiant. Præterquam quod ars operationes ejusmodi efficiendi non est aliquid substantiale neque ad primum *esse* subjecti spectans: ideoque etiam ex hoc capite a naturæ dignitate desciscunt (1).

Objic. 4.° Ex modo communi loquendi omnium naturale est igni, ut comburat, magneti, ut attrahat, etc. Atqui tamen hujusmodi operationes ac motus non recipiuntur in eo ipso subjecto, unde manant, sed in alio extraneo. Ergo ex communi modo loquendi natura non dicitur dumtaxat principium motuum immanentium, sed etiam motuum exterius transeuntium.

Resp. *dist.* antec. Naturale est corporibus illis ita agere, id est secundum inclinationem ac potentiam ipsorum propriam, ideoque tamquam aliquid naturam illorum consequens, *conc.;* naturale est eo sensu, ut corpora in ratione physicæ naturæ constituantur præcise formaliter ex eo, quod sint principia talium operationum, *neg.* Resque satis patet ex superius notatis.

Objic. 5.° Sua est natura etiam in Deo, accidentibus, artefactis. Atqui tamen in his omnibus non adest internum principium immanentium motuum. Ergo...—**Resp.** *dist.* Major. Sua est etiam in Deo et cæteris natura in sensu physico, prout nunc sumitur, *neg.;* in sensu communiori ac metaphysico, quatenus idem sonat, ac essentia, *conc.:* et *neg.* conseq.

Objic. 6.° Si vera est naturæ descriptio, prout hic exposita, vel non datur natura in corporibus inanimatis, vel omnia corpora vivere dicenda sunt. Sane ut suo loco exponetur, indoles ac ratio propria viventium in eo reponitur, quod immanentes motus vel actus habeant. Ergo vel corpora inanimata natura carent, vel si ea gaudent, procul dubio vivunt.

Resp. *neg.* assert. Nam vita importat principium activum simul et passivum, siquidem vivens est, quod *se* movet ab intrinseco; natura autem salvatur etiam in solo

(1) Vide Card. Tolet. (loc. cit. ad 7.um), et Joann. a S. Thom. (loc. cit. art. 1).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

principio passivo motus immanentis. Præterea vivens requirit principium se movendi ultra statum connaturalem et consentaneum, at natura prout etiam convenit non viventibus non postulat principium ejusmodi, sed satis habet cum principio se movendi ad terminum et statum consentaneum assequendum; quare motus ad proprietates et passiones sunt quidem naturales, non tamen vitales.

ARTICULUS II.

Quænam habeant rationem naturæ physicæ.

Nec Deus,

181. Ex disputatis in præcedenti articulo natura substantiale quiddam sit, oportet, atque adeo accidentia omnia arcentur a naturæ ratione. Inter substantias porro prima sese offert divina, quæ certe ob excellentissimam suam perfectionem natura physica, qualem hic describimus, esse non potest; est enim penitus immobilis atque immutabilis et incapax suscipiendi in se ullius motus realis. Substantiæ quoque immateriales complete subsistentes, seu spiritus puri, qui non sunt actus materiæ, naturæ physicæ non sunt cum pati vel recipere non possint in se motum physicum veri nominis, sed solum actus intentionales intellectus et voluntatis, qui certe non censentur esse motus physici ac naturales, qui nempe sint sensibiles ac materiales. Itaque difficultas tota recidit supra corporea composita et supra principia eorum essentialia.

nec puri spiritus sunt natura physica.

Utrum compositum corporeum sit natura:

§ I.—**Utrum compositum sit natura.** Et primo quidem si compositum sumatur pro supposito, quatenus coalescit ex natura et subsistentia, non potest esse natura, sed aliquid ab ea distinctum aliquo saltem modo, secundum ea quæ in *Ontologia* disputari solent de distinctione naturæ a supposito. Si vero compositum corporeum sumatur præcisa ratione formali subsistentiæ, prout solummodo importat integram formam vel rationem specificam, qualis est v. g. humanitas, sunt diversæ opiniones. Alii negant, ea permoti ratione, quod compositum hujusmodi quamvis vere sit principium *quo* operationum, non vero primum; nam primum principium sunt ipsæ partes essentiales, ex quibus

prima opinio.

corporea substantia coalescit. Et hanc opinionem videtur aperte professus esse Philosopus illis verbis: *Quod autem ex his, natura quidem non est, sed constat natura* (1). Quem textum sic Angelicus interpretatur: *Posset autem aliquis credere, quod quia materia dicitur* **natura**, *et etiam forma, quod compositum possit dici* **natura**; *quia* **substantia** *dicitur de forma et materia et composito. Sed hoc excludit dicens, quod compositum ex materia et forma, ut homo, non est ipsa* **natura**, *sed est aliquid a* **natura**; *quia* **natura** *habet rationem principii, compositum autem habet rationem principiati* (2). Et ita sentiunt etiam Complutenses (3), Conimbricenses (4), et alii.

secunda:

Verum alii censent compositum sumptum pro totali forma specifica posse vocari naturam physicam, quia vere est principium *quo* et quidem primum, sin minus absolute et in toto rigore, nam prius supponit materiam ac formam, saltem respectu accidentium. Quod vel ex eo confirmatur, quod humanitas Christi Domini verissime dicitur natura, quam Verbum divinum assumpsit. Et in hujus etiam opinionis patrocinium advocatur S. Thomas, cujus illa sunt verba: *Non solum forma partis dicitur* **natura**, *sed species ipsa, quæ est forma totius: ut si dicamus, quod hominis* **natura** *non solum est anima, sed etiam humanitas et substantia, quam significat definitio* (5). Ita opinatur Joannes a S. Thoma (6), aliique.

approbatur prima

Controversia ista non magnum momentum habet: prima tamen sententia magis peripatetica videtur ac forte probabilior et conformior definitioni naturæ. Angelicus vero Doctor in eo loco, quem pro se laudat Joannes a S. Thoma ex libro quinto *Metaphysicorum*, ei re vera non favet, sed aperte refragatur, ut manifeste patet ex contextu: dicit enim primo et proprie naturam significare materiam et formam, quæ sunt principia generationis, ac mox per *quamdam metaphoram et*

(1) Aristot. *Physicor.*, lib. 2, cap. 1, tract 12.
(2) S. Thom. *Physicor.* lib. 2, lect. 2, parag. *b*.
(3) *Physicor.* disp. 7, quæst. 6.
(4) *Physicor.* lib. 2, cap. 1, quæst. 2, art. 2, ad. 4.um
(5) S. Thom. *Metaph.* lib. 5, lect. 4, parag. *b*.
(6) *Physic.* quæst. 9, art. 2.

UNIVERSIDAD AVERROES · VALERE FLAMMAM VERITATIS · BIBLIOTECA DIGITAL DE BIBLIOTECAS

nominis extensionem applicari etiam ad designandam substantiam completam, quæ est terminus generationis. Lege ipse integrum testimonium S. Doctoris.

Utrum materia sit naturæ

182. § II.—**De materia.** Asseruit Vallesius et alii apud P. Rubium (1), materiam non esse naturam simpliciter, sed solum secundum quid, per quamdam analogiam aut similitudinem cum forma. Communis tamen sententia docet materiam esse vere ac proprie naturam in eo sensu, in quo hic natura desumitur. Et ratio est, quia materia est principium intrinsecum motus et quietis ejus in quo est, nempe in composito, est videlicet principium passivum, recipiens in se motum et quietem, ac materialem concursum præbens ad motum, immo et exigens illum, *saltem si sermo sit de materia disposita*. Nam sicut compositum totum est id, *quod* recipit motum, ita materia, quæ ipsum compositum intrinsece atque essentialiter constituit tamquam primum subjectum, est principium *quo* compositum in se motum recipit, ac terminum ejus conservat. Hæc est doctrina Philosophi, ac S. Thomæ cæterorumque interpretum Scholasticorum.

affirmat communis sententia.

Dices 1.° Materia non est principium et causa motus, siquidem nihil efficere potest. Ergo nequit esse natura.

Resp. Materia non est principium activum, *conc.*; passivum, *neg.* Cum vero natura definitur principium et causa, præscinditur a quacumque ratione particulari causalitatis vel principii, sive activi sive passivi; ac proinde sub ea generalitate definitio æque quadrare potest in principium passivum, atque in activum. Apposite Aquinas: *In rebus naturalibus eo modo est principium motus, quo eis motus convenit. Quibus ergo convenit movere, est in eis principium activum motus; quibus autem competit moveri, est in eis principium passivum, quod est materia. Quod quidem principium in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam et motum, facit esse motum naturalem* (2).

Dices 2.° Si ad rationem naturæ sufficeret sola ratio principii passivi ac potentiæ receptivæ, quæ reperitur in

(1) *Physic.* lib. 2, cap. 1, quæst. 2, n. 15.
(2) S. Thom. 2.° *Physicor.*, lec. 1 initio.

materia, omnis motus, quantumvis violentus vel supra naturam rei positus, naturalis esset materiæ. Id quod videtur repugnare. Sane motus lapidis sursum projecti contra naturam esse censetur: gratiæ autem infusio supra naturam animæ dicenda omnino est. Atqui tamen est in materia lapidis potentia receptiva motus illius itemque in anima inest pure passiva gratiæ recipiendæ capacitas. – **Resp.** dist. Si sola ratio principii passivi sufficeret absque nulla positiva aptitudine et ingenita inclinatione, *conc.*, si sufficeret sola ratio passivi principii cum positiva tamen aptitudine et inclinatione, aut exigentia, *neg.* Jam vero ad rationem naturæ prout jam in præcedenti articulo notatum est, requiritur positiva quædam inclinatio ac tendentia; est enim natura principium non qualecumque, sed principium cum aliqua causalitate conjunctum, atque adeo positive influens in motum et quietem.

Utrum forma rationem habeat naturæ.

183. § III.—**De forma.** Formæ aliæ sunt separatæ aliæ informantes. Et de separatis, quales sunt Deus et angelus, non est hic sermo, quia jam superius eis rationem naturæ physicæ denegavimus; sed solum de informantibus. Harum autem aliæ sunt materiales, aliæ immateriales, ut anima humana. Primum itaque dicendum est de formis materialibus.

Formarum porro materialium quædam sunt inorganicæ, quædam organicæ propriæque viventium, sive pure vegetativæ, ut animæ plantarum, sive præterea sensitivæ, ut formæ animantium. Ac de formis quidem corporum inorganicorum una communis est omnium vox, eas esse vere ac proprie naturas, et quidem perfectius, quam sit materia prima; at de formis animatorum, ac potissimum de anima rationali, non est tanta concordia. Nam Simplicius et Eudemus et Avicenna, itemque Albertus Magnus, existimarunt animam naturam non esse (1). Verum communissima est etiam hac in re Philosophorum doctrina opinantium animas quoque naturæ dignitatem obtinere. Et ratio eadem est pro omnibus, quia definitio naturæ convenit non solum formis inorganicorum, sed etiam organicorum corporum: omnes quippe sunt principium motus et quietis ejus, in quo est; et

(1) Vide apud Conimbric. (*Physicor.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 4, art. 1), Rubium (*Physicor.* lib. 2, cap. 1, quæst. 3, n. 27) etc.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA DE TEOLOGÍA

principium quidem activum et causa efficiens, quia forma, ut superius docuimus, est fons totius activitatis, quæ corporibus inest, ac simul passivum quatenus motum ejusmodi in se recipit, id quod multo manifestius apparet in corporibus viventibus. Est ergo forma verissime natura, immo perfectius, quam materia, propterea quod perfectiore gaudet ratione principii (1).

Et hæc quidem communissima doctrina Scholasticorum est. Solum dissident in duobus. Primo major pars Scotistarum existimat (2), formam non præcise quatenus est principium activum, sed solum quatenus passivum, esse naturam: quæ sententia ex illa opinione procedit, secundum quam iidem auctores in Aristotelica definitione naturæ vocem principium interpretantur de passivo dumtaxat. Verum probabilior est communissima sententia aliorum, quam etiam quidam Scotistæ amplectuntur, ac nominatim Mastrius (3). Et ratio est, quia forma etiam quatenus activa verissime est respectu motuum immanentium principium et causa, cur compositum moveatur: nam quod seipsum movet, profecto est principium et causa sui motus. Atqui ex Aristotelica definitione non amplius requiritur in hac parte ad rationem naturæ. Ergo non est, cur dicamus formam esse naturam, solummodo quatenus est principium receptivum.

Dices 1.° Natura ex eo dicitur, quod sit mutabile seu mobile; est enim principium motuum immanentium. Atqui esse mobile importat principium passivum: siquidem mobile est aptum moveri; aptum autem moveri est quidlibet præcise ob passivum principium, a quocumque tandem agente proveniat mutatio. Ergo.—**Resp.** *neg.* Minor. ejusque probationem. Nam multa sunt mobilia non solum ob principium passivum, sed etiam ob activum, ac nominatim viventia, quorum actus vitales et immanentes essentialiter postulant procedere ab intrinseco principio activo.

Dices 2.° Ad naturam spectat, ut sit principium motus immanentis. Atqui natura id non habet ex eo præcise, quod

(1) Cfr. Aristot. *Physicor.*, lib. 2, cap. 1, text. 13.

(2) Vide Pontium, *Physic.* lib. 2, disp. 7, quæst. 2, n. 7.

(3) Vide Mastrium, *Physicor.*, disp. 6, quæst. 1, art. 1.

sit principium activum, sed ex eo quod sit passivum. Unde etiamsi ens aliquod non haberet in se principium activum sui motus, sed solum passivum, jam vere natura gauderet; sicut materia est natura respectu generationis formæ.

Resp. *conc.* Major., *dist.* Minor. Natura non habet quod sit principium motus immanentis, ex eo solum quod sit principium activum, *conc.*, ex eo quod sit principium, dummodo activitas ejus exerceatur circa immanentes actus, *nego*. Tum *neg.* conseq. Aliud enim est ad rationem naturæ sufficere principium passivum, et aliud quod principium activum prout tale nequeat esse natura, dummodo non sit pure activum motuum et operati num transeuntium, sed immanentium eidem subjecto, a cujus activitate procedunt. Posito ergo, quod motus sint immanentes, denominatio naturæ non est, cur restringatur ad solum principium eorumdem passivum, et nequeat extendi proprie ac vere ad principium activum (1).

Dissident secundo Scholastici in eo, quod quidam materiam et formam putent non univoce, sed analogice dumtaxat participare rationem naturæ (2). Alii vero communius et probabilius opinantur univoce convenire rationem naturæ materiæ formæque (3). Et ratio est, quia nec materia est principium solum per ordinem ac dependentiam a forma, nec similiter forma per ordinem ac similitudinem cum materia, sed unaquæque ex sua propria ratione et conditione. Nec refert, quod forma dicatur perfectius natura, quam materia: nam inter univoca etiam potest unum esse altero perfectius, sicut homo est perfectius animal leone, inæqualitate se tenente non præcise ex parte generis, in qua univoce conveniunt, sed ex parte speciei.

Utrum etiam rationalis anima sit natura.

Et hæc quidem de formis materialibus. Major est difficultas circa formam seu animam rationalem, quatenus rationalis est. Quamvis enim anima rationalis, prout est principium vitæ vegetativæ ac sensitivæ in homine, rationem naturæ

(1) Vide Joann. a S. Thoma. *Physic.* quæst. 9, art. 2), Conimbricens. *Physic.* lib. 2, cap. 1, quæst. 3) etc.

(2) Ita Complutens., *Physic.* disp. 7, quæst. 8.

(3) Ita Dominic. Soto *Physicor.* lib. 2, quæst. 1), Toletus (Ibid. quæst. 1 ad 5.um), Rubius *Physicor.* lib. 2, cap. 1, quæst. 2.) etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manifeste vindicet, sicut ipsæ animæ materiales plantarum atque animantium, dubium autem esse potest, num etiam dicenda sit natura prout rationalis est atque adeo spiritualis, nam sub ea formalitate nullius videtur esse principium motus sensibilis ac materialis. Quare qui negarunt formam viventium seu animam esse naturam, de rationali præcipue loquebantur.

Nihilominus communissima Philosophorum doctrina tenet, animam rationalem, etiam prout intellectiva est, a naturæ dignitate excludendam non esse, quemmadmodum post Aristotelem (1) ac S. Thomam (2) docent Suarez (3), Toletus (4), Rubius (5), Conimbricenses (6), Benedictus Pererius (7), Rhodes (8), Joannes a S. Thoma (9), Complutenses (10), aliique passim scriptores. Ratio vero est, quia anima rationalis, quatenus talis, est forma corporis, prout definitum est in Conciliis, Viennensi sub Clemente V, et Lateranensi sub Leone X, efficitque cum ipso hominem. Atqui homo, etiam prout distincta res est specifice a reliquis viventibus, et non solum prout animal est vel vegetale, est verissime compositum naturale. Ergo... Major alibi probanda erit tamquam in sede propria: nunc sufficiat illud unum animadvertere, hominem, in quantum homo est, per aliquam formam constitui; constituitur autem per animam rationalem. At non per animam rationalem secundum gradum sensitivi vel vegetativi, quia homo non est homo secundum differentiam propriam specificam, solum quia est animal vel vegetale. Ergo constituitur homo per animam rationalem

(1) *Physicor.* lib. 2, cap. 2. text. 26, ubi sit considerationem Philosophiæ naturalis se extendere usque ad formam aliquo modo separatam a materia, nempe usque ad formam rationalem.
(2) *Physicor.* lib. 2, lec. 4. fin.
(3) *Metaph.*, disp. 1, sect. 2, n. 17.
(4) *De Anim.*, quæst. 2, *procmial.*
(5) *Physicor.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 3.
(6) *Physicor.*, lib. 2, cap. 1, quæst. 4, art. 1.
(7) *De communibus* etc., lib. 7, cap. 12.
(8) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 1, quæst. 2, sect. 1, paragr. 2, *Dico secundo.*
(9) *Physic.*, quæst. 9, art. 2.
(10) *Physic.*, disp. 7, quæst. 5.

secundum gradum intellectivi; illa enim solum informando materiam quatenus rationalis est, constituit eam in *esse* hominis (1).

Accedit quod risus, fletus et loquela sunt motus naturales ac sensibiles, qui mediante corpore exercentur. Atqui motus ejusmodi sunt in homine proprii gradus rationalis, non autem sensitivi tantum vel vegetativi. Ergo principium eorum est anima rationalis, quatenus intellectiva, quæ proinde vere natura est etiam secundum hunc gradum. Immo vero ii ipsi actus intellectionis et volitionis, quæ secundum suam substantiam penitus immateriales sunt, dici possunt naturales ministerialiter ac dispositive, quia exerceri nequeunt in statu unionis animæ cum corpore sine dependentia a sensibus; intellectionem enim præcedat materiam ministrans et comitetur operatio sensuum, necesse est, ut suo loco magis explicabitur.

Atque hæc causa est, cur veteres Philosophi considerationem animæ rationalis, etiam secundum gradum rationalitatis, non quidem in statu separationis, sed quatenus est forma corporis, *naturali Philosophiæ*, non vero *Metaphysicæ* tribuerint, quemadmodum notavimus in *Logica* (2). Apposite S. Thomas Aristotelis mentem interpretans: *Sicut Medicus in tantum considerat de nervo, in quantum pertinet ad sanitatem, cujus causa considerat nervum; similiter Naturalis in tantum considerat de forma, in quantum habet esse in materia. Et ideo terminus considerationis scientiæ naturalis est circa formas, quæ quidem sunt aliquo modo separatæ, sed tamen esse habent in materia. Et hujusmodi formæ sunt animæ rationales; quæ quidem sunt separatæ, in quantum intellectiva virtus non est actus alicujus organi corporalis, sicut virtus visiva est actus oculi, sed in materia sunt, in quantum dant esse corpori... Unde usque ad animam rationalem se extendit consideratio naturalis, quæ est de formis. Sed quo modo se habeant formæ totaliter separatæ, et quid sint, vel etiam quomodo se habeat hæc forma, id est anima rationalis secundum quod est separabilis et sine corpore existere potens,*

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 76, art. 1.
(2) Vide *Logic. Major.* n. 303, pag. 1024.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et quid sit secundum suam essentiam separabile, hoc determinare pertinet ad Philosophum primum, id est Metaphysicum (1). Quare quando Aristoteles alibi (2) negavit spectare ad Physicum considerare rationalem animam, quia natura non est; interpretandus est de anima secundum rationem immortalitatis, qua corrupto corpore vivere pergit, affectionesque illas subit, de quibus silet penitus *naturalis Philosophia*, et agere officium est solius Metaphysici. Et ita etiam idem Philosophus in libris *de Anima*, quæ sunt præcipua et nobilissima pars *Philosophiæ naturalis*, multa disputavit de rationali anima.

Dices 1.° Formæ, quæ est natura, proprium est, esse terminum et quasi finem generationis, testante Aristotele (3). Atqui anima rationalis, utpote quæ a solo Deo creatur, terminus generationis profecto esse nequit. Ergo.

Respond. *dist Major.* Formæ, quæ est natura, proprium est esse terminum generationis, saltem secundum informationem et unionem formæ ad materiam, *conc.*; secundum ipsum *esse* formæ, *subdist.*; si agatur de forma materiali, *conc.*, si de omni prorsus forma, *neg.* Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq. Quemadmodum enim alibi exponendum erit, quamvis humana generatio non terminetur ad ipsum *esse* animæ rationalis producendum, terminatur tamen ad unionem animæ cum corpore, qui est reapse finis humanæ generationis.

Dices 2.° Natura ex Aristotele aut est subjectum, aut est in subjecto. Atqui anima rationalis neque est subjectum, neque in subjecto est.—**Resp.** Anima rationalis non est quidem in subjecto sustentationis, est tamen in subjecto informationis vel puræ receptionis (4).

(1) S. Thom. *Physicor.* lib. 2, lect. 4 fin.
(2) *De partibus animal.* lib. 1. cap. 1.
(3) *Physicor.* lib. 2. cap. 1 text. 13, 14.
(4) Vide *Ontolog.*, num. 275, pag. 790. Plura de his dabunt veteres scriptores, ac nominatim Rubius et Conimbricenses.

ARTICULUS III.

Comparatur ars cum natura, ubi inquiritur etiam, utrum ars possit efficere opera naturæ

Quid artefactum.

184. Quid sit ars, explicuimus in *Logica;* quid autem sit artefactum hic breviter explicandum est, constat enim ex communi hominum sensu naturam et artem artefactaque aliquo modo inter sese opponi. Artefactum est concretum quoddam, quod formaliter constituitur ex artificio vel forma artificiali. Non defuerunt autem, qui formam ejusmodi reponerent in aliquo accidenti absoluto ac positivo supra subjectum vel materiam superaddito, quemadmodum referunt Pererius (1) et Card. Lugo (2); quæ tamen sententia rejicitur, quia superfluum prorsus est ejusmodi accidens ad artefactum concipiendum, quippe quod intellecta materia certo modo atque ordine disposita, plene intelligitur, etiam præcisa quavis alia entitate superveniente (3). Unde docet S. Thomas (4), quod *corporum artificialium formæ proceduni ex conceptione artificis; et nihil aliud sunt, quam compositio, ordo et figura, ut dicitur in 1.° Physicorum* (text. 46). Sane in horologio, domo, aliisque artificiis, si habeas materiam certo modo figuratam ex artificis idea, partesque diversas secundum eamdem ordinatas et compositas, illico adest, nec potest non adesse artefactum (5). Cæterum est magna varietas artefactorum. Ut enim omittam artefacta liberalium artium, quorum forma artificialis non videtur re distingui ab ipsa materia, quam illæ dirigunt, sicut cernere est in *Logica, Rhetorica, Poëtica, Musica*, et in arte saltandi ac citharizandi;

Varietas artefactorum.

(1) *De Communibus omn. rerum nat. princip.* etc. lib. 7, cap. 3.
(2) *De Eucharist.* disp. 8, sect. 2.
(3) Vide Pererium et Lugonem (loc. citatis), De Benedictis (*Physic.* lib. 2, quæst. 1, cap. 4 vers. fin.), Losnada (*Physic.* tract. 2, disp. 1, cap. 3, n. 71).
(4) 2. 2. quæst, 96, art. 2, ad 2.^um.
(5) Cfr. Lugo (loc. cit. n. 31, 32), Benedictus Pererius (*de Communibus omn. rer.* etc. lib. 7, cap. 3).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex artefactis materialibus, quædam nullam requirunt necessario figuram, sed contenta sunt compositione vel commixtione variorum corporum in certa quantitate ac proportione. Talia sunt pharmaca, quæ arte Medicorum conficiuntur. Alia figuram quidem habent, nullam tamen vindicant partium unionem, sed meram juxtapositionem aut certam distantiam vel propinquitatem localem. Exemplum esto exercitus secundum artem militarem in aciem instructus. Alia demum sunt artefacta, quæ partes requirunt certo ordine unitas aut colligatas, ut v. g. statua, pictura, vestis.

In quo sita sit forma artificialis. Sententia minus probabili rejecta.

185. In quo autem sita sit forma vel figura artificialis, non uno modo explicatur ab Auctoribus. «Plures, quos sequitur P. Peinado, formam sive figuram artificialem consistere dicunt in certis præsentiis vel ubicationibus partium, additis nonnullis negationibus: nam eo præcise quod e rudi ligno detrahantur partes quædam, et reliquæ maneant cum certo ordine situali certaque distantia juxta regulas artis statuariæ, plene intelligitur figura statuæ, quæ est forma artificialis. Hoc autem totum consistit in certis ubicationibus partium remanentium, cum negatione seu carentia tum aliarum ubicationum aliter distantium, tum unionis cum partibus detractis» (1). Quæ etiam videtur esse sententia Card. Lugonis (2) et Joannis B. De Benedictis (3).

Sententia hæc illud offendit incomodum, quod si ea vera est, statua vel quodvis aliud artefactum quoties de loco in locum transfertur, toties formam artificialem mutare dicenda sit, eamque a bajulo accipere, quantumvis artis ignaro. Itemque quoties vestis plicaretur, vel pictura convolveretur, toties artificium amitteret suum: id quod communi existimationi repugnat. Respondent hujus patroni doctrinæ, artefactum in prædictis casibus, loquendo metaphysice ac in rigore philosophico reapse mutari, moraliter autem et in vulgi opinione idem perseverare; quia nempe statua vel aliud quodvis artefactum post artificis operam habet suas partes ita dispositas, ut possint absque novo artificio et opera

(1) Lossada *Physic.*, tract. 2, disp. 1, cap. 3, n. 8.
(2) Loc. nup. cit., n. 30, 33.
(3) *Physic.*, lib. 2, quæst. 1, cap. 4 fin.

similem distantiam ac proportionem retinere: et vestis complicata moraliter eadem censetur; quia licet tunc non retineat eamdem physice figuram partiumque distantiam, nihilominus ex vi præcedentis artificii determinata est, ut si extendatur, partes ejus similem induant figuram et partium distantiam. E converso si in vesti separarentur v. g. manicæ, vel statua frangeretur, nec moraliter idem censeri posset artefactum, quia sine nova Artificis opera non posset similem pristinam figuram, nempe similiter proportionatas ubicationes ac distantias partium acquirere (1).

Verum doctrina hæc tam contraria sensui communi apparet, ut donec graviora producantur momenta rationum, non videatur esse admittenda. Quis enimvero credat crucem argenteam, dum loco movetur, physice mutari, aut pallium, quod in arca plicatum asservatur, non esse idemmet physice pallium, ac illud, quo heri dominus ejus operiebatur? Præterea ubicationes ac distantiæ partium videntur omnino consequi formam ipsam artificialem. Ideo enim vel ex ipsa adversariorum sententia partes simili modo ubicatæ ac distantes manent perpetuo, quamdiu adest moraliter idem artificium, quia ex artificis opera relinquitur determinatio et exigentia, ut partes diversæ etiamsi de loco in locum transferantur, vel aliter modificentur, similes denuo recipiant ubicationes ac distantias. Nonne ergo satius est dicere, saltem quod attinet artefacta, quæ partes requirunt certo modo unitas et colligatas (2), artificium, vel formam, vel figuram artificialem non consistere in ubicationibus ac distantiis, sed eas reapse præcedere.

verbo statuitur.

Ut ergo quid sit artificium ejusmodi, melius intelligatur, duplex distingui potest figura sicut naturalis, ita etiam artificialis: altera intrinseca vel in ordine ad se, extrinseca, altera et in ordine ad locum. Figura naturalis intrinseca consistit in ordine unionis et conjunctionis, quem servant partes inter

(1) Vide Card. Lugo, *de Eucharist.*, disp. 8, sect. 2, n. 33.
(2) *Saltem*, inquam, *quod attinet hujusmodi artefacta* nam in artefactis unionem partium non exigentibus, quale est v. g. exercitus, concedunt quidam formam artificialem consistere in ubicationibus partium, sicut volunt adsertores prioris sententiæ. Vide Lossada, loc. cit. cap. 3, n. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

se, in eo v. g. quod hæc pars, puta caput hominis, immediate uniatur collo, non pedibus, et quod inter caput et pedes tot medient partes materiæ et quantitatis. Extrinseca, quæ *localis* etiam dicitur et *situalis*, consistit in certa partium dispositione secundum locum, quæ dispositio non distinguitur ab ipsarum ubicatione vel connaturali extensione. Figuras istas esse re distinctas, immo et invicem separabiles, perspicue cernitur v. g. in manu, quæ sive plicata et contracta sit, sive explicata, eamdem procul dubio figuram intrinsecam seu in ordine ad se retinet, diversam tamen situalem vel in ordine ad locum: quin etiam si totus homo divinitus constitueretur in puncto spatii, dummodo servaret numerum et ordinem unionis partium inter se, non amitteret figuram suam intrinsecam et organicam, careret tamen figura situali et in ordine ad locum. Atque ita de facto evenit in corpore D. N. Jesu Christi in Eucharistia, quemadmodum egregie declara Eximius Doctor (1).

Instar duplicis hujus figuræ naturalis duplicem quoque artificialem considerare licet. Prima respondet intrinsecæ naturali, consistitque in talibus unionibus partium cum aliarum carentia: altera respondet figuræ naturali extrinsecæ. Artificium itaque vel forma propria artefactorum reponenda videtur in priori figura, posterior autem non est forma artificialis, saltem primaria, sed aut signum aut effectus ejus. Ratio autem est, quia sicut figura naturalis primaria non consistit in ipsa præsentia locali vel certa partium dispositione secundum locum, sed in interiore ordine partiumque dispositione secundum se; ita etiam artificialis forma debet esse non in ipsis actualibus ubicationibus partium, sed in formali aliqua determinatione ex opere artificis relicta in artefacto, unde partes hujus, quamdiu duret artificium, certas perenniter postulent ubicationes. Atqui determinatio ejusmodi nihil re vera est præter has vel illas partium uniones cum aliarum carentia ex opere artificis existentes in artefacto. Illis enim stantibus unionibus, plane intelligitur, quomodo sive de loco in locum transferatur artefactum, sive plicetur aut alio pacto modificetur, semper retineat

(1) Suarez, In 3.am part., tom. 3, disp. 48, sect. 1.

intrinsecam determinationem et aptitudinem, ut absque novo artificis opere atque interventu pristinam dispositionem partium secundum locum sortiatur; id vero aliter intelligi nequit. Ergo artificialis forma reponenda videtur in prædicta partium unione ac dispositione in ordine ad se, quæ ab artifice operi imprimatur suo ex directione artis (1).

186. Jam naturam cum arte conferre oportet, ut in quo præcipue dissideant, in quo conveniant, breviter aperiamus (2). Et primo quidem in eo conveniunt, quod naturæ opera procedunt, sicuti opera artis, certa præscriptione, ratis legibus, composite et ordinate, nisi aliquod obstet impedimentum, propter quod interdum monstra contingunt. Unde Plato duplicem distinxit artem, alteram humanam, sub quam caderent omnia, quæ artificum elaborantur opera; alteram divinam, ad quam pertinent opera naturæ. Quapropter naturam Platonici dixere *artem Dei*, Deumque ἀρτοτέχνον seu optimum artificem. Secundo conveniunt, quia quemadmodum agens naturale, potissimum in viventibus effectum producit sibi cognatum et similem ratione formæ, quæ ipsum constat; sic artifex opus conflat simile formæ vel exemplari ideæ, quam mente concepit. Tertio, sicut ars naturam, ita natura Deum supponit. Nimirum ut ars nihil efficit nisi præsupposito substantiali composito, in quod formam artificiosam inducit, ita natura requirit materiam primam a Deo creatam, ex cujus potentia formas educit: sicque Deus res ex nihilo efficit, natura ex ente incompleto seu materia prima, ars ex ente completo. Quarto, tum natura tum ars ab imperfectioribus ad perfectiora progrediuntur. Quinto, quemadmodum natura est artis mensura, ita ars est mensura artefactorum: et ut natura divinam artem, sic ars humana naturam, quoad ejus fieri potest, æmulatur, unde ars nunc *altera natura*, nunc *simia naturæ* dici consuevit, utpote quæ multa ad exemplar naturæ effinxerit.

In quo conveniant artis et naturæ opera.

Differunt autem natura et ars primo, quia natura est ipsamet rerum substantia, ars vero non pertinet ab substantiam

et in quo discrepent.

(1) Vide Losada, loc. cit. num. 8-15.

(2) Qua de re vide, si lubet, Conimbricenses (loc. cit. quæst. 5, art. 1 et 2), Rubium (loc. cit. quæst. 4), et Rhodes (loc. cit. sect. 3) fusius disputantes.

artificis, sed est accidens ejus ad prædicamentum qualitatis spectans. Secundo, formæ artefactorum adveniunt entibus completis, naturales autem adveniunt enti in potentia, seu materiæ primæ, ideoque dicitur, quod *ars ibi incipit, ubi desinit natura;* quare illæ sunt accidentales et constituunt unum per accidens vel compositum accidentale, hæ vero sunt substantiales, conflantque cum materia unum per se. Ex quo etiam fit, ut formæ artificiales hæreant in externa rei superficie, fere enim in figura variaque partium dispositione atque ordine consistunt; at vero naturales ipsa substantiæ, ut ita dicam, intima viscera penetrant. Præterea forma inducta per artem *non consequitur actionem artis*, ut loquitur S. Thomas (1), id est non sortitur virtutem producendi aliam similem formam per actionem artis; neque enim domus aliam gignit domum, vel imago Cæsaris aliam similem imaginem, sicut equus equum, vitis generat vitem: quare formæ artificiales emortuæ sunt ac steriles et ignavæ; at formæ naturales sunt actuosæ et vivide. Ex quibus facile sequitur, quanto jure communis sensus naturam ab arte distinguat. Sane ars vel sumi potest active pro ipso intellectuali habitu, vel passive pro artefacto opere. Et primo quidem sensu ars excluditur a naturæ definitione, tum quia natura est substantiale quiddam, habitus autem artis est accidens; tum quia natura est principium motus quoad ipsam ejus, ut ita dicam, substantiam, non autem quoad modum dumtaxat ac directionem motus. Deinde etiamsi ars sumatur pro artificioso effectu, procul distat a natura, quia forma artificiosa et ipsa est accidens, nec est principium et causa motus, ut vel ipsa experientia satis liquet.

Ars ibi incipit, ubi desinit natura.

Dices. Immo vero experientia contrarium manifeste demonstrat. Videmus namque corpus rotundum velocius moveri, plaustraque rotis facillime trahuntur, quæ sine illis nequirent trahi. Præterea sunt quædam artes, quæ solum ad motum ejus, in quo sunt, ordinantur, sicut ars saltandi, citharizandi etc.—**Resp.** *neg.* assertum. Et ad primam probationem dico figuram rotundam vel, aliam quamvis artificiosam, non esse principium intrinsecum motus vere influens

(1) *Contra Gent.*, lib. 2, cap. 76, *Præterea nihil operatur.*

in illum, sed tantum conditionem quamdam removentem impedimenta, attritumque imminuentem, unde mobile melius impetum sibi impressum accipiat, et sic facilius moveatur. Artes vero illæ saltandi, citharizandi cæteræque id genus sunt principium pure directivum, non vero effectivum motuum, ideoque nec sunt causa illorum quoad ipsam eorumdem substantiam, sed tantum quoad modum artificiosum aptioremque ad finem intentum, ut nempe motus eleganter, concinne ac numerose fiant. Motus siquidem illi primo et radicaliter ab anima proveniunt saltantis vel citharizantis, at proxime a potentia locomotiva, quam præceptis suis regit ars, ac moderatur.

Si jam utra sit perfectior, quæras, naturane an ars; dicendum est naturam simpliciter esse perfectiorem, artem autem secundum quid. Simpliciter est perfectior natura, quia substantia est: secundum quid autem perfectior dici potest ars, quia perficit naturam, eamque sæpe habiliorem reddit ad motum. Quare tripliciter comparare licet naturam cum arte: primo, si naturam accipiamus ut perfectam arte: et hoc modo perfectior est seipsa nude sumpta. Secundo, si sumamus artificialia prout naturam continentia, quo etiam pacto liquet illa præstare naturalibus. Tertio, denique ars et natura præcisive accipi possunt, et sic natura simpliciter excellit artem, sicut substantia præstat accidentibus.

Utra perfectior sit, natura, an ars.

187. Age vero videndum est, utrum ars opera naturæ possit moliri. Videturque posse, primo quia sanitas est effectus quidam naturæ, quæ tamen cum amittitur, arte medica solet sæpe restitui. Deinde quia magi ægyptii narrantur in libro *Exodi* (1) virgas in serpentes commutasse arte magica, quos veros, non vero apparentes dumtaxat, fuisse putant Origenes (2), S. Augustinus (3), et S. Thomas (4). Cum ergo serpentes effectus naturales sint, videtur ars ad eos producendos sese porrigere posse. Præterea, ut omittam quædam automatum exempla, quæ sic affabre

Utrum ars possit opera naturæ efficere.

(1) Cap. 7.
(2) *Homil.* 3 in *Marcum.*
(3) *De Trinit.* lib. 3, cap. 7; et lib. 83 *Quæstion.*, quæst. 76.
(4) *De Potent.* quæst. 6, art. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

constructa perhibentur, ut seipsa moverent (1), in ejusdem rei probationem afferri queunt annuli et imagines astronomicæ, quæ ex certo astrorum situ et influxu virtutem sortiri dicuntur ad multos mirabiles edendos effectus, quemadmodum tradit Porphyrius apud S. Augustinum, (2), et Plato (3), ac Plotinus (4).

Hisce tamen non obstantibus communis Philosophorum doctrina tenet neque artem neque formam artificialem posse virtute sua propria opera naturæ attingere, posse tamen ad illa quodammodo concurrere virtute ipsius naturæ, applicando nempe activa passivis: quamobrem dici potest conditio vel occasio, et si vis, etiam causa moralis plurium effectuum naturalium.

Ars nequit propria virtute opera naturæ attingere.

Primum horum patet, quia ars in mente artificis hærens non aliter ad opus influit, quam regulas et præcepta eidem dictando, ut scite illud exequatur: virtus autem ipsa effectiva supponitur in artifice ab ipsa natura. Ergo ars nequit vi sua propria opus naturale producere. Idemque dicendum est de ipsa forma artificiali corporibus impressa: formæ namque per artem in materiam inductæ, quemadmodum nuper innuimus, actuosæ non sunt, et solum obtinent rationem cujusdam conditionis ad hoc, ut natura expeditius agat, vel patiatur.

Potest tamen virtute naturæ ad naturales effectus concurrere applicando activa passivis.

Alterum etiam non minus est evidens: quia ars potest cognoscere activa et passiva principia, unde certi effectus secundum ordinem naturalem promanare debent, eaque aptissime adhibere in iis adjunctis, quæ necessaria vel opportuniora sint, ut effectus sequantur. Atque ita demum ars non quidem ulla sibi propria virtute, sed solum applicando activa passivis concurrit verissime ad naturales effectus edendos. Unde videmus interdum peritissimos medicos arte sua sanitatem obtinere per media naturalia rite applicata: alique artifices, cognitis naturæ viribus, machinas affabre constituunt,

(1) Vide apud Conimbricensis (loc. cit. quæst. quæst. 6. art. 1), Rubium (loc. cit. n. 38), Complutenses (*Physic.* dis. 7 quæst. ult. n. 62) etc.

(2) *De Civit. Dei*, lib. 10, cap. 11.

(3) *Dialog.* 2.º *de Justo.*

(4) *Ennead.* 4. lib. 4.

prout ad mirabiles effectus producendos convenientissimum esse norunt. Et hoc modo diximus agentes de miraculis, posse dæmones per artem, applicando naturales causas, opera quædam edere, quæ miraculosa videri possint, quamvis reapse naturalia sint, utpote naturæ ordinem ac vires nullatenus superantia.

Solvuntur oppositæ rationes.

Ex quibus constat, quid respondendum sit ad rationes dubitandi nuper propositas. Ars enim medici aliud non facit, quam seligere, atque applicare remedia naturalia ad salutem restituendam, ipsa tamen eam propria virtute non gignit. Quod alterum attinet *de operatione magorum Pharaonis, duplex opinio in Glossa (ordinaria) tangitur. Una est, quod non fuerit vera conversio virgarum in serpentes, sed hoc fuerit secundum apparentiam tantum per aliquam præstigiosam illusionem. Augustinus autem in Glossa ibidem posita dicit, quod fuit conversio vera virgarum in serpentes: quod ex hoc verisimiliter probat, quia Scriptura eodem vocabulo nominat et virgas magorum et virgam Moysi, quam constat vere in serpentem esse conversam. Quod autem operatione dæmonum virgæ in serpentes sint conversæ, miraculum non fuit; hoc enim fecerunt dæmones per aliqua semina collecta, quæ habebant vim putrefaciendi virgas et in serpentis convertendi. Sed quod Moises fecit, miraculum fuit; quia divina virtute, absque omnis naturalis virtutis operatione, hoc effectum est* (1). Itaque si primam harum opinionum elegeris, nullus ibi reapse naturalis effectus intervenit: sin altera tibi magis arrideat, fuit quidem opus naturale verum, generatio nempe serpentium, in quod tamen ars magica non efficiendo concurrit, sed tantum causas naturales collectis seminibus applicando. Automata vero illa minime putandum est ab arte nacta esse verum principium sese movendi; sed ciebantur appositis intrinsecus motoribus mechanicis, unde motus ejusmodi ars non efficit, sed regit dumtaxat, ac modificat.

Postremum negandum omnino est. Nam ut recte docet S. Thomas, *corporum artificialium formæ procedunt ex conceptione artificis; et cum nihil aliud sint, quam compositio, ordo et figura, ut dicitur in* 1. *Physicor.* (text. 46. to. 2) *non*

(1) S. Tom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 5 ad 8.UM

possunt habere naturalem virtutem ad agendum, et inde est, quod ex impressione cælestium corporum nullam virtutem sortiuntur, in quantum sunt artificialia, sed solum secundum materiam naturalem. Falsum est ergo, quod Porphyrio videbatur, ut Augustinus dicit in 10. de Civit Dei (c. 11 a med. et l. 21 c. 6 t. 5), herbis et lapidibus et animantibus et sonis certis quibusdam, ac vocibus et figurationibus atque figmentis, quibusdam etiam observatis in cæli conversione motibus siderum, fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas variis effectibus exequendis; *quasi effectus magicarum artium ex virtute cælestium corporum provenirent, sed sicut Augustinus ibidem subdit* (c. 11 a med.), totum hoc ad dæmones pertinet ludificatores animarum sibi subditarum. *Unde etiam imagines, quas astronomicas vocant, ex operatione dæmonum habent effectum: cujus signum est, quod necesse est eis inscribi quosdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur, non enim est figura actionis naturalis principium; sed in hoc distant astronomicæ imagines a necromanticis, quod in necromanticis fiunt expresse invocationes, et præstigia quædam, unde pertinent ad expressa pacta cum dæmonibus inita; sed in aliis imaginibus sunt quædam tacita pacta per quædam figurarum seu characterum signa* (1).

ARTICULUS IV.

De naturali ejusque oppositis, ac præsertim de violento.

Quid et quotuplex naturale:

primus sensus.

188. Naturale, ut ipsa vox satis indicat, dicitur id quod est secundum naturam: quare nihil mirum, si quemadmodum natura, ita etiam naturale multifariam sumatur. Et primo quidem naturale dicitur, prout opponitur *supernaturali:* quo pacto naturale importat id, quod est secundum naturam sumptam pro rerum creatarum universitate, ac proinde naturale, prout oppositum supernaturali, significat quidquid non superat ordinem ac potentiam, sive activam sive passivam, et exigentiam cujuslibet substantiæ creatæ,

(1) S. Thom. 2. 2. quæst. 96, art. 2 ad 2.um.

et etiam omnium quarumcumque creabilium, quæ cum his transcendentalem ordinem habeant, vel cum earum viribus et exigentiis servent proportionem. Nam supernaturale e converso secundum suum conceptum philosophicum intelligitur, ut supponimus ex Theologia, id quod transcendit naturam seu collectionem omnium substantiarum creatarum, et quarumcumque aliarum possibilium, quæ hisce affines sint, vel intra earum ordinem transcendentalem contineantur. Verum de his fusius disputare spectat ad Theologos. Secundum hanc acceptionem dicebamus superius miraculum non esse opus naturale, sed supernaturale vel superans naturam. Secundo sumitur naturale per oppositionem ad liberum: et sic naturales dicuntur v. g. causæ absque libertate operantes. Tertio naturale dicitur quidquid accidit secundum regularem ordinem et communem causarum dispositionem: qua ratione naturalis est pluvia in hyeme et calor in æstate. Quarto naturale accipitur, prout distinguitur ab artificiali, quod ex directione artis procedit: qui sensus satis patere potest ex dictis in præcedenti articulo. Denique naturale sumitur per oppositionem ad violentum, estque id quod est conforme rei propensioni vel innatæ exigentiæ cujuslibet rei; et magis adhuc proprie et stricte naturale prout a violento condistinctum, est quidquid est secundum naturam sumptam in physica illa naturæ acceptione, quam in hoc capite declarandum assumpseramus, pro primo principio, sive activo sive passivo, motus immanentis et quietis.

secundus.

tertius.

quartus.

quintus.

Quamobrem violentum ad mentem Aristotelis (1) communi Scholasticorum sensu definitur: *quod est a principio extrinseco, passo non conferente vim*, id est *passo reluctante*, prout ex communi interpretatione liquet: exemplum habes in corpore elastico, cum a dispssitione naturali removetur. Duo ergo requiruntur ad violentum: primum, quod principium activum

Quid violentum.

(1) *Violentum autem est*, inquit Philosophus, *cujus principium extra tale existens, in quo nihil confert operans vel patiens.* Arist. *Ethicor.*, lib. 1, cap. 1. Cfr ibid. S. Thom. lect. 1, paragr. d. Paulo contractius a rei moralis tractatoribus vis vel violentia dicitur coactio, quæ a causa extrinseca et libera infertur enti morali, repugnante illius voluntate.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

motus vel termini violenti sit extra subjectum, cui vis infertur. Ratio est, quia nihil inordinatum est in natura; si quod autem subjectum in seipso haberet principium motus sibi violenti, atque adeo ingenitæ suæ propensioni reluctantis, magnam reapse inordinationem contineret. Itaque principium activum motus violenti extra subjectum, cui vis infertur, reperiatur, necesse est, saltem si sermo sit de principio principaliter determinativo. Unde si quis apprehensa manu tua alapam alteri, te invito dederit, percussio illa tibi erit violenta, quia extrinsecus determinatur. Secundo requiritur, ut ad motum violentum nihil conferat subjectum sive agendo sive exigendo, sed e converso contra nitatur. Non enim sufficit ad motum violentum, ut passum se habeat mere passive aut negative ad illius receptionem, sed requiritur ut positive illi repugnet. Quare recte scripsit S. Thomas, *quod non semper est motus violentus, quando passivum immutatur a suo activo, sed quando hoc fit* contra interiorem inclinationem passivi (1). Hinc sequitur materiæ primæ nude ac secundum se sumptæ nullum motum esse posse violentum, quia materia, quantum est de se, nulli motui vel formæ repugnat, sed ad omnia est indifferens. Si tamen materia consideratur prout unita formæ vel certis affecta dispositionibus, potest vim pati, quia ut sic, potest repugnare certis formis ac motibus prout sibi contrariis. Cæterum violentia fieri potest subjecto bifariam, vel negative privando illud bono debito, ad quod jus habet ac naturalem appetitum vel inclinationem, et positive, nempe motum vel formam contrariam imprimendo. Quando autem subjectum privatur bono debito, ad rationem violenti videtur requiri, ut bonum illud non compensetur altiori præstantiorique bono, in quo vel formaliter vel eminentius contineatur (2). Illud quoque notandum est in entibus compositis posse quosdam motus videri respectu alicujus partis violentos, qui tamen absolutæ naturales sunt, quia et habent intrinsecum principium in ipso subjecto, et sunt secundum exigentiam totius. Tales sunt v. g. motus locales celeriter gradientis vel saltantis aut brachia attollentis, quorum

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 6, art. 4 ad 2.um
(2) Cfr. *Ontolog.*, n. 293, pag. 860.

omnium motuum et activum et passivum principium est in ipso homine (1).

Utrum violentia dari possit non solum contra principium activum, sed etiam contra passivum.

189. Hic autem varia occurrunt dubia. Et primo quidem, utrum violentum sit solum contra principium activum, quemadmodum docent plures cum P. Vazquez (2), an vero possit esse etiam contra principium passivum seu receptivum, prout tenent alii longe communius. Et videtur dicendum, posse violentum dari etiam solum relate ad principium passivum, quando nempe aliquid fit repugnans inclinationi vel naturali appetitui actus vel formæ convenientis. Unde si materia prima omni forma privaretur, vel illa, ad quam ultimo disposita est; violentiam profecto pateretur, quia naturaliter esse nequit sine a aliqua forma, et quia exigit illam, ad quam ultimo est disposita. Ratio autem est, quia carentia formæ vel actus connaturalis, vel etiam motus repugnans principio passivo vel subjecto receptivo, vere est aliquid ab extrinseco procedens, et quidem passo non conferente vim (3).

Utrum dari queat motus neuter.

190. Dubitatur secundo, utrum detur, vel dari queat, motus neuter vel præternaturalis, quique nec naturalis sit nec violentus. Negant quidam cum Cajetano (4) et Soto (5). Affirmant autem probabilius plures alii cum S. Thoma (6), Suarez (7), Joanne a S. Thoma (8), De Benedictis (9), Lossada (10), et Antonio Mayr (11). Et ratio est, quia non apparet, cur causa naturalis nequeat producere effectum non supernaturalem, qui neque sit violentus neque etiam debitus sive determinate sive indeterminate, atque adeo naturalis. Et hoc pacto etiam multi putant lumen neque esse violentum aëri, quia non repugnat eidem; neque naturale, quia nullatenus

(1) Cfr. Lossada, *Physic.*, tract. 2, disp. 1, cap. 2, n. 3, 17.
(2) In 1.um 2.æ, disp. 25, cap. 3.
(3) Plura dabit Joann. a S. Thoma, *Physic.* quæst. 9, art. 4, *Secunda difficultas.*
(4) Apud Suarez disp. *Metaph.* 43, sect. 4, n. 12.
(5) *Physicor.*, lib. 2, quæst. 1 ad 2.um
(6) *De Cœlo*, lib. 1 lect. 4.
(7) *Metaph.*, disp. 43, sect. 4, n. 13.
(8) Loc. nup. cit., *Tertia difficultas.*
(9) *Physic.*, lib. 2, quæst. 1, cap. 3.
(10) Loc. cit., cap. 2, n. 4.
(11) *Philos. perip.*, pars 2.ª, n. 686.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

debetur illi. Sic etiam quantitas videtur esse in potentia neutra ad varias figuras, quia nulla earum pertinet ad perfectionem vel inclinationem illius secundum se: ac demum res naturales non dicuntur esse in potentia naturali ad formas artificiales, sed indifferenter se habent.

Dices. Omnis motus vel est perfectivus subjecti vel imperfectionem afferens vel demum neutro modo se habens. Atqui nullus horum est neuter: non primus, quia motus perfectivus est debitus atque adeo naturalis. Secundus vero est violentus; tertius autem inutilis, ideoque violentus, quia natura respuit inutilia.—**Resp.** *conc.* Major., et *neg.* Minor. quoad primum membrum: undenam enim probas omnem formam quomodocumque perfectivam debitam esse naturæ? Sed plura de his vide apud laudatos auctores (1).

Utrum causæ superiores, ac potissimum Deus, possint vim inferre. Variæ sententiæ.

191. **Illa vero difficilior est quæstio,** utrum a quocumque principio extrinseco possit vis inferri; dubiumque præcipue respicit Deum, causam supremam et universalissimam. Ut enim jam superius agentes de miraculorum possibilitate significavimus, quidam negant posse Deum ullo pacto vim inferre rebus creatis; idque videtur docere S. Thomas (2), et innuit S. Augustinus (3). Alii simpliciter affirmant, quæ est sententia Magistri Lorca (4), et sat communis inter Nostrates cum Suarez (5), Vazquez (6), Sylvestro Mauri (7), Lossada (8), et Antonio Mayr (9). Alii denique distinguentes inter Deum *motorem universalem* ac Deum *motorem particularem*, arbitrantur posse vim creatis rebus inferre, si ut motor dumtaxat particularis operetur, non autem, si ut motor universalis: hæc est sententia P. Joannis a S. Thoma (10), qui eamdem asserit teneri communiter a Thomistis,

(1) Cfr. *Ontolog.*, n. 214, pag. 604.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 6 ad 1.^um; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 100; *de Potent.* quæst. 6, art. 1 ad 17.^um
(3) *Contr. Faustum*, lib. 26, cap. 3.
(4) In 1.^um 2.^æ quæst. 6, art. 4, disp. 4, membr. 2.
(5) In 3.^um part. quæst. 44, sect. 2.
(6) In 1.^um 2.^æ disp. 25, cap. 4.
(7) *Quæstion. Philos.* lib. 2, quæst. 12 ad 6.^um
(8) *Physic.* tract. 2, disp. 1, cap. 2, n. 6 seqq.
(9) *Philos. peripat.* part. 2, n. 705 seqq.
(10) *Physic.* quæst. 9, art. 3, *Prima difficultas.*

ac nominatim a Conrado (1) et Ferrariensi (2). Quid porro sit Deum agere in rem creatam tamquam universalem vel particularem motorem, explicat idem Joannes a S. Thoma hisce verbis: «Quod si petas, quomodo intelligemus, quando movet Deus lapidem sursum ut particularis motor, vel ut universalis; respondetur id constare præcipue ab effectu, ut si fieret conservando renitentiam lapidis in oppositum, tunc enim ut particularis motor se haberet. Et hæc est præcipua regula ad dignoscendum, quando motus Dei est violentus, scilicet si movet conservando renitentiam oppositam, et consequenter non secundum potentiam obedientialem, qua ad nutum obediunt Deo, sed secundum potentiam, quæ resistendo vincitur, et obedit agenti ex victoria supra ipsam, non ex suprema causalitate in ipsam» (3). Eamdemque doctrinam amplectitur ut probabilem, magis que declarat P. Antonius Goudin ex eodem Sacro Prædicatorum Ordine (4), dicens Deum movere per modum moderatoris universalis naturæ, «rerum inclinationes mutando et flectendo, ut placet, sicque efficiendo, ut aliqua res inclinetur de novo ad aliquid oppositum ei, ad quod antea inclinabatur»; et hoc modo Deum re vera non inferre violentiam. Deum autem movere per modum agentis particularis, «imprimendo motum oppositum inclinationi rei, et simul cum tali inclinatione concurrendo ad expellendum hujusmodi motum, ut si Deus produceret calorem in aqua, simul conservando naturalem inimicitiam aquæ cum calore, et concurrendo cum aqua ad expellendum talem calorem» (5): sicque posse Deum motum violentum rebus imprimere. Et forte sententia hæc inventa fuerit vel ad conciliandas duas priores, vel etiam ad componenda varia loca S. Thomæ in speciem opposita: quandoque

(1) In 1.^um 2.^æ quæst. 6, art. 4.
(2) In lib. 3.^um *Contr. Gent.* cap. 100.
(3) Joan. a S. Thom. loc. cit., in responsione ad objection. contr. primam part. conclus.
(4) *Physic.*, prima pars, disp. 2, quæst. 1, art. 2, *Dico 3.° et Dico 4.°*
(5) Non exemplum, sed rem exemplo significatam, attende: veteres enim putabant frigiditatem esse ingenitam aquæ proprietatem, eique proinde, cum calefit, vim inferri.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim scripsit S. Doctor nihil, quod a Deo fiat in istis inferioribus, esse violentum vel contra naturam, ut in locis modo laudatis; alias vero diserte admittit miracula a Deo facta, quæ sint *contra naturam, sicut si grave sursum moveretur, et quod Virgo peperit, vel aliquid hujusmodi, ita quod miraculose sequatur manente contraria natura, quæ est principium contrarii actus* (1): alias demum declarat, quo sensu *ea quæ a Deo in creaturis fiunt, possunt dici secundum naturam, vel contra* (2). Quamquam fateor peculiarem hunc modum, quo Joannes a S. Thoma et Goudin rem explicant, me non invenire apud Aquinatem; nuspiam enim, quod ego sciam, docet eatenus Deum per modum causæ universalis movere res creatas, quatenus mutet, vel auferat naturales earum inclinationes, ac propterea vim eisdem non inferre.

Cæterum crediderim tertiam istam opinionem reapse in secundam recidere, quia concedit eidem totum illud, quod præcipue intendit; quia ex eo præcise colligitur Deum posse violentiam creatæ naturæ facere, quia potest contra insitam ejusdem propensionem atque appetitum operari. Quicumque igitur statuit, Deum si agat vincendo contrariam naturæ inclinationem vel renitentiam, agere contra naturam, profecto non contradicit secundæ illi sententiæ. Utrum autem Deus cum aliquid naturis particularibus contrarium operatur, ipsas innatas inclinationes mutet in alias, quemadmodum isti scriptores supponunt, negandum mihi videtur; quia prorsus supervacaneum est ad talem Dei operationem naturam suis innatis inclinationibus privare, ut magis patebit ex dicendis.

Verior eligitur.

Quamobrem ex tribus relatis opinionibus, secunda mihi magis arridet. Primo, quia dum supponuntur certæ vires atque inclinationes in naturis, quidquid contra easdem fiat a quocumque alio agente, vere ab extrinseco est, passo non conferente vim. Atqui ex definitione communi calculo approbata violentum est, quidquid hoc pacto ab extrinseco principio procedit. Ergo nihil vetat, quominus dicatur Deus vim

(1) S. Thom. 2.ª dist. 18, quæst. 1, art. 3. Cfr. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1, ad 1.um; art. 2. ad 3.um

(2) Vide S. Thom., *de Verit.* quæst. 13, art. 1, ad 2.um

inferre posse creatis naturis. Præterea Deus de facto vim infert dæmonibus, in inferis coercendo illos (1), itemque animabus justorum, detinendo eas, et cruciando piacularibus ignibus purgatorii.

Objectiones solutæ.

192. **Objicies 1.°** «Quidquid Deus in creaturis facit, est juxta præcipuam earum inclinationem. Ergo non est eis violentum. Probatur antecedens. Nam præcipua et intimior creaturæ inclinatio est obedire Creatori suo, cui longe connaturalius subjicitur, quam corpus animæ. Ergo sicuti non est contra, sed juxta inclinationem, brachii, ut voluntas illud, quo placuerit, flectat, ita nec contra, sed juxta inclinationem creaturæ est, ut in ea quidquid voluerit Deus, faciat» (2).

Resp. 1.° eodem argumento æque probari, quod nihil supernaturale fieri possit in rebus, quia si «præcipua et intimior creaturæ inclinatio est obedire Creatori, cui connaturalius subjicitur, quam corpus animæ», ut argumentatur adversarius; ergo sicut ipse concludit nihil posse fieri a Deo *contra* naturam, eodem jure concludere quoque licebit, non posse fieri *supra* naturam, quia quæ sunt juxta inclinationem, naturalia sunt, nec proinde naturam superant. Quare si Deus decernat dare homini gratiam, receptio gratiæ non erit supra naturam, quia ex adversariorum sententia connaturalius creatura Creatori subjicitur in cujuslibet motus receptione, quam corpus animæ.

Resp. 2.° *dist.* ant. Quidquid Deus in creaturis facit, est juxta præcipuam earum inclinationem universalem, *trans.*; juxta præcipuam inclinationem particularem, *neg.* Ad probat. *dist.* eodem modo *antec.*, et *neg. conseq.* Inclinatio vel appetitus universalis dicitur ille, quo natura quævis appetit bonum universi et mundani ordinis conservationem etiam cum malo et interitu proprio; particularis autem dicitur ille, quo natura bonum sibi consentaneum et connaturale appetit. Non convenit autem inter auctores, utrum quævis natura universalem ejusmodi appetitum habeat. Alii affirmant cum S. Thoma (3): alii negant, quia putant rem

(1) 2 *Pet.*, cap. 2, v. 4.

(2) Ita Goudin, loc. cit., *Dico 3.°* Cfr. Joann. a S. Thom., loc. cit., *Prima difficultas.*, paragr. *Ratio sumitur...*

(3) 1 p. quæst. 60, art. 5. Cfr. *de Potent.* quæst. 6, art. 1, ad 17.um

quamlibet mundanam eatenus procurare et appetere bonum universi, quatenus appetit seipsam, tamquam partem universi conservare; hoc enim ipsum cedit in maximum bonum universi, nam sic datur actio et reactio causarum, ex qua oritur varia mixtio in bonum universi (1). Concedunt tamen hi auctores, sin minus veri nominis inclinationem et appetitum universalem, adesse certe in omni re creata neccesariam quamdam determinationem aut impropriam quamdam inclinationem, ut Deo in omnibus, quæ agere cum ipsa velit, subjiciatur, et obediat. Quævis enim natura inferior ob suam imperfectionem et imbecillitatem cedit superiori agenti, ac proinde intrinsece determinata est, ut prævalentem illius impulsum sequatur, eique subjaceat. Ex quo resultat hic ordo mundi universalis, cujus conservatio importat sæpe inferiorum entium interitum et malum per actionem causarum superiorum, quemadmodum superius notatum reliquimus, agentes de ordine mundano. Hujusmodi porro determinatio respectu Dei non solum est intrinseca, sed etiam essentialis et omnino ineluctabilis, quia per nullam potentiam liberari potest natura necessitate se subjiciendi actioni divinæ. Inclinationes enim naturales rerum ad particularia bona sibi consentanea frustrari possunt, saltem per miraculum, actio enim causarum superiorum in inferiores, et harum necessitas illis obediendi impediri per divinam virtutem potest; at actio Dei, quominus effectum habeat, retardari nullatenus potest, atque adeo essentialis est necessitas ac determinatio cujuslibet creaturæ, ut Deo subjiciatur, et obediat.

Verum quidquid sit de hac controversia, propter quam *transmissum* est primum membrum antecedentis, objectio proposita nihil evincit. Quia ad hoc ut motus sit violentus, non requiritur, ut sit contra appetitum universalem, sive detur sive non detur, vel contra intrinsecam illam determinationem, quam omnes admittunt in inferioribus, obediendi superioribus causis; sed sufficit, ut sit contra appetitum particularem vel veri nominis inclinationem ad particularia bona cujusque propria. Atqui ejusmodi appetitus particularis ad

(1) Vide apud. Mayr. loc. cit. n. 702.

bona connaturalia potest procul dubio remanere in natura etiam in sensu composito contrariæ actionis superioris, dum eidem obedit, et subjicitur res propter appetitum illum universalem, sive proprium sive improprium.

Prob. Major. Nisi enim dicamus motum esse violentum ex eo solum, quod sit contra particularem appetitum, quamvis non sit contra universalem, nullus re vera dabitur in natura motus violentus. Sane sicut datur intrinseca determinatio, vel si mavis appetitus universalis, in omni re creata ad obediendum Deo et in natura inferiori ad recipiendam quamlibet actionem causarum superiorum et universalium, puta solis etc., ita etiam in ipsis naturis inferioribus, quæ infirmiores sunt, determinantur ad recipiendam actionem ac motum fortiorum, quamvis suæ particulari inclinationi contrariam: idque postulat ordo mundi universalis. Nempe sicut ignis est determinatus, ut a Deo privetur calore, ac frigus accipiat, et plantæ, ut torrente sole in æstate, siccentur ac moriantur; ita agnus determinatus est, ut a lupo occidatur, vel feriatur, et ignis, ut aqua extinguatur, etc.: unde ad conservationem mundani ordinis spectant innumeri motus, qui particularibus naturis nocent, earumque ingenitis inclinationibus repugnant. Et ejusmodi motus Deus ipse vult, et efficit cooperando cum earum causis ad hoc, ut prædictus ordo universalis perenniter conservetur, quemadmodum superius innuebamus. Ergo si motus contingunt naturis creatis secundum prædictam determinationem vel appetitum universalem, quamvis repugnent particulari inclinationi, desinunt esse violenti; nulla violentia possibilis erit etiam in particularibus entibus. Quoniam ergo ex communi sensu datur sæpe violentia, ubicumque contingit aliquid ex principio extrinseco, passo non conferente vim; dicendum erit ad violentiam sufficere, quod fiat aliquid contra particularem inclinationem ad connaturalia bona.

Minor probatur. Quia dum Deus motum aliquem contra naturalem exigentiam imprimit rei creatæ, illamve connaturali aliquo bono privat, naturam profecto illius non mutat. Ergo quæ prius connaturalia erant rei, vel ad consentaneum complementum et perfectionem spectabant, etiamsi Deus per suam omnipotentiam aliter agat, non desinunt esse

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

connaturalia. An negabis igni babylonico fuisse connaturale, ut combureret tres pueros in mediam fornacem conjectos? vel dices e converso connaturale fuisse, ut flamma instar lenis auræ demulceret illos? (1). Hinc communiter Theologi cum S. Thoma agnoscunt miracula *contra* naturam. *Contra naturam* porro miraculum *esse dicitur, quando in natura* remanet contraria dispositio *ad effectum, quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illæsos in camino,* remanente virtute comburendi in igne, *et quando aqua Jordanis stetit,* remanente gravitate in ea: *et simile est, quod Virgo peperit* (2). Si ergo stante actione superiori, remanet in natura contraria dispositio, viresque propriæ ac connaturales, profecto remanet quoque naturalis appetitus, exigentia et inclinatio ad sua particularia bona. Quod ergo insit naturæ inclinatio vel appetitus universalis, quem adversarii opponunt, ad obediendum Deo in omnibus, quæ agere voluerit, non impedit, quominus si quid fiat contra propriam et particularem inclinationem, violentia inferatur.

Instabis. Dominium Dei absolutum exigit, ut creatura illi subjiciatur, quam maxime possit excogitari. Ergo stante voluntate Dei efficiendi aliquid contra naturalem rei exigentiam, nequit illa suam retinere inclinationem innatumque appetitum.—Resp. *neg.* conseq. Nisi enim Deus mutet naturas rerum, fieri nequit etiam in sensu composito actionis divinæ superioris, cui cedat, et subjiciatur, ut res non habeat certa bona sibi consentanea, atque adeo non retineat suas naturales inclinationes et appetitus. Nequę id est contra perfectam rei subjectionem ad divinum imperium, ut abunde patet in moralibus. Sic sæpe sancti homines plena subjectione atque obedientia mortem aliave mala acceptant, quæ innato appetitu naturæ refugiunt. «Datur igitur in creaturis subjectio summa, quæ est essentialis impotentia frustrandi voluntatem Dei, quidquid de illis facere voluerit. Subjectio autem excludens innatam exigentiam boni connaturalis a Deo denegati, impossibilis est in creaturis, quando supponuntur ipsæ existere. Talis quippe exigentia consistit in entitate rei

(1) *Daniel.* cap. 3.
(2) S. Thom., *de Potent.*, quæst. 6, art. 2, ad 3.um

vel in proportione illius cum entitate boni appetiti: quæ proportio variari non potest, nisi varientur essentiæ rerum» (1).

Objic. 2.° «Illud quod fit in re ab eo, a quo data est, et dependet inclinatio naturalis, non est violentum. Sed a Deo data est, et dependet naturalis inclinatio creaturarum. Ergo quod fit a Deo in creaturis, non est violentum» (2). —Resp. *dist.* Major. Si id quod fit in re, sit consentaneum, vel certe non contrarium naturali inclinationi, *conc.*; si sit contrarium *neg.* Et *concesa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 3.° «Illud dicitur violentum, quod fit, passo resistente. Atqui res inferiores non resistunt, sed ultro obediunt suis superioribus,» multoque magis Deo. «Ergo motus agentis superioris non est violentus rei inferiori. Major patet, probatur Minor. Sicut enim politica subjectio fundat, et exigit politicam obedientiam, ita naturalis subjectio fundat, et exigit naturalem obedientiam. Sed res inferiores naturaliter subjiciuntur superioribus. Ergo etiam naturaliter ipsis obediunt; motusque eliciti ex hac obedientia censentur naturales» (3).

Et confirmatur, quia motus, qui sunt secundum præcipuam inclinationem rei, nequeunt dici violenti. Tales autem sunt motus eliciti ex obedientia et subjectione naturali, qua res inferiores superioribus causis subduntur. Primo quidem, quia in ejusmodi subjectione quævis res suam obtinet perfectionem; ac deinde, quia in eadem subjectione consistit bonum et conservatio totius universi. Res autem quævis particularis magis amat bonum et conservationem totius universi, quam proprium; cum enim sit pars universi, bonum et conservatio ipsius maxime pendet a bono et conservatione universi. Ergo quilibet motus ab agente superiori, quale est Deus, inferiori naturæ impressus, non est ipsi violentus, sed connaturalis (4). Huc spectat illa Doctoris Angelici sententia: *Unumquodque in rebus naturalibus, quod secundum naturam hoc ipsum, quod est, alterius est,*

(1) Lossada, loc. cit., n. 25.
(2) Ita Goudin, loc. cit.
(3) Goudin, loc. cit., *Dico* 2.°
(4) Vide Goudin ibid., et Joan. a S. Thom., loc. cit. Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 2, n. 7 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

principalius et magis inclinatur in id, cujus est, quam in seipsum. Et inclinatio naturalis demonstratur bis, quæ naturaliter aguntur: quia unumquodque sicut agitur naturaliter, sic aptum natum est agi, ut dicitur in 2.° Physicor. (text. 78). *Videmus enim, quod naturaliter pars se exponit ad conservationem totius, sicut manus exponitur ictui absque deliberatione ad conservationem totius corporis* etc. (1).

Resp. 1.° Si vera foret Minor, nulla daretur unquam violentia in rebus creatis. Nam illa vel proveniret a causis superioribus et universalibus vel ab inferioribus et particularibus. Atqui non a superioribus et universalibus, ut ultro profitentur adversari. Nec ab aliis quibuscumque; nam nulla causa creata potest vim alteri inferre, nisi decernente simulque cooperante Deo illius actioni: si ergo nulla res potest resistere Deo aliquid volenti et operanti, nec resistet actioni cujuslibet alterius causæ creatæ, utpote quæ implicat essentialiter voluntatem et cooperationem divinam.

Resp. 2.° *Neg.* primam partem Minoris. Nisi enim Deus viribus ac proprietatibus suis privet inferiores causas, vel concursum eisdem ad agendum deneget, nitentur illæ, ac quantum possunt, reluctabuntur ad respuendam contrariam suæ inclinationi naturali actionem; talis est enim natura earum divinitus accepta. Alteram Minoris partem *dist.* Creatura multo magis obedit Deo, ita ut non resistat resistentia impediente aut retardante effectum voluntatis divinæ efficacis, *conc.*; ita ut nec resistat resistentia sumpta pro naturali appetitu et exigentia in contrarium, *neg.* Nam ut nuper innuebam, dum naturam ignis Deus in aliam non commutet, etiamsi per miraculum privet illam suo calore, non desinet calorem appetitu naturali appetere, quia calor non ideo desinit esse bonum proprium et connaturale ignis illius.

Ad probation. Minoris *neg.* conseq. 1.° Quia sicut politica obedientia non vetat, quominus possit civi fieri a superiore vis et injuria; ita etiam naturalis obedientia bene potest stare cum naturali appetitu ad contrarium. Quia dum sinit ignis se calore suo privari, calor non desinit esse bonum ignis, atque adeo naturaliter appeti ab igne. **2.°** Non videtur

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 60, art. 5.

esse paritas inter subjectionem entium moralium et entium naturalium: nam ens morale potest ratione suæ cognitionis ac libertatis vel contra ipsum innatum appetitum aliquid appetere: at entia naturalia nequeunt, quia carent cognitione ac libertate.

Instabis 1.° Perfecta subjectio et obedientia naturalis rei ad divinam voluntatem et actionem pugnant cum naturali appetitu contrario.—**Resp.** *neg.* assert. Nam appetitus naturalis stat in eo, quod res in bonum suæ naturæ conveniens ordinetur. Quænam autem est pugna vel contradictio in eo, quod natura aliqua certum bonum ut sibi conveniens respiciat, v. g. ignis calorem et combustionem, etiam tum cum a Deo per miraculum eo bono privatur?

Instabis 2.° «Naturale est igni non comburere sine concursu Dei. Ergo Deo negante concursum, ignis non violenter, sed naturaliter non comburit».

Resp. 1.° «Argumentatio ista similis est huic: *Naturale est homini esse nudum, si vestem non habeat. Ergo dum veste spoliatur invitus, non violenter, sed naturaliter nudus incedit:* vel huic: *Naturale est homini non vivere sine capite. Dum ergo caput ipsi abscinditur, homo non violenter, sed naturaliter moritur*».—**Resp. 2.°** *dist.* antec. id est, naturale est igni non conjungere actualem combustionem cum carentia concursus, *conc.* Id est ignis, cum non datur concursus, exigit non comburere, vel jam non exigit comburere, *neg.* Ignis enim etiam dum negatur concursus ad comburendum, «naturaliter exigit comburere, non quidem exigendo combustionem conjungere cum non concursu, sed exigendo concursum et combustionem, atque adeo exigendo sensum divisum a negatione concursus, quæ ipsi violenta est. Exempla sunt obvia. Sic famelicus, cui negatur cibus, exigit comedere, non quidem exigendo comestionem conjungere cum non cibo, sed exigendo cibum et comestionem» (1).

Ad confirmationem patet ex dictis, quid respondendum sit; jam enim declaratum manet, quo sensu actus eliciti ex obedientia et subjectione naturali dici possint, vel non, secundum præcipuam rei inclinationem. Ad id quod primo loco

(1) Lossada, loc. cit. n. 24.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adducebatur ad Minoris probationem, respondetur «creaturas perfici quidem physice dum obediunt Deo in recipiendo positivum aliquid non impediens bona connaturalia, seu a creaturis naturaliter exacta; sic enim perficitur anima per gratiam et alia dona, quibus anima non resistit innate, quia non sunt *contra*, sed *supra* naturam. At non perficitur physice creatura, dum obedit Deo pure deneganti bona connaturalia vel contrarium imprimenti. Quis enim dicat ignem physice perfici per negationem concursus ad comburendum?... Aliud est in moralibus; nam libere obedire Deo, semper est perfectio moralis, tum quia nunquam impedit bonum aliud voluntati melius in linea moris, tum quia semper importat accesum ad ultimum finem et conformitatem cum prima regula moralitatis» (1).

Alteram etiam Minoris probationem ut infirmam respuimus: quia ex eo quod bonum et conservatio universi postulet prædictam subjectionem, non sequitur res magis inclinari, si sermo sit de propria inclinatione, ad patiendum quemcumque motum a causis superioribus, quam ad suæ naturæ connaturalia bona. Immo vero jam monuimus, et iterum monemus, res quamdiu suam servant naturam, etiam dum contra eam aliquid patiantur ex superioris causæ influxu, non posse non retinere innatum suum appetitum vel inclinationem. Quare quidquid a causis superioribus fiat contra naturalem propensionem et exigentiam inferiorum non erit quidem violentum respectu ordinis universalis mundani; nam ordo iste in suo complexu spectatus postulat, quod superiora agant in inferiora, et inferiora obediant, et subjiciantur inferioribus, ac proinde ex superiorum actione multa contingant, aut certe possint contingere, inferiorum nativis exigentiis contraria; sed erit violentum, nec poterit omnino esse naturale, respectu particularium naturarum, quæ talia patiantur. Sic quamvis occisio agni facta a lupo, et alia id genus permulta, non sit violenta, sed valde naturalis ordini mundano, est tamen violenta et mala ipsi agno.

Objic. 4.° Hæc vox est S. Augustini: *Deus Creator et conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit* (1). Unde sic arguit M. Manso (2): «Nequit violentia inferri ab eo agente, a quo quidquid est, naturale est. Sed quidquid Deus agit in creaturis, est eis naturale. Ergo Deus nequit per seipsum ullam creaturis violentiam inferre».

(1) Lossada, loc. cit. n. 24.

Resp. 1.° Certum videtur S. Augustinum in laudatis verbis *naturam* non intellexisse, quatenus importat principium innati appetitus vel exigentiæ, cui opponitur violentia. Nam in eodem loco S. Doctor mentem suam clarius expositurus, hæc addidit: *Sed* **contra naturam** *non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura: hanc enim etiam appellamus naturam* **cognitum nobis corsum solitumque naturæ**, qui fere constituitur ordine, quem naturales rerum exigentiæ inclinationesque exposcunt. Præterea si verba M. Augustini ita essent interpretanda, ut quidquid Deus fecerit in rebus creatis, sit *naturale*, prout hæc vox idem sonat, ac innatæ inclinationi conforme, atque adeo non violentum, nimis profecto probarent; probarent nempe nec gratiam nec aliud quidpiam donum esse supernaturale naturæ creatæ posse; Deus enim est auctor ejusmodi donorum, *id* autem est *cuique rei naturale, quod ille fecerit*. Ad quod probandum idem ipse syllogismus Mansi in hunc modum reformari potest: *Nihil supernaturale, producitur ab eo agente, a quo quidquid est, naturale est. Sed quidquid Deus facit in creaturis, est eis naturale. Ergo Deus nequit per seipsum aliquid supernaturale producere in creaturis* (3).

Resp. 2.° S. Augustinus ergo videtur in objecto testimonio naturam significasse, non particularem, sed universalem, quæ complectitur totum ordinem causarum naturalium, secundum quod aliis consertæ ac subordinatæ sunt, omnesque Deo, primæ causæ, in omnibus secundum sapientissimæ providentiæ consilium agenti subjiciuntur. Rem præclare demonstrat S. Thomas: *Duplex est natura, scilicet particularis, quæ est propria uniuscujusque rei; et universalis, quæ*

(1) S. August. Contr. Faust. lib. 26, cap. 3.
(2) Apud Lossada, loc. cit. n. 7.
(3) Lossada, loc. cit. n. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

complectitur totum ordinem causarum naturalium. Ex hoc dicitur esse dupliciter aliquid secundum naturam vel contra naturam: uno modo quantum ad naturam particularem alio modo quantum ad universalem. Sicut omnis defectus et corruptio et senium est contra naturam particularem: sed tamen naturale est secundum naturam universalem, ut omne compositum ex contrariis corrumpatur. Quia igitur ordo universalis causarum hoc habet, ut inferiora a suis superioribus moveantur, omnis motus, qui fit in inferiori natura ex impressione superioris, sive in corporalibus sive in spiritualibus, est quidem naturalis secundum naturam universalem, non autem secundum naturam particularem: nisi quando a superiori sic imprimitur in natura inferiori, ut ipsa impressio sit ejus natura. Et sic patet, quomodo ea quæ a Deo in creaturis fiunt, possunt dici secundum naturam vel contra (1). Quam doctrinam idem Aquinas alibi (2) ad prædictum S. Augustini locum declarandum aptavit.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE QUANTITATE CORPORUM.

Post expositam corporum essentiam gradum facimus ad eorumdem proprietates et affectiones enucleandas: in qua tractatione Aristotelem secuti (3) et scholasticos philosophos communissime, initium sumemus a quantitate. Quamquam enim qualitas, utpote accidens formam substantialem consequens, præstet in perfectione quantitati, quæ corporibus competit ratione dumtaxat materiæ; nihilominus quantitas jure merito videtur primum tractationis locum vindicare, quia ipsa est primum accidens corporeæ substantiæ, quo mediante suscipit hæc suas qualitates, unde etiam imitatur quodammodo substantiam in munere substandi accidentibus (4).

(1) S. Thom. *De Verit.*, quæst. 13, art. 1, ad 2.um

(2) *De Potent.* quæst. 6 art. 1, ad 1.um Cfr. de tota ista quæstione Lossada, loc. cit. cap. 2 a n. 6; et Mayr, loc. cit. a n. 705.

(3) Vide Aristot., *Metaph.*, lib. 5, cap. 13.

(4) Vide Domin. Soto (lib. *Prædicament.*, cap. 6, *de Quantitate*, in Comment. initio), Tolet. (ibid.)

CAPUT I.

EXPONITUR NATURA QUANTITATIS.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit quantitas: quænam ejusdem proprietates.

Quantitas molis, et quantitas virtutis.

193. Quantitas alia est propria, *quæ dicitur quantitas molis vel quantitas dimensiva, quæ in solis rebus corporalibus est. Alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundum perfectionem alicujus naturæ vel formæ* (1), et convenit omnibus sive spiritualibus sive corporeis rebus: sic dicitur: *Magnus Dominus et magna virtus ejus* (2), itemque: *Magnus* calor, *quanta* scientia, virtus etc. Etenim *in iis, quæ non mole, sed virtute magna sunt, idem est majus esse, quod melius esse*, inquit S. Augustinus (3). Unde hujusmodi quantitas virtutis generatim, ex Angelici doctrina (4), in tribus considerari potest, in præstantia et perfectione naturæ, in durationе secundum *esse*, et in efficacitate ac virtute operandi. Nos autem agimus hic de quantitate corporea, quam ut melius intelligamus, prius edocendum est, quid sit *quantum*.

Agendum hic de quantitate molis.

§ II.—Notio ac divisiones quantitatis.

Quid quantum.

Quantum dicitur, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodque unum quiddam et hoc aliquid aptum est esse, inquit Aristoteles (5). Dicitur *quod est divisibile*, ad excludenda ea, quæ divisionem non patiuntur,

(1) S. Thom., 1 p., q. 42, art. 1, ad 1.um

(2) *Psalm.* 146, v. 5.

(3) *De Trinit.*, lib. 6, cap. 8.

(4) 1 p., quæst. 42, art. 1, ad 1.um

(5) Ποσὸν λέγεται τὸ διαιρετὸν εἰς ἐνυπαρχοντα, ὧν ἑκάτερον ἢ ἕκαστον ἕν τι καὶ τόδε πέφυκεν εἶναι. Arist. lib. 5 *Metaphys.*, cap. 13, text. 18. Vide ib. S. Thom. lect. 5 initio; et opusc. *de Natura generis*, cap. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut Deus angeli, anima rationalis. Probe autem nota cum pluribus Doctoribus, verba ista: *quod est divisibile*, interpretanda esse de divisione ac divisibilitate *physica et naturali*, quæ est per motum physicum, puta sectionem vel scisionem et per physica instrumenta (1). Dicitur: *in ea quæ insunt*, intellige *actu* et *formaliter*, ad differentiam corporum mixtorum seu chimice compositorum, quæ divisibilia quidem sunt, sed non in ea, quæ actu formaliter in illis continebantur, elementa enim solum virtualiter et potentia insunt in mixtis: unde mixtum non resolvitur in ea, nisi prius corrumpatur. At quantum resolvitur in partes citra omnem corruptionem et alterationem, quia continebantur in illo actu et formaliter secundum eamdem naturam, quam separatæ ac divisæ retinent. Dicitur demum, *quorum utrumque vel unumquodque aptum est esse unum quiddam et hoc aliquid*, ad significandum partes ambas, vel omnes et singulas, si plures sint, esse habiles ad existendum seorsim. Et per hanc particulam discriminatur quantum a composito ex substantia et accidenti, quæ talia sunt, ut partes componentes nequeant, saltem omnes, seorsim existere, seu *esse unum quiddam ac demonstrabile* (2).

Quare aliis vocibus quantum est, quod divisibile est in partes, quarum singulæ eamdem cum toto sortiuntur naturam, possuntque separatæ existere tamquam aliquid complete subsistens (3). Hujusmodi partes vocantur *integrantes*.

(1) Vide Suarez (disp. *Metaph.* 40, sect. 1, n. 10, Sylvest. Mauri (*Quæstion. philosoph.*, lib. 2, quæst. 36 ad 2.um, Lossada (*Metaph.*, disp. 7, cap. n. 65).

(2) Vide S. Thom. Opusc. *de Natura generis*, cap. 20. Per hæc eadem verba definitionis insinuatur etiam tacite, ut vult Eximius Suarez, omne quantum etiamsi minimum sit, semper esse *divisibile in ea quæ insunt*, ita ut post divisionem quodlibet eorum, in quæ dividitur, sit *unum quid*, et consequenter illam divisibilitatem, quantum est ex vi quantitatis, non posse terminari, nisi divisio perveniat ad non quanta...» Suar. disp. *Met.* 40, sect. 1, n. VIII.

(3) Vide Card. Tolet., in cap. 6 *de Prædicament.*, quæst. 1. *Hæc autem quantitas...* Videantur circa hanc definitionem Aristotelis S. Thomas (lib. 5 *Metaph.*, lect. 5), Suar. (disp. 40 *Metaph.*), Fonsec. (lib. 5 *Metaph.*, cap. 13).

Quid quantitas.

Et hoc quidem est *quantum:* ex quo facile intelligitur quantitatem esse «id, a quo res quanta habet, ut illo modo divisibilis sit» (1).

Si quis autem quærat, cur Aristoteles in declaranda hac re nomine concreto *quanti* usus fuerit potius, quam abstracto quantitatis, duplicem assignat rationem Eximius Doctor. «Prior est, quia concreta nobis notiora sunt, et ex eis tamquam ex effectibus formalibus facilius cognosci possunt abstracta... Secunda ratio est, ut indicet peculiarem conditionem quantitatis, quæ non solum est forma, qua aliud est quantum, sed etiam ipsa quanta denominatur, quia non solum ipsa est ratio, ob quam alia fiunt extensa et divisibilia, sed etiam ipsa extensa est et divisibilis. Neque enim ipsa extendere potest rem aliam, nisi simul cõextendatur illi, et suas proprias partes habeat correspondentes partibus sui subjecti. Eadem ergo forma, quatenus partes substantiæ extendit, quantitas dicitur, ut infra dicemus; quatenus vero ipsamet habet partes, sese natura sua extendentes, vel ut sic dicam, loco excludentes, sic etiam ipsa *quanta* denominatur, et ut sic etiam divisibilis est. Ob hanc ergo causam non solum per modum abstracti, sed etiam per modum concreti describi potuit» (2).

Difficultates, quæ contra expositam descriptionem objici possent, lucidissime solutas vide apud Eximium Doctorem (3).

Species quantitatis;

194. Jam quod attinet varias quantitatis species, indicabimus eas, quæ a Philosopho traduntur tum in *Metapysica* (4), tum in libro de *Prædicamentis* seu *Categoriis*. Et primo quidem quantum dividitur *in quantum per se et quantum per accidens*. Quanta per se dicuntur non solum ea, quorum definitionem ingreditur ratio quantitatis, ut v. g. *linea, superficies, solidum*, sed etiam ea, quæ exprimunt proprietatem vel affectionem aliquam quantitatis, ut *longum, breve, multum, parum*. Per accidens quanta sunt tum ea, quæ sunt

quantum per se et per accidens.

(1) Suar. disp. *Metaph.* 40, sect. n. V.
(2) Suar. loc. cit., n. 5, 6.
(3) Disp. 40 *Metaph.*, sect. 1, n. 2-5 et n. 5-13.
(4) *Metaph.*, lib. 5, cap. 13. Vide ib. S. Thom., lect. 15.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

accidentia alicujus quanti, ut *album* vel *musicum*, quæ dicuntur quanta, eo quod quantum est subjectum, in quo sunt; tum etiam ea, quæ sunt divisibilia ratione dumtaxat quantitatis (1).

Quantitas continua

Dividitur secundo quantitas in *continuam* seu magnitudinem et *discretam* seu multitudinem. Continua est illa, cujus partes communi termino copulantur: hujusmodi partes constituunt magnitudinem, ex iisdemque resultat totum integrale

et discreta,

Discreta est, cujus partes non copulantur communi termino, et proinde efficiunt actualem multitudinem, quæ si finita sit ac per unitatem mensurata, vocatur numerus. Terminus porro communis est id, quod ita unam partem claudit, ut etiam claudat alteram, ut nempe unum idemque sit terminus unius partis ac principium alterius. Continuæ quantitatis species notissimæ sunt, *linea*, *superficies*, et *solidum* seu corpus; quibus addi solet *locus*, extrinsecus nimirum, seu superficies ambiens et continens aliquod corpus. Linea est magnitudo divisibilis secundum unam dumtaxat dimensionem, nempe longitudinem; superficies est magnitudo divisibilis secundum duas dimensiones, longitudinem et latitudinem: et solidum seu profundum seu corpus mathematicum est magnitudo divisibilis secundum tres dimensiones, longitudinem, latitudinem et profunditatem (2). Terminus corporis (mathematici) est superficies; superficiei, linea; lineæ vero punctum.

numerus vel

Discreta dispescitur in *numerum* et *orationem*, intellige vocalem, ut expresse monet Aristoteles (3), non mentalem. Numerus est multitudo mensurabilis per unitatem, aliquoties acceptam: ejus species sunt binarius, ternarius, centenarius etc. Oratio hic intelligitur non in sensu dialectico, sed pro quavis articulata voce, cujus syllabæ longæ vel breves ac proinde quantæ dicuntur.

quantitas permanens et successiva.

Iterum quantitas continua, dividitur in *permanentem* ac *successivam*. Permanens est, cujus partes simul existunt; et quatuor vulgo recenseri solent species: linea superficies,

(1) S. Thom. 5.^a *Metaph.*, lect. 15, paragr. *d*, *e*.
(2) Vide S. Thom. Opusc. *de Natura generis*, cap. 20.
(3) Vide *Aristot.*, *de Prædicam.* cap. 6 *de Quantitate*.

solidum vel corpus, et locus, intellige extrinsecum. Successiva est, cujus partes non sunt simul, sed perenni fluxu prætereunt una post aliam, v. g. tempus et motus.

Dividitur denique quantitas in eam, *quæ positionem habet*, et in eam, quæ *caret positione*. Quam divisionem ut intelligas, nota positionem bifariam accipi posse, primo quatenus importat partium ordinem in loco, seu per habitudinem ad locum: hujusmodi positiones sunt *sedere*, *stare*, *jacere* etc. et constituunt speciale prædicamentum *situs*. Alio modo accipitur hic *positio* pro ordine et unione partium inter sese in toto ipso, ita ut altera sit unita huic immediate; illi vero mediate, altera sit sursum, altera deorsum, altera dextrorsum altera sinistrorsum. Hoc modo corpus humanum etiam præcisa consideratione situs localis, et quicumque demum sit ejusdem situs, habet ita ordinatas partes, ut collum sit infra caput et supra pectus, oculi micent in fronte, brachia demittantur ex humeris, ac terminentur in manus, etc. Ut vides positio hujusmodi est fundamentum positionis situalis. Ad hanc porro *positionem* tria requiruntur; primum, quod partes sint continuæ; alterum, quod sint permanentes; ex quibus duobus sequitur necessario tertium, quod plures addunt, nempe quod partes illæ servent ordinem, siquidem positio, prout hic accipitur, revera non est nisi ordo partium continuarum et permanentium seu coëxistentium. Quare omnis et sola quantitas continua et permanens positionem habet; quantitas vero discreta et etiam continua sucesiva caret positione, illa quidem ex defectu unionis et continuationis partium, hæc vero ex defectu permanentiæ (1).

Et hæ quidem sunt species quantitatis, quæ vulgo solent proponi ab auctoribus cum Aristotele (2). Verum non omnes

(1) Vide *Summ. totius Logicæ Aristotelis*, tract. 3, cap. 4). Soto lib. *de Prædicam.* in comment. cap. 6, text. 2. *In secundo textu qui incipit)*, Tolet. et Conimbric. et Rubium (ibid), Complutens. (ibid, *Notationes et dubia...*)

(2) Vide ipsum tum in lib. 5, *Metaph.* cap. 13, tum in lib. *Prædicament.* cap. 6; et ibid. S. Thom. et auctores nuper citatos; et Lossada, loc. cit. n. 88; de Benedictis, *Logic.* lib. 2, q. 4, cap. 2; Goudin *Logic. Majoris* pars. 1.^a, q. 3, a 2; Joann. a S. Thoma. *Logic.*, quæst. 16, in fin., *Coordinatio et arbor prædicamentis quantitatis*, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt species quantitatis propriæ ac per se, quemadmodum docet disertis verbis Angelicus (1), et cum ipso multi alii.

Locus non est vera species diversa quantitatis;

Et in primis locus nihil reale addit supra extensionem ac superficiem corporis ambientis et circumdantis rem locatam, præter solam continentiam et externam commensurationem cum locato; hæc vero certe non importat aliud *esse* quantitatis et extensionis, sed aliam quamdam rationem ac relationem mensuræ (2). Et ideo non sortitur speciem quantitatis per se; et propterea etiam prætermittit locum Aristoteles in *Metaphysica*, ubi considerat quantitatem absolute et secundum se, licet enumeraverit illum inter species quantitatis in *Logica*, ubi quantitatem considerat potissimum, quatenus habet rationem mensuræ, substantiæ. Non autem desunt quidam, qui aliter sentiant apud Antonium Rubium (3).

nec motus,

Deinde motus similiter non est propria species quantitatis: unde nec ab Aristotele recensetur inter species quantitatis in libro *de Prædicamentis*, in Metaphysica vero diserte dicitur esse quantus per accidens (4). Et ratio est, quia in motu triplex intelligi posset extensio, altera se tenens ex parte subjecti, et est propria motuum corporalium, altera se tenens ex parte termini seu latitudinis ejus, quæ communis est omni motui successivo, sive corporeo sive spirituali, tertia consistens in ipsa successione et fluxu, quem importat motus. Et de priori quidem nullum est dubium, quia secundum illam motus non dicitur quantus nisi per accidens, ratione subjecti in quo existit: sicut albedo et aliæ qualitates corporeæ dicuntur quantæ per accidens, quia insunt subjecto quanto. Et idem dic de extensione se tenente ex parte formæ vel termini, qui successive et paulatim fiat; quia sub hoc

(1) Lib. 5 *Metaph.* lect. 15, fin.; et Opusc. *de Natura generis*, cap. 20.

(2) Vide S. Thom. (loc. cit. et 2.a dist. 12, art. 5, ad 2.um), Suar. disp. 40, sect. 7), Conimbricens. (*Dialect. de Prædicam. quantitatis*, quæst. 2, art. 2.), Rubium (*Logic. de Prædicam.* cap. 6, quæst. 4), Fonseca (*Metaph.* lib. 5, cap. 13, q. 8), Joan a S. Thom. (*Log.* disp. 16, quæst. 3), Goudin (*Logic. Major.* pars. 1.a quæs. 3, art. 2), Lossada (loc. cit. n. 89).

(3) Loc. cit.

(4) Lib. 5, cap. 13 vers. fin.

respectu motus est via ad terminum, ideoque ad prædicamentum ejusdem revocatur. Jam vero terminus motus in primis non semper est quantitas, sed potest etiam esse substantia, ut in generatione substantiali, et qualitas, ut in alterationibus. Ergo saltem motus ad hujusmodi terminos non est quantitas, sed revocatur ad genus vel substantiæ vel qualitatis. Motus vero, qui terminatur ad quantitatem, est quidem quantus, verum præcise ratione termini, ideoque non est species quædam peculiaris ac distincta quantitatis. Secus simili modo dicendum foret motum, qui terminatur ad substantiam, esse speciem quamdam substantiæ, et speciem qualitatis illum alium, qui ad qualitatem terminatur. Denique neque etiam fluxus ipse vel successio motus in se considerata constituit speciem quantitatis per se. Quia motus secundum formalem illam rationem fluxus ac successionis importat transitum quemdam ab uno termino in alium per partes ac divisibiliter factum. Non autem apparet, cur ille transitus eo modo peragi debeat, nisi vel quia subjectum, in quo fit, partibus constet divisibiliter transeundis, vel quia terminus non totus simul, sed partialiter fit, id quod provenit vel ex debilitate atque imperfectione agentis non valentis simul totam formam aut terminum inducere, vel ex resistentia passi, vel ex applicatione, quia agens successive applicatur passo. Ergo si motus præcise in se spectetur, ac sine respectu ad subjectum vel terminum, nullam importat intrinsecam quantitatem, sed totam derivat a subjecto vel termino (1). Qua de re fuse disputat Suarez. Valeat etiam et ea ratio, quod non est species quantitatis id, quod solum per accidens extenditur. Talis autem est motus successionis, qui non extenditur nisi ratione medii et distantiæ, quæ intercedit inter terminum *a quo* et *ad quem*. Unde quando non datur hujusmodi medium vel distantia, motus est indivisibilis et instantaneus, ut v. g. motus a non esse ad esse, seu a privatione vel negatione ad formam.

(1) Vide S. Thom. (loc. cit.), Rubium (loc. cit. quæst. 5), Tolet. (loc. cit., quæst. 2, *Ad quartum, Dico ultimo*), Suar. (disp. 40, sect. 8), Complutens. (*Logic.* disp. 13, quæst. 5), Joann. a S. Thom. (*Logic.*, quæst. 10, art. 3), Goudin (loc. cit.), Lossada (ibid.).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nec tempus.

Atque idem videtur esse dicendum consequenter de tempore, utpote quod aut est idem re cum motu, aut illum consequitur (1). Contradicunt tamen Rubius (2), Complutenses (3), aliique: quare acrior est hac in re controversia, quam in præcedentibus. Quamobrem ex omnibus quantitatis continuæ speciebus superius enumeratis, sola linea, superficies et solidum sunt probabilius veræ species quantitatis per se.

nec oratio.

Jam quod attinet discretam quantitatem, oratio in primis videtur non esse species quantitatis per se. Nam nomine orationis, ut superius notavimus, intelligitur hic vox articulata pluribus constans syllabis (4). At in hujusmodi voce nihil aliud est, nisi complexus sonorum cum aliqua successione ac mora temporis, nam syllabæ soni quidam sunt. Atqui hæc nec singillatim nec simul sumpta novam speciem quantitatis per se præbere possunt. *Non singillatim*. Quia sonus in primis non est nisi qualitas quædam. Deinde singuli soni et syllabæ singillatim sumptæ in sua duratione aliud non important revera, nisi motum quemdam continuum ac tempus; motus autem ac tempus non sunt quantitates per se. Ergo «licet una syllaba sit longa et altera brevis, atque ita sint tempore mensurabiles, inde solum fit eas esse aliquo modo quantas saltem per accidens, ad modum aliorum motuum» (5). *Si vero oratio sumatur collective* pro complexu omnium syllabarum certo ordine certisque morulis compositus; aliud verera non est nisi numerus quidam, v. g. binarius, ternarius, etc., syllabarum. Ergo nequit per se constituere novam aliquam speciem quantitatis Et ita nec Aristoteles nec S. Thomas in *Metaphysica* orationem recensuerunt inter species quantitatis (6). Quod si Philosophus in libro

(1) Vide S. Thom. 5.a *Metaph.* lect. 15, fin.; et Opusc. *de Natura Generis* cap. 20). Suarez (disp. 40. sect. 9, ubi fusc res tractatur), Joann. a S. Thom. (loc. cit.), Lossado. (ibid.), Goudin (ibid.).

(2) Rub. loc. cit. q. 3.

(3) Loc. cit. disp. 13, q. 3.

(4) Cfr. Complutens. *Logic.* disp. 13 quæst. ultim., ubi plures aliæ *orationis* acceptiones exponuntur.

(5) Suarez, disp. 41 *Metaph.* sect. 3 n. 1 fin.

(6) Vide Suarez, loc. cit. n. 1-3.

Categoriarum orationis meminit; ratio est, vel quia ibi quantitatem, non prout est in se, sed sub ratione mensuræ consideravit, ideoque non solum orationem, verum etiam tempus et alia inter quantitatis species numeravit, quamvis non sint per se quantitates (1); vel quia, cum non sit in *Prædicamentis* locus proprius accurate agendi de quantitate, secutus est in recensendis illius speciebus vulgarem modum loquendi et opiniones tum magis receptas, ut notarunt Albertus et Commentator (2), aliique (3). Sunt tamen plures auctores graves, qui censent orationem esse veram speciem quantitatis ab aliis distinctam (4). Denique circa quantitatem discretam acrior est controversia.

§ II.—UTRUM NUMERUS SIT DISTINCTA SPECIES QUANTITATIS.

Utrum numerus sit vera species distincta quantitatis.

195. Ubi in primis notandum est disputari de numero prædicamentali, siquidem quantitatem discretam in rebus spiritualibus revera non dari proprie loquendo, communior est Doctorum sententia, prout jam notatum reliquimus in *Ontologia* (5), ac fusius videri potest apud Eximium Doctorem (6). Relate autem ad res corporeas proposita controversia pendet tota ex illa alia quæstione, an numerus sit unum ens per se: præcipua enim ratio dubitandi, utrum numerus sit vera species prædicamenti quantitatis, pendet ex quæstione illa, utrum numerus habeat omnes conditiones enti prædicamentali assignari solitas (7), ac nominatim unitatem per se. Unde si numerus independenter a mentis consideratione sit unum per se, erit species quantitatis distincta a continua, quia implicat in suo conceptu partium divisionem, quam certe non involvit continua.

(1) Cfr. S. Thom. lib. 5, *Metaph.* lect. 15 fin.

(2) Apud Suarez, ibid. n. 4.

(3) Cfr. de hac re, præter Suar. (loc. cit.), Joann. a S. Thoma *(Logic.* q. 10, art. 3), Conimbricens. *(Logic. de Quantit.* quæst. 2, a. 1), Goudin (loc. cit.), Fonsec. (lib. 5 *Metaph.* cap. 13, quæst. 5).

(4) Ita Complutenses (loc. cit., disp. 3, quæst. ultima), Rubius, (loc. cit., quæst. 9), Sotus. (*de Quantit.*, quæst. 1, ad 4.um), et alii apud eosdem auctores.

(5) Vide *Ontolog.* n. 87, pag. 255 seqq.

(6) *Metaph.* disp. 41, sect. 2.

(7) De quibus vide *Ontolog.*, n. 272, pag. 781 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sententia Thomistarum.

Itaque Thomistæ communissime docent numerum esse unum per se, non quidem unitate compositionis, quia unitates numerum constituentes non habent inter se physicam unionem, sed unitate ordinis; ac proinde esse veram speciem quantitatis. Discrepant autem in assignando principio, unde multitudini, quæ essentialiter invenitur in quantitate discreta, proveniat illa unitatis ratio: licet multo frequentior est eorum opinio, qui censent ultimam unitatem esse formam numeri, ab eaque numerum sortiri rationem unius per se (1). Et pro hac sententia laudatur S. Thomas in variis operibus (2): eamdemque tuetur præter Thomistas (3) noster Rubius (4). Alii vero negant numerum prædicamentalem seu quantitatem discretam proprie et per se, ac prout est in re ipsa, esse speciem quantitatis; cum numerus prout est a parte rei, non sit unum ens per se, sed actu multa quanta, et solum accipiat unitatem quamdam ab actu intellectus recensentis tot determinate unitates. Ita præter Albertum M. aliosque antiquos apud Capreolum (5), Petrus Fonseca (6), Suarez (7), Conimbricenses (8), Soarez Iusitanus (9), Lossada (10), De Benedictis (11), Barthol. Amicus (12), alique. Mastrius vero adeo acriter adhæret huic doctrinæ, ut etiamsi Scotus ipse et Aristoteles aliter sentirent, ab ea minime recedendum fore scribat (13), ubi etiam quosdam alios Scotistas pro eadem laudat.

Altera sententia.

(1) Vide Joann. a S. Thoma (*Logic.*, q. 16, art. 2), Complutens. (loc. cit., q. 7 et 8).

(2) *Metaph.*, lib. 4, lect. 2, paragr. c; lib. 5, lect. 15, paragr. h; lib. 8, lect. 3, paragr. f et m; 1.ª dist. 24, q. 1, a. 3; *de Potent.*, q. 9, a. 7, i pa, q. 11, a. 1 ad 1.um; *Quodlib.*, 10, a. 1.

(3) Vide inter alios Joann. a S. Thom., Complutenses et Goudinum, qui fusæ de his, et aliis apud Suarez, disp. *Metaph.*, a. 1, sect. 1, n. 6.

(4) Loc. cit., q. 6, 7.

(5) 1.ª dist. 24, q. 1.ª

(6) *Metaph.*, lib. 5, cap. 13, q. 4.

(7) *Metaph.*, disp. 41, sect. 1.

(8) *Logic., de Quantit.*, q. 2, n. 1.

(9) *Metaph.*, tract. 3, disp. 1, sect. 2.

(10) *Metaph.*, disp. 3, cap. 4, n. 90 seqq.

(11) *Philos. peripat.*, lib. 2, quæst. 2, cap. 3.

(12) *Logic.*, tract. 14, quæst. 2, dub. 1.

(13) *Logica*, disp. 7, quæst. 2, art. 1.

Ut quid nobis hac de re verisimilius dicendum videatur, sit

196. PROPOSITIO 1.ª **Numerus vel quantitas discreta nihil reale addit supra ipsas res quantas simul sumptas.**

Numerus nihil reale addit supra res ipsas quantas simul sumptas.

Sententia hæc in primis suaderi potest ex ipso Aristotele, secundum quem *numerus est unitatum multitudo* (1). Quem locum sic interpretatur S. Thomas: *Unitas differt ab unitatibus, ut singulariter prolatum ab his, quæ pluraliter proferuntur.* **Et similis ratio est de numero ad unitatem, quia numerus nihil aliud est, quam pluralitas unitatum.** *Unde nihil aliud est dicere unitatem esse mensuram numeri,* **quam unitatem esse mensuram unitatum** (2). Alibi hæc scripit Philosophus: *Unum quidquid id fuerit, individuum est, ut homo unus est homo, et non multi;* **numerus vero plures sunt aliquotve unitates** (3). Similia scripsit Averroes (4).

Probatur ratione. Singulæ unitates prædicamentales nihil addunt supra singulas res quantas. Ergo nec totus numerus addit quidpiam supra omnes res quantas simul sumptas.

Antecedens probatum manet in *Ontologia* (5) ubi ostendimus unitatem quantitativam vel prædicamentalem nihil reale importare præter ipsam rem, quantam prout talis est (6). **Consequentia** vero patet «tum quia positis unitatibus, et quacumque re alia ablata vel per intellectum vel per divinam omnipotentiam, non potest non esse numerus; tum etiam quia comparatur numerus proprie dictus ad unitates quantitativas, sicut quælibet multitudo ad unitates transcendentales; tum denique quia ila res addita vel esset una omnino et eadem in omnibus unitatibus simul sumptis et in singulis earum, vel esset tantum una collectione aliquid ponens in singulis unitatibus. Primum est impossibile: quomodo enim una entitas simplex potest esse in subjectis realiter distinctis ac distantibus et nullo modo unitis?» Secundum vero repugnat

(1) Ὁ δ' ἀριθμὸς πλῆθος μονάδων. Aristot. lib. 10, *Metaph.*, cap. 3, text. 5.

(2) S. Thom. *Metaph.*, lib. 10, lect. 2, paragr. g.

(3) Aristot. *Physicor.*, lib. 3, cap. 7, text. 68.

(4) Apud P. De Benedictis, loc. cit., *Dico* 2.ª

(5) *Ontolog.*, n. 84 seqq. a pag. 246.

(6) Cfr. Suarez disp. 41 *Metaph.* sect. 1, n. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

antecedenti; «nam si in singulis unitatibus ponit numerus rem aliquam ab ejus quantitate et ab omni entitate aliarum unitatum distinctam; ergo illa entitas pertinet ad rationem talis unitatis ultra quantitatem: quod falsum esse probatum est» (1).

Confirmatur. Quia sicut quantitas continua intelligitur, et est una præcise ex indivisione, ita quantitas discreta intelligitur ex divisione singularum partium continuarum. Atqui divisio ejusmodi non concipitur, quid positivum addere possit terminis singularum quantitatum. Ergo solam addit negationem, atque adeo numerus resultat absque ulla realis ac positivæ entitatis additione (2).

197. PROPOSITIO 2.ª **Numerus prout est a parte rei extra mentis considerationem, non videtur esse proprie unum simpliciter ac per se. Unde numerus seu quantitas discreta non est proprie species quantitatis a continua diversa.**

Numerus prout est a parte rei, non est proprie unum per se.

Prima pars, probatur 1.° Numerus prout est a parte rei, est proprie multitudo, nam per eam in recto definitur. Atqui multitudo et propria unitas per se, constituens attributum entis, invicem opponuntur, seseque excludunt, quemadmodum probatum manet in *Ontologia* (3).

Major, videtur diserte doceri a Philosopho: *Multitudo*, inquit, *quasi genus est numeri, est enim numerus multitudo mensurabilis uno* (4). Quæ verba sic explicat Aquinas: *Pluralitas sive multitudo absoluta, quæ opponitur uni, quod convertitur cum ente, est quasi genus numeri, quia numerus nihil aliud est, quam pluralitas et multitudo mensurabilis uno... Et non dicit, quod sit simpliciter genus, quia sicut ens genus non est proprie loquendo, ita nec unum, quod convertitur cum ente, nec pluralitas ei opposita; sed est quasi genus, quia habet aliquid de ratione generis, in quantum est communis.* Quamobrem

(1) Suarez, *Metaph.* disp. 41, sect 1, n. 11. Cfr. n. 14, 15.

(2) Vide Suarez. loc. cit. n. 10. Videndum hac de re est Dominicus Sotus *(Lib. Prædicam.*, cap. de *Quantitate*, quæst. 2, 2.ª conclusio).

(3) Vide *Ontolog.* n. 81, pag. 232.

(4) Arist. *Metaph.*, lib. 10, cap. 9, text. 21.

ex Aristotele ac S. Thoma omnis numerus id habet commune, quod sit multitudo quædam, quæ opponitur uni transcendentali. Ratio autem idem confirmat; siquidem numerus est quantitas discreta. At quantitas discreta definitur illa, cujus partes nullo communi vinculo copulantur. Ergo essentialiter constat simpliciter pluribus, nec proinde unum per se ac simpliciter esse potest. Cum potissimum numerus constet multis loco, ac sæpe tempore etiam, separatis individuis, quæ proinde unionem omnem realem respuunt. Hinc

Prob. 2.° Ex pluribus entibus actu non potest unum per se existere. Atqui numerus constat ex pluribus actu entibus. Ergo numerus vere unum ens per se ac simpliciter esse nequit. Unde mirum est, quod Thomistæ, qui tam sollicite negant materiæ primæ propriam existentiam etiam incompletam et natura sua ordinatam ad unionem cum forma, ob eum scilicet timorem, ne exinde compositi corporei substantialis unio et consequenter ratio unius per se ac simpliciter entis perimatur; nunc in hac materia non vereantur vere ac proprie unum per se asserere multitudinem ex multis actu completis entibus resultantem.

Notatur inconsequentia Thomistarum.

Respondent adversarii unitates quidem seorsim consideratas esse completa entia, quatenus autem per additionem aliarum ad alias natæ sunt constituere, et augere numerum, esse incompleta. Quare posse unum efficere, sin minus, unitate compositionis, unitate saltem ordinis; nam unitates numeri ordinem quemdam servant, quatenus una est prima, alia secunda et ita porro, et ratione hujusmodi ordinis priores unitates comparantur ad ultimam ut indeterminatum ad determinatum, et e contrario ultima unitas dicitur comparari ad cæteras per modum formæ (1). Id ergo satis esse putandum est ad unum per se ens in genere quantitatis constituendum, unitate videlicet ordinis; neque enim oportet æqualem in rebus omnibus exigere unitatem.—**Verum repono**, in primis unitatem ordinis non sufficere ad constituendum unum per se ens; secus enim dicendum foret etiam exercitum esse unum per se. Deinde unitas hæc ordinis

(1) Aristot. *Metaph.*, lib. 8, cap. 3. Cfr. S. Thom. ibid. lect. 3, paragr. *1.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

reapse non reperitur intrinsece in ipsis rebus, sed solum in apprehensione aut consideratione nostra. Cum enim in rebus nulla sit prima unitas, vel secunda vel tertia, sed eadem materialis unitas possit esse prima vel secunda vel ultima pro ordine, quo mens illam considerare ac numerare voluerit; plane efficitur ordinis unitatem non realem et intrinsecam, sed extrinsecam et rationis esse.

Nec valet dicere cum adversariis nullam quidem a parte rei unitatem esse *determinate* primam, aut secundam vel ultimam, aliquam tamen *indeterminate* esse vere ultimam; quia id non sufficit ad hoc, ut prædicta unitas ordinis sit realis. Nam ex hoc sequitur nullum in numero esse a parte rei determinatum ordinem inter unitates, nec porro determinari aliter posse, donec intellectus hanc ut primam, illam ut secundam vel ultimam assumat, et unitates ipsas in se indifferentes esse, ut hunc vel alium ordinem efficiant pro intellectus numeratione. Atqui hoc perinde est, ac dicere unitatem, quam numerus importat, esse extrinsecam ac rationis.

Prob. 3.° Si numerus foret vere ac proprie unum per se esset tale vel materialiter sumptum, id est secundum partes quantitativas, ex quibus coalescit, vel formaliter seu secundum rationem formalem, quo numerus constuitur. Atqui neutro modo numerus est unum per se.

Prob. Minor. per partes: α) *non materialiter sumptus*. Nam, ut nuper argumentabamur, unitates ipsæ essentialiter carent inter se unione; secus enim non discretam, sed continuam efficerent quantitatem. Numerus ergo materialiter sumptus essentialiter importat multiplicitatem, ac proinde unitatem habere nequit.

β) *non formaliter sumptus*. Nam non apparet, quænam esse possit forma dans specificam unitatem per se multis illis ac divisis unitatibus, unde numerus, qui sit unum quiddam per se, resultat. Vel enim esset illa forma simplex, aut una unitate compositionis. Non simplex, quia non intelligitur, quomodo una eademque forma, eaque accidentalis, nam numerus est accidens, possit esse in multis ac divisis subjectis. Non composita, quia iterum non apparet, qualis esset unitas compositionis, quam talis forma haberet. Neque enim fingi potest unitas compositionis

essentialis ex actu et potentia, nam omnis forma caret hujusmodi compositione; nec continuationis, nam si ejusmodi unio daretur in forma numeri, deberet etiam aliquo modo in ipsam materiam vel unitates refundi, quæ tamen carent omni inter se compositione sive continuationis, sive intensionis sive informationis. Nec vero facile est excogitare aliud genus unitatis compositionis, quod tribui possit formæ numerum constituenti. Propter hanc rationem dicunt multi ultimam unitatem esse formam numeri, respectu cujus præcedentes unitates se habeant instar materiæ, sicut in ternario duæ priores unitates habent rationem materiæ determinabilis, quæ accedente alia unitate tamquam forma, coalescit in ternarium. Unde contendunt formam, quæ numerum constituit, esse ordinem quemdam plurium unitatum, ratione cujus hæc est prima, illa secunda, altera demum ultima, ideoque numerum esse unum per se, non quidem compositione, sed ordine. Verum hic modus defendendi unitatem per se, nuper rejectus est.

Probatur jam secunda pars: *numerus seu quantitas discreta non est proprie species quantitatis a continua diversa.*

Numerus non est proprie species quantitatis a continua diversa.

Assertio hæc sequitur ex præcedenti. Omnis enim species propria debet esse sub aliquo genere entis prædicamentalis. Numerus autem non est sub ullo genere entis prædicamentalis. Nam ens prædicamentale debet esse ens per se unum. Quantitas ergo discreta non est proprie species quantitatis distincta a continua, sed multitudo individuorum intra eamdem continuam quantitatem. Vel aliter unitas et numerus vel, quod idem est, quantitas continua et discreta solum differunt, ut singulare et plurale ejusdem nominis, id est, sicut quantitas et quantitates; ubi certe non est differentia specifica, nisi velis, ut homo et homines specie differant vel anima una et plures animæ» (1).

198. PROPOSITIO. 3.ª **Numerus in sensu minus proprio, saltem prout importans aut connotans actum intellectus recensentis vel recensere valentis unitates tot, et non plures, est unum per se et in eodem sensu nova species quantitatis per quamdam analogiam.**

Numerus in sensu minus proprio est aliquo

Quod numerus sit aliquo modo unus per se, constat in primis ex communi omnium sensu etiam eorum, qui

(1) Lessius, loc. cit. n. 96.

modo unus per se.

negant illum esse proprie unum per se (1). Cum ergo nequeat dici proprie unus per se, restat ut dicatur in sensu minus proprio. Nam unum per se proprie illud dicitur, cui convenit transcendentalis unitas, quod proinde veram indivisionem importat, et est unum aut unitate simplicitatis aut unitate compositionis secundum ea, quæ dicta sunt in *Ontologia* (2). Unum vero per se late et improprie dicitur «de quovis toto, cujus partes aliqualiter ordinantur vel inter se, vel sub uno, vel ad unum etiam ipsis extrinsecum; sive ordinatio sit naturalis, sive artificialis, sive moralis, sive intentionalis. Lege Aristotelem (3), et D. Thomam (4); ubi animadvertes inter una per se numerari, præter alia exempla, unum lignorum fascem vinculo colligatum, unum populum ex multis hominibus constitutum, et genus unum ex multis speciebus, eodemque sensu vinum, oleum et liquores omnes vocari *unum*, quia omnes resolvi possunt in aquam, multos etiam unius agri possessores unum dici, quia possident unum» (5).

Explicatur unitas numeri.

Numerus ergo saltem prout connotans actum intellectus, qui recenseat, vel recensere possit, tot et non plures unitates, unum quiddam constituere dici potest. Fere enim sicut plura individua unum sunt per actum præcisivæ cognitionis solum id, quod simile est in omnibus illis, repræsentantis, ita multitudo plurium unitatum quatenus apprehendi potest per modum certæ collectionis constitutæ ex tot unitatibus et non pluribus nec paucioribus, quamdam præ se fert unitatem ratione illius ordinis et aptitudinis, ut certo modo numerentur, vel numerari possint ejus unitates ab intellectu. Sic binarius, ternarius, quaternarius etc., numerus est certa quædam collectio unitatum, quarum ultimo numerabilis est secunda, tertia, quarta etc. Unde fit, ut numerus vel quantitas discreta, secus ac multitudo vel collectio quævis individuorum prout talis, additione vel detractione unius dumtaxat

et quomodo in certa aliqua specie constituatur.

(1) Vide v. g. Suarez (loc. cit. n. 17), Amici (*Logic.* tract. 14, quæst. 2, dub. 1, art. 4), De Benedictis (loc. cit. *Dico* 4.°), Lossada (loc. cit. n. 97).

(2) Vide n. 82, 4.° pag. 240.

(3) Aristot. *Metaph.* lib. 5, text. 8.

(4) S. Thom. ibid. lect. 7, a paragr. *8.*

(5) Lossada, loc. cit. n. 94.

unitatis varietur, et in alium specifice diversum numerum convertatur. Hinc etiam solemus numero suas attribuere proprietates, ut v. g. si talis numerus sit impar, dividi nequeat in duas partes æquales, etc. Ex quibus omnibus intelligitur, quomodo possit numerus vel quantitas discreta esse objectum ejusdem scientiæ, Arithmeticæ.

et sit objectum scientiæ.

Quæ cum ita sint, plane conficitur id, quod in postrema parte propositionis addebatur, numerum per quamdam analogiam dici posse speciem quantitatis, quia in ipso *esse* numeri, et non solum in *esse* quantitatis continuæ, quod singulis unitatibus convenit, concipitur, et ex usu communi sumitur ut unum quoddam, et sic acceptus dicitur magnus vel parvus, major vel minor, æqualis aut inæqualis alteri, potestque et augeri et minui, extendi ac dividi, humanoque more mensurari: quæ omnia et propria munia sunt quantitatis ut sic, et aliter conveniunt discretæ, atque continuæ, propter diversum totalitatis modum; non enim numero convenit mensurabilitas v. g. per extensionem, sed per supputationem partium divisarum: nec indiget numerus vera unione suarum partium ad hoc, ut prædicta attributa sibi convenire queant (1). Quamvis ergo numerus careat unitate stricta per se, ut possit esse vera species quantitatis, per quamdam analogiam participat rationem speciei.

Quædam objectiones diluuntur.

199. **Objicies.** 1.° Ubi est especialis modus extensionis in partes, ibi est specialis quantitas. Sed nemerus dicit specialem modum extensionis in partes... Nam extensio in partes discretas est extensio multitudinis, quæ diversa est ab extensione molis; siquidem aliqua possunt esse parvæ molis, et tamen magnæ multitudinis, ut grana papaveris; et contra quædam possunt esse magnæ molis et parvæ multitudinis, ut duæ rupes... Confirmatur. Numerus enim habet specialem modum argumenti ac diminutionis, æqualitatis et inæqualitatis, mensurabilitatis, divisibilitatis, proportionis, etc. Ita Goudin (2).

(1) Vide Lossada (loc. cit. n. 97). Cfr. Suarez (loc. cit. n. 17, 20).

(2) *Logic. Major.* prim. pars, disp. 2, quæst. 3, art. 4, *Dico. Probatur primo.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* Major. Ubi est specialis modus extensionis in partes, ibi est specialis quantitas, si modus ille specialis extensionis habeat veram ac propriam unitatem per se, *conc.*; secus, *subdist.*: ibi est specialis quantitas, quæ sit propria species distincta a quantitate continua, *neg.*; quæ rationem quamdam analogicam speciei participet, *conc.*

Et ad Confirmationem eadem esto responsio, quia specialis modus augmenti ac diminutionis etc., qui est in numero, non postulat unionem partium, sed e converso divisionem, ac proinde nequit habere unitatem per se.

Objic. 2.° Sollemnis est divisio quantitatis a Scholasticis cum Aristotele et S. Thoma facta in quantitatem continuam ac discretam, tamquam in duas species hujus prædicamenti. Atqui in nullo prædicamento constituitur ens per accidens. Ergo numerus est ens per se.

Resp. *dist.* Major. Sollemnis est divisio quantitatis in continuam et discretam, tamquam in duas species sive proprias sive minus proprias, *conc.*: in duas species stricte proprias, *neg.*: nam, ut vidimus, hac de re scinduntur opiniones Scholasticorum, nec omnino constat mens ipsius Aristotelis et S. Thomæ, quorum hinc inde contraria producuntur testimonia. Nisi enim ludere verbis velimus, unum per se non est proprie nisi id, cujus unum et indivisum est *esse*. Unum autem et indivisum *esse* non est nisi in eo, quod sit vel simplex vel compositum cum vera partium unione. Atqui repugnat numero physica et vera compositio et unio partium.

Instabis 1.° Cum Joanne a S. Thoma. Quod numerus sit vera et propria species, quantitatis, negari non potest in doctrina Aristotelis; quia non solum in libro *Prædicamentorum*, sed etiam in 5.° *Metaphysicorum*, ubi solum numeravit species quantitatis per se, et exclusit species quantitatis per accidens, numerum posuit inter quantitates per se.

Resp. *neg.* prorsus assertum et probationem, quia in utroque loco Aristoteles numerat species quantitatis tum per se tum per accidens; ac nominatim in 5.° *Metaphysicorum* divisionem istam in continuam et discretam non ponit inter species quantitatis per se, sed ante divisionem quantitatis

in per se et per accidens (1). Et idem dic de S. Thoma, de cujus mente minorem adhuc remanere dubitationem scribit idem præclarus auctor. Quamquam enim S. Doctor numerum quandoque vocavit speciem quantitatis (2), et unum per se (3), alias tamen quædam alia scripsit, ut superius vidimus, ex quibus destruitur vera unitas per se numeri in eo sensu, in quo ratio unius per se declarata manet in *Ontologia*. Quare jure merito videtur multis de vera mente Angelici licere dubitare.

Instabis 2.° S. Thomas manifeste excludit numeri unitatem per accidens illis verbis: *Quod dualitas non est duæ unitates, sed aliquid ex duabus unitatibus compositum; aliter numerus non esset ens per se et vere, sed per accidens, sicut quæ coacervantur* (4).—**Resp.** Incredibile videtur virum cæteroqui gravem meisque laudibus superiorem ita abuti potuisse Aquinatis auctoritate. Integer textus S. Doctoris est iste: *Recte, inquam, dixit Democritus supposita sua positione, qua ponebat magnitudines indivisibiles* (atomos videlicet) *esse etiam rerum substantias, et sic esse semper in actu, et ita ex eis non fieri unum. Et sicut est in magnitudinibus, ita est in* numero, si numerus est compositio unitatum, sicut a quibusdam dicitur. *Oportet enim, quod vel dualitas non sit unum quid, sive quicumque alius numerus; sive quod unitas non sit actu in ea. Et sic* (en verba ab adversario recitata) *dualitas non erunt duæ unitates, sed aliquid ex duabus unitatibus compositum. Aliter numerus non esset unum per se et vere, sed per accidens, sicut quæ coacervantur.* Quæ verba continent omnino, et interpretantur Aristotelis doctrinam capite 13 libri septimi, textu 50, expressam. Verum hæc non juvant, sed penitus profligant adversariorum doctrinam. Mens enim Aristotelis ac S. Thomæ in laudato testimonio verbisque paulo ante præcedentibus, est ostendere, quod universalia non sint substantiæ

(1) Lege ipse Aristotelem, (lib 5 *Metaph.*, cap. 13), et S. Thomam ibid. lect. 15, et videbis, quam falsa sit adversarii assertio.

(2) Vide v. g. 1.ª dist. 24, quæst. 1, art. 3; *de Potent.*, quæst. 9, art. 7.

(3) Vide v. g. *Metaphysicor.*, lib. 8. lect. 3, paragr. *l*.

(4) S. Thom. *Metaph.*, lib. 7. lect. 13 circa fin., nempe paragr. *h*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

actu et per se subsistentes. Quia cum ex pluribus actu subsistentibus nequeat unum existere, substantia singularis, quæ constat universalibus, non posset unum esse. Unde si verum foret id, quod docuit Democritus, substantias rerum esse magnitudines indivisibiles, quæ actu existerent immutatæ in sua ratione, non posset ex multis ejusmodi magnitudinibus unum quidpiam resultare. Unum enim constare nequit ex pluribus, quæ actu sint plura, sed tantum ex pluribus, quæ cum actu sint unum propter unionem, potentia sint multa, quatenus abrupta unione, qua prius tenebantur, possint actu multa fieri. Idemque dicendum est de numero, si, *ut quidam dicunt*, numerus est compositio unitatum unum per se efficiens. Vel enim numerus est unum per se et vere, et tunc non sunt in eo actu multæ unitates; vel si multæ actu sunt unitates, numerus non est unus per se. Hic est processus, hæc series conceptuum in argumentatione Philosophi et Aquinatis, ut patet ex contextu. Ubi vides 1.° neutrum affirmare, quod numerus *sit* unus per se unitate compositionis, sed tantum quod ita *dicitur a quibusdam*. 2.° Quod S. Thomas non dicit absolute numerum esse unum per se, sed tantum hanc statuit conditionatam assertionem, quod *si numerus sit unus per se, non possit multis actu constare unitatibus:* quod est præcise argumentum nostrum, quo unitatem numeri impugnamus, ex eo nempe quod numerus essentialiter postulet actualem unitatum multitudinem. Nihil ergo potest ex relatis S. Thomæ verbis contra nostram doctrinam colligi, sed potius oppositum.

Instabis 3.° Testante Angelico, *est unum per se numerus, in quantum ultima unitas dat numero speciem et unitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia et forma, per formam est aliquid unum, et unitatem et speciem sortitur etc.* (1). Ergo mens Aquinatis apertissima est.—**Resp.** Ut jam superius monui, intelligi non potest, quomodo sit vere ac proprie et a parte rei unum id, quod a parte rei multiplex actu est. Atqui numerus a parte rei actu et essentialiter multiplex et divisum est. Ergo numerus dici nequit vere ac proprie unus per se. Credendum ergo est S. Thomam

(1) S. Thom. *Metaph.* lib. 8, lect. 3, paragr. *1.*

numerum dixisse unum per se per quamdam analogiam ad compositum substantiale, quia nempe sicut forma materiam actuans, dat composito *esse* atque speciem, et constituit unum per se; ita ultima unitas tribuit numero rationem ac speciem suam binarii, ternarii, quaternarii etc. Est tamen manifestum discrimen in eo, quod forma veram physicam et substantialem unionem habet cum materia, et ita vere ac proprie unum per se efficit; at vero ultima unitas numeri nec unit physice præcedentes unitates, nec unitur cum iisdem, secus enim numerus desineret esse quantitas discreta, et redderetur continua. Cum ergo negamus numerum esse vere ac proprie unum per se, tandem hoc solum negamus, gaudere numerum unione physica suarum partium, quam necessariam prorsus putamus, ut quæ multa fuerant actu, fiant actu unum, et multa solum in potentia. Si quis itaque contendat ad unitatem per se in ente composito ac multiplici, qualis est numerus, non requiri prædictam unionem, jam quæstio cum illo tota erit de nomine, vel de ipsa notione unius per se.

Objic. 3.° Numerus est objectum scientiæ, nempe Arithmeticæ. Atqui objectum scientiæ debet esse per se unum. Ergo...

Resp. 1.° istud argumentum æque solvendum esse ab adversariis. «Nam exercitus est unum per accidens, sicut etiam civitas aut res publica; cum tamen de his objectis dentur scientia militaris, et scientia civilis aut politica. Medicina pro objectio respicit sanitatem, quæ cum consurgat ex temperamento variorum humorum et qualitatum, nequit proprie dici unum per se. Præterea circa ens artificiale sunt artes variæ, quæ possunt scientifice tradi, v. g. architectonica vel pictoria. Quomodo autem poterit unum per se dici secundum proprietatem philosophicam aut picta imago variis constans coloribus, quantitate, figura et carentia redundantiæ; aut ampla domus tot constituta partibus supposito distinctis, pure contiguis et inter se diversis tum naturaliter tum artificialiter? Quid Thomistis sollemnius, quam quod unum per se resultare nequit ex rebus diversorum prædicamentorum? Nonne materia et forma domi sunt substantia et accidens»? (1).

(1) Lossada, loc. cit. n. 99.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. 2.° Quod ergo dicitur, objectum scientiæ non posse esse ens vel unum per accidens, intelligendum esse videtur tum de ente casuali, tum de iis, quæ sunt una per aggregationem absque ullo partium ordine, cujusmodi est acervus lapidum; hæc enim sunt, quæ potissimum dicuntur entia et una per accidens, et extreme distant ab uno per se. Alia vero una per accidens, quarum partes aliquem habent ordinem, vel naturalem vel artificialem, vel moralem, possunt esse objecta scientiarum et artium, quando in suo *esse* composito præ se ferunt aliquid scitu dignum, aut hominum utilitati deserviens. Et hæc ipsa dicuntur interdum *una per se* vel ab ipso Aristotele, non quod eis proprie ac simpliciter conveniat transcendentalis unitas, sed quia per se intenduntur ab aliqua scientia vel arte. Qua de re videri potest Eximius Doctor (1). Sane de numero rerum spiritualium, quem Thomistæ fatentur esse unum per accidens, verificantur omnes proportiones et proprietates, quas Arithmetica de numeris demonstrat; nec quidquam refert ad demonstrationes arithmeticas, quod numerus sit ex unitatibus quantitativis vel incorporeis. Nihil ergo detrahitur huic scientiæ, tametsi numerus quantitativus dicatur unum per accidens in rigore physico vel metaphysico (2).

Objic. 4.° Ex nostra sententia sequitur numerum, ut numerum et ut aliquid unum, non esse ens reale, sed ens rationis: non enim habet *esse* suum formaliter, nisi ex actu intellectus recensentis vel potentis recensere tot et non plures unitates. Atqui numerus ens rationis esse nequit. Nam ens rationis nequit esse objectum scientiæ realis, numerus autem est Arithmeticæ objectum, quæ realis scientia est. Accedit, quod si numerus esset ens rationis, numerus non esset actu numerus, nisi quando actu numeraretur; quod plane falsum est, quia numerans non facit numerum, sed cognoscit. Denique numerus non posset cognosci sensu, quia sensus non facit nec cognoscit ens rationis. Atqui numerus sensu cognoscitur.

Resp. *dist.* Major. Esset ens rationis, nempe ens importans denominationem extrinsecam ab actu intellectus ordinate

(1) *Metaph.* disp. 4, sect. 3, n. 14.
(2) Lossada, loc. cit. n. 101.

recensentis unitates reales a prima usque ad ultimam, *conc.*: ens rationis strictum, quod importat aliquid pure fictum ab intellectu, *neg.*

Et *contradist.* Minor. Ejusque probationem. *dist.* Ens rationis prout tale, seu secundum passiones, quæ a modo cognoscendi proveniunt, nequit esse objectum scientiæ realis, *trans.*; ens rationis secundum passiones, quæ realiter conveniunt illi, *neg.* Nam Arithmetica non considerat in numero id, quod numerus accipit ab actu intellectus, nec qualis et quanta sit ejus unitas, vel an habeat veram et realem essentiam; hæc enim spectant ad Metaphysicam vel Philosophiam naturalem; «sed considerat proportiones quasdam inter ipsos numeros, quæ prout in rebus sunt, non requirunt in eis propriam unitatem, sed potius discretionem et multitudinem. Prout vero sub unam scientiam cadunt, sufficit, ut per modum unius singuli numeri concipiantur, et inter se conferantur» (1). Simili modo universale spectat ad objectum scientiarum realium secundum prædicata realia, non vero secundum ipsam formam universalitatis (2).

Ad alterum dici potest, numerum complete sumptum cum sua unitate actuali constitui per actualem numerationem et formam numeri: et ante hujusmodi actum intellectus a parte rei non esse nisi numerum aptitudinalem. Fere sicut dictum est in *Logica Majori* de universali, quod ostensum est in rebus extra mentem solum aptitudinaliter et fundamentaliter existere, ac per actum intellectus formaliter constitui. Simili ergo modo dicatur numerum formaliter effici per actum intellectus, quamvis idem ipse actus intellectus efficiens numerum, non cognoscat illum formaliter prout talem, sed alius actus reflexus (3). Unde etiam ad ultimum dicere licet sensum cognoscere quidem numerum materialem seu aptitudinalem, prout est plurium unitatum collectio, non autem formaliter talem, prout est collectio cum illa unitate et ordine proprio numeri. Plura si cupis, apud veteres require.

(1) Suarez, *Metaph.*, disp. 41, sect. 1, n. 19.
(2) Cfr. Lossada (loc. cit. n. 101), De Benedictis (loc. cit. in fine capitis).
(3) Cfr. Lossada, loc. cit. n. 102.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Propietates quantitatis

§ III.—PROPRIETATES QUANTITATIS.

200. Tres omnino recensentur a Philosopho (1).

prima, non habere contrarium

Prima est, *non habere contrarium*, intellige per se, et proprie et stricte. Nam contrarium, quod tale sit improprie, habet etiam quantitas, itemque contrarium in sensu stricto per accidens ac ratione alterius; siquidem superficies v. g. calida opponitur frigidæ. Hæc proinde proprietas communis est quantitati cum substantia, de qua suo loco diximus in *Ontologia* (2). Asserenda autem est quantitati prædicta proprietas; quia contrarietas versatur in formis specifice diversis, quæ sub eodem genere continentur, est enim oppositio eorum, quæ maxime distant sub eodem genere. Iam vero quantitates, quæ specie differunt, non contrariantur invicem, cum non se invicem expellant ab eodem subjecto, quin potius sint conjunctæ, immo etiam ita subordinatæ inter se, ut una sit principium alterius. Sic enim lineæ, superficies et solidum conjuncta reperiuntur, ut nec superficies sine lineis, nec solidum sine lineis ac superficiebus constare possit (3).

Dices 1.° Magnum et parvum, multum et parum sunt quantitates et nihilominus contrarie opponuntur. —**Resp.** *Multum dicitur dupliciter: uno modo absolute, et sic dicitur per oppositum ad unum: alio modo dicitur comparative, prout importat excessum quemdam respectu minoris numeri, et sic multum opponitur pauco. Similiter autem et magnum potest dupliciter dici: uno modo absolute, prout importat quantitatem continuam, quæ dicitur magnitudo: alio modo comparative, prout importat excessum minoris quantitatis* (4). Itaque quantitati non convenit esse parvam, nisi relative ad aliam majorem, nam absolute et in se omnis quantitas est magnitudo quædam: et similiter paucam esse convenit per comparationem ad multam. Quare adest quidem inter magnum et parvum, multum et paucum oppositio, sed relativa, non

(1) Lib. *de Prædicam.*, cap. 6 *de Quantit.*

(2) Vide *Ontolog.* n. 280, pag. 815.

(3) Vide Suar. disp. 41, sect. 5, n. 2, apud quem plura. Cfr. Tolet. *Logic de Prædicam.* c. 6, *de Quantit.* in exposit. textus Arist.

(4) S. Thom., *de Potent.* quæst. 9, a. 7, ad 7.um Cfr. lib. 10 *Metaph.* lect. 8, paragr. *e.*

contraria, cum potissimum parvum in magno contineatur, et paucum in multo (1).

Dices 2.° Locus est species quædam quantitatis, et nihilominus contrarietatem admittit, quandoquidem locus supremus et infimus contrarie opponuntur. —**Resp.** Locus potest considerari bifariam; primo in ratione quantitatis; et tunc non est aliud, quam superficies continens aliquod corpus, cui nullum est contrarium: altero modo, ut dicit certum situm et certam distantiam a centro et partibus mundi, et sic dicitur *Ubi*, quod est aliud prædicamentum; et tunc patitur contrarium in sensu dumtaxat latiori, quemadmodum docuimus de hoc prædicamento in *Ontologia* (2).

secunda, non suscipere magis et minus

Secunda proprietas quantitatis est *non suscipere magis et minus;* in quo iterum convenit cum substantia. Sensus autem est, non quod una quantitas alia major esse nequeat, sed quod non possit intensionem aut remissionem subire. Et ratio est, quia quævis quantitas, sive major sive minor, æque perfecta ratione quantitas est, ut patet (3).

tertia, fundamentum esse æqualitatis vel inæqualitatis

Tertia proprietas est, *fundamentum esse æqualitatis vel inæqualitatis.* Nam æqualitas vel inæqualitas, si proprie loqui velimus, solum dicitur de rebus quantis, sicut similitudo vel dissimilitudo prædicari solet de rebus proprie ratione qualitatis. Sæpe tamen æqualitas et inæqualitas etiam prædicantur de aliis generibus, quia sicut etiam de ipsa quantitate initio notavimus, improprie ac virtualiter dumtaxat sumitur pro excellentia et perfectione rei alicujus. Unde S. Augustinus de divinis Personis scriptum reliquit: *Æqualitas intelligitur in Patre et Filio et Spiritu Sancto, in quantum nullum horum aut præcedit æternitate* (æqualitas in essendo), *aut excedit magnitudine* (æqualitas in præstantia naturæ), *aut superat potestate* (æqualitas in operandi virtute (4).

(1) Vide Arist. (lib. *Prædicam.* cap. 6 *de Quantit.*), et Conimbric. (ibid. in Comment.), aliosque interpretes; ac Suarez (disp. 41 *Metaph.* sect. 5, n. 2-5, ubi plura videri possunt.)

(2) Vide *Ontolog.*, n. 376, pag. 1072.

(3) Vide Suar., loc. cit., n. 5-9.

(4) S. August. lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 1 ante med. ap. S. Thom. 1 p., quæst. 42, art. 1 ad 1.um Plura si cupis de hisce, apud Suarezium require, loc. cit., n. 9-14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Alia quantitatis proprietates vel munera.

Hasce tres assignavit Aristotelesquantitatis pro prietates, quas quidam vocant attributales seu logicales: addi tamen aliæ, possunt, quæ dicuntur a nonullis physicæ, et sunt varia munera et effectus formales quantitatis. Tales sunt inter alias, *divisibilitas* per motum physicum, unde initio descripsimus cum Aristotele quantitatem, *impenetrabilitas*, *extensio partium*, et *mensurabilitas* sive activa sive passiva (1). Quæ enim eo pacto divisibilia sunt, extensionem partium extra partes habent, et locum occupant, et mensurare ac mensurari queunt, ac demum ita sunt impenetrabilia, ut sicut singulæ partes, aliæ alias, se repellunt a proprio loco, extensionem efficientes, ita etiam corpus ex hujusmodi partibus coalescens non patiatur aliud corpus quantum in eodem loco, quin vel illud ab eo arceat, vel ipsum inde alio recedat. Hæc nota omnibus sunt atque comperta, quorum nonnulla mox accuratius consideranda recurrent.

divisibilitas, impenetrabilitas extensio partium mensurabilitas.

Divisiones quantitatis: in continuam et discretam.

201. Denique coordinatio prædicamenti quantitatis ex hactenus dictis hæc est, ut primo quantitas dividatur in continuam et discretam; quæ divisio ex nuper disputatis de numero, non videtur esse dicenda in toto rigore univoca et veri generis in suas species, sed potius analoga (2).

et discreta in varias numerorum species, continuæ rem in lineam, superficiem et solidum.

Deinde quantitas discreta subdividitur in diversas species numerorum (3). Continua vero quantitas dispescitur in lineam, superficiem et solidum, tamquam in species atomas seu indivisibiles ulterius, ex communissima Philosophorum sententia cum S. Thoma. «Nam cum essentialis ratio quantitatis consistat in extensione, quæ a nobis per divisibilitatem explicatur, non potest *essentialiter* contrahi nisi per modos extensionis aut divisibilitatis essentialiter diversos. In variis autem lineis non possunt inveniri, aut cogitari tales modi extensionis aut divisibilitatis essentialiter diversi, semper enim est extensio aut divisibilitas tantum in partes longitudinis. Quod vero hæ partes, si proportionales sint, majores sint vel minores, vel quod sint plures vel pauciores,

(1) Vide Lossada, loc. cit., n. 103; Suar., disp. 41, sect. 5, n. 14 seqq.

(2) Cfr. Suarez, disp. 41, sect. 4, n. 2-5; Lossada loc. cit., n. 104.

(3) De quo vide Suarez, sect. 4, n. 9-11.

si sint æquales, accidentarium est quantitati continuæ, ut per se constat. Et idem proportionaliter est in superficie et corpore. Unde omnes divisiones, quæ his attribuuntur, plane sunt accidentales; ut quod linea sit recta aut circularis, nam illi duo modi pertinent ad prædicamentum qualitatis, cujus apertum signum est, quod eadem linea potest ex recta fieri circularis et e converso...» (1). Quod vero linea, superficies et soljdum (corpus mathematicum) sint quantitates speciei distinctæ, communiter convenit apud auctores: qua de re videri possunt Suarezius (2), Rubius (3), Fonseca (4), Complutenses (5), Joannes a S. Thoma (6).

ARTICULUS II.

Utrum quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia?

202. Ante omnia supponimus proprium quantitatis esse extensionem, ut omnes concedunt: nihil enim potest esse *quantum* seu divisibile in ea, quæ actu insunt, et quorum unumquodque aptum est, ut post divisionem per se subsistat, nisi extensum sit, vel habeat partes extra partes. Supponimus etiam quantitatem et extensionem esse realem, non autem pure phænomenicam quemadmodum somniantur idealistæ, aliique potissimum e Kantii discipulis, e quibus nonnulli cum Joanne Miller Kantium ducem sequentes, quantitatis representationem formæ cuidam subjectivæ innatæ attribuunt, ac *nativistæ* audiunt, alii cum H. Helmholtz ex usu et consuetudine procedere autumant, quod nos

Admittenda objectiva realitas quantitatis.

(1) Suarez, loc. cit., n. 5 et 6.

(2) Disp. *Metaph.* 40, sect. 6.

(3) Loc. cit., *de Quantit.*, quæst. 2.

(4) Lib. 5 *Metaph.*, cap. 13, quæst. 6.

(5) *Logic.*, disp. 13, quæst. 4.

(6) *Logic.*, quæst. 16, art. 4.

Nihilominus in hac misera et novitatum sectatrice ætate non desunt viri eruditi, qui contendant quantitatem non tribus dumtaxat absolvi dimensionibus, sed plures quoque habere posse. Vide cl. P. Pesch *(Philos. natur.*, num. 345), Stallo *(La Matiere et la Physique moderne*, chap. 13).

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Alia quantitatis proprietates vel munera.

Hasce tres assignavit Aristotelesquantitatis pro prietates, quas quidam vocant attributales seu logicales: addi tamen aliæ, possunt, quæ dicuntur a nonullis physicæ, et sunt varia munera et effectus formales quantitatis. Tales sunt inter alias, *divisibilitas* per motum physicum, unde initio descripsimus cum Aristotele quantitatem, *impenetrabilitas*, *extensio partium*, et *mensurabilitas* sive activa sive passiva (1). Quæ enim eo pacto divisibilia sunt, extensionem partium extra partes habent, et locum occupant, et mensurare ac mensurari queunt, ac demum ita sunt impenetrabilia, ut sicut singulæ partes, aliæ alias, se repellunt a proprio loco, extensionem efficientes, ita etiam corpus ex hujusmodi partibus coalescens non patiatur aliud corpus quantum in eodem loco, quin vel illud ab eo arceat, vel ipsum inde alio recedat. Hæc nota omnibus sunt atque comperta, quorum nonnulla mox accuratius consideranda recurrent.

divisibilitas, impenetrabilitas extensio partium mensurabilitas.

Divisiones quantitatis: in continuam et discretam.

201. Denique coordinatio prædicamenti quantitatis ex hactenus dictis hæc est, ut primo quantitas dividatur in continuam et discretam; quæ divisio ex nuper disputatis de numero, non videtur esse dicenda in toto rigore univoca et veri generis in suas species, sed potius analoga (2).

et discreta in varias numerorum species, continuæ rem in lineam, superficiem et solidum.

Deinde quantitas discreta subdividitur in diversas species numerorum (3). Continua vero quantitas dispescitur in lineam, superficiem et solidum, tamquam in species atomas seu indivisibiles ulterius, ex communissima Philosophorum sententia cum S. Thoma. «Nam cum essentialis ratio quantitatis consistat in extensione, quæ a nobis per divisibilitatem explicatur, non potest *essentialiter* contrahi nisi per modos extensionis aut divisibilitatis essentialiter diversos. In variis autem lineis non possunt inveniri, aut cogitari tales modi extensionis aut divisibilitatis essentialiter diversi, semper enim est extensio aut divisibilitas tantum in partes longitudinis. Quod vero hæ partes, si proportionales sint, majores sint vel minores, vel quod sint plures vel pauciores,

(1) Vide Lossada, loc. cit., n. 103; Suar., disp. 41, sect. 5, n. 14 seqq.

(2) Cfr. Suarez, disp. 41, sect. 4, n. 2-5; Lossada loc. cit., n. 104.

(3) De quo vide Suarez, sect. 4, n. 9-11.

si sint æquales, accidentarium est quantitati continuæ, ut per se constat. Et idem proportionaliter est in superficie et corpore. Unde omnes divisiones, quæ his attribuuntur, plane sunt accidentales; ut quod linea sit recta aut circularis, nam illi duo modi pertinent ad prædicamentum qualitatis, cujus apertum signum est, quod eadem linea potest ex recta fieri circularis et e converso...» (1). Quod vero linea, superficies et soljdum (corpus mathematicum) sint quantitates speciei distinctæ, communiter convenit apud auctores: qua de re videri possunt Suarezius (2), Rubius (3), Fonseca (4), Complutenses (5), Joannes a S. Thoma (6).

ARTICULUS II.

Utrum quantitas sit accidens realiter distinctum a substantia?

202. Ante omnia supponimus proprium quantitatis esse extensionem, ut omnes concedunt: nihil enim potest esse *quantum* seu divisibile in ea, quæ actu insunt, et quorum unumquodque aptum est, ut post divisionem per se subsistat, nisi extensum sit, vel habeat partes extra partes. Supponimus etiam quantitatem et extensionem esse realem, non autem pure phænomenicam quemadmodum somniantur idealistæ, aliique potissimum e Kantii discipulis, e quibus nonnulli cum Joanne Miller Kantium ducem sequentes, quantitatis representationem formæ cuidam subjectivæ innatæ attribuunt, ac *nativistæ* audiunt, alii cum H. Helmholtz ex usu et consuetudine procedere autumant, quod nos

Admittenda objectiva realitas quantitatis.

(1) Suarez, loc. cit., n. 5 et 6.

(2) Disp. *Metaph.* 40, sect. 6.

(3) Loc. cit., *de Quantit.*, quæst. 2.

(4) Lib. 5 *Metaph.*, cap. 13, quæst. 6.

(5) *Logic.*, disp. 13, quæst. 4.

(6) *Logic.*, quæst. 16, art. 4.

Nihilominus in hac misera et novitatum sectatrice ætate non desunt viri eruditi, qui contendant quantitatem non tribus dumtaxat absolvi dimensionibus, sed plures quoque habere posse. Vide cl. P. Pesch *(Philos. natur.*, num. 345), Stallo *(La Matiere et la Physique moderne*, chap. 13).

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

absque ullo fundamento objectivo res ut quantas percipiamus, et propterea *empiristæ physiologi* vocantur (1).

Hæc tamen opinatio falsa certissime est, et recta ducit ad idealismum et scepticismum. Nam ut ipso conscientiæ testimonio notum cuique est, nihil nobis evidentius occurrit in sensationibus, quam extensio et quantitas. Si ergo non datur a parte rei extensio nec quantitas, neganda pariter erit objectiva realitas cujuslibet sensationis, ac dubitari pariter jure poterit de veritate cognitionum nostrarum. Deinde neque intelligi neque explicari potest, cur mens nostra res, quæ in se quantitate careant, nonisi quantas valeat repræsentare, sibi perpetuo illudendo.

Objicies forte. α) Ex Mathesi constat quantitatem esse absolutam et immutabilem: quidquid autem in rerum natura corporibus inest, contingens est ac mutabile. β) Ex Physica et Physiologia novimus, nos directe et immediate percipere non res ipsas externas, ut in se sunt, sed ictus pulsusque ex vibrationibus a causa forsitan ignota productis. γ) Prout eadem Physiologia docet, varii sunt in oculo apparatus, qui *projectorii* dicuntur et *objectivantes*. δ) Mutatis denique conditionibus subjectivis, quantitas rerum mutatur, ut constat exemplo perspiciliis utentium, quibus eadem res modo major modo minor apparet, eteorum, qui per vitra stereoscopica perspiciunt, quibus imago in se plana tertiam quoque dimensionem expresse ac dilucide exhibet, et aliis similibus, quæ facile congeri possent.—Verum hæc non urgent. Ad primum α) enim respondetur, *distinguendo* assertum. Ex Mathesi constat quantitatem mente abstractam et præcisam absolutam esse atque immutabilem, *conc.*; quantitatem concretam, et prout in rebus repertam, *neg.* Ad alterum β) respondeo, *negando* simpliciter assertum, quemadmodum suo

(1) Vide cl. P. Pesch, *Philosoph. naturalis*, num. 339. Cum hisce deliramentis affinitatem habet illorum commentum, qui extensionem objective et ontologice in statu permanenti non esse putant, verum exurgere ex *punctis currentibus*, ex motu nempe ac fluxu nescio cujus entitatis per spatium volitantis proficisci, fere sicut in aëre ex agitatione veloci stili igniti opparet oculis igneus circulus. Verum hæc omnia opinamenta per se concidunt ex iis, quæ contra idealismum disputata sunt.

loco demostrandum erit in Psychologia. Tertium γ) *distinguo*. Prout Physiologia docet, varii sunt in oculo apparatus natura destinati ad fingendam in corporibus quantitatem *neg.*, ad juvandam potentiam visivam, ut res nobis innotescant, secundum quod sunt in seipsis, *conc.* Quartum etiam δ) pari modo *distinguo*. Mutatis conditionibus objectivis, ipsa quantitas modo percipitur, modo non percipitur, *neg.*: varie percipitur, *subdist.*: mutationibus accidentalibus, quæ facile agnosci et explicari queunt ex organi mutatione, *conc.*; aliter, *neg.* Verum hactenus de his delirantium nugis (1).

Opinio Nominalium et Cartesianorum, cui contradicit communis doctrina Scholasticorum

Controvertitur vero, an quantitas habenda sit tamquam accidens a substantia corporea, quam extendit in partes, ac divisibilem reddit, realiter distinctum. Nam tum Nominales communiter, tum cartesiani cum suo magistro, tum denique atomistæ negant ullum, saltem reale, intercedere discrimen substantiam inter et quantitatem: at cæteri Scholastici extra Nominalium scholam, pluresque recentiores Philosophi ac Theologi agnoscendam esse realem distinctionem contendunt.

Discrimen inter Nominales et cæteros.

Inter negantes vero non una est ratio commune illud pronuntiatum tuendi. Nominales enim admittebant tum compositionem corporum ex materia et forma, tum etiam quorumdam accidentium, nempe qualitatum, realem à substantia corporea distinctionem: et sic singulis hisce realitatibus invicem distinctis totidem quantitates cum singulis earum identificatas, materiæ nempe suam, suam formæ, suasque singulis qualitatibus assignabant, unde omnes istæ quantitates identificatas quidem volebant cum illis realitatibus, quas extendunt, distinctas vero realiter inter se, sicut illæ ipsæ realitates (2). Cartesiani nolunt agnoscere accidentia realia, quæ a substantia realiter distinguantur, et consequenter asserunt quantitatem esse unum idemque cum re quanta, immo essentiam corporis reponunt in triplici

(1) Plura de his dabit cl. P. Pesch, loc. cit. num 340 seqq. Cfr. cl. Van der Aa, *Cosmolog.* propos. 2.

(2) Vide apud. Suar. (disp. *Metaph.* 40, sect. 2 n. 2). Fonsec. lib. 5 *Metaph.* c. 12, quæst. 2, sect. 1). Sot. (*Logic., de Prædicam.* c. 6. *de Quantit*, quæst. 2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dimensione (1), ipsam actualem extensionem in loco reputantes inseparabilem prorsus esse a corporea substantia, et corpus physicum confundentes cum mathematico. Alii demum, licet concedant actualem extensionem abesse posse a substantia, immo et ab ipsa quantitate, utpote quæ non sit nisi hujus naturale quoddam consectarium, nihilominus arbitrantur nullam urgere necessitatem realiter distinguendi quantitatem a substantia (2).

Quoniam vero doctrinæ huic obstare videtur mysterium venerandum Eucharistiæ, de qua Fides docet post verba consecrationis non amplius remanere substantiam panis et vini, cum tamen sensibus manifeste appareat quantitas cum omnibus qualitatibus utriusque illius substantiæ; respondent Nominales in Eucharistia adesse quantitates qualitatum, quantitates vero materiæ et formæ panis et vini utpote cum illis identificatas simul cum iisdem periisse; quapropter ex Venerabili Sacramento minime sequi realem distinctionem substantiæ a sua quantitate, sed solummodo a qualitatibus propriisque illarum quantitatibus. Cartesiani aliter putarunt rem esse declarandam, dicentes in Eucharistia non remanere veram quantitatem verasque qualitates panis et vini, sed meras *apparentias*, quæ significantur nomine *specierum* sacramentalium. Deus enim, inquiunt, per suam actionem gignere dicendus est in sensibus nostris impressiones omnes sive colorum sive saporum, sive resistentiæ, cæterarumque sensationum, quæ ad præsentiam panis et vini, si reapse adessent, gigni deberent; quandoquidem dubitari nequit, quin Deus per suam omnipotentiam supplere valeat activitatem omnem causarum secundarum propriis eorumdem effectus per seipsum producendo. Et hujusmodi actiones Dei vocant cartesiani *actiones objectivas*, videlicet «quia præstant idem, quod præstaret objectum, si adesset» Ita fere Malgnan. Saguens et Tosca (3) aliique.

(1) Et ita Cartesius corpus definivit *rem extensam in longum, latum et profundum. Princip.* p. 11, paragr. 4.

(2) Vide *Tong. (Cosmol.* lib. 1, cap. 6, art. 4, potissim. n. 232 seqq.), Palmieri (*Cosmol.* thes. 26, pag. 183, seqq., Romæ 1875).

(3) Apud Lossada *Curs. Philos.* tom. 2, *Præliminaris ad Physicam Dissertatio*, n. 32.

Hæc phænomenorum eucharisticorum expositio, quæ rationem sacramenti pesumdat, arridere non potuit recentioribus atomistis, qui propterea hanc aliam paululum diversam excogitarunt: «Supponimus enim, inquiunt, substantiam propriam corporis panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem, sicut et uniuscujusque corporis naturalis; scimus autem atomos corporum immersas veluti esse intra materiam imponderabilem, quæ sinus omnes corporis pervadit, quæque cohærentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur desinere omnem substantiam panis et vini, Deumque efficere, ut materia imponderabilis, quæ illis commixta erat, sensibiliter resistat in spatio, quemadmodum prius resistebat corpus; habebis eadem phænomena, et quidem objectiva, hoc est, a causa existente a parte rei determinata, quæ prius habebas» (1). Etenim «ex hoc illico habebis extensionem, eamque mobilem ac divisibilem, similem in omnibus extensionis panis; habebis eamdem figuram, cohæsionem, duritiem cæterasque qualitates generales et speciales, quas panis præ se ferebat. Accedent undæ luminosæ, et in illa superficie eodem modo modificabuntur, ac diffundentur, ac prius a superficie panis; caloricum eodem modo impenetrabilitates illas atomicas commovebit: atque undæ sonoræ in aëre eodem modo, ac prius, ab extensione hac elebuntur; gravitas demum attractionesque omnes eædem erunt. Hinc tactus, visus, auditus, gustus in ea extensione reperient eadem, quæ antea reperiebant, neque hanc substantiæ apparentiam a vera substantia intellectus rei ignarus discernet...» (2). Et simili modo judicandum erit de odoribus, licet enim jam amplius non sint corpuscula ipsa minutissima, quorum effluvia efficiunt odorem, adsunt tamen minutisimæ resistentiæ moleculares ad instar corpusculorum, eæque iisdem motibus agitantur, quibus prius ipsæ substantiales moleculæ agitabantur (3).

At vero hæc omnia Scholasticis satisfacere nequeunt ideoque censent, ut digne convenienterque sentiatur de

(1) Palmieri, *Cosmolog.*, thes. 26, pag. 183, 184.

(2) Tong. *Cosmol.*, loc. cit. n. 237.

(3) Ibid. n. 238.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacrosancto Eucharistiæ mysterio, distinguendam necessario esse substantiam a quantitate.

203. PROPOSITIO 1.^a **Nec substantia corporea, immo nec ipsa etiam quantitas, identificanda realiter aut confundenda est cum actuali corporis extensione in loco.**

Tum substantia corporea, tum etiam ipsa quantitas, re distinguitur ab actuali extensione.

Probatur. Quia si substantia corporea, sive etiam ipsa quantitas, identificaretur cum actuali extensione, non posset ab hac separari, sed ubicumque adesset substantia et quantitas, ibi haberet actualem extensionem in loco. Atqui hoc certissime falsum est, ut constat ex sacra Theologia. Nam communis est Theologorum doctrina, in Eucharistia Corpus Domini nostri Jesu Christi integrum adesse cum omnibus suis naturalibus accidentibus, atque adeo etiam cum sua quantitate. Et nihilominus non habet ibi actualem extensionem, cum non sit in spatio sibi naturaliter debito, sed solummodo continetur intra spatium specierum sacramentalium, et quidem ita continetur, ut sit totum in toto illo spatio et totum in singulis ejus partibus.

Actualis extensio non est essentialis conditio corporis quanti, sed tantum modus essendi naturalis.

Quamobrem actualis extensio in loco, quæ corpori omni generatim competit, habenda est tamquam *naturale* consectarium vel modus essendi consentaneus corporis quanti, non vero tamquam *essentialis* ejusdem conditio vel status, ideoque impediri potest per miraculum a divina omnipotentia, quæ potest quandoque secundum consilium infinitæ sapientiæ suæ, salvis rerum essentiis, contra connaturales earum exigentias agere.

204. PROPOSITIO 2.^a **Asserenda necessario est aliqua, saltem rationis, distinctio inter substantiam corpoream et quantitatem ejusdem.**

Aliqua datur distinctio, saltem rationis, inter corpoream substantiam et quantitatem.

Et ratio est, α) quia conceptus substantiæ et quantitatis diversi sunt: substantiam quippe intelligimus instar entis per se ac subjecti extensionem ac divisibilitatem habentis, quantitatem autem instar entitatis vel formæ subjecto inhærentis, eidemque extensionem ac divisibilitatem communicantis. Aliis vocibus substantia corporea exprimit primum *esse* rei, quantitas vero secundarium; prius siquidem est *esse*, ac deinde *quantum esse*. Item substantiam concipimus tamquam

primum principium et radicem activitatis omnis corporum; secus quantitatem. Hinc β) aliæ sunt divisiones specificæ, in quas dispescitur corpus quatenus substantia materialis est, et quatenus quantum est. Et sic γ) lapis pedalis et lignum pedale specifice distinguuntur secundum rationem substantiæ, non vero secundum rationem quantitatis; et e converso frustum unum argenti palmare et alterum bipalmare substantialiter unum sunt, at quantitative discriminantur saltem aliquo modo (1). δ) Adde quod substantia corporea non est per se sensibilis, sed per accidens; quantitas autem est per se sensibilis, quamvis secundario et ratione qualitatum sensibilium; videlicet est unum de sensibilibus communibus, quia a pluribus sensibus percipitur, ut docet Aristoteles (2). ε) Ex quibus factum est, ut substantia et quantitas ex communi omnium sententia ad diversa prædicamenta revocentur. Atqui diversitas prædicamentorum distinctionem saltem rationis necessario postulat. Ergo...

205. PROPOSITIO 3.^a **Spectato lumine naturali nulla ratio affertur, quæ realem distinctionem quantitatis a substantia corporea evertat; quin potius non desunt indicia eamdem suadentia: suppositis autem iis, quæ Fides docet, distinctio illa realis omnino asserenda est.**

Prima pars: *nihil obstat reali distinctioni, spectato lumine naturali.*

Spectato lumine naturali, nihil opponitur reali distinctione quantitatis a substantia;

Prob. 1.^o Quia ostendimus conceptus quantitatis et substantiæ diversos esse. Atqui demonstrari nequit diversis hisce conceptibus unam eamdemque a parte rei respondere realitatem, quemadmodum apparebit ex difficultatum solutione. Ergo.

Prob. 2.^o Ista realis distinctionis repugnantia vel peteretur ex generali ratione repugnantiæ accidentium a substantia realiter distinctorum, vel ex aliqua speciali ratione, quæ contra distinctione quantitatis militet. Atqui ex neutro capite ostendi repugnantia potest.

---

(1) Vide Fonseca, lib. 5, cap. 13, quæst. 2, sect. 2.

(2) Aristot. lib. 2.^o *de Anim.* text. comm. 64). Cfr. ib. S. Thom. lect. 13, paragr. *c, d*), et Fonseca (loc. cit.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non ex primo; quia jam alias demonstravimus dari accidentia realiter distincta a substantia (1). **Non ex secundo**; quia rationes speciales, quæ afferri solent; huc revocantur: α) substantia corporea per hæc duo attributa se nobis perpetuo manifestat, per extensionem videlicet et vim resistendi. Ergo dicendum videtur, ea ad substantiæ corporeæ essentiam ipsam pertinere, ac propterea ab eadem substantia non distingui (2). β) Corporis audito nomine omnes intelligunt substantiam, quæ est subjectum longitudinis, latitudinis, altitudinis; nam scribente Augustino, corpus est, *quod modo suo habet aliquam longitudinem et latitudinem et altitudinem. Si hoc demas corporibus, quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimari* (3). Ergo essentiale est corpori esse ordinatum ad occupandum spatium et resistendum in eo, ut constituant molem corpoream (4). Adde, quod intellecta trina dimensione, ab omnibus intelligitur statim corpus. Ergo trina dimensio est de essentia corporis. γ) Quantitas nequit adæquate distingui a substantia. Nam ea non distinguuntur adæquate, quorum unum in definitione alterius continetur. Atqui quantitas continetur in definitione corporis, siquidem corpus definitur substantia trinam habens dimensionem. δ) Si substantia realiter distinguatur a quantitate, difficile est explicare, in quo situs sit formalis effectus quantitatis. Nam quid confert quantitas substantiæ? Extensionem? At extensionem habet corpus a seipso: nam in corpore dantur etiam partes plures substantiales; quæ præscindendo a quacumque forma superaddita, eo ipso quod sunt plures, postulabunt esse alias extra alias, ac proinde diversa loca occupare (5).

Verum ad α) primum horum facilis est responsio, nempe corpora sese perpetuo manifestare cum extensione ac vi resistendi, quia hæ sunt naturales proprietates. Sicut etiam

(1) Recole, quæ in hanc rem scripta sunt in *Ontologia*, n. 314 pag. 900 seqq.

(2) Tongiorg. *Cosmol.*, n. 227, lib. 1, cap. 6, art. 3.°

(3) S. August., *De Quantit. anim.* n. 6.

(4) Palmieri, *Cosmol.* thes. 5, part. 5.ª, pag. 44, 45, Romæ 1875.

(5) Vide apud Sotum, (*Logic.* lib. *de Prædicam.*, cap. 6, quæst. 2). Fonsec. lib. 5.° *Metaph.* cap. 13, q. 1, sect. 1).

ignis se perpetuo manifestat per combustionem, quin tamen combustio actualis dicenda sit ad essentiam ipsius pertinere.

Ad β) **alterum** eadem esto responsio, quia passim mens nostra concipit naturas rerum per ordinem ad proprietates et accidentia connaturalia earum. Et in hoc sensu possunt etiam absque ulla violentia exponi verba S. Augustini; cum enim naturaliter loquendo substantiæ non sint sine suis connaturalibus accidentibus, ubi hæc deficiunt, debemus naturaliter judicare deficere quoque substantias. Cum potissimum hæc habeat alibi S. Doctor: *In rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, in quibus aliud est esse, aliud magnum esse, sicut magna domus et magnus mons... in his ergo aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est, et prorsus non est hoc magnitudo, quod est magna domus.* Atqui si quantitas identificaretur cum essentia corporis, idem foret domus magna et magnitudo. Ergo... Ad illud quod adjungebatur, respondeo, *distinguendo*. Intellecta trina dimensione intelligitur corpus mathematicum, *conc.*; physicum, *subdist.*; formaliter, *neg.*; arguitive, quia videlicet ex proprietatibus naturaliter concludenda est essentia, unde illæ tamquam surculi ex radice promanant, *conc.*

Ad γ) **tertium** respondetur definitionem illam, qua corpus dicitur esse substantia trinam habens dimensionem, descriptivam esse, non vero essentialem: quare *negatur* Minor.

Postremum δ) denique quod objiciabatur, pendet ex quæstione mox agitanda circa formalem effectum quantitatis.

Probatur secunda pars. *Realis distinctio quantitatis suadetur etiam naturalibus argumentis.*

quin potius favent eidem naturalia quædam argumenta;

1.° Quia si quantitas realiter identificatur cum materia, identificabitur etiam cum forma substantiali, et cum qualitatibus, et sic omnes hæ realitates per seipsas erunt quantæ. Id vero fieri nequit, quia proprium quantitatis est tribuere impenetrabilitatem. Si ergo tum materia tum forma et qualitates sunt seipsis quantæ, nequibunt se penetrare. Atqui tamen se penetrant, et nisi se invicem penetrarent, ac pervaderent, nunquam unum compositum substantiale conflarent. Ergo...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nihilominus, licet Nominales concedant primum assertum hujus probationis, cujus vim variis responsionibus enervare conentur, ut videre est passim apud veteres auctores; moderni tamen atomistæ negant illud assertum, cui tota probatio nititur. Et si dixerint, solam materiam esse quantam per se et impenetrabilem, et quidem respectu alterius dumtaxat materiæ similiter per se quantæ, non vero respectu formarum sive etiam qualitatum; non video quomodo possint efficaciter revinci absque recursu ad mysterium Sanctissimæ Eucharistiæ.

2.° Suadetur forte efficacius ex alio argumento superius adducto ad probadum, quod saltem ratione distinguantur substantia et quantitas. Nempe quantitas est per se sensibilis, substantia vero solummodo per accidens. Id enim videtur realem distinctionem postulare.

3.° Accedit, quod ut alibi probandum est, corporibus conveniunt ratione formæ quædam proprietates realiter distinctæ. Hinc autem per analogiam colligere licet inesse quoque debere iisdem corporibus ratione materiæ aliquam proprietatem re distinctam. Atqui hæc non potest alia esse, quam quantitas. Ergo. (1).

Quamobrem Aristoteles non uno in loco videtur realem hanc distinctionem innuere. «Nam in 3.° *Metaphysicorum*, textu 17 (2), et latius lib. 13 et 14 ex professo probat quantitatem non esse substantiam: et contra Pythagoricos probat dimensiones quantitatis non posse reipsa separari a materia seu substantia, quia sunt accidentia ejus. Et 1.° *Physicorum* text. 15 (3), ait substantiam et quantitatem non esse unum, sed multa. Et ubique ita quantitatem distinguit a substantia, sicut qualitatem, ut patet ex eodem loco citato, et ex libro *Prædicamentorum*, et 7.° *Metaph.* tex. 8 (4), ubi ait: *Longitudo, latitudo et profundilas quantitates quædam sunt, sed non substantiæ quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc primo insunt.* Item 2.° *de Anima* text. 65 (1) ait substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem autem per se. Primo etiam *Physicorum* text. 18 (2) scribit substantiam non esse per se divisibilem, sed per quantitatem» (3). Adde famosam illam definitionem, qua materia per *seipsam neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam* dicitur, *quibus ens determinatur* (4). Idemque sentiunt Averroes et alii interpretes dictis locis (5).

(1) Plures alias rationes naturales congerit Benedictus Pererius, *(de communibus* etc., lib. 10, cap. 1).

(2) Cap. 5. Cfr. ibid. S. Thom. lib. 3 *Metaph.*, lect. 13., paragr. e. seqq.

(3) Cap. 2. Cfr. S. Thom. lib. 1 *Metaph.*, lect. 3 initio.

(4) Cap. 3. Cfr. S. Thom. lib. 7 *Metaph.*, lect. 2, paragr. d.

Sed quidquid sit de hujusmodi naturalibus probationibus, veniamus ad præcipuum fundamentum realis distinctionis, quod ex sacra doctrina repetendum est, ut notant Suarez (6) aliique passim Doctores.

Prob. tertia pars: *suppositis iis, quæ Fides docet, distinctio realis omnino asserenda est.*

ad supposita sacra doctrina necesse est quantitatem a substantia realiter distinguere.

In sacrosancta Eucharistia, ut constat ex Fide, post verba consecrationis deficit integra substantia panis et vini; et nihilominus permanet quantitas ejusdem panis et vini cum suis qualitatibus. Atqui separatio duorum signum est realis distinctionis. Ergo...

Minor certa est, et consequentia bona.

Major etiam quoad primam partem certa est, et supponitur nunc ex Theologia. Probatur vero quoad alteram.

1.° Standum est relationi sensuum, dum non constet de miraculo aliquo facto, aut solida et prudens aliqua ratio contradicat. Atqui in sacramento Eucharistiæ manifesta est relatio sensuum eodem modo testantium existentiam quantitatis et qualitatum post verba consecrationis, ac ante. Aliunde vero nullum aliud miraculum constat præter absentiam panis et vini per transubstantiationem eorumdem in corpus et sanguinem Jesu Christi, Domini nostri; ratio denique nulla efficax aut solida potest afferri ad probandam repugnantiam absolutam existentiæ quantitatis a substantia separatæ. Ergo.

(1) Cap. 6. Cfr S. Thom. 2.° *de Anim.* lect. 13, paragr. *d.*

(2) Cfr. *Physicor.* lib. 1, texto 15, cap. 2.

(3) Ita Suarez, disp. 40, *Metaph.* sect. 2, n. 7.

(4) *Metaph.* lib 7, cap. 3.

(5) Apud Suarez, ibid. Cfr. Sot. *Logic. de Prædicam.* cap. 6. q. 2.

(6) Loc. cit, sect. 2, n. 8. Cfr. Fonsec. loc. cit. q. 2, sect. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hoc argumentum adeo efficax visum est Divo Thomæ, ut propterea scripserit hæc: *Dicendum quod* sensu apparet, *facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanere* (1). Et alibi: *Non enim negari potest accidentia panis et vini remanere, quum sensus hoc infallibiliter demonstret* (2). Et ideo etiam sæpe scriptum reliquit Angelicus, in Eucharistia sensus revera non decipi; quia proprium est ipsorum judicare de accidentibus, hæc vero in illo sacramento manent (3). Simili modo evidentem et indubium esse relationem sensuum judicarunt alii gravissimi scriptores (4). Et recte quidem, quia ubi evidens est experientia, explicatio, quæ illam ducem habet, nisi ratio solida vel Fides obstent, præferenda est omnibus aliis theoriis, etiamsi aliunde nihil absurdum vel rationi minus consonum continerent.

Prob. 2.° Eadem 2.ª pars Majoris argumenti principalis. Nisi admittatur quantitatem et reliqua accidentia panis et vini remanere in Eucharistia duplex restabit via ad phænomena resistentiæ cæterarumque sensationum, quas evidenter omnes experimur, explicanda: 2) hypothesis nimirum *actionum objectivarum* seu impressionum, quas Deus ipse

(1) 3 p., quæst. 75, art. 5.

(2) *Contr. Gent.* lib. 4, cap. 65. Cfr. ib. cap. 62, in tertia et quarta difficultate.

(3) Vide S. Doctorem in 3 p., quæst. 74, art. 5, ad 2.^um; 4.° dist. 1, quæst. 1, art. 1, solut. 2.ª, ad 1.^um, et ad 2.^um; 4.° dist. 12, quæst. 1, art. 1, solut 2, ad 2.^um

(4) Vide v. g. Fonsec (loc. cit. q. 2, sect. 2). Lug. (*de Eucharist.* disp. 10, sect. 1). Sylvius (In 3.^am p., q. 7, art. 3). Tolet (In 3.^am p., q. 75, a. 5,. Valent. (In 3.^am p. *de Euchar.* q. 3, punct. 2, paragr. 8 et q. 5, punctum 1). Tanner, (*Theol.* t. 4, dis. 5 *de Euchar.* q. 4, dub. 1, n. 50), Joann. a S. Thom. (*Logic* q. 16, a. 1).

Sufficiat unius pro omnibus verba Suarezii referre: «Supponimus *ut certum* manere aliqua accidentia panis et vini, consecratione peracta, quod non solum fide certum est, ut patet ex Concil. Trident. (sess. 13, can. 2), *sed etiam sensibus est manifestum*. Quamquam non defuerit *unus Petrus de Alliaco*, qui dixerit sensibus non satis judicari, an illa sint vera, an apparentia, posseque probabiliter negari. Quod si verum est, nullum plane judicium ob sensuum experimentum potest esse certum etiam in objectis propriis ac per se ipsorum sensuum: quo nihil potest dici absurdius.» Suarez. (*de Eucharist.* disp. 56, sect. 1 initio).

per se desinente pane et vino, in nostros sensus inque corpora circumstantia faciat eodem modo, ac procederent ab ipsa panis et vini substantia, si adhuc extaret; fere sicut idealismi objectivi patroni sibi blandiuntur posse repræsentationes corporeas explicari (1): β) altera hypothesis est, ut phænomena illa procedant ex imponderabili materia, quæ substantiæ panis et vini prius erat commixta, ita ut Deus efficiat «ut materia illa imponderabilis sensibiliter resistat in eodem spatio, quemadmodum prius resistebat corpus», prout superius expositum est (2). Hæ duæ hypotheses in

(1) Ita Emmanuel Magnanus. Saguens ac Tosca supra citati: itemque Fortunatus a Brixia (in *Physic. generali*, part. 1 paragr. 608), Perrimezzi, aliique.

(2) Præter duas istas hypotheses aliæ duæ restant, quas omittendas esse arbitramur: prima Cartesii, altera Nominalium, quorum hac de re sententiam initio huius articuli retulimus. Cartesius in suis *Responsionibus ad quartas objectiones*, primum illud præmittit: «nihil plane aliud esse, a quo sensus nostri afficiantur, præter solam illam superficiem, quæ est terminus dimensionum ejus corporis, quod sentitur»: quam superficiem, mox notat «non hic intelligi partem ullam substantiæ nec quidem qantitatis ejusdem corporis nec etiam partem corporum circumjacentium, sed tantummodo *terminum illum, qui medius esse concipitur inter singulas ejus particulas et corpora ipsa ambientia, quique nullam plane habet entitatem, nisi* modalem». Quibus animadversis, ita demum rem exponit: «Jam vero, cum in hoc solo termino contactus fiat, et nihil nisi per contactum sentiatur, manifestum est ex hoc uno, quod dicantur panis et vini substantiæ in alicujus alterius rei substantiam ita mutari, ut hæc nova substantia sub iisdem plane terminis contineatur, sub quibus aliæ prius erant, sive in eodem præcise loco existat, in quo panis et vinum prius existebant, vel potius (quia eorum termini assidue moventur) in quo jam existerent, si adessent; sequi necessario novam illam substantiam eodem plane modo sensus omnes nostros afficere debere, quo panis et vinum illos afficerent, si nulla transubstantiatio facta esset».

Verum hæc adeo inania sunt, ut vel ab ipsis Cartesii asseclis deserta fuerint. Et merito quidem. Quid enim est illa superficies, qui purus terminus sit, nec ad ipsum corpus, cujus est superficies, nec ad ambientia corpora spectat? Estne substantia panis et vini, an accidens? Si substantia, obstat Fides. Si accidens, jam habemus accidentia panis et vini a substantia realiter distincta, contra communem cartesianorum doctrinam. Si autem nec substantia est nec accidens, quid, quæso, est? Ipse Cartesius solam ei modalem entitatem concedit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eo conveniunt, ut asserant nullam realitatem objectivam, sive substantialem sive accidentalem, panis et vini remanere, unde phænomena resistentiæ aliarumque sensationum proficiscantur; discrepant vero, quia cartesiani antiquiores Deo immediate tribuunt illas impresiones, recentiores autem atomistæ, quibus secunda hypothesis arridet, Deo quidem illas tribuant, sed mediante materia imponderabili.

Atqui neutra duarum istarum expositionum satis convenienter tueri potest veritatem ex docrrina Ecclesiæ Fide tenendam circa mysterium Eucharistiæ. *Non hypothesis et explicatio cartesianorum.* Nam 1.° ut supponimus nunc ex Theologia, doctrina Ecclesiæ est sacramentum consistere in re objectiva et signo sensibili, rem vero sensibilem, in qua sacramentum Eucharistiæ consistit, esse aliquid ad realitatem panis et vini pertineris (1). Atqui nihil hujusmodi satis

Verum si modi, fatentibus ipsis cartesianis (Vide *Ontologiam* n. 318. pag. 870), nec esse nec concipi valent sine re modificato, quomodo *superficies* illa vel *terminus* panis et vini poterit in Eucharistia remanere sine ipso pane et vino? Denique etiamsi concederetur Cartesio superficiem vel terminum hujusmodi remanere in Eucharistia, non sequitur, succedente in locum panis et vini Corpore Christi Domini, eadem nos phænomena tactus, odoris, saporis etc., debere experiri, quæ experimur, ipsa panis et vini præsente substantia. Cui enim persuadebit Cartesius solam superficiem rei alicujus sufficere ad omnia ejusmodi phænomena illico experienda, nec posse sub eadem superficie ac terminis diversissimum tactum, colorem, saporem, odorem, sentiri?

Neque etiam commemorandam aut specialiter confutandam ducimus opinionem Nominalium; tum quia obsoleta est, tum etiam quia nulla necessitate multiplicat quantitates in corpore, cum una sufficiat; tum denique quia si quantitas in sacramento ex evidenti sensuum experientia remanens, non foret quantitas corporeæ substantiæ, sed qualitatum; quæro, num hujusmodi quantitas distincta, quæ fingitur in qualitatibus habeat impenetrabilitatem, an non. Si habet, cur prius qualitates penetrabantur cum corpore? Si vero non habet, cur nunc impedit penetrationem quorumlibet aliorum corporum in locum specierum? An forte dices hujusmodi impenetrabilitatem provenire ex actione Dei miraculose impedientis penetrationem ad occultandum mysterium? Sed tunc incidimus in hypothesin cartesianorum. Vide Suar. (disp. 40, sect. 2), Lossada (*Metaph.*, disp. 2, cap. 4, n. 63).

(1) Hanc rem fuse declaratam vide apud Cardin. Franzelin (*de Eucharist.*, thes. 16), ubi ab Ephremo Antiocheno species sacramentales

commode explicari potest in cartesiana hypothesi: quia secundum illam nulla res objectiva sensibilis remanet in Eucharistia. 2.° Ex Theologia pariter supponendum est, Eucharistiæ sacramentum esse permanens ac perseverans, cum non consistat solum in usu. Atqui id pariter in cartesiana hypothesi nequit explicari; ratio enim illorum phænomenorum, quæ secundum illam assignatur, desinit, quoties cumque aut reconditur in tabernaculo sanctissimum Jesu Christi Corpus, aut nemo coram adest, in quem impressiones illæ et actiones objectivæ a Deo exerceantur. Ergo... Et hæc quidem gravissima incommoda rejiciendam prorsus esse cartesianorum doctrinam persuadent.

Contra alteram vero hypothesin hæc potissimum urgeri possunt. 1.° Id quod secundum illam remanet in sacramento, æther nimirum, in nullo vero sensu dicitur esse aliquid ad realitatem panis et vini pertinens, hæc enim in sola materia ponderabili reponitur, etiam ab ipsis adversariis. Et si aliter diceretur, in Eucharistia aliquid remaneret de realitate panis et vini. 2.° Eadem hypothesis falso supponi tum corpoream substantiam constitui ex atomis invicem separatis, quæ athmosphæra ætherea convolvantur, tum qualitates sensibiles in motibus materiæ, sive ponderabilis sive imponderabilis, objective et ontologice consistere. 3.° Illa resistentia, quam Deus supponitur efficere in æthere, vel est aliqua realitas nova existens in æthere per modum virtutis vel actus primi capacis ad repulsionem aliorum corporum peragendam, vel est ipsa actualis repulsio eorumdem. Si primum, quoniam illa vis resistendi certissime est ab æthere realiter distincta, utpote realis entitas per miraculum a Deo producta de novo, ideoque superaddita ætheri prius existenti; quæro, quidnam sit, substantiane, an accidens? Si substantia, jam habemus ergo aliud novum miraculum productionis substantiæ

vocantur *panis* et *vini sensibilis natura*, αἰσθητὴ οὐσία; a Theodoreto prioris essentiæ *forma et species ac symbolorum remanens propria natura* et *permanens natura* (id est *proprietas*, juxta modum loquendi quandoque a scriptoribus ecclesiasticis usitatum, ut notat Franzelin, ib. thesi 10, pag. 125) *panis et vini*; a Gelasio, permanens, et *non desinens proprietas naturæ panis et vini*. Vide plura apud Franzelin ibid. thes. 16, pag. 256, 257.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIGITAL DE BIBLIOTECAS

alicujus hactenus inauditæ et incognitæ, quæ potiatur eadem virtute resistendi panis et vini, quin sit panis aut vinum. Si vero sit accidens, in primis dantur accidentia realiter distincta ab omni substantia, quæ tantopere horrebant adversarii, et quidem accidentia alieno subjecto inhærentia. Præterea cogentur adversarii admittere idem ipsum miraculum in conservatione talis accidentis, quod Scholastici agnoscunt in hoc mysterio: neque enim minus miraculum est accidentia in alieno subjecto, quam extra omne subjectum, conservare (1).

Si vero prædicta resistentia ætheris consistat in actuali repulsione, in primis desinet ratio sacramenti, quoties non detur illa actualis repulsio et cæteri effectus in illa fundati. Deinde toties renovabitur miraculum, quoties detur novus actus repulsionis, et quoties iterantur motus atomici, unde procedant colores, odores, soni et sapores. Et quoniam sacramentales species loco moveri possunt, alterari diversimode, corrumpi, frangi, miracula multiplicabuntur pro singulis hisce mutationibus. E converso in sententia Scholasticorum, unicum admittimus miraculum, quantitatis nempe separatæ a substantia, cætera nempe accidentia in illa subjectantur.

Dices fortasse. Illa miracula saltem possibilia sunt evidenter; hoc autem miraculum, quod a nobis obtruditur, non est evidenter possibile, cum non sit certa realis distinctio et separabilitas accidentium a substantia. Ergo præferenda est sententia et hypothesis recentiorum atomistarum cum omnibus suis miraculis.

Resp. 1.° *neg.* antecedentis primam partem. Si enim est verum, qualitates corporeas reponendas esse in motibus atomorum, non est evidenter possibile, immo est evidenter impossibile, quod solo motu atomorum majorique resistentia per miraculum producta, habeantur phænomena diversarum sensationum. Resp. 2.° *dist.* antecedentis secundam partem, non est evidenter possibile miraculum, quod nos ponimus, antecedenter ad experientiam et auctoritatem

(1) Cfr. alia incommoda, quæ S. Thomas, 3 p., quæst. 77, art. urgebat contra eos, qui arbitrabantur accidentia eucharistica subjectari in aëre circumstante.

ecclesiasticæ doctrinæ, *trans.*; supposita experientia et modo loquendi Patrum et Conciliorum, *neg.* Non est autem necesse, immo periculosum est exigere, ut antequam miraculum amplectamur, patere nobis debeat positive possibilitas illius. Quod principium si quis statuat, facile potest adduci ad neganda quædam certissima miracula. Immo ubi tale principium jaciatur in miraculis, transferri ab alio poterit eodem jure ad revelationem veritatum supernaturalium cum ingenti Fidei divinæ pernicie.

Resp. 3.° *neg.* conseq. Quia sola possibilitas absoluta miraculi non præbet jus illud supponendi absque ullo fundamento et contra manifestam experientiam et auctoritatem Patrum et Conciliorum, quæ ita loquuntur, ut omnino faveant nobis, et adversentur atomistis, ut videre est apud Theologos, ac nominatim apud Eminentissimum Cardinalem Franzelin (1). E converso evidens physice experientia miraculi, ubi nullum suppetit argumentum idoneum in contrarium, cogere nos debet ad miraculum agnoscendum. Secus posseimus excludere omnia facta miraculosa. Ergo hypothesis illa tot miracula inducens nullam habere probabilitatem dicenda est, miraculum autem quantitatis separatæ a substantia; supposita evidenti experientia, vel certum est, vel saltem probabilissimum.

Hinc vero notamus contra utramque illam hypothesin, cartesianorum et recentiorum atomistarum, quod explicare contendat Fidei dogmata ex præjudicatis doctrinis philosophicis. Atqui Philosophi christiani partes eæ sunt, non ut rei Fidei ad præconceptas opiniones trahat, sed ut ex his, quæ Fides et sacra doctrina tradit tamquam omnino tenenda, ipsas notiones philosophicas, aliunde per rationem non penitus compertas, corrigat, si opus est, atque perficiat. Ergo utraque illa hypothesis deseranda est. Apposite Cardinalis Franzelin: «Discrimen, inquit, inter theologos veteres consentientes, et inter hos aliquos recentiores maximum est in ipsa methodo. Veteres enim in modo loquendi ac docendi ecclesiastico de parte visibili sacramenti et in diserta Patrum doctrina videbant expressam objectivam realitatem specierum

(1) *De Eucharist.* thes 16.

remanentium: hac deinde doctrina theologica admissa tamquam norma directrice, in inquisitione philosophica, *quomodo* sint species remanentes, malebant se conjicere in difficiles theorias de corporum et accidentium natura, quam violare principium eis theologice certum. Non vero ad hujusmodi theorias venerunt, quod explicatio phænomenorum per meram immutationem in nostris organis eis in mentem non venerit, quæ per se obvia est, et a veteribus sæpe in aliis phænomenis adhibita, ubi principia theologica non obstabant (vide v. g. S. Thomam 3 p., q. 76, a. 8, et Theologos in hunc locum). Methodum oppositam sequuntur illi recentiores nonnulli, qui admissa primum quadam theoria philosophica de natura corporum et accidentium, huic accommodant in suis interpretationibus doctrinam theologicam» (1).

Quæ cum ita sint, vides plane huc revocari totam controversiam nostram cum cartesianis et atomistis, utrum sequenda sit evidens sensuum relatio, accipiendusque in sua propria significatione modus loquendi Patrum et Conciliorum, an vero absque ullo cogente argumento multiplicanda sint miracula, et novo modo ratio sacramenti explicanda.

Probatur denique eadem 2.^a pars Majoris argumenti principalis ex auctoritate innumerorum (2) Theologorum, qui certam existimabant realitatem objectivam quantitatis et aliarum qualitatum a substantia panis et vini separatarum: immo non pauci id tamquam fide certum tradebant (3). Nitebantur autem ad ita sentiendum testimoniis Conciliorum,

(1) Card. Franzel., *de Eucharist.* thes. 10, pag. 260. Romæ, 1878.

(2) Hanc sententiam de accidentibus existentibus in Eucharistia sine propria substantia communem fuisse in scholis ante adventum cartesianorum disces ex Suarezio, qui ut nuper notavimus, *solum* Petrum de Alliaco referre potuit tamquam arbitrantem, *posse probabiliter negari* permanentiam accidentium in Eucharistia, non obstante manifesta sensuum relatione. Et Sylvius hæc habet: «Quod manent (accidentia in Sacramento Eucharistiæ), est sensu notum, ut dicebatur in art. 5.° quæst. 75. Quod non inhæreant substantiæ panis et vini, est Fidei docentis transubstantiationem. Quod non sint in ullo alio subjecto, certum est; an autem Fide, non liquet...» Sylvius, In 3.^am p., quæst. 77, art. 1.

(3) Vide Dom. Soto, in 4.^r dist. 10, q. 2, art. 1, et Suar., Valent. Lugo, Vazquez aliosque apud Cardin. Franz. loc. cit. pag. 259.

quæ certe videntur omnino evincere permanentiam accidentium. Nam in Concilio Constantiensi (1) et in Bulla confirmationis Martini V duo articuli distincti inter alios damnantur in doctrina Wicleffi, quorum alter est hic: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento* (2). Post concilium autem Lateranense IV (3), et Florentinum (4), definitur in Concilio Tridentino (5) conversio totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, **manentibus dumtaxat speciebus panis et vini:** quæ verba sive spectetur communis intelligentia Patrum Tridentinorum et Doctorum illius sæculi, sive etiam contextus ipse, aperte continet eamdem doctrinam, ut fuse declarat Cardinalis Franzelin (6).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

206. **Objic. 1.°** Quantitas aliud non est, nisi modus quidam essendi substantiæ corporeæ in eo consistens, quod habeat partes extra partes. Atqui contradictorium est, ut modus essendi rei alicujus ab eadem separetur. Ergo...

Resp. *neg.* Major. Quantitas enim non est modus essendi, sed reale accidens, unde provenit modus essendi extensive.

Objic. 2.° Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Sed nulla est necessitas asserendi quantitatem esse distinctam. Siquidem substantia ex seipsa formaliter habet totum illud, quod a quantitate realiter distincta ipsi conferri fingitur. Et re quidem vera, supponamus materiam spoliari omni alia quacumque realitate sibi superaddita: hujusmodi materia

(1) Sess. VIII.

(2) Videatur hac de re Card. Franzelin, loc. cit. pag. 265, 266 seqq., ubi veram mentem Concilii contra tricas et exceptiones cartesianorum propugnat.

(3) Capit. *Firmiter.*

(4) Decret. pro Armenis.

(5) Sess. 13, can. 2.

(6) Loc. cit. pag. 262 seqq. Cur autem Concilium voce *specierum* usum potius fuerit, quam *accidentium*, vide apud Suar. (*de Eucharistia*, disp. 56, sect. 1, *conclus.* 2). Cfr. Vazquez (in 3.^am p., disp. 104, cap. 1).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

retinebit adhuc partes extra partes entitative distinctas, et pysice integraliter unitas ac diversam spatii partem occupantes. Atqui hæc sunt munera propria quantitatis. Ergo materia ex seipsa formaliter habet totum illud, quod a nobis fingitur ipsi advenire ex accidente realiter distincto.

Resp. *neg.* Minor. et ejusdem probationem. Ad ultimam probationem *dist.* alteram partem Majoris. Habebit hujusmodi materia spoliata omni accidente superaddito partes extra partes in spatio, et exigentes mutuam impenetrabilitatem et positionem in diversis partibus spatii, *neg.*: habebit partes et partes, ex sese indifferentes, ut sint in eodem spatio vel diverso, prout ab externa causa constituantur, *conc.* Verum hæc patefient inferius, tangunt enim quæstionem de primario effectu formali quantitatis.

Objic. 3.° Deus conservando in corpore omne accidens ab eo realiter distinctum, potest efficere, ut illud non sit quantum. Ergo quantitas non est accidens se distinctum a corpore. Antecedens patet. Quia Deus potest corpus bipedale redigere ad pedale spatium sine corruptione ullius entitatis: rursus potest illud reducere ad spatium semipedale, ac tandem ad punctum spatii. Atqui tum corpus hujusmodi non foret quantum. Ergo...

Resp. *neg.* antec. Ad probation. *neg.* Minor. Nam etiamsi corpus per partium suarum miraculosam compenetrationem redigeretur ad punctum spatii, non ideo desineret esse quantum. Quantitas enim non consistit, ut jam probavimus, in *actuali* partium extensione et impenetratione; sed in *aptitudinali*, quæ inseparabilis est a quantitate. Et sic Christus Dominus in Eucharistia quantitatem suam retinet sine actuali partium extensione, cum sit totus in toto specierum sacramentalium spatio, et totus in singulis hujus partibus. Impeditur quippe miraculo, ne extensionis actualis exigentia naturalis, quæ adest in Corpore Christi Domini, connaturalem suum effectum et modum essendi obtineat.

Objic. 4.° Substantia per seipsam est susceptiva contrariarum qualitatum, idque maxime proprium substantiæ dicitur a Philosopho (1). Ergo inter substantiam et qualitates non

(1) Lib. *de Prædicam.*, cap. 4 de substant.

mediat aliud accidens, quod sit quantitas. Secus enim illa esset susceptiva contrariorum melius, quam substantia, utpote quæ immediatius illa in se susciperet.

Resp. *dist.* antec. Substantia est susceptiva contrariarum qualitatum ut primum subjectum, *conc.*, ut proximum, *neg.* (1). Neque obstat, quod suscipere contraria sit ex Philosophi doctrina maxime proprium substantiæ, quia illud maxime proprie est subjectum, quod non supponit aliud prius subjectum, ideoque etiam simpliciter denominatur a formis, quas suscipit; quantitas autem non suscipit contraria, nisi quatenus et ipsa sustentetur a substantia (2).

Objic. 5.° Sicut se habet quantitas successiva sive duratio ad motum, ita se habet quantitas permanens ad substantiam. Atqui duratio successiva non distinguitur a motu. Ergo.

Resp. *neg.* Major. «Est enim disparitas, quia quantitas successiva non potest separari a motu, quantitas autem permanens separari potest a substantia ut probavi» (3).

Objic. 6.° Quantitas est id, quo substantia corporea distinguitur a spirituali. Sed substantia corporea per suam essentiam distinguitur a spirituali. Ergo quantitas est ipsa essentia corporeæ substantiæ.—**Resp.** *neg.* Major. Nam substantia corporea distinguitur a spirituali primum ex sua natura et essentiali compositione, ac deinde etiam ex exigentia quantitatis, quæ est proprietas corporis, non vero spiritus (4).

Objic. 7.° Sicut se habet intensio ad qualitatem intensam, ita se habet extensio ad substantiam extensam. Atqui intensio nequit separari a qualitate. Ergo nec extensio a materia.—**Resp.** *neg.* paritatem, quia ostendimus quantitatem et extensionem separabilem esse a substantia corporea, intensio vero separabilis non est a qualitate (5).

(1) Vide quæ in hanc rem scripsimus in *Ontol.* n. 281, pag. 820 seqq.

(2) Vide hæc omnia apud Suarez, disp. 40 *Metaph.* sect. 2, a num. 3, et a num. 20.

(3) P. Georg. de Rhodes, *Philos. peripat.* lib. 2, disp. 3, q. 1, sect. 1, *Objic.* 1.°

(4) Cfr. De Rhodes, ibid. *Objic.* 2.°

(5) Cfr. de Rhodes, ib. *Objic.* 3.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 8.° Præcipuum fundamentum nostræ doctrinæ repetitur ex Conciliis Constantiensi ac Tridentino. Atqui ex hisce Conciliis nequit ullum argumentum pro distinctione accidentium a substantia derivari; tum quia res philosophicæ non debent rationibus theologicis probari, tum etiam quia non erat mens Conciliorum philophicas quæstiones definire, sed catholicam veritatem proponere, ac docere contra Wiclef-fum et Protestantes.

Resp. *neg.* Minor., cujus primam probationem *dist.* Si propriis argumentis ac mediis naturalibus cognosci possint, *trans.*; si nequeant, et simul suppetant capita doctrinæ theologicæ, unde naturalis veritis innotescat, *neg.* Id enim est unum ex commodis, quæ ex revelatione ac magisterio Ecclesiæ redundant in scientias naturales, ut quædam, quæ humanum captum superant, nec aliter cognosci possent, occasione sacræ disciplinæ innotescant. Cum enim verum vero nequeat opponi, quidquid aut ex doctrina Ecclesiæ legitima consecutione derivatur, aut ad eam tuendam necessarium est, utcumque spectet in se ad ordinem rerum naturalium, tamquam verum amplectatur humana ratio, oportet.

Ad secundam probationem Minoris *neg.* conseq. Nam licet mens Conciliorum directe feratur ad definiendas Fidei veritates, sæpe tamen solent etiam circa naturales controversias decernere, quando hæ cum dogmate sunt consertæ.

Objic. 9.° S. Thomas hanc inter alias affert rationem, ad probandam transsubstantiationem, quod, si remaneret in sacramento substantia panis et vini, esset occasio idololatriæ, si hostia cultu latriæ adoraretur (1). Atqui eadem ocasio etiam datur, remanentibus dumtaxat accidentibus. Ergo.

Resp. *neg.* Minor. Quia cultus ac veneratio in Eucharistia defertur ei, quod latet sub speciebus. Si ergo substantia alia præter Corpus Christi foret, et cultus in illam dirigeretur, foret idololatria; secus autem si sola remaneant accidentia, sub quibus lateat tantummodo Christus Dominus.

(1) Vide S. Thom. 4.° dist. 11, quæst. 1, art. 1, solut. 1; 3 p., quæst. 75, art. 2.

Objic. 10.° Ut Fide docemur, Spiritus S. apparuit sub forma columbæ, et Christus Dominus Magdalenæ se videndum exhibuit sub specie hortulani, ac discipulis sub specie peregrini, quin ad hujusmodi apparitiones opus fuerit aut plumis, columbæ aut vestibus hortulani et peregrini. Ergo a pari poterunt dari apparitiones panis et vini in sacramento absque ullo accidente, quod ibi remaneat.

Resp. 1.° Non constare apud Theologos, num hujusmodi apparitiones fuerint imaginariæ, an vero exhibuerint objectum aliquod reale, quod veras ac reales species immitteret in sensus. **Resp. 2.°** *neg.* conseq. Quia etiamsi quis contenderet apparitiones illas explicari posse per visiones imaginarias et *actiones Dei objectivas*, ut eas vocant adversarii, neganda est paritas in casu nostro ob adductas in probatione thesis rationes.

Objic. 11.° Quantitas etiamsi realiter distincta foret a substantia, non posset ab ea separari. Nam quantitas dicit extensionem et resistendi vim, quæ extensioni essentialis est. Sed vis resistendi sine substantia consistere nequit. Nam vis resistendi est facultas agendi, hæc autem agentem causam connotat. Secus transeunte illa vi ad actum, haberetur actus sine agente (1).

Resp. 1.° Quantitatis resistentiam necesse non est explicare per vim aliquam efficientem, sed potius ac sufficienter explicatur cum veteribus Philosophis in genere causæ formalis, per formalem videlicet repugnantiam, quæ inest duabus partibus, ut sint in eodem loco, et vocatur impenetrabilitas. Qua de re inferius sermo erit.

Resp. 2.° Etiamsi resistentia explicaretur tamquam effectus activitatis, posset per miraculum activitas hujusmodi sustentari a sola quantitate, ut sustentantur aliæ qualitates, quas experimur in sanctissima Eucharistia.

(1) Ita P. Tong., *Cosmol.* n. 233, 2.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS III.

In quo sita sit ratio primaria primusque formalis effectus quantitatis.

207. Quamvis in articulo primo hujus capitis descripta est generatim notio quantitatis, nunc tamen videre intimius et accuratius oportet, in quo sita sit primaria et essentialis ratio ejusdem. Id autem cognosci melius non potest, quam declarato effectu formali quantitatis.

Quid effectus formalis.

Effectus formalis cujuslibet formæ in universum dici solet id, quod resultat ex unione formæ illius cum subjecto, vel id quod talis forma confert subjecto (1). Sic *sanctum* est effectus formalis gratiæ habitualis; *album*, albedinis; *calidum*, caloris etc. Quantitatis ergo formalis effectus est *quantum*. Sed in hoc, quod est *esse quantum*, multa involvuntur, quæ totidem sunt munera vel officia et effectus formales quantitatis. Nam *quantum* præcise ratione quantitatis seu molis: α) habet *extensionem*, seu habet partes extensas in ordine ad locum, ita ut singulæ singulas spatii partes occupent, nec sit una in loco alterius. β) est *divisibile* in partes integrantes prout explicatum est in primo articulo, declarando aristotelicam definitionem: γ) est *mensurabile* tum active, tum passive, quia nempe id quod quantitatem habet, potest inservire, ut ejus applicatione et comparatione aliam molem vel magnitudinem metiamur, et cognoscamus, et potest ipsa quoque per alteram quantitatem mensurari, et cognosci: hoc enim est mensurare, quantitatem unam per applicationem et comparationem ad aliam cognoscere, ac notam reddere; quandoquidem mensura, testante Aristotele (2), est *id, quo primo quantitas rei cognoscitur* (3). Est præterea quantum δ) impenetrabile cum alio quanto, ita ut nequeat utrumque occupare eumdem locum. ε) Denique et aliud munus erga

Varia munera quantitatis.

(1) Vide quæ hac super re scripta sunt in *Ontolog.* n. 411, pag. 1172.

(2) Lib. 10 *Metah.*, cap. 1, text. comm. 2. Vide ibid. S. Thom. lect. 2, initio.

(3) Vide Suarez fuse de hoc disserentem in *Metaph.* disp. 40, sect. 3, n. 6, seqq.

substantiam exercet quantitas per ordinem ad qualitates; non enim has illa recipit nisi media quantitate, quæ proinde est secundarium illarum subjectum. Itaque inquirimus nunc, quodnam istorum munerum sit effectus primarius quantitatis, in quo proinde rationem ejusdem essentialem reponere possimus. Estne proprium quantitatis primum omnium, tribuere substantiæ partium extensionem, vel divisibilitatem, vel impenetrabilitatem, vel mensurabilitatem? Nam de ultimo munere ex nuper indicatis planum esse videtur, illud non esse præcipuum ac primarium in quantitate.

quodnam eorum sit primarium.

Non defuerunt, qui sentirent rationem mensuræ esse primariam atque essentialem in quantitate. Solentque in patrocinium hujus opinionis invocari etiam Aristoteles et S. Thomas: ille quidem, quia in libro *Prædicamentorum* (1) ex ratione mensuræ colligit orationem esse quantitatem: itemque locum esse diversam speciem quantitatis a superficie probat ex diversa ratione mensuræ, quæ adest in illis, locus enim est mensura extrinseca, superficies autem intrinseca (2). S. Thomas autem idem diserte docuisse videtur illis verbis: *omissis aliis opinionibus, quæ sunt circa hoc, dicendum est, quod propria ratio quantitatis, quæ competit quantitati ut quantitas est, ratio est mensuræ: propter quod dicit Averroes, quod quantitates sunt differentiæ mensurarum* (3). Verum hæc sententia communiter deseritur, deserendamque esse vel ex eo solum patet, quod ratio mensuræ nequeat esse prima in quantitate; neque enim quantitas aut mensurare aut mensurari potest, nisi quia extensionem importat. Qua de re si fusiorem disputationem requiris, adi Suarezium (4).

Varia sententia: prima

refutatur.

Sunt alii multi auctores, qui censent primam rationem quantitatis esse, ut reddat corpoream substantiam divisibilem in partes ejusdem rationis seu integrantes. Ita loquuntur

altera

(1) Cap. 6.

(2) Cfr. S. Thom., Opusc. *de Natura loci*, fin.

(3) Opusc. *de Natura loci*, fin.

(4) Disp. *Metaph.* 40, sect. 3. Cfr. Fonseca, lib. 5. *Metaph.*, cap. 13, quæst. 1, sect. 1; Conimbric. *Logic. de Prædicam.*, cap. 6, quæst. 1, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Albertus M., Scotus, Soncinas et Javellus apud Suarez (1), itemque Capreolus (2) et alii. Et in hanc sententiam trahi potest Aristoteles, qui quantitatem definivit per ordinem ad hanc divisibilitatem in partes ejusdem rationis, ut supra vidimus: eamdemque videtur non semel indicare S. Thomas, ut cum scripsit, quod *æqualitas consequitur rationem quantitatis in communi, quæ consistit in quadam divisibilitate; unde ratio quantitatis invenitur proprie in illis, quæ secundum se dividuntur* (3). Et alias sæpe docet S. Thomas cum Aristotele, *materiam, sublata quantitate, remanere indivisibilem* (4).

excluditur.

Verum divisibilitas hæc duplex intelligi potest: altera formalis, altera remota. Proxima est formalis capacitas divisionis; remota vero est radix, unde talis capacitas procedit. Jam vero videtur manifestum per se, quod formalis divisibilitas non sit prima ratio quantitatis, quia ut aliquid sit aptum ad divisionem, oportet ut sit extensum seu habens partes extra partes. Cum ergo et extensio partium sit a quantitate, nequit hujus primarius effectus formalis esse formalis divisibilitas, utpote quæ ante se supponit aliud prius, quod sit radix et fundamentum divisibilitatis (5). Si vero divisibilitas sumatur radicaliter, ut videtur sumpta esse a patronis, saltem pluribus, hujus opinionis, tunc sententia rationem formalem quantitatis reponens in divisibilitate reapse coincidit cum eorum sententia, qui docent primarum quantitatis munus esse in tribuenda substantiæ corporeæ partium extensione: quæ est doctrina P. Petri Fonsecæ (6), Antonii Rubii (7), aliorumque plurium apud Suarezium (8), Conimbricenses (9) et Complutenses (10). Unde sententia hæc sub his terminis communissima dici potest.

(1) Loc. cit., sect. 4, n. 1.
(2) 2.a dist. 3, quæst. 1, art. 3, *Ad ultimum Scoti contra 1.um conclus.*; et dist. 19, q. 1, art. 3, ad 2.um *contra 1.am conclus.*
(3) 1.a dist. 19, q. 1, a. 1, ad 1.um
(4) Vide v. g. 1 p., quæst. 50, art. 2; 2.a dist. 3, quæst. 1, art. 4.
(5) Cfr. Suar., *Metaph.*, disp. 40, sect. 4, n. 17.
(6) Loc. cit., quæst. 1, sect. 3.
(7) *Logic. de Quantit.*, q. 1.
(8) Disp. 40, sect. 4.
(9) *Logic. de Prædic.*, cap. 6, *de Quantit.*, q. 1, a. 2.
(10) *Logic.*, disp. 13, quæst. 2, n. 18.

Sed in determinanda extensione, in qua constituatur ratio formalis quantitatis est non mediocris difficultas varietasque opinandi. Quod ut clarius intelligas, nota extensionem esse positionem partium extra partes: ideoque importare primo partes ipsas substantiæ entitativas inter se distinctas, quæ extendantur, seu aliæ extra alias ponantur, secundo unionem earumdem continuativam et integralem secundum extremitates; tertio exigentiam replendi locum; quarto actualem repletionem vel occupationem loci, ut aliæ in aliis locis collocentur. Jam ipsam multiplicitatem partium substantialium continuative et integraliter unitarum claritatis gratia vocarunt quidam cum Suarezio *extensionem entitativam* (1). Unionem partium integralem secundum extremitates vocant alii *extensionem partium in ordine ad se*, vel *extensionem partium in ordine ad totum*, vel *in toto*, aut etiam *ordinem partium:* quandoquidem in eo consistit, quod illæ partes substantiæ non sint in se confusæ, sed ordinatæ, ita nimirum unitæ, ut certum teneant ordinem, ratione cujus aliæ nectantur inter se immediate, aliæ mediate, eo præcise modo et ordine, quem tenent in corpore, debitam sibi molem habente. Hoc modo v. g. in humano corpore sunt partes ordinatæ, quia caput immediate unitur cum collo, et mediate cum aliis membris. Exigentiam replendi locum vocat Suarezius aliique *extensionem aptitudinalem* vel *radicalem* seu *situalem aptitudine*, utpote in eo consistentem, quod partes modo prædicto ordinatæ exigant esse in diversis locis vel spatiis: quare hæc extensio videtur omnino cum impenetrabilitate partium confundi; neque enim aliud importat impenetrabilitas in actu primo, nisi exigentiam repulsionis mutuæ, quæ adest inter unum corpus et aliud, et inter diversas partes ejusdem corporis. Actualis denique loci occupatio ab omnibus vocatur *extensio actualis* in ordine ad locum, seu actualis impenetratio, quæ in hoc posita est, quod partes substantiæ sint de facto in diversis locis, seu aliæ extra alias, secundum naturalem earumdem exigentiam. Unde quadruplex distingui potest extensio, *entitativa*, *unitiva* vel *ordinativa*

Quadruplex extensio declaratur.

(1) Vide Suar., loc. cit., sect. 4, n. 15. Cfr. Conimbricenses, *Logic., de Prædicam.*, cap. 6, *de Quantitate*, quæst. 1, a. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

partium, *situalis aptitudine* vel *radicalis in ordine ad locum*, et *actualis* (1).

Jam quantum ultimam harum extensionem, actualem nempe ac repletivam loci, attinet, conveniunt auctores in negando eam esse primarium munus et essentiale quantitatis, tum quia illa sequitur aptitudinalem, quæ prior est, tum quia deficere potest in quantitate per miraculum, ut contingit in Eucharistia, ubi Christus Dominus habet quidem quantitatem, non tamen actualem extensionem. Quamobrem actualis extensio videtur consistere in certo modo præsentiæ localis. Hoc enim ipso quod partes integrantes accipiant diversas ubicationes secundum internam ac propriam exigentiam quantitatis, jam adest actualis extensio: et e converso ideo totum Corpus Christi Domini cum omnibus suis partibus integrantibus est in tota hostia et in singulis ejus partibus, quia partes illæ per miraculum impediuntur habere diversas ubicationes consentaneas naturali exigentiæ quantitatis. Nihilominus circa reliquas extensiones acriter inter se digladiantur Scholastici. Nam Capreolus (2), Cajetanus (3) Ferrariensis (4), Vazquez (5) aliique, quos citant et sequuntur Complutenses (6), existimant substantiam corpoream ex se formaliter nullas habere partes etiam entitativas, ideoque ablata quantitate, remansuram illam esse prorsus indivisibilem. Pro eadem videtur etiam stare Card. Toletus in

Actualis extensio in loco videtur consistere in certo modo præsentiæ localis.

Quarta sententia.

(1) Non me latet extensionem, quam dicunt *entitativam*, acerbius sugillari a P. Vazquez. (In 1.am p., disp. 106, cap. 3, n. 10; et in 3.am p., disp. 190, cap. 3, n. 21 seqq.) tamquam doctrinam falsam et novam. Verum non est movenda lis de nomine. Certum est in corpora substantia inesse sub quantitate multiplicitatem partium integrantium undecumque illa proveniat; parum autem refert, quo vocetur illa nomine. Si vero rem hoc nomine designatam respiciamus, mox patebit num sit nova vel falsa doctrina eorum, qui negant partes entitativas corporeæ substantiæ provenire a quantitate.

(2) 2.a dist. 19, quæst. 1, art. 3, *ad* 2.um *contr.* 1.um *Conclus.*; dist. 18, quæst. 1, art. 3, ad 2.um et 4.um Ockami.

(3) In 1.am p., q. 52, art. 1, paragr. *Quoad secundum...*

(4) In lib. 4 *Contr. Gent.* c. 87, paragr. *Ad evidentiam;* et potissimum *Ad primam ejus* (Durandi) *probationem.*

(5) In 3.am p. disp. 187, cap. 2, n. 11; disp. 190, cap. 3, n. 20 seqq. Cfr. ib. disp. 194, cap. 3, n. 26, 27; disp. 187, cap. 3, n. 13.

(6) Loc. cit. quæst. 3, num. 30.

operibus philosophicis (1); contrarium tamen aperte tenuisse dicendus est, cum scripsit comentarios theologicos in *Summam* theologicam D. Thomæ (2). Hanc eamdem Capreoli doctrinam sequuntur inter recentiores cl. P. Mathæus Liberatore (3) et cl. P. Ludovicus de San (4), eamque satis vulgarem esse inter Thomistas fatetur Eximius Doctor (5). Ita juxta hanc opinionem licet quantitati debeatur actualis extensio in loco, itemque aptitudinalis et ordo et compositio partium, hi tamen non sunt primarii effectus illius, cum prius supponenda sit ipsa multiplicitas et existentia partium integrantium, quæ certo modo ordinentur et in loco extendantur. Primus ergo effectus quantitatis est ipsa partium hujusmodi existentia, id nempe quod superius cum Suarezio appellavimus *extensionem entitativam*. Qua in re usque adeo progressi sunt quidam Thomistæ, ut docuerint substantiam etiam sub quantitate nullas prorsus habere partes actuales integrantes, saltem quæ sint entitative substantiales, sed esse omnino indivisibilem et totam in toto, totamque in qualibet parte: «dificillima sane opinio, ut loquitur Goudinus, et quæ sapit paradoxum, hanc tamen tenent quidam Thomistæ» (6). Alii vero Thomistæ censent quantitatis proprium esse, tribuere partibus illis, quas materia ex se habet, ordinem et unionem integralem penes extremitates, ac proinde extensionem quantitativam esse distributionem et ordinem partium hujusmodi in toto. Ita docent Prado, Aguirre, Bayona, Polanco et plerique recentiores Thomistæ (7). quinta.

Alii demum effectum formalem primarium quantitatis reponunt in extensione aptitudinali, seu in exigentia ponendi sexta.

(1) Vide *Logic. de Prædicamentis*, cap. 6 *de Quantit.* quæst. 1; et lib. 1.° *Physicor.* quæst. 7.

(2) In 3.am part., quæst 76, *conclus.* 4.a, paragr. *Aliter etiam dici hoc potest;* et paulo inferius, *Præterea* 3.o.

(3) *Cosmol.* p. 62, 67, et 84. *Quod autem aloco.*

(4) *Cosmol., Pars prima*, cap. 3, 5.a *quæstio*, a n. 214.

(5) *Metaphys.* disp. 40, sect. 4, num. 5.

(6) Goudin, *Philosoph. juxta inconcussa* etc., tom. 3, *Quarta pars. Physicæ*, q. 2, art. 3, paulo post init. Cfr. Lossada, loc. cit. n. 67. Hujusmodi etiam paradoxum videtur sequi nostris diebus P. De San, loc. cit. n. 215, pag. 292, Lovanii, 1881.

(7) Apud Lossada, *Metaph.* loc. cit. n. 72.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alias partes extra alias, ut distinctum occupent locum: vel ut alii loquuntur, in radicali impenetrabilitate partium corporis inter se et cum partibus alterius cujusvis corporis. Quamquam enim nonnulli duos hos modos loquendi tamquam diversas sententias referant (1), re tamen vera unam eamdemque doctrinam continent, ut plures jam monuerunt (2). Nam sicut impenetrabilitas actualis seu impenetratio est actualis partium repulsio ex eodem loco, vel constitutio in diversis locis; ita impenetrabilitas radicalis aliud non est, nisi exigentia hujusmodi repulsionis et collocationis in loco. Atqui hoc idem significatur per aptitudinalem extensionem.—**Nec dicas** impenetrabilitatem præsupponere corpus actuali præditum extensione; prius quippe est corpus esse in se extensum quam repellere aliud e suo loco.—**Nam impenetrabilitas** non est consideranda in corpore solum relate ad aliud corpus diversum, sed etiam in ipsis partibus ejusdem corporis. Enimvero quid est, quod facit, ut partes in quovis corpore sint aliæ extra alias, nisi impenetrabilitas? Ergo impenetrabilitas in toto suo complexu considerata, idem prorsus est quoad rem, ac aptitudinalis extensio.

Status quæstionis.

Itaque ut omnia in summam redigamus, solvamusque quæstionem propositam; supponimus formalem rationem quantitatis non consistere primario in mensura, neque in formali divisibilitate, neque in actuali extensione locali seu in repletione loci vel, quod idem est, in actuali impenetratione, hæc enim non sunt nisi naturalia consectaria et secundariæ proprietates quantitatis, quæ possunt abesse a quantitate per miraculum, ut contingit in Eucharistia cum quantitate Christi Domini, quæ nec est mensurabilis nec divisibilis, nec actu habet extensionem in loco, nec impenetrationem cum quantitate panis et vini. Hisce ergo suppositis, quærimus, an sit primarius effectus quantitatis tribuere substantiæ partes integrantes, seu extensionem, quam dicunt

(1) Ita v. g. P. Georgius Rhodes (*Philos. Perip.* lib. 2, disp. 3, q. 1, sect. 2, paragr. 2 et 3), cl. Pesch. (*Philos. naturalis*, n. 348), cl. Van der Aa (*Cosmol.* thes. 14 et 15).

(2) Vide v. g. Rubium (loc. cit. quæst. 1), Lossada, (loc. cit. n. 80).

entitativam, an vero partium illarum ordinem et unionem, an potius impenetrabilitatem seu extensionem aptitudinalem.

208. PROPOSITIO 1.ª **Effectus formalis quantitatis non est tribuere substantiæ partes substantiales integrantes seu extensionem entitativam.**

Effectus formalis quantitatis non est tribuere corpori extensionem, quam vocant *entitativam*.

Ita Nostri communissime, ac nominatim Suarez (1), Rubius (2), Fonseca (3), Conimbricenses (4), Toletus (5), Petrus Hurtadus (6), Rodericus Arriaga (7), Thomas Carleton Compton (8), Georgius Rhodes (9), Sylvester Mauri (10), Sebastianus Izquierdo (11), Antonius Mayr (12), Bernardus Quiros (13), Ignatius Peinado (14), Andreas Semery (15), Cardinalis Lugo (16), Franciscus Oviedo (17), Franciscus Alphonsus Malpartidensis (18), Ludovicus Lossada (19), Wirceburgenses (20), et novissime PP. Joannes Cornoldi (21), Tilmanus Pesch (22), Sanctus Schiffini (23), Van der Aa (24),

(1) Disp. *Metaph.* 40, sect. 4, n. 7 seqq.
(2) Rub. loc. cit.
(3) Loc. cit.
(4) *Logic., de Quantit.* quæst. 1, art. 2.
(5) In 3.am part. D. Thom. quæst. 76, art. 4, *Quarta conclus.* paragr. *Aliter etiam dici hoc idem potest*; et clarius paulo post in parag. *Præterea* 3.°
(6) *Curs. Philos. Metaph.* disp. 13, sect. 4, n. 28.
(7) *Curs. Philos. Metaph.* disp. 6, sect. 1.
(8) *Curs. Phil. Metaph.* disp. 9, sect. 1, n. 5.
(9) Loc. cit. disp. 3, q. 1, sect. 2, paragr. 1.
(10) *Quæst. Philos.* lib. 2, quæst. 36, ad 2.am
(11) *De Deo*, tract. 3, disp. 10.
(12) *Philos. Peripat.* 3.ª pars, disp. 3, quæst. 8, art. 1, n. 741.
(13) *Metaph.* tract. 7, disp. 166, sect. 4.
(14) *Logic.* tract. 5, *de Prædicam.* disp. 3.
(15) *Trienn. Philos.* t. 2, disp. 9, q. 1.
(16) *De Eucharist.* disp. 8, sect. 1, n. 21.
(17) *Metaph.* controv. 5, punct. 2.
(18) *Logic.* disp. 17, sect. 3.
(19) *Metaph.* loc. cit. n. 68 seqq.
(20) *De Eucharist.* cap. 3, a. 2, paragr. 3.
(21) *Instit. Philos. specul.* lect. 31.
(22) *Philos. natur.* n. 349.
(23) *Metaph. specialis*, thes. 13.
(24) *Cosmolog.* thes. 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et Josephus Mendive (1). Idem tenent Scotistæ, ut Mastrius (2), et Dupasquier (3), Frassen (4), et Pontius (5), aliique. Idem videtur docuisse Dominicus Sotus (6); ac certe tenent Joannes a S. Thoma (7). Cosmas de Lerma (8), et alii nobiles Thomistæ apud Lossada (9), itemque Cardin. Aguirre (10), quamvis verbo contrarium docere videatur (11).

Probatur ergo propositio. 1.° Negari nequit in corpore quanto partibus quantitativis extensionis actualis, v. g. capiti, collo, brachiis in homine correspondere α) substantiales entitates, β) easque invicem distinctas, γ) quæ non proveniunt a quantitate, sed eam antecedunt natura. Atqui hujusmodi entitates substantiales veniunt nomine partium integrantium substantialium, earumque multiplicitas constituit id, quod vocatur extensio entitativa. Ergo...

Minor non eget probatione, cum aliud non contineat, nisi terminorum explicationem.

Major ergo probatur per partes: α) *In corpore quanto partibus quantitativis extensionis actualis correspondent substantiales entitates.* Etenim 1.° quantitas nequit esse naturaliter sine subjecto. Ergo neque partes quantitativæ possunt esse, quin singulis illis respondeat entitas substantialis easdem sustentans. 2.° Secus cum hujusmodi partes abscinduntur a toto, desinerent esse ejusdem speciei ac substantia totius: quod est contra communem sensum omnium, et contra definitionem aristotelicam quanti. Necesse est ergo dicere sub singulis partibus quantitativis latere substantiam. Verum hoc nimis est per se evidens.

(1) *Cosmolog. prima pars.* cap. 2. art. 2. n. 46, 47.
(2) *Physic.* disp. 9, quæst. 1, art. 1; *Logic.* disp. 7, q. 2, a. 2.
(3) *Summ. Philos., Metaph.* disp. 9, q. 2.
(4) *Physic.* disp. 3, *de corpore naturali*, quæst. 2, conclus. 2.
(5) *Physic.* disp. 14, quæst. 2, n. 16.
(6) *Logic.* lib. *de Prædicam.* c. 6, quæst. 2 ad 1.um argum.
(7) *Logic.* quæst. 16, art. 1, parag. *Tertium est*, et parag. *Resolutio*, in declaratione conclusionis.
(8) *Logic.* lib. 7, quæst. 8.
(9) *Metaphys.*, loc. cit. num. 68.
(10) *Disputat. selectæ. Metaph.* disp. 9, sect. 2 et 3.
(11) Ibid. sect. 4.

Prob. altera pars Majoris β) *Entitates hujusmodi singulis partibus quantitativis respondentes sunt invicem distinctæ.* 1.° Quia ea invicem distinguuntur, quæ realiter separabilia sunt. Atqui prædictæ substantiales entitates realiter separabiles sunt loco et tempore. Nam separantur cum dividuntur, et una remanente, altera sæpe destruitur, ut fit cum pars carnis manducatur, vel pars ligni comburitur, et posset etiam procul dubio a Deo in nihilum verti. 2.° Nisi dicamus entitates illas substantiales invicem distingui realiter, dicendum erit substantiam corporalem totam esse in tota extensione quantitativa, et totam in singulis partibus, omnino sicut eadem anima est tota in toto corpore et tota in singulis partibus. Atqui hoc in primis inauditum est; ac deinde adigit nos ad asserendum, substantiam corpoream, cum dividitur in frusta, vel non esse in omnibus ac singulis illis partibus divisis ac separatis, vel eamdem numerice esse in illis, vel in divisione ipsa productas esse de novo tot substantias ejusdem speciei, quot necessariæ sunt, ut reperiantur in singulis illis partibus: quæ omnia sunt absurdissima.

Et hæc videtur etiam fuisse Aristotelis ac S. Thomæ sententia. Nam uterque docet augmentum et diminutionem corporis viventis fieri, non per rarefactionem, quatenus materia eadem manente, dimensiones tantummodo augescant vel imminuantur, sed per additionem aut detractionem materiæ, ita ut plus etiam materiæ, atque adeo substantiæ, sit in magnis dimensionibus, quam in parvis (1). Atqui hæc necessario postulant diversas partes substantiales in corpore. Præterea S. Thomas agnovit totum in *genere substantiæ componi ex partibus vel integralibus vel essentialibus* (2). Agnovit etiam formas viventes materiales, secus ac sit rationalis anima, divisibiles esse. Ex quibus omnibus eadem veritas colligitur.

Probatur tertia pars Minoris. γ) *Hujusmodi entitates substantiales invicem, sub totidem partibus extensionis quantitativæ latentes, non proveniunt a quantitate*, nec quoad suam entitatem, nec quoad suam distinctionem.

(1) Vide Aristot. *de Gener. et Corrupt.*, lib. 1, cap. 5; et S. Thom. ibid. lect. 15; et 2.° dist. 30, quæst. 2, art. 1.
(2) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 17, art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non quoad suam entitatem: 1.° quia entitas substantialis natura prior est omni accidente, siquidem prius est subjectum sustentans forma sustentata. 2.° Quia si entitates illæ provenirent a quantitate, vel provenirent in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis. Non in genere causæ efficientis: tum quia quantitas non est activa, tum quia cum sit accidens non potest efficere substantialem ullam entitatem. Non in genere causæ formalis, quia in hoc genere causalitatis forma non facit aliud nisi communicare seipsam. Si ergo in se non habet quantitas ullam entitatem substantialem, nequit efficere, ut per solam sui communicationem existat in subjecto ulla entitas substantialis, quæ prius non foret. Deinde substantiales illæ entitates *non proveniunt a quantitate quoad suam distinctionem:* 1.° quia docente S. Thoma, distinctio plurium rerum *in hoc attenditur, quod una earum non est alia: quod quidem non habent ex aliquo superaddito, sed ex propriis formis* (1). 2.° Impossibile est generatim rem aliquam, quæ veram habet entitatem, ab alia simili distingui per entitatem superadditam. «Quia unaquæque res simplex, sicut per seipsam est ens, ita per seipsam est transcendentaliter una: ergo per seipsam est in se individua et distincta a qualibet alia» (2). Et præterea, «quia alias procedendum esset in infinitum: nam si una res esset distincta ab alia per aliam entitatem, quæro, per quid distinguatur ab illa tertia entitate. Si per seipsam, idem dici posset de prioribus entitatibus, et præcise propter hunc effectum superflua est illa tertia: si per aliam, procedetur ulterius, et sic in infinitum (3). Ut in præsenti, si hæc materia distinguitur ab illa materia per quantitatem, ab ipsa quantitate per quid distinguitur? Non certe per quantitatem, cum illa sit aliud extremum distinctionis. Ergo per seipsam: ergo eadem ratione poterit per seipsam entitative distingui ab alia materia. Sicut etiam materia non distinguitur realiter a forma per quantitatem, sed per suam entitatem. Ergo eodem modo potest una pars materiæ ab alia entitative distingui per

(1) *De Potent.*, quæst. 9, art. 7.
(2) Suarez, *Metaph.* disp. 40, sect. 4, n. 8.
(3) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 11, art. 1, ad 1.um

seipsam» (1). Itaque licet sublata et præcisaqua ntitate substantiales illæ entitates singulis partibus quantitativis extensionis subjectæ, non possent sensu discerni a nobis, nec designari, in se tamen distinctæ sunt invicem seipsis, et non per aliquid superadditum.

Dices. 1.° Materiam ex se habere prius natura, quam adsit quantitas, partes in potentia dumtaxat, a quantitate vero illas accipere actu (2). «**Sed interrogo** quid sit habere partes in potentia. Nam si hoc sit habere illas unitas et componentes unum totum, et non ut entia actu divisa et distincta, sic verum est illas partes esse in potentia. Tamen hoc nihil ad rem spectat; nam etiam sub quantitate continua illæ partes sunt illo modo in potentia, et non in actu: quamquam melius et verius diceretur entia in potentia, quam partes in potentia. Si autem habere partes in potentia sit revera non habere illas, sed expectare illas a quantitate, hoc plane est imposibile. Primo, quia illæ partes sunt substantia; non potest autem quantitas formaliter dare aliquid substantiæ. Secundo, quia illæ partes sunt subjectum partium quantitatis; non potest autem accidens formaliter dare subjecto entitatem ejus. Tertio, quia totum nihil aliud est, quam partes ejus simul sumptæ et unitæ. Ergo si materia ex se et prius natura, quam intelligatur habere quantitatem, habet integram suam entitatem, habet etiam entitatem suarum partium.» (3).

Dices. 2.° Argumentum nuper factum recte concludere, quod entitas ipsa partium integrantium substantialium non sit a quantitate, minime vero quod non sit ab illa *partialitas seu esse* partium.—**Resp.** *neg.* prorsus. Quid enim sibi vult unam entitatem esse partem? Profecto nihil aliud, nisi quod præter illam adsit in substantia aliqua alia entitas, ideoque quod nulla illarum seorsim sit tota substantia. Atqui ostendimus substantiales entitates sub singulis partibus quantitativæ extensionis existentes esse hujusmodi, nempe distinctas invicem, et quarum singulæ non conficiant totam

(1) Suar. ibid.
(2) Vide Complut. *Logic.* disp. 13, quæst. 3, n. 36.
(3) Suar. loc. cit. n. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rei substantiam. Secus entitas quæ est in digito identificaretur cum entitate substantiali totius corporis, et hæc de illa posset prædicari per identitatem. Nisi velis ad hoc, ut illæ entitates rationem partis habere possint, insuper requiri, ut sint aliæ extra alias mutuo se repellentes vel exigentes sese repellere: tunc enim lis fiet de verbo, cum ultro largiamur hujusmodi effectum procedere a quantitate. Verum non est hic sensus controversiæ, prout in hac prima propositione agitatur.

Prob. 2.um propositio. Quod nondum est, nequit ullo modo localiter extendi, nisi prius producatur. Atqui per quantitatem partes substantiales extenduntur in loco, nec effici ab ipsa possunt. Ergo necessario præsupponendæ ante ipsam sunt.

Prob. 3.um Potest Deus per miraculum spoliare materiam quantitate, quemadmodum quidam etiam eorum, quos hic impugnamus concedunt (1), aliis tamen refragantibus, licet immerito. Quid enim obstare potest hujusmodi miraculo? An magis dependet substantia materialis in existendo a quantitate, quam hæc ab illa? Si ergo quantitas potest per divinam omnipotentiam existere separata a materia, a fortiori poterit materia spoliari quantitate (2). Tunc ergo quæro, utrum substantialis entitas, quæ est in capite, foret eadem, quæ est in pede. Atqui non foret eadem. Ergo distincta; ac proinde distinctio illa partium entitativarum non est a quantitate, siquidem impossibile est provenire formaliter a quantitate id, quod sine quantitate habetur.

Minor manifesta est. Quod enim semel distinguitur ab alio, semper distinguitur. Ergo nequeunt illæ entitates capitis

(1) Ita v. g. Cajetanus (In 1.um part., quæst. 54, art. 1 paragr. *Quoad secundum...*), Goudin. (*Quarta pars Physic.*, quæst. 2, art. 7, post object. 2, *Dices contra utramque conclusionem*), Complutens. (*Logic.*, disp. 13, quæst. 3, n. 41, 42), Bañez. (In 1.um part., quæst. 52, art. 1, *circa* 2.um *conclus.* in resp. ad 1.um, ubi admittitur possibilis casus hic, quod Deus spoliet quantitate substantiam corpoream).

(2) Nihilominus non cunctatur P. De San falsam vocare hanc doctrinam tali argumento et adversariorum ipsorum approbatione munitam; quamvis nullam ipse opponat in contrarium argumentum. In sua *Cosmol.* loc. cit., n. 215; pag. 292.

et pedis, eædem quæ prius erant, etiam ablata quantitate, eædem permanere, nisi invicem distinguantur, sicut distinguebantur, quando erant sub quantitate (1). Vel si entitas illa substantialis partium diversarum integrantium invicem non distinguitur præcisa quantitate, nec per quantitatem distinguitur, quia nihil a seipso distingui potest, quidquid ipsi superveniat.

209. PROPOSITIO 2.a **Effectus formalis primarius quantitatis non est ordo partium in toto sive unio illarum integralis.**

Effectus formalis quantitatis non est ordo partium in toto.

Ita iisdem auctores relati pro præcedenti propositione, si Thomistas excipias.

Probatur. Unio partium integralis omnino substantialis est, non vero accidentalis. Atqui nequit ab accidente, qualis est quantitas, procedere unio substantialis.

Prob. Major. Substantia, ut habens unionem et compositionem integralem, est unum per se, id est unum in genere substantiæ (2). Atqui unum per se in genere substantiæ constitui nequit per unionem accidentalem, ut per se patet, secus enim ad constitutionem substantiæ pertineret aliquod accidens. Præterea si sermo sit de substantia composita, constituitur ipsa partium unione et compositione. Nam ubi adsunt multæ partes entitativæ, nisi unitæ sint, non habetur unum actu ens, sed multa. Atqui ex substantia et accidenti nequit exsurgere unum per se in genere substantiæ. Ergo unio integralis, utpote constituens unum per se in genere substantiæ, est omnino substantialis (3).

(1) Cfr. Suar. (loc. cit., n. 11), Lossada, (loc. cit., n. 70).

(2) Ita etiam docet expresse S. Thomas his verbis: *Unum... hoc modo dicitur, sicut ens. Ens autem simpliciter est substantia; sed ens secundum quid est accidens, vel etiam ens rationis. Et ideo quæcumque sunt unum secundum substantiam, sunt unum simpliciter, et multa secundum quid; sicut totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus, vel integralibus vel essentialibus, est unum simpliciter, nam totum est ens et substantia simpliciter; partes vero sunt entia et substantiæ in toto.* S. Thom. 1. 2. quæst. 17, a. 4.

(3) Cfr. Suar., loc. cit., sect. 4, n. 10; et S. Thom. 1 p., quæst. 11, a. 1 ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Minor autem primi syllogismi, quod nimirum unio substantialis nequeat provenire a quantitate, patet ex dictis in probationibus primæ propositionis; tum quia tota entitas substantialis subjecti est ante accidens, quod eidem inhæret; tum quia accidens, ut nuper notabamus, neque in genere causæ efficientis, neque in genere causæ formalis potest subjecto, a quo sustentatur, quippiam substantiale conferre.

210. Propositio 3.ª **Effectus formalis quantitatis primarius est extensio aptitudinalis vel radicalis in ordine ad locum, vel situalis positio partium extra partes, seu est reddere subjectum impenetrabile cum alio ejusdem generis, nempe cum alio quanto; vel est tribuere subjecto exigentiam repellendi a sua ubicatione quodvis aliud quantum. Unde ratio formalis et essentialis quantitatis est sita in hujusmodi impenetrabilitate vel extensione radicali partium (1).**

Effectus formalis quantitatis primarius est impenetrabilitas vel extensio aptitudinalis.

Omnibus istis modis loquendi eadem doctrina revera continetur, ut jam superius notavi, licet alii ab aliis auctoribus adhibeantur, immo et quidam ab aliis etiam refutentur. Sed est pura lis de voce, neque enim per impetrabilitatem aliud intelligitur nisi repugnantia penetrationis in eodem loco, itemque nomine extensionis radicalis vel aptitudinalis venit naturalis exigentia repellendi aliquid ex proprio loco vel ubicatione (2); non enim aptitudo extensionis localis sumitur ab auctoribus, qui sic loquuntur, pro mera capacitate ac passiva potentia, sed pro necessitate repellendi aliud quantum ex suo loco, vel pro impossibilitate habendi cum alio ejusdem generis eamdem localem præsentiam. Quisque autem facile videt nihil reipsa hæc inter se discrepare. Itaque propositio ista communis est Scotistarum et Nostrorum, quos supra retulimus. Eamdemque tenet e Thomistis Cosmas de Lerma (3), et quod caput est, videtur etiam diserte tenere ipsemet S. Thomas, ut patebit infra.

(1) Ita fere auctores pro prima propositione laudati; clarus tamen P. Pesch quamvis tandem istam communem veterum Societatis scriptorum doctrinam tueatur, interdum tamen huc illuc fluctuare videtur, nec satis clare loquitur.

(2) Vide Suarez, loc. cit. sect. 4, n. 15, 30.

(3) *Logic.* lib. 7, quæst. 8.

Prob. 1.º Per exclusionem aliarum sententiarum. Nam si effectus formalis quantitatis primarius non consistit in ratione mensuræ, neque in divisibilitate, neque in actuali extensione locali, neque in extensione entitativa, neque in unione integrali partium, nihil jam remanet dicendum, nisi quod consistat in impenetrabilitate prædicta seu in aptitudinali extensione.

Prob. 2.º Ille est primarius effectus quantitatis, qui est, et concipitur a nobis tamquam prima radix omnium aliorum munerum et effectuum formalium ejusdem. Atqui talis est impenetrabilitas vel aptitudinalis extensio. Nam ex hac naturaliter dimanat tamquam modus consentaneus extensio actualis, et consequenter mensurabilitas sive activa sive passiva, et divisibilitas per motum physicum. Ante hujusmodi autem impenetrabilitatem non aliud est in substantia corporea nisi ipsa partium integrantium entitas actu substantialiter unitarum, quæ, ut hactenus est probatum, non provenit a quantitate. Cum ergo aliunde impenetrabilitas ex omnium sententia pertineat ad quantitatem, in illa reponendus est hujus primarius effectus (1).

Prob. 3.º Primum quod de quantitate concipimus est, quod sit aliquid tribuens substantiæ molem corpoream, qualis non convenit spiritui. Atqui moles hujusmodi non melius explicari potest, quam per exigentiam occupandi ac replendi spatium ita, ut inde trudat, ac pellat molem similem, vel non sinat in idem spatium ingredi sine recessu et expulsione sui: cujusmodi exigentia venit nomine impenetrabilitatis. Ergo (2). Unde impenetrabilitas sono vocis est aliquid negativum, re tamen vera exprimit positivam rationem renitendi cuivis alteri enti ejusdem naturæ.

Dices. Præter extensionem entitativam et unionem substantialem partium adest ordo ipsarum in toto, nempe ordinatio ipsarum et distinctio confusioni opposita, quæ aliud tandem non est, quam unio quædam partium penes extremitates tantum, ita ut non uniatur una pars alteri se tota, sicut materia et forma uniuntur, secus enim penetrarentur, et

(1) Cfr. Suarez, loc. cit. sect. 4, n. 17.

(2) Vide Lossada (loc. cit. num. 81). Cfr. Suarez (ibid. num. 16).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

imbiberentur, et forent penitus confusæ, non autem ordinatæ ac debite collocatæ. Itaque hujusmodi præcise partium ordinatio, quæ confusionem partium tollit, quæquæ est aliud ab extensione entitativa et unione substantiali partium integralium, possunt enim partes esse vere unitæ ac nihilominus confusæ atque inordinatæ, hujusmodi, inquam, ordinatio est primarius quantitatis effectus. Ita Joannes a S. Thoma (1).

Respondeo, hujusmodi ordinem vel ordinationem partium in toto, vel in idem re vera recidere cum extensione aptitudinali seu radicali, vel rejiciendam esse tamquam quiddam supervacaneum. Etenim quid, quæso, est ordinatio ac debita collocatio partium in toto, quæ advenit illis jam substantialiter unitis? Profecto partes tunc actu ordinantur et collocantur debite in toto, quando sunt aliæ extra alias ita, ut nisi fiat miraculum, caput v. g. constituatur in vertice corporis humani, non vero in loco pedum vel ventris, et similiter pedes in imo ac venter in medio, eo nempe ordine, quo cernuntur oculis in homine. Atqui totum hoc formaliter habetur per extensionem, per actualem quidem in actu secundo, et per radicalem seu impenetrabilitatem in actu primo, supposita unione membrorum substantiali. Nam in primis ipsa natura corporis humani hoc postulat, ut partes illæ ita substantialiter uniantur, ut caput immediate cum collo, mediate cum ventre, ac multo adhuc mediatius cum pedibus connectatur. Posita vero hac unione substantiali, quæ ordinem quemdam substantialem eo ipso necessario importat, non est intelligibilis alia collocatio vel debita ordinatio accidentalis superveniens, nisi illa quæ partibus substantialiter unitis tribuat ubicationes distinctas secundum ordinem substantialis unionis partium integrantium. Atqui totum hoc efficitur per impenetrabilitatem. Ergo vel illa ordinatio recidit in extensionem radicalem, vel est aliquid inutile et commentitium.

Verum est, in corporibus non organicis ex ipsa natura illorum non requiri hanc potius, quam illam unionem et ordinationem substantialem. Sed nihilominus æque verum est, ut patet ex dictis in præcedenti propositione, unionem

(1) Loc. cit., *Secundum principium.*

substantialem qualemcumque de facto existentem, supponendam esse ante quantitatem, quia spectat ad constitutionem substantialem corporis. Illa vero unione substantiali supposita, non aliud requiritur nisi impenetrabilitas vel extensio radicalis, ad hoc ut partes certo ordine substantialiter unitæ, etiam *debite* collocentur ordinatione accidentali. Crediderim itaque Joannem a S. Thoma et alios, quicumque formalem effectum quantitatis reponunt in ordinatione, quæ amoveat confusionem partium integrantium prius substantialiter unitarum, aut verbis tantum a nobis discrepare, aut inutilia fingere; siquidem supposita unione substantiali partium, nulla est imaginabilis ordinatio illarum et collocatio *debita* præter illam, quæ partibus illis tribuat ubicationes distinctas secundum ordinem, secundum quem substantialiter sunt unitæ, quævis enim alia collocatio indebita est et inordinata.

Mens S. Thomæ expenditur.

Atque hinc moveor ad affirmandum non obstare revera, sed potius favere nobis Angelicum Doctorem etiam in variis locis, quæ pro se adducuntur a Joanne a S. Thoma et ab auctoribus in secunda sententia refutatis. Sic in libro 4.° *Summæ contra Gentes: Habet*, inquit, *hoc proprium quantitas dimensiva inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur, quod ideo est, quia* positio, *quæ est* ordo partium in toto, *in ejus ratione includitur, est enim quantitas positionem habens* (1). Et alibi: *Distinctio... secundum situm primo et per se convenit quantitati dimensivæ, quæ definitur esse quantitas* positionem habens (2). Item: *Hanc distinctionem situs (loci) non requirit aliqua corporalis qualitas, quia corpori non debetur aliquis situs ratione suæ qualitatis: unde remoto a corpore sensibili, quod sit calidum aut frigidum, aut grave aut leve, nihilominus in eo remanet necessitas prædictæ distinctionis, ut patet per Philosophum in 4.° Physicorum* (text. 47), *et etiam per se planum est. Similiter etiam materia non potest inducere necessitatem prædictæ distinctionis, quia materiæ non advenit situs nisi mediante quantitate dimensiva: similiter etiam neque forma situm habet, nisi ex materia situm habente. Restat ergo, quod necessitas*

(1) Lib. 4.° *Contr. Gent.* c. 65 in medio.
(2) *Quodlib.* 1, art. 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

distinctionis duorum corporum in situ causatur a natura quantitatis dimensivæ, cui per se convenit situs, cadit enim in definitione ejus, quia quantitas dimensiva est quantitas habens situm. Et inde est, quod remotis aliis, quæ sunt in re, talis distinctionis necessitas invenitur in sola quantitate dimensiva. Et quia materiæ debetur situs, inquantum substat dimensionibus, exinde prædicta necessitas ad materiam situalem derivatur, ut sicut non est possibile esse duas lineas vel duas partes lineæ, nisi sint distinctæ secundum situm, ita impossibile est esse duas materias vel duas partes materiæ, nisi sit distinctio situs (1).

(1) 4.a dist. 44, quæst. 2, art. 2, solut. 2.am Cfr. *Quodlibet.* 7, art. 10; et Opusc. *de Trinit. super Boet.*, quæst. 4, art. 3, fin.

Minus feliciter hic, ut mihi quidem videtur, cl. P. Van der Aa postquam cum communi veterum Societatis scriptorum opinione defendit effectum formalem quantitatis esse tribuere substantiæ materiali extensionem externam localem aptitudinalem (*Cosmolog. propos.* 15), conatur probare (ibid. *proposit.* 16) istam extensionem localem aptitudinalem ita explicari debere, ut sit a parte rei identica cum extensione interna situali. Quodque deterius est, scribit hanc doctrinam innuisse ipsum Eximium Doctorem (*de Eucharist.* disp. 48, sect. 1), nec putat, nisi hæc doctrina admittatur, explicari posse, in quonam physico positivo consistat illa exigentia extensionis localis. (Ibid., *Stat. quæst.* 1.°) Extensio autem interna situalis ex eodem Auctore est «positio partium extra partes in ordine ad se, qua fit, ut partes certum ordinem et situm inter se servent, sitque hæc immediate cum illa, non cum aliis, connexa». (Ibid. *proposit.* 12. *Stat. quæst.* 1, b). Hæc doctrina, cujus forte quædam semina reperies apud P. Pesch, prout verba ipsa satis sonant, magisque evolvitur in probatione ac solutionibus difficultatum ac potissimum septimæ, mea quidem sententia non explicat, sed evertit sententiam reponentem effectum formalem quantitatis in extensione aptitudinali, videturque esse eadem ipse Thomistarum opinio, quam modo in secunda propositione rejecimus. Suarez autem in citata disp. 48.a *de Eucharistia*, non solum non innuit, quod eidem imputatur, sed potius aperte contrarium: ait enim (ibid. num. 2), substantiam corpoream *ex se ipsa* habere distinctionem partium entitativam earumque *conjunctionem*, munus autem quantitatis constanter explicat in ordine ad exigentiam occupandi spatium diversum. Nam quamvis agnoscat extensionem partium in ordine ad se esse essentialem et inseparabilem a quantitate, illam tamen non explicat, sicut clarus iste nuperus scriptor, sed per extensionem aptitudinalem occupandi spatium, unde naturaliter consequitur actualis extensio. Et re quidem vera quamvis substantia ex sese habeat

Accuratior quantitatis definitio.

Corollarium. Hinc facile patet, quantitatem accuratius ac rectius definiri posse: *accidens extensivum substantiæ*, id est, «accidens absolutum naturali necessitate exigens extensionem suarum partium in loco, et eamdem necesitatem communicans subjecto et ejus partibus;» vel etiam «accidens absolutum naturaliter impenetrabile cum alio ejusdem rationis» (1). Cum enim nequeamus fere rerum essentias prout in se sunt, cognoscere atque explicare, declarandæ nobis sunt per proprietates et effectus earumdem. Vidimus autem hoc esse primarium munus et effectum formalem quantitatis, ut substantiæ corporeæ tribuat impenetrabilitatem suarum partium inter se, unde actualis extensio in loco procedit, et cum partibus cujuslibet alterius corporis eadem quantitati affecti. Ergo non alia melior definitio quantitatis posse dari videtur. Apposite Doctor Eximius; «Ultima objectio vel potius interrogatio esse potest, quo modo ad essentialem rationem quantitatis pertineat, prædictam extensionem et molem tribuere substantiæ; nam videtur potius per se convenire quantitati, ut ipsa in se habeat hanc molem et extensionem partium, consequenter autem et secundario, ut illum tribuat substantiæ. Respondeo, utrumque per se primo convenire quantitati sine repugnantia, quia quidquid quantitas habet, ad substantiam et propter substantiam habet. Itaque instituta est primario quantitas, ut hunc effectum tribuat substantiæ, et ideo talis naturæ facta est, ut partibus constet, quæ natura sua sese expellant ab eodem spatio; quæ partes adhærentes partibus materiæ illam proprietatem illis communicant; atque inde ad materiales formas et alia accidentia corporalia derivatur» (2).

partes substantialiter unitas», nondum tamen hæ ordinatæ manent et inconfuse *secundum locum*, sed quantum est de se, indifferentes sunt, ut idem etiam punctum spatii occupent: verum adveniens mox quantitas partibus illis tribuit per extensionem aptitudinalem exigentiam, ut occupent diversas spatii partes eo modo et ordine, quo sunt substantiali unione continuativa connexæ; et nisi miraculum fiat, de facto etiam per actualem extensionem collocat eas in spatio alias extra alias. Extensio ergo aptitudinalis et interna situalis re differunt.

(1) Vide Lossada loc. cit. n. 80.

(2) Vide Suarez, *Metaph.* disp. 40, sect. 4, num. 30.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alia ejusdem definitio

Et in hanc sententiam recte declarari potest illa alia definitio, qua quantitas dicitur *accidens tribuens substantiæ molem*, aliæque similes.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

211. **Objic. 1.°** S. Thomas sæpe docet cum Aristotele quod, remota quantitate, materia remaneat indivisibilis, ut supra vidimus in recensendis variis circa formalem quantitatis effectum opinionibus. Unde etiam quantitas per ordinem ad indivisibilitatem describitur communiter a Peripateticis. Ergo formalis effectus quantitatis in indivisibilitate reponendus est, aut etiam in ipsa partium substantialium entitativa distinctione.

Resp. *dist.* antec. Remota quantitate, materia manet indivisibilis indivisibilitate proxima et naturali, quæ consistit in eo, quod aliquid nequeat dividi motu atque instrumento physico, *conc.*, quia sectio fieri non potest physice, nisi in materia impenetrabilitatem habente. Remota quantitate, materia remanet indivisibilis indivisibilitate metaphysica, quæ consistit in negatione vel carentia partium integrantium substantialium distinctarum, *neg.*

Dist. primum membrum consequentis. Si nomine divisibilitatis intelligatur ipsa entitativa partium substantialium distinctio, *neg.* Si intelligatur proprietas illa, per quam corporea substantia motu physico in partes integrantes dispesci valet, *subdist.:* effectus formalis primarius et essentialis, *neg.;* secundarius, *conc.* Jam enim superius monuimus divisibilitatem esse unum ex attributis, quæ ratione quantitatis insunt corporeæ substantiæ.

Instabis 1.° Partes integrantes dici vulgo solent quantitativæ. Ergo ex communi sensu quantitati tribuendæ sunt.

Resp. *disting.* antec. Quantitativæ vocantur, quia ope quantitatis aliæ extra alias ponuntur et correspondent partibus ipsius quantitatis, *conc.;* quia sunt formalis effectus ejusdem, *neg.*

Instabis 2.° S. Thomas sic habet: *Natura substantiæ est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur: sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, et sub qualibet parte panis, est tota natura panis, sive sint dimensiones actu divisæ, sicut cum aër dividitur vel panis secatur, vel etiam sint actu indivisæ, divisibiles vero potentia* (1). Alibi autem idem S. Doctor: *Pars et pars*, inquit, *in aliquo est per quantitatem, quæ est accidens proprium corporis substantiæ* (2). Ergo S. Thomas videtur non agnovisse partes in substantia, nisi ratione quantitatis.—**Resp.** Sensus primi testimonii esse non potest, quod eadem *individua* entitas vel natura substantiæ sit sub qualibet parte dimensionum, sicut v. g. eadem entitas individua rationalis animæ est in qualibet parte corporis; sed tantum quod eadem natura substantiæ *quoad speciem*, quatenus omnes partes substantiales existentes sub totidem partibus dimensionum sint ejusdem naturæ. Ratio autem manifesta hujus interpretationis est, quod S. Thomas doceat eamdem naturam substantiæ esse sub qualibet parte dimensionum, sive dimensiones sint *actu divisæ*, sive non. Quis autem credat, divisis ac loco separatis partibus dimensionum, eamdem prorsus numero individuam substantiæ entitatem naturaliter sub illis inesse posse? (3). Alterum testimonium intelligendum est de parte ac parte non quoad entitatem ipsam, sed quoad extensionem situalem.

Objic. 2.° Si substantia independenter a quantitate haberet partium integrantium distinctionem extensionemque, quam dicimus entitativam, supervacanea foret jam quantitas. Nam proprium munus ejusmodi partium est subjectum, cui insunt, localiter extendere, non quidem actu, sed aptitudine et exigentia: hoc namque remoto, nullum talium partium munus assignari valet. Ex quo efficitur, ut partes integrantes quælibet *per se, et non per aliquod accidens* sibi adjunctum, sint sibimet invicem naturaliter impenetrabiles. Cujus autem partes sunt invicem naturaliter impenetrabiles, hoc est actu et formaliter quantum. Si ergo substantia materialis ex semetipsa includat compositionem ex partibus integrantibus, quantitas non est ab ea realiter distinctum». Ita novissime P. De

(1) S. Thom. 3 p., quæst. 76, art. 3.
(2) Opusc. *de Natura generis*, cap. 16.
(3) Hanc interpretationem videtur tradere ipsemet S. Thomas in *Quæstionibus disputatis*, quæst. *de Anima*, art. 10, *Si qua igitur forma accipiatur*.

San, qui hoc primum recenset *ex falsis et absurdis, quæ ex nostra sententia pullulare scribit* (1).

Resp. *neg.* primum assertum et probationem ejus. Munus enim partium substantialium integrantium est substantiam complere, aptamque reddere, ut accedente quantitate possit secundum diversas illas suas partes in spatio extendi. Si enim simplex esset integraliter, quomodo posset extendi? Esset sicut anima rationalis, quæ quia caret omni parte integrante, præsens quidem potest esse toti corpori et spatio per corpus occupato, non tamen extendi. Illud autem, quod infertur ab adversario, partes videlicet quaslibet *per se*, non autem *per aliquod accidens* sibi adjunctum esse invicem naturaliter impenetrabiles; *negatur* prosus, donec probetur. Quamvis enim id proprium sit ipsi quantitati, ut partes ejus sese invicem repellant, allæque alias e proprio loco trudant extensionem hoc pacto actualem efficiendo; at vero partes integrantes corporeæ substantiæ per se id non postulant, sed a quantitate id accipiunt, quemadmodum patet ex dictis. Optandum autem fuisset, ut præclarus Auctor, qui argumenta sententiæ nostræ dissolvere non est dignatus, saltem probabili aliqua ratione ostenderet absurdum esse, ut ipse putat, eam doctrinam, quam tot clarissimi Doctores per plura sæcula tenuerunt, et ne improbabilem quidem demonstrare adversarii ejus unquam potuerunt.

Instabis 1.° Nos ponimus «partes quantitatis sibimet invicem naturaliter impenetrabiles, non per accidens, sed suapte natura sive per se. Ergo etiam partes integrantes substantiæ, si quas hæc per se habeat, erunt impenetrabiles per se, et non per accidens ipsis adjunctum, quia oppositum hujus gratis fingeretur, ubi semel conceditur non repugnare, immo de facto dari partes integrantes, quæ suapte natura sint impenetrabiles». Ita iterum idem clarus scriptor (2).

Resp. *neg.* conseq. Nos enim non gratis fingimus, sed jam probavimus impenetrabilitatem per se competere soli quantitati, substantiæ vero nonnisi ope quantitatis: probavimus etiam, et non gratis assumpsimus, negari non posse

(1) De San, *Cosmolog.* num. 214, *Etenim* 1.°
(2) Ibid. *Sane* 2.°

suas substantiæ partes integrantes contradistinctas et independenter a partibus quatitatis. Ex his autem liquido sequitur hoc esse discrimen inter partes quantitatis ac substantiæ, quod illæ, secus ac istæ, sint per se impenetrabiles. Impugnet ergo hoc adversarius idoneo aliquo argumento, et non *gratis ipse fingat*, ex eo quod quantitatis partes integrantes natura sua sint impenetrabiles, omnes alias quascumque partes integrantes sive substantiarum sive qualitatum per se ac natura sua impenetrabiles esse oportere.

Instabis 2.° «Omne accidens præsupponit ex parte sui subjecti illud esse in potentia ad omnem realitem, quæ ei affertur per accidens... Sed quantitas realiter distincta affert suo subjecto partes integrantes, quippe quæ pertineant ad essentialem rationem quantitatis, uti concedit pars adversa, et per se manifestum est» (1).—**Resp.** *dist.* Minor. Quantitas realiter distincta affert subjecto suo partes integrantes suas, quæ actuent partes integrantes ipsius subjecti seu substantiæ, prævie supponendas independenter a quantitate, *conc.*: affert subjecto partes integrantes ita, ut subjectum nullas alias ex sese habeat præter illas, quas a quantitate formaliter accipit, *neg.* Tum *nego* etiam probationes Minoris; nempe nego, et quod ad essentialem rationem quantitatis pertineant partes integrantes substantiæ, et quod id concedant nostræ sententiæ assertores; et quod id sit manifestum.

Instabis 3. Si independenter a quantitate adest in corpore compositio integralis, vel præcedit, vel subsequitur compositionem essentialem ex materia et forma: non enim utraque simul est. Si primum, materia non est nuda potentia, sed includit partes actu, ac proinde habet determinatam essentiam, et per se est substantia completa, nec nisi accidentaliter unitur cum omni forma ei superinjecta: quæ omnia absurda sunt, supposita essentiali corporum constitutione ex materia et forma. Sin alterum; ergo compositio ex partibus integrantibus accidentaliter supervenit subtantiæ, quia omne, quod advenit rei in prima sua actualitate jam constitutæ, accidens ejus est (2).

(1) Ita iterum cl. P. De San, ibid. 3.°, *Accidens.*
(2) En postremum argumentum P. De San, loc. cit. 4.°, *Uti jam supra.*

Resp. *conc.* Major., ac *dist.* ea, quæ in Minori ex primo membro colliguntur.—**Primum.** Materia non est nuda potentia respectu suæ propriæ entitatis, *conc.;* respectu formæ et corporei compositi, quasi jam verum corpus constitueret ex eo solum, quod ex integrantibus partibus coalesceret, *neg.* **Secundum.** Includit partes integrantes actu, *conc.;* essentiales justumve corpus constituentes, *neg.*—**Tertium.** Ac proinde habet determinatam essentiam propriam corporis, *neg.;* essentiam qualemcumque entitati suæ convenientem, *conc.* Reliqua vero, quæ inferuntur, *neg.* prorsus, quia minime fluunt ex concessis.

Distinguo pariter id, quod ex altero membro Majoris infertur. Compositio ex partibus integrantibus esset accidentalis, id est, non essentialis, *conc.;* id est, non substantialis, *neg.* Nam partes integrales, quamvis possit sine illis salva manere corporis essentia, substantiales tamen sunt, quia singulæ constant materia et forma, spectantque ad integritatem substantiæ. Ita corpus humanum potest esse completum in essentia absque brachio vel pede, non tamen est integrum substantialiter, quia et brachium et pes sunt partes corporis compositæ ex materia prima et rationali anima.

Instabis 4.° Hoc ipso quod adsint plures partes integrantes in substantia, saltem si unitæ sint solum penes extremitates, jam dantur partes extra partes, ac penetrationi resistunt, atque adeo extensionem efficiunt.—**Resp.** Sunt quidem partes extra partes, si vox *extra* exprimant partes illas non esse identificatas nec unitas secundum se totas; secus vero si vox *extra* exprimat partes illas ex propria exigentia diversum occupare locum. Unde non resistunt ex sese mutuæ penetrationi: nec proinde constituunt extensionem quantitativam seu situalem, sed tantum entitativam.

Instabis 5.° Si independenter a quantitate essent in materia partes integrantes, jam illa ante quantitatem foret composita, nec proinde prima compositio foret ex actu et potentia. Atqui docente Aristotele (1), prima compositio est ex actu et potentia. Ergo.—**Resp.** Ex eo quod materia ex sese formaliter partes integrantes habeat, solum sequitur

(1) *Metaph.* libr. 8, text. 8.

ipsam esse compositam integraliter, non autem essentialiter; nec repugnat primam compositionem integralem non esse ex actu et potentia.

Objic. 3.° Si substantia materialis haberet partes integrantes actu distinctas, vel ista distinctio esset a materia vel a forma. Atqui non a forma, quia forma et ipsa partes mutuatur potius per immersionem sui in materia; neque ex materia, quia pura potentia nequit esse principium distinctionis (1). **Resp.** requirendum non esse ullum principium formale distinctum et extrinsecum distinctionis partium integrantium in substantia; sed distinctionem illam peti ab ipsa natura materiæ, quæ cum sit radix quantitatis, debet partes aliquas habere, quæ per quantitatem extendantur, hoc est enim munus ejus.

Objic. 4.° Proprietates quantitatis nequeunt substantiæ convenire sine quantitate. Sed si substantia ex se haberet partes integrantes, jam proprietates quantitatis haberet; esset enim divisibilis, mensurabilis, æqualis alteri substantiæ partes æquales habenti, inæqualis autem habenti partes inæquales (2).

Resp. *conc.* Major *neg.* Minor. Ad probationem dico, substantiam, præcisa quantitate, etiamsi partibus integrantibus propriis coalescat, non esse divisibilem physice, quia non haberet impenetrabilitatem, ideoque non resisteret, sed penitus cederet, et compenetraretur cum instrumento materiali, locum suum occupanti. Dividi tamen posset a Deo abrupta unione, qua diversæ partes connectuntur. Simili modo mensurari non posset naturaliter. Quia mensura propria semper importat certam aliquam unitatem continuæ quantitatis et extensionis, per cujus applicationem et comparationem magnitudo alterius molis cognoscatur. Quod ergo nec molem neque extensionem localem per se habet, nec mensurare aliud, nec ipsum mensurari potest. Atqui partes integrantes substantiæ nec molem per se habent nec localem extensionem, sed eam accipiunt a quantitate. Ergo per se mensurabiles non sunt. Verum quia cuilibet substantiæ vel

(1) Vide Goudin, *Physicæ quarta pars*, quæst. 2, art. 3, *Dico* 1.° *Confirmatur primo.*

(2) Vide Goudin, ibid., *Confirmatur* 2.°

portioni substantiæ corporeæ certa quædam moles ac dimensiones conveniunt; posset Deus etiam substantiam sua spoliatam quantitate quodammodo mensurare, quatenus cognosceret, quanta ei moles ac dimensiones naturaliter deberentur. Denique ob eadem rationem posset Deus cognoscere, utrum substantia corporea, privata quantitate, esset æqualis vel inæqualis alteri substantiæ quantæ, si debitæ dimensiones restituerentur. Proprie tamen substantia corporea æqualis vel inæqualis alteri non est, nisi ratione quantitatis, quia æquale significat habens eamdem dimensionem, et inæquale habens diversam dimensionem vel molem: ac proinde ad æqualitatem vel inæqualitatem cum aliquo quanto non sufficit partes integrantes habere, nisi etiam partes illæ molem et localem extensionem præ se ferant, sicut ad numerum proprie constituendum non sufficit multitudo constans unitatibus, sed requiritur multitudo entium quantorum, ut alias probatum est (1).

Objic. 5.° Si substantia propriam haberet extensionem, suam quoque haberet figuram independenter a quantitate. Atqui id absurdum videtur, quia figura est qualitas resultans ex terminatione magnitudinis.—**Resp.** *dist.* Si substantia propriam haberet extensionem, quam dicunt situalem et quantitativam, *conc.*; si habeat tantum extensionem, quæ vocatur entitativa, *neg.*, si sermo sit de figura externa et locali, quæ sola vulgo figura dicitur (2).

Objic. 6.° Effectus primarius et ratio essentialis quantitatis debet consistere in aliquo absoluto, non vero in relativo, prius enim est absolutum, quam relativum in quavis re. Atqui extensio radicalis et impenetrabilitas est relativum quiddam, si quidem in ordine ad locum explicatur. Ergo.

Resp. *neg.* Minor. Quia quamvis extensio illa *explicetur* a nobis per ordinem ad locum et exigentiam diversarum ubicationem secundum diversas partes, non tamen *est* ratio aliqua relativa. Quia extensio dari potest, etiamsi nullus daretur actu locus, ut constat in ultima superficie mundana, quæ extensa quidem est, non tamen occupat locum.

(1) In *Ontolog.* num. 87, pag. 254 seqq.
(2) Cfr. superius explicata distinctio figuræ internæ et externæ.

Objic. 7.° Impenetrabilitas est separabilis a quantitate, nam de facto separatur in Eucharistia in Corpore Christi Domini, cujus quantitas penetratur cum quantitate panis. Ergo effectus formalis quantitatis nequit in impenetrabilitate reponi.—**Resp.** *dist.* antec. Impenetrabilitas in actu primo seu exigentia repellendi aliud quantum e proprio loco, *neg.* Impenetrabilitas in actu secundo, seu actualis impenetratio, *conc.* Et ita de facto accidit in Sma. Eucharistia; nam licet Corpus Domini ratione quantitatis exigat naturaliter repellere ex propio loco quantitatem panis et vini, per miraculum tamen penetratur contra naturalem illam exigentiam.

Objic. 8.° Deus certe potest substantiam quantitate privare. Ergo tum, si suæ sint substantiæ partes integrantes, vel confluent omnes in punctum spatii, vel remanebunt prout prius erant. Primum dici nequit, quia nulla est ratio, cur si nihil aliud faciat Deus, quam spoliare substantiam quantitate, partes illæ debeant moveri, et in punctum coire. Ergo alterum dicendum est, ac proinde jam substantia illa absque quantitate foret extensa, utpote quæ partes haberet extra partes. Nequeunt ergo illæ substantiæ tribui partes independenter a quantitate.

Resp. Alii aliter ad hanc difficultatem respondent, ut videre est apud Eximium Doctorem (1). Probabilius autem sentire videntur illi, qui putant si Deus tantum spoliare velit substantiam quantitate, partes illas eamdem localem præsentiam, quam prius habebant, servaturas esse. Nihilominus vera extensione quantitativa non gauderent, quia non haberent jam impenetrabilitatem vel exigentiam occupandi spatium diversum; neque enim ideo retinerent præsentias diversas, quia interna aliqua necessitate aliæ extra locum aliarum truderentur, sed quia nulla supponitur externa causa, quæ statum illarum mutaret: ipsæ namque, quantum est de se, indifferentes forent ad habendam eamdem vel diversam ubicationem, ut egregie declarat idem Suarez (2).

Objic. 9.° Eadem quantitas naturaliter potest occupare modo majus, modo minus spatium sine additione vel

(1) *Metaph.* disp. 40, sect. 4, num. 19.
(2) Loc. cit., num. 25.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

diminutione quantitatis, pro majori raritate vel condensatione, supposita probabiliori sententia, secundum quam phænomena rarefactionis et condensationis explicantur per mutationem realis voluminis, prout inferius declarabitur. Ergo effectus formalis quantitatis non consistit in radicali extensione partium in ordine ad locum. «Patet consequentia, quia sub eadem quantitate eædem partes coarctantur ad brevius spatium».

Resp. «Hæc objectio tangit quæstionem physicam difficillimam de modo, quo fit condensatio, quam hic breviter tractare non possumus». Supposita tamen explicatione, quam innuit objectio, «dicendum est quantitatem quidem extendere substantiam et dare illi corpoream molem, tamen ex se et absolute sumptam, non determinare certum terminum in illa extensione considerata in ordine ad spatium, quod replere potest, sed juxta modum majoris vel minoris condensationis», vel pressionis et caloris, «hujus extensionis terminum definiri (1).

ARTICULUS IV.

Utrum quantitas actu infinita esse queat.

Quo sensu finitum et infinitum dicantur passiones quantitatis.

212. Asseruit Philosophus finitum et infinitum esse passiones quantitatis, atque adeo tractationem de infinito ad *naturalem Philosophiam* spectare (2); unde etiam notavit, omnes veteres Philosophos, qui eam scientiam rationaliter tradiderunt, infinitum quoque tractasse. Ne quis autem arbitretur Aristotelem, cum talia scripsit, id statuisse, quod mox eversurus esset, multis excludens infinitæ quantitatis realitatem (3); dici potest cum Scoto (4), aliisque (5), affectionem quantitatis e mente Philosophi esse finitum vel

(1) Suarez, loc. cit. 29.

(2) Vide Arist. *(Physicor.* lib. 1, cap. 4, text. 24, et S. Thom. (ibid lect. 6 initio), ac cæteros interpretes passim.

(3) Vide Arist. *Physicor.*, lib. 3, cap. 5, text. 40 seqq.; et *de Cælo* lib. 1, cap. 5 a text. 32 ad 76.

(4) *Metaph.*, lib. 2, quæst. 6.

(5) Vide Conimbricenses *(Physicor.*, lib. 3, cap. 4, 5, 6, 7, 8, quæst. 1, art. 5 ad 1.um), Rubium *(Physicor*, lib. 3, cap. 8, tract. 2, quæst. 1, n. 74 fin).

infinitum, actu videlicet vel potentia; quantumvis enim plurimi auctores negent possibile esse infinitum actu secundum quantitatem, admittunt tamen communiter omnes infinitum in potentia. Oportet itaque jam, quam in *Ontologia* huc rejeceramus, controversiam circa possibilitatem infinitæ quantitatis pertractare. Verum prius animo recolendæ sunt, quas ibidem explicuimus, divisiones infiniti in *simpliciter* et *secundum quid*, atque in *categorematicum* seu *infinitum in actu* et *syncategorematicum* vel *infinitum in potentia* (1). Sermo enim nobis est de infinito secundum quantitatem, nimirum secundum multitudinem et magnitudinem vel etiam secundum intensionem. Neque etiam dubium est de infinito syncategorematico vel potentiali, quod *indefinitum* quoque vocant; sed tantum de categorematico se actuali. Nam est apud omnes in confesso possibile esse syncategorematicum, quandoquidem quolibet creato potest majus et majus creare Deus, ut constat ex iis, quæ in *Ontologia* disputata sunt (2). Immo vero videtur infinitum syncategorematicum secundum multitudinem de facto dari, vel datum iri in actibus intellectus et voluntatis beatorum, qui per totam æternitatem succedent alii aliis absque ullo fine.

Status quæstionis pertractandæ.

At quod infinitum categorematicum spectat, quamvis una sit vox Philosophorum contra Anaxagoram, Anaximandrum, Xenophontem Colophonium, Seleucum aliosque veteres (3), et recentiores Cartesianos, ac Leibnitzium (4) et Malebranchium (5), infinitum ejusmodi nec dari actu, nec dari naturaliter posse (6); haud tamen leviter jam inde a multis sæculis disputatur, utrum saltem per absolutam Dei potentiam effici queat multitudo vel magnitudo infinita. Affirmant Nominales (7), quibus adhæsere P. Gabriel

Varia de proposita controversia opiniones.

(1) Vide *Ontolog.*, n. 191.

(2) Vide num. 204, pag. 583, seqq.

(3) Apud Conimbric. *Physicor.* lib. 3, cap. 4, seqq. quæst. 1, art. 3.

(4) Epist. ad Foucher, apud. Dutens t. 2, p. 243. Cfr. superius dicta num. 16.

(5) *Traité de l'infini créé*, pag. 51, et 93.

(6) Vide Benedict. Pereira *de Communibus* etc. lib. 10, cap. 7 10), Conimbr. (loc. nup. cit.), Rubium (*Physic.* lib. 3, tract. 2, quæst. 1), Rhodes (Philos. perip. lib. 2, disp. 3, quæst. 3, sect. 3, paragr. 2).

(7) Apud Conimbr. loc. cit. quæst. 2. art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vazquez (1), Hurtado (2), Arriaga (3), Card. Toletus (4), Peinado (5), Fassolus (6), Oviedo (7). De Benedictis (8), et quidam alii. Negant autem communissime et Thomistæ cum S. Thoma (9), et S. Bonaventura (10), et Scotistæ cum Scoto (11), ac Nostrates cum Eximio Doctore (12), Fonseca (13), Rubio (14), Valentia (15), Molina (16), Benedicto Pererio (17), Conimbricensibus (18), Sylvestro Mauro (19), cæterisque et veteribus et recentioribus, quos omnes recensere necesse non est. Quod vero attinet certitudinis gradum, P. Tilmanus Pesch repugnantiam infiniti tamquam certam omnino progugnat (20), sicut videntur quidam veteres, ac nominatim Mastius (21), propugnasse, at S. Thomas dudum scripserat, *adhuc non esse demonstratum, quod Deus non possit facere, ut sint infinita actu* (22), allique multi, quorum mihi quoque magis placet judicium, doctrinam eamdem tamquam probabiliorem dumtaxat, non autem ut penitus certam tuentur (23).

quænam sit communior

et probabilior.

(1) In 1.am part. disp. 20.
(2) *Physic.* disp. 13, sect. 2, 3.
(3) *Physicor.* disput. 13.
(4) In 1.am part. quæst. 7, art. 4.
(5) *Physic.* lib. 3, disp. 1, sect. 3.
(6) In 1.am part. quæst. 7, art. 3, dub. 12.
(7) *Physic Controvers.* 14, punct. 4, et 5.
(8) *Philos perip.* vol. 2, lib. 3, quæst. 5, cap. 6.
(9) In 1.am part. quæst. 7; *Quodlib.* 9, art. 1; *Quodlib.* 12, art. 2.
(10) 1.o dist. 43, quæst. 1.
(11) 2.a dist. quæst. 3.
(12) *Metaph.* disp. 30, sect. 17.
(13) *Metaph.* lib. 1, cap. 2, quæst. 2, sect. 2.
(14) *Physic.* lib. 3, tract. 2, quæst. 3.
(15) In 1.am part. disp. 1, quæst. 7, punct. 3.
(16) In 1.am part. quæst. 14, art. 5-6, disp. unic.
(17) *De communibus*, etc. lib. 10, cap. 11.
(18) *Physic.* loc. cit.
(19) *Quæstion. philos.* vol. 2, lib. 2, quæst. 34.
(20) *Philos. natur.*, n. 409.
(21) *Physic.* disp. 10, quæst. 3, n. 45.
(22) Opusc. *de æternit. mundi contra murmurantes*, fin.
(23) Vide v. g. Conimbricens. (loc. cit. quæst. 2, art. 3), Rubium (loc. cit. n. 86), Pererium (loc. cit. cap. 11), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 21, sect. 1, num. 5), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 3,

§ I.—EXCLUDITUR POSSIBILITAS INFINITI CATEGOREMATICI.

213. PROPOSITIO. 1.a Repugnat multitudo actu infinita.

Multitudo actu infinita repugnat.

Prob. 1.o Si possibilis esset multitudo actu infinita, posset pars æquare totum, vel totum non esse parte sua majus. Atqui hoc manifeste repugnat rationi. Ergo...

Prob. Major. Quælibet infinita multitudo continet in se omnes numerorum species infinities replicatas, videlicet infinitas unitates, infinitos binarios, ternarios, milliones, etc., ut ostensum est in *Ontologia* (1). Jam vero infinitum unitatum est pars infiniti binariorum, ternariorum, millionum, etc.; sicut una unitas est pars binarii, ternarii, millionis, etc. Atqui aliunde unum infinitum alio infinito majus esse non potest. Ergo infinitum unitatum æquat infinitum binariorum, ternariorum, millionum, etc.; scilicet totum partem minime excedit.

Respondet P. De Benedictis (2), multisque conatur evincere, principium istud: *Totum est majus sua parte*, non valere

quæst. 1, sect. 4), Soarez lusitan *Physic.* tract. 4, disp. 2, n. 184). Cfr. Amicus *Physic.* tract. 18, quæst. 6, dub. 2, art. 3. Qua de re juvat hic exscribere Conimbricensium judicium: «In hac gravi et difficili controversia, inquiunt, negativa pars præferenda est, tam quia firmioribus nititur argumentis, tum quia eam meliores notæ Philosophi amplexi sunt, ut ex sola collatione eorum, quos utrinque citavimus, constat. Quia vero Commentator in opere quod inscribitur: *Destructio destructionum* (disp. 1, ad dub. 7): *Impossibile*, inquit, *est apud omnes Philosophos dari infinitum actu, sive corporeum sive incorporeum, ac nemo sapientum intelligere hoc potuit nisi Avicenna.* Excepit autem Avicennam, quia admisit dari actu infinitas animas rationales, inlixus errore existimantium generationes fuisse ab æterno, simulque certissima veritate confitentium animam nostram immortalem esse». In hujusmodi autem causa vel maxime spectanda est, præter momenta rationum, auctoritas. Nam si gravissima quæque ingenia non potuere concipere infinitum actu in rebus creabilibus habere rationem veri et factibilis; certe magnum est argumentum id esse licet id perspicuis rationibus non convincatur. Nihilominus quia affirmativa etiam pars suam habet probabilitatem et assertores non ignobiles; ac præsertim quia nullo argumento palam revincitur, utriusque partis rationes diluemus, ut quam quisque voluerit, tueri possit.»

(1) *Ontol.* num. 191, *Secunda proprietas*, pag. 564
(2) *Physicor.* lib. 3, quæst. 5, cap. 6, paragr. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in infinito, sed tantum in materia finita, in cujus assertionis patrocinium laudat alios quoque auctores et veteres et recentiores.—**Verum in primis** responsio hæc non solum displicet communissime adversariis infiniti actualis, sed etiam quibusdam patronis, e quibus sufficiat PP. Hieronymum Fassolum ac Thomam Compton nominare. *Qui ita respondent*, inquit Fassolus (1), *non tam infinitum defendunt, quam illud irridendum exponunt*. Compton autem scribit satius esse millies negare infinitum, quam in eas angustias redigi, ut quis cogatur principio tam manifesto refragari (2). Deinde ratione quoque revincitur prædicta solutio. Quia principium illud non ob aliud valet in materia finita, nisi quia de essentia partis est, ut excedatur a toto. Ergo ubicumque re vera datur pars et totum, sive in materia finita sive in infinita, totum necessario dicendum est majus esse sua parte.

Nec mihi objicias 1.° complexum ex Deo et creaturis, cujus perfectio non est major, quam solius perfectio Dei.—**Nam perfectio Dei** re vera non est pars perfectionis, quæ in complexu illo reperitur, siquidem in Deo, qui est plenitudo essendi ac omnis perfectionis possibilis, jam inest modo altissimo ac perfectissimo quæcumque perfectio creata. Immo etiam in ipsis rebus creatis, quando habetur perfectio in aliquo solum per participationem ab alio, non est in utroque major perfectio, quam in communicante, sicut v. g. non est major potestas in rege absoluto ac ministris, quam in solo rege: idque non quia exceptionem patiatur axioma illud: *Totum est magis sua parte*, sed quia potestas illa non sit divisa inter regem ac ministros, sed tota penes regem resideat, et solum ab eodem derivetur ministrorum potestas, unde rex nequit pars dici.

Nec mihi objicias 2.° divinas personas, in quarum singulis tanta est perfectio, quanta in tribus simul sumptis, vel actus meritorios Christi Domini, quorum singuli non minorem habuere valorem, quam universi.—**Nam personæ divinæ** singillatim sumptæ nequeunt habere rationem partis, utpote quæ imperfectionem importat, sed singulæ sunt infinite

(1) In 1.am part. quæst. 7, art. 3. dub. 12, num. 40.
(2) Vide Compton, *Physic.* disp. 46, sect. 6, num. 3.

perfectæ, prout rem declarant Theologi. Quare perperam dicitur in divinis personis principium illud: *Totum est majus sua parte*, exceptionem pati. Nec valet quidpiam instantia meritorum Christi Domini, quia quamvis singuli actus sint pars totius multitudinis actuum; at meritum et valor singulorum non est pars infiniti valoris omnium actuum, quia infinitudo valoris non resultat ex complexu omnium actuum, sicut infinitudo multitudinis resultat ex collectione omnium unitatum; sed in singulis actibus seorsim et independenter ab aliis est totus infinitus valor, ratione infinitæ personæ operantis. Nec vero ex eo, quod actus singuli sint infiniti, concludas collectionem eorum majus quiddam esse. Nam non alia est infinitudo singulorum, quam universorum, nempe illa, quæ derivatur ex infinitate personæ divinæ, quæ proinde nequit multiplicari secundum actuum multiplicitatem. Quare iterum perperam actus meritorii Christi Domini obtruduntur in exemplum violati principii illius.

Respondent alii in infinito nec dari partem, nec totum, nec dimidium nec duplum, nec majus nec minus, nec æquale nec inæquale; sicut etiam non datur mensurabile.—**Verum negatur paritas.** Infinitum quidem mensurabile non est, videlicet finita mensura, quia eo ipso exhauriretur finitis acceptionibus, atque adeo desineret esse infinitum. Sed non satis intelligitur, cur nequeat esse totum, partesque habere, si sit multitudo quædam vel magnitudo. Pone infinitam hominum multitudinem: an non illa ex singulis hominibus coalescit? ergo singuli homines partes sunt totius multitudinis, ab eaque exceduntur. Itemque infinitas binariorum dividi poterit in duas infinitates unitatum, quæ profecto æquales erunt inter se; sicut in infinitate hominum infinitas dextrorum oculorum æquaret infinitatem sinistrorum. Nihil ergo vetat, quominus in infinita quantitate dari queat pars ac totum, minus et majus, æquale et inæquale.

Prob. 2.° Ea est quoque proprietas infiniti, ut neque augeri neque minui possit, nec unum infinitum alio majus esse (1). Atqui si possibilis foret infinita actu multitudo, posset infinitum augeri vel minui, et unum alio majus esse.

(1) Vide *Ontolog.* num. 102, *propriet.* 4.ª et 6.ª

Sane dentur infiniti homines; poterit sane Deus centum, mille, bis mille..... ex illis destruere, et multitudo, quæ remanet, minor profecto erit, quia jam non continet omnes homines, quotquot sunt possibiles, immo et quotquot prius continebat. Aliunde multitudo ista vel est finita vel infinita. Finita esse nequit, infinita enim multitudo nequit detractione finitarum unitatum finita evadere; sicut e converso nequit finita multitudo finitarum unitatum additione fieri infinita (1). Si autem infinita est prædicta multitudo, poterit profecto infinitum minui, aut unum alio minus esse. Unum autem infinitum alio minus evidenter absurdum videtur, quia verum infinitum tale esse debet, ut eo nihil majus aut esse, aut concipi possit. Præterea si possibilis est infinita hominum multitudo, non minus possibiles erunt totidem angeli, quorum singuli singulis hominibus assignentur in custodiam. Quæro nunc, num summa multitudinis angelorum et hominum major sit, quam sola hominum multitudo. Majorem esse negari nequit, si valeant præcepta Matheseos. Ergo infinitum crescere poterit, vel unum esse majus alio. Deinde si ponatur infinita hominum multitudo, profecto multitudo oculorum, digitorum, capillorum, major erit; singuli namque binos habere supponuntur oculos, denos digitos et innumeram capillorum multitudinem. En iterum infinitum infinito majus.

Dices, cum P. De Benedictis ex Capreolo, S. Thomas docet (2), non semper quantum additum quanto facere majus, *potissime quando illud quod additur, non est quantum secundum eamdem rationem, qua illud, cui additur, vel non habet proportionem, ad ipsum*.—**Respondeo** mentem S. Thomæ esse, id, quod additur quanto, non facere quantitatem majorem, si non sit quantum ratione sui, sed tantum ratione alterius; sicut v. g. lignum conjunctum cum sua quantitate non facit majus, quia nimirum lignum non est quantum ratione sui. Quare perperam objicitur auctoritas ac doctrina Aquinatis, ut patet ex ipsis ejusdem verbis: *Quod ergo dicitur, quod quantum additum quanto facit majus, intelligendum est, ubi utrumque dicitur quantum secundum eamdem rationem; sed ubi unum est ratio alterius, quod sit quantum, hoc non oportet; sicut si lignum est longum, erit linea longa, nec oportet, quod lignum cum linea sit longius, quam linea, quia linea est ratio longitudinis ligno; sicut etiam dictum est, quod actus exterior habet rationem culpæ ab actu voluntatis* (1).

(1) Vide *Ontolog.* ibid. *propriet. prima.*

(2) S. Thom. *de Malo*, quæst. 2, art. 2, ad 8.um

Hæc aliaque similia argumenta colliguntur ex proprietatibus actualis infiniti in *Ontologia* probatis, ut videre est apud veteres scriptores (2).

Prob. 3.o Argumento S. Thomæ sic scribentis: *Omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum...* (3). Quæ probatio in hanc formam proponi potest: Omnis multitudo est in aliqua determinata specie numeri, sive prædicamentalis sive transcendentalis, prout constet ex unitatibus quantitativis vel trascendentalibus. Atqui nulla species numeri potest esse actu infinita. Ergo repugnat actu infinita multitudo.

Major constat, quia omnis multitudo coalescit unitatibus, atque adeo numerus quidam est. Aliunde vero quidquid est in rerum natura, certa et determinata essentia gaudet. At nequit determinata essentia gaudere, nisi in determinata specie constituta sit. Præterea nihil est sub aliquo genere, quin ad certam aliquam speciem pertineat. Ergo omnis etiam multitudo suam habeat speciem, necesse est.

Minor probatur, quia species multitudinis determinatur per ultimam unitatem præcedentibus adjectam, sicut ternarius numerus per unitatem adjectam binario, centenarius per unitatem accedentem ad nonagesimum nonum, et ita porro. Atqui in infinita multitudine nulla datur ultima unitas, nec infinitum ex additione unitatis constitui potest. Ergo... (4).

(1) S. Thom. *de Malo*, loc. cit.

(2) Vide v. g. Mastrium (*Physic.* disp. 10, quæst. 3), Semery (*Trienn. philos.* tom. 2, disp. 8, quæst. 3, art. 1), etc.

(3) S. Thom. 1 p. quæst. 7, art. 4.

(4) De hoc argumento videri inter alios possunt Card. Aguirre (*Physic.* disp. 22, sect. 2), Complutenses (*Physic.* disp. 18, quæst 5), Joann. a S. Thoma (*Physic.* quæst. 15, art. 2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dices 1.° numerum quidem finitum esse multitudinem mensuratam per unum, atque adeo constitutam in sua specie per ultimam unitatem, non autem numerum infinitum, utpote qui mensurari nequeat. – **Resp.** Numerus omnis, ut jam superius probavimus, importat essentialiter aliquem ordinem inter suas unitates, qui nequit consistere nisi in certo modo numerationis, seu mensurationis per unitatem, quemadmodum ibidem declaratum manet. Ergo id proprium esse debet numero etiam infinito, si possibilis sit. Et præcise in hoc sita est repugnantia infiniti numeri.

Dices 2.° Falsum esse, quod omnis multitudo sit numerus quidam. Nam multitudo, prout nos ipsi superius docuimus, quatenus est a parte rei, non habet actu rationem numeri, sed eam accipit ab intellectu plures unitates certo quodam ordinere censente. Ergo nihil vetat, quominus detur multitudo, quæ in nulla determinata specie numeri sit constituta. – **Resp.** *neg.* prorsus illatum. Quia quamvis numerus in certa specie ac ratione numeri non constituatur, nisi per actum intellectus, est tamen a parte rei in omni multitudine capacitas, ut ab intellectu tot ejus unitates recenseantur, ac proinde est capacitas, ut in certa specie formalis numeri constituatur. Ergo omnis multitudo potest per actum intellectus ad aliquam speciem numeri revocari, per ultimam videlicet unitatem, quæ post tot alias numeratas, recenseatur. Atqui hoc pugnat cum ratione infiniti, in quo nulla est pars ultima assignabilis.

Infinitum secundum intensionem excluditur.

Iisdem argumentis excluditur quoque infinitum categorematicum quoad intensionem qualitatis; nam infinitum ejusmodi infinitam contineret graduum multitudinem: quare si infinita multitudo repugnat, infinitum quoque quoad intensionem repugnare dicendum est. Qua de re vide si lubet, fusissime disputantem Card. Aguirre (1). Sunt tamen quidam, ut P. Oviedo (2), qui passibilem putent qualitatem infinite

(1) *Philosophia novo-antiqua*, tom. 1, *Physic.*, disp. 23. Cfr. Complutenses. (*Physic.*, disp. 18, quæst. 6), et Mastrius (*Physic.*, disp. 10, quæst. 5).

(2) *Physic.*, Controv. 14, punct. 5.

intensam, v. g. gratiam santificantem; et quidam etiam de facto dari gratiam infinitam in Christo Domino arbitrati sunt (1).

214. Propositio 2.a **Magnitudo vel extensio actu infinita repugnat.**

Magnitudo vel extensio actu infinita repugnat.

Prob. 1.° Potest ex præcedenti propositione, nam omnis magnitudo revocari ad multitudinem potest quodammodo, quatenus deberet certe constare infinito numero palmorum, ulnarum etc. Si enim non contineret infinitum palmorum, ulnarum, etc., numerum, infinita esse non posset, utpote mensurabilis finita mensura. Si autem contineret, nequit infinita multitudo repugnare, quin repugnet etiam magnitudo infinitam continens multitudinem.

Prob. 2.° Sit linea infinita ab Oriente ad Occasum sese protendens. Vel ex neutra parte est clausa, ita ut versus neutram extremitatem remaneat spatium possibile, vel ex utraque est clausa, vel denique ex altera parte est clausa, ex altera non. Si **hoc postremum** dicas, in primis occurrit tibi proprietas illa infiniti communi fere etiam adversariorum calculo approbata, et in *Ontologia* demonstrata, secundum quam infinitum nequit ulla ex parte terminari (2). Deinde ab ea extremitate, in qua linea finem habet, dantur profecto puncta quædam finite, v. g. centum, mille, palmis distantia, ut patet, et alia infinite distantia, quia secus linea non posset esse infinita. Ergo dicendum erit longitudines illas punctorum finite distantium per aliarum longitudinum additiones evasisse infinitas. Præterea linea per extremitatem, in qua finem habet, potest ulterius se protendere, ideoque augeri saltem per divinam omnipotentiam. Atqui infinitum nec potest augeri, nec ex additione finiti resultare. Ergo... Si **secundum eligas**, eadem offendes incommoda. Si **denique primum malis**, poterit profecto linea illa in duas medietates secari, de quarum singulis quæram, num sint finitæ, an infinita. Si finitæ: ergo prius ex duplici finita medietate linea infinita conflabatur, quod absurdum est. Si infinitæ, in primis

(1) Vide apud Suarez, *de Incarnat.*, disp. 22, sect. 1.

(2) Vida *Ontolog.*, num. 192, *propriet.* 6.ª, pag. 565.

aderit infinitum infinito majus, scilicet integra linea major est singulis medietatibus. Deinde ab eo puncto, in quo secta est linea, versus utramvis extremitatem assignari poterunt puncta alia finite, alia infinite distantia: quapropter lineæ illæ duæ infinitæ evadunt ex additione finiti ad finitum, quemadmodum nuper argumentabamur.

Dices. Datur de facto infinitum utrinque terminatum. Nam ut nos ipsi docuimus cum communi sententia in *Ontologia* (1), inter duas species creatas, puta inter hominem et leonem, possibiles sunt infinitæ, aliis aliæ perfectiores, quin attingant gradum, in quo perfectissima duarum illarum constituta est. Ergo perperam dicitur infinitum utrinque terminatum repugnare.—**Resp.** infinitas ejusmodi species intermedias ex communi sensu intelligendas esse non infinitas actu, sed potentia seu indefinitas.

§ II.—SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

215. **Objic. 1.º** Potentiæ infinitæ respondet infinitus effectus, nam effectus proportionem servat cum potentia: unde quo major est potentia, eo plura et majora efficere valet. Atqui datur in Deo potentia infinita. Ergo potes producere infinitum (2).

Resp. *dist.* Major.: infinitus categorematice effectus *neg.* syncategorematice, *conc.*

Ad probationem *dist.* assertum: effectus univocus proportionem servat cum potentia, *conc.*; æquivocus *neg.* Tum concessa Minore, *neg.* conseq. Itaque divinæ potentiæ adæquatus effectus est infinitum syncategorematicum; quia cum sit infinita, potest quocumque opere assignato, semper majus ac præstantius efficere, sive quoad perfectionem et magnitudinem, sive quoad numerum. Nec tamen potest producere infinitum in actu, quia ostensum est id repugnare. Nec vero necesse est semper et absolute potentiæ respondere effectum quoad ipsam perfectionis rationem sibi proportionatum et adæquatum; id enim impossibile est, cum agitur

(1) *Ontolog.*, num. 196, pag. 569.
(2) Cfr. S Thom. 1 p., quæst. 25, art. 2, argum. 2.

de causa et effectu æquivocis. Secus dicendum quoque foret, Deum posse producere effectum quoad essentiam infinitum.

Instabis 1.º Major est divina potentia, quam virtus infinitorum ignium, si existerent. Atqui si infiniti existerent ignes, possent infinitas efficere combustiones. Ergo eas Deus potest nunc facere.—**Resp.** *neg.* conseq., quia repugnant ejusmodi combustiones infinitæ. Minor autem propositio vera quidem est, sed continet impossibilem conditionem, ac proinde nihil evincit.

Instabis 2.º Si Deus necessario ageret, infinitum produceret, quia totam suam virtutem, quæ infinita est, effunderet. Ergo etiamsi libere operetur, poterit si velit, infinitum creare.—**Resp.** In primis *negatur* antecedens; quia ens necessario agens nequit esse infinite perfectum, nec proinde infinitæ virtutis. Deinde nos non negamus possibilitatem infiniti ex defectu virtutis in Deo, sed ex intrinseca ejusdem repugnantia. Quare si vere infinitum in se repugnat, ut nobis quidem videtur, etiam dato quod Deus infinita virtute polleus necessario ageret, adhuc non crearet infinitum effectum.

Instabis 3.º Potest Deus quocumque effectu finito assignato majus aliquid efficere. Atqui opus quocumque effectu finito assignato majus est infinitum actu. Ergo.—**Resp.** *neg.* Minor.; nam etiam infinitum potentia seu syncategorematicum est ejusmodi, ut quacumque determinata magnitudine vel multitudine assignata, possit adhuc crescere magis sine fine. Ut porro videas argumentum nihil concludere, observa eamdem prorsus formam discursus adhiberi posse ad probandum, quod Deus possit essentiam infinitam creare; certum quippe est, posse Deum quacumque essentiæ perfectione assignabili majorem aliam præstantioremque producere. Et nihilominus certum est ejusmodi essentiam non fore actu infinitam, quia essentia creata actu infinita pugnat in terminis.

Objicit. 2.º Si omnes creaturæ essent simul possibiles, essent actu infinitæ, nullus enim in illis finis assignari potest. Atqui sunt possibiles omnes simul. Prob. Minor. Quæ sunt possibilia seorsum, sunt etiam possibilia simul; nam possibilitas unius entis non excludit possibilitatem alterius. Atqui omnes creaturæ sunt possibiles seorsum. Ergo etiam sunt possibiles simul.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam ad finitorum omnium maximum, quem pariter repugnare probavimus in *Ontologia* (1).

Objic. 5.° Non repugnat infinitum potentia vel syncategorematicum (2). Ergo nec repugnat categorematicum. Consequentia probatur; quia in infinitum syncategorematicum retorqueri possunt fere argumenta, quæ contra categorematicum allata sunt. Quare vel utrumque excludendum, vel utrumque admittendum. Sane sint duo infinita syncategorematica; poterunt ab altero mille unitates detrahi, ab altero centum dumtaxat vel nulla. Et quæram statim utrum adhuc illa æqualia remaneant, necne, instaurando argumentum superius factum. Item in infinito hominum syncategorematico plures sunt oculi, quam homines, et capilli, quam oculi: unde habebitur infinitum infinito majus etc.

Resp. Infinitum syncategorematicum essentialiter *actu* finitum est, ita tamen ut magis ac magis augescere queat absque ullo fine, quemadmodum in *Ontologia* declaratum est (3). Hinc repugnat infinitum hujusmodi sumi vel cum veritate affirmari per modum unius collectionis completæ, integræ et actu positæ, cui scilicet nulla jam amplius pars restet addenda: secus enim non jam infinitum potentiale, sed actuale et categorematicum habetur. Verbo infinitum syncategorematicum ita importat determinatam aliquam magnitudinem vel multitudinem, ut essentialiter importet potendam ulterioris indeterminate et absque ullo fine augmenti, ac proinde positionem partium apponibilium, quin sisti unquam possit. Jam comparatio unius infiniti syncategorematici cum alio tripliciter fieri posset: primo secundum partes actu existentes; secundo secundum partes determinate possibiles ac distributive sumptas; tertio secundum omnes partes tum existentes tum possibiles collective sumptas. Prima et secunda comparatio legitima est, et sic duo infinita syncategorematica secundum ea, quæ actu possident, et secundum determinatum ac certum aliquod augmentum, quod accipere

(1) Vide *Ontolog.*, num. 192, pag. 363. Cfr. de his Mayr (loc. cit., num. 1104), Semery (*Trienn. philos.*, tom. 2, disp. 8, quæst. 3, art. 2, *Objic. 5.°*).

(2) Vide *Ontolog.*, num. 204, pag. 585 seqq.

(3) Vide *Ontolog.*, num. 191 fin. pag. 362.

queunt, si invicem comparentur, erunt vel æqualia vel inæqualia et unum alio majus aut minus. Quare de qualibet collectione hominum actu existente vel determinate possibili, atque adeo actu finita, dicendum est, quod in ea numerus oculorum major est numero capitum vel nasorum, et numerus capillorum numero oculorum: neque id repugnat, quia omnis ejusmodi collectio semper finita est. At si comparentur invicem duo infinita syncategorematica, prout complectuntur non solum partes actu existentes et quaslibet alias possibiles determinatas, sed etiam præterea omnes prorsus sine fine apponibiles collective sumptas, comparatio frustranea est, nec recte instituitur, quia collectio ejusmodi partium complete actuata non potest existere: et si per impossibile fingatur existens, desinit esse jam multitudo infinita syncategorematice, et fit categorematice infinita. Ac proinde perperam dicitur in objectione contra infinitum syncategorematicum urgeri argumenta a nobis facta contra categorematicum. Itaque

Resp. in forma, *neg.* conseq. Et ad probation., *neg.* antecedens, ad cujus probationem *neg.* conseq.

Objic. 6.° Non datur infinitum. Ergo datur infinitum. Prob. conseq. Si non dantur actu infinita entia, dantur actu infinitæ negationes entium. Nam quot possent existere entia, et non existunt, tot dantur actu entium negationes. Sed possent existere entia non tot quin plura, et non actu existunt. Ergo actu dantur non tot quin plures entium negationes, videlicet infinitæ.

Resp. Istud argumentum de genere illorum, quæ *mirabilia* vocantur, quod quidam magni faciunt, exsufflatur, ac plane evanescit, *negando* suppositum consequentis secundum sententiam, quam in *Ontologia* tradidimus circa negationis naturam (1). Scilicet negationes sunt purum nihil: unde proprie loquendo neque existunt, neque possunt dici multæ nec paucæ, nec finitæ nec infinitæ; quia tamen concipi nequeunt nisi mediis speciebus alienis earum formarum, quarum carentiam important, ideo improprie dicuntur existere vel multiplicari, vel multæ aut paucæ esse, etc. Qui vero

(1) Vide *Ontolog.* num. 29 seqq. pag. 81 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

negationibus aliquod esse possitivum largiuntur, videant ipsi, quo pacto difficultatem istam dissolvant.

Objic. 7.° Continuum est in infinitum divisibile in partes proportionales, quæ omnes invicem connectuntur modis quibusdam, ex sententia illorum, qui unionem in modali entitate reponunt. Atqui partes illæ in infinitum divisibiles adsunt actu in continuo ante ipsam divisionem. Ergo necesse est agnoscere in continuo infinitam partium multitudinem.—**Resp.** Difficultas hæc dissolvetur mox, cum de continui natura disputandum est. Ea porro non urget nisi in opinione Aristotelis ac S. Thomæ, eaque longe communiori, continui divisibilitatem in infinitum tuentium; qui autem cum Zenone opinantur continuum ex punctis inextensis atque indivisibilibus conflari, facile argumenti vim effugiunt, *negando* partes ejusmodi, quantumvis plurimas, esse infinitas.

Objic. 8.° Sententia est sat communis veterum, non demostrari repugnantiam creationis ab æterno. Si autem mundus ab æterno existens ponatur, habebitur tempus infinitum de quo in primis quæri posset, num dierum numerus major foret, necne, numero mensium vel annorum; et sic contra tale infinitum jure urgere liceret argumenta, quibus nos ipsi usi fueramus superius. Deinde in singulis instantibus vel horis vel diebus creari à Deo possent singuli angeli, qui proinde infinitam constituerent multitudinem.—**Resp.** Hæc objectio in nostra sententia nullum negotium facessit. Possibilitatem enim æternæ creationis putamus cum pluribus aliis Doctoribus solum probabiliter admittendam non esse quoad entia successiva, motus videlicet, generationes rerum ac tempus. Ex quo minime sequitur dari tempus infinitum nec infinitam aliorum etium multitudinem, quemadmodum superius exposuimus. Qui autem admittunt æternæ creationis possibilitatem etiam quoad entia successiva, viderint num dificultatem istam solvere queant, aut infiniti categorematici possibilitatem agnoscere teneantur.

Objic. 9.° Ex S. Augustino numeros *infinitos esse certissimum est... Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprensibilis*

ei, cujus intelligentiæ non est numerus (1).—**Resp.** verba S. Doctoris posse intelligi de infinito syncategorematico, nam crescere numeri possunt in infinitum. Aliter non appareret, quomodo scribere potuerit *certissimum esse*, quod dentur infiniti numeri, nisi forte divino illo suo ingenio assecutus fuerit evidentem aliquam rationem, quam nec S. Thomas nec ullus alius postea videre putuerit.

Objic. 10.° Mathematici passim loquuntur de infinito. Ergo admittendum est.—**Resp.** «Quoties Mathematici dicunt infinitum, intelligendum non est infinitum actu, sed pro re nata aliquando indefinitum dicunt, verbi causa, quum in optica solares radii dicuntur a *distantia infinita* venire sensus est, eos tam parum divergere, ut practice quasi a foco *indefinite distante* proveniant, id est, cujus distantia tanta sit, ut jam nihil juvet aliquid addere, quia jamjam pro parallelis haberi possint radii;—aliquando autem impossibile et nullum dicunt, verbi causa, quum in Geometria duæ rectæ parallelæ dicuntur concurrere in *distantia infinita*, sensus est, eas *nunquam posse* in unum concurrere;—vel quum in algebra dicitur $^a/_0$ esse *signum infiniti*, sensus est, symbolum hoc *nullum posse valorem* habere, nam sicut $^a/_2=4$, quia $2\times4=8$, et $^a/_4=b$ quia $2\times b=a$, ita $^a/_0=8$ quia $0\times\infty=a$; sed hoc ultimum repugnat, nullus enim valor est, nec finitus nec infinitus, cujus si nihil sumpseris, sumpseris positivam quantitatem a» (2). De infinito Mathematicorum vide, si lubet, fuse disputantem cl. P. Tilmannum Pesch (3).

Objic. 11.° Non est impossibile illud, quod est in potentia, reduci ad actum. Sed numerus est in infinitum multiplicabilis. Ergo non est impossibile dari multitudinem infinitam.—**Resp.** *Unumquodque, quod est in potentia, reducitur in actum secundum modum sui esse: dies enim non reducitur in actum, ut sit tota simul, sed successive: et similiter infinitum multitudinis non reducitur in actum, ut sit totum,*

(1) S. Augustin. *de Civit. Dei*, libr. xii, cap. 18.

(2) Van der Aa, *Ontolog.*, propos. 74, *Corollar.* 3.° pag. 239, Lovanii 1888.

(3) *Philos. natural.* num. 421.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed successive, quia post quamlibet multitudinem potest sumi alia multitudo in infinitum (1).

Plura de his dabunt auctores superius laudati. Unum autem restat discutiendum argumentum ex eo desumptum, quod Deus omnia simul possibilia cognoscat, quæ proinde in mente divina infinitam videntur efficere multitudinem objectorum cognitorum.

§ III.—UTRUM EX DIVINA COGNITIONE POSSIBILIUM EFFICACITER ENERVENTUR ARGUMENTA, QUIBUS EXCLUDITUR INFINITUM ACTUALE.

Utrum ex divina possibilium omnium cognitione infirmari queat hactenus stabilita doctrina.

Aperitur difficultas.

216. Gravis hic occurrit difficultas, mihique non parum obscura et perplexa, quæ forte in causa fuit, cur Cardinalis Toletus, vir sane acerrimo ingenio, sententiam longe communiorem de repugnantia infiniti categorematici, quam in libris *Physicorum* (2) propugnaverat, in posthumo opere: *Enarrationes in Summam theologicam S. Thomæ*, deseruerit, contrariamque tamquam probabiliorem fuerit amplexus (3). Re sane vera certum est Deum perfectissime nosse quidquid facere per suam omnipotentiam valet; res autem factibiles possunt majores ac majores sine ullo fine excogitari. Ergo aliquid debet in tota corporum creabilium collectione infinita reperiri, quod maximum, atque adeo infinitum sit. Ergo illud Deus facere potest, ac proinde infinitum secundum magnitudinem minime repugnat. Idemque plane dicendum est de infinita multitudine. Etenim infinita sunt possibilia, quæ Deus per totam æternitatem facere potest; sicut enim ipsa æternitas finem non habet, ita finem habere nequeunt, quæ per totam æternitatem factibilia sunt. Porro possibilia ejusmodi, quamvis omnia simul per collectionem completam nunquam erunt, nec possunt esse, quia æternitas nec desinere potest nec finem habere; nihilominus in mente divina omnia simul præsentia distinctissime sunt, siquidem Deus omnia unico simplicissimo intuitu simul perspicit. Ergo Deus

(1) S. Thom. 1, p. quæst. 7, art. 4, ad 1.^um
(2) *Physicor.* lib. 3, cap. 8, quæst. 6.
(3) In 1.^am p. quæst. 7, art. 4.

videt infinitam multitudinem. Quod si verum est, prorsus efficitur infinitum minime repugnare; tum quia Deus nequit cognoscere aliquid in se repugnans, tum quia quæcumque ad infiniti repugnantiam confirmandam adduximus, si quid valerent, eadem vi retorquenda essent in infinitum, prout in mente divina relucens. Cum ergo contra hoc nihil valeant, nihil quoque valere dicenda sunt contra infinitum a parte rei existens. Circa hanc dificultatem

Deus videt aliquomodo infinita.

217. **Dicendum 1.° est**, *Deum cognoscere infinita*, saltem præscindendo ab eo, quod sint infinita categorematice vel syncategorematice. Ita tenet cum S. Thoma (1), S. Bonaventura (2), aliisque priscis Theologis communis scriptorum sententia (3), idque certum esse docet Cardin. Pallavicinus (4) et Magister Albiz (5). Ratio autem est ea, quam modo exposui in proponenda objectione. Nam videt Deus omnia, quæ sunt in potentia vel sua vel creaturæ, itemque omnia, quæ imitari aliquo modo possunt suam infinitam essentiam; eaque omnia videt non confuse dumtaxat, sicut nos cognoscimus species in genere, vel individua in specie, sed distincte secundum proprias rationes ita, ut eo ipso modo et gradu perfectionis determinato, quo existerent in seipsis, si crearentur, perspiciat omnia individua possibilia cujuslibet speciei, omnesque species possibiles divinæ essentiæ repræsentatrices: in quibus possibilibus, sive speciebus sive individuis, nullus profecto esse, vel excogitari finis valet. Ergo videt Deus infinitum in possibilibus. Nec solum videt infinitam multitudinem possibilium omnium, sed insuper etiam actuum quorumdam existentium. Quia cogitationes et affectus beatorum in cælis ac dammatorum in inferis absque

(1) Vide 1 p., quæst. 14, art. 12; lib. 1.° *Cont. Gent.*, cap. 69; *de Verit.*, quæst. 2, art. 9; 1.° dist. 39, quæst. 1, art. 3; *Compend. Theolog.* cap. 133.
(2) 1.° dist. 35, art. unic. quæst. 5; dist. 19, art. 1, quæst. 3.
(3) Vide Suarez (*de Incarnat.*, disp. 26, sect. 4, vers. fin.), Vazquez (In 1.^am part., disp. 63), Valentia (In 1.^am part., quæst. 14, punct. 6), Sylvium (In 1.^am part., quæst. 14, art. 12), aliosque apud Cardin. Franzelin (*De Deo Uno*, thes. 41).
(4) *Assertion. theologicar.* lib. 8, *de Deo Uno et Trino*, cap. 33.
(5) *De Scient. Dei*, tract. 1, disp. 4, sect 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ullo limite multiplicabuntur per totam æternitatem. Illa autem omnia divinam effugere nequeunt scientiam. Ergo Deus non solum scientia, quam dicunt simplicis intelligentiæ, sed etiam visionis videt infinita (1).

Dices. Si Deus cognoscit infinita, poterit etiam per suam omnipotentiam, quæ non minor est scientia, illa omnia producere. Ergo si concedimus Deum cognoscere infinita, fateri quoque debemus infinitum possibile esse in rerum natura.

Resp. *dist.* conseq. Possibile est etiam in rerum natura infinitum syncategorematicum, *conc.*, categorematicum, *neg.* Primo quia nondum definivimus, utrum infinitum, quod esse objectum divinæ cognitionis concessimus, sit categorematicum, an vero syncategorematicum: quæ autem hactenus hac de re diximus, stare omnino possunt, licet infinitum in ideis divinis relucens sit tantum syncategorematicum. Perperam ergo illico infertur ex præjacta doctrina possibilitas infiniti categorematici. Deinde quamvis infinitum, quod divinæ menti objicitur, foret categorematicum, non recte adhuc concluderetur possibilitas ejusdem in rerum natura, quia rationes, quæ sunt in divino intellectu, non eodem modo, quo sunt in illo, ponuntur in *esse*, sed secundum modum, quem postulat, vel patitur ipsa rei efficiendæ conditio. Atqui res possibiles non omnes simul existere possunt, ut superius declaratum manet, sed multæ contradictoriæ sunt, aliæ successive ponendæ erunt, vel certe poni possunt per totam æternitatem absque ullo fine. Ergo quamvis ea omnia Deus simul intelligat, et quamvis omnipotentia non minor sit in se divina scientia, non tamen omnia possibilia simul esse in actu complecto queunt. Simili modo rationes omnium rerum etiam corporearum in divina quidem scientia immateriales sunt, non tamen possunt absque contradictione tales esse in seipsis. Ergo ex eo, quod res a Deo scitæ constituerent infinitam actu multitudinem, non sequeretur eam esse a parte rei possibilem.

Utrum infinitum quod est objectum

218. Et hæc quidem plana videntur esse; illud autem acriori concertatione in dubium revocatur, utrum infinita

(1) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 14, art. 12, 13; fr. alia loca supra citata.

hæc, quæ Deus cognoscit, categorematice vel actu, an vero syncategorematice vel potentia infinita dicenda sint. Ex altera parte categorematice infinita esse videntur, quia omnia simul cognoscit Deus. «Ergo ut sic actu sunt simul: ergo actu infinita; hoc enim differt infinitum actu ab infinito in potentia, quod illud est totum actu simul, hoc partim actu, partim potentia... Et confirmatur, nam si illa omnia, quæ simul cognoscuntur, simul essent in re, esset multitudo categorematice infinita. Sed eadem sunt nunc in cognitione. Ergo... In contrarium vero est, quia licet omnia illa simul sint cognita, tamen non aliter sunt infinita, quam in re esse possint; quia cognitio accommodatur rebus ipsis. Sed in re non possunt esse nisi categorematice infinita, quia non potest tota illa multitudo in re existere simul. Unde nihil referre videtur, quod in cognitione sint simul, si in re tantum fieri possunt successive, quia modus cognoscendi non variat modum quantitatis ipsius rei; nec res habet magnitudinem aut multitudinem suam, atque adeo quod sit finita aut infinita hoc vel illo modo, ex ordine ad cognitionem, quæ illi extrinseca est, sed in ordine ad existentiam, quam juxta naturam suam habere potest. Nec videtur recte dici posse illa esse infinita categorematice in *esse* cognito, et a parte rei infinita syncategorematice, quia non habet res aliam quantitatem in *esse* cognito, et aliam a parte rei; secus non esset vera cognitio. Et confirmatur, quia Deus ipse non videt aliud infinitum, quam sit possibile vel futurum. Sed non est possibile aut futurum infinitum categorematicum. Ergo» (1).

divinæ intuitionis, sit categorematice infinitum:

In hac controversia P. Vazquez (2), Card. Toletus (3), Rubius (4), Sylvius (5), Hieronymus Fassolus (6), Hurtadus (7), Arriaga (8), De Benedictis (9), aliique volunt multitudinem, quam Deus videt, actu et categorematice infinitam

prima sententia affirmativa.

(1) Suarez *de Incarnat.* disp. 26, sect. 4, num. 11, 12.
(2) In 1.am part., disp. 63, cap. 1, 2 et 3.
(3) In 1.am part., quæst. 7, art. 4.
(4) *Physic.* tract. 2, quæst. 2.
(5) In 1.am part., quæst 14, art. 12.
(6) In 1.am part., quæst. 7, art. 2, dub. 2.
(7) *Physic.* disp. 13, sect. 1.
(8) *Physic.* disp. 12, sect. 2.
(9) *Physic.* lib. 3, quæst. 5, cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

altera negativa communiter.

esse. At Suarez (1), cum quibusdam veteribus, Valentia (2), Tanner (3), Rhodes (4), Sylvester Mauri (5), Card. Aguirre (6), Antonius Mayr (7), Ludovicus Losada (8), Andreas Semery (9), et alii arbitrantur eam multitudinem esse syncategorematice dumtaxat infinitam. Idemque tenet cum quibusdam Scotistis Mastrius (10), ac denique Frassen (11), et multi recentiores (12). Et eamdem fuisse mentem Angelici Doctoris probare contendit P. Gregorius de Valentia.

Quanta sit connexio hujus quæstionis cum controversia de repugnantia infiniti categorematici.

Inter duas hasce sententias judicio Doctoris Eximii «in re non videtur esse magna diversitas, nam omnes conveniunt in his: primo illa, quæ videntur, non esse in certo aliquo numero finito, nec posse perveniri in finem eorum, numerando unum post aliud. Secundo, illa omnia simul cognosci, et ita esse simul aliquo modo, scilicet objective. Tertio, illam collectionem non posse actu poni in re. Quibus positis, fere de modo loquendi videtur controversia» (13). Nihilominus quamvis ad adstruendam possibilitatem actualis infiniti parum fortasse referat, ut quis multitudinem eorum, quæ a Deo cognoscuntur, categorematice vel syncategorematice infinitam dicere velit; tamen ad impugnandam infiniti possibilitatem equidem existimo multitudinem illam divinæ cognitioni objectam syncategorematice infinitam dicendam esse.

(1) Loc. nup. cit.
(2) In 1.am part., quæst. 14, punct. 6.
(3) *De Deo*, disp. 2, quæst. 2, dub. 4, assert. 6.
(4) *Philos. peripat.* lib. 2, disp. 3, quæst. 3, sect. 3, paragr. 1.
(5) *Quæstion. philos.* tom. 2, lib. 2, quæst. 34.
(6) *Physic.* disp. 22, sect. 5.
(7) *Philos. peripat.*, pars ultim. disp. 1, quæst. 2, art. 6, n. 1312 seqq.
(8) *Pysic.*, tract. 1, disp. 3, cap. 3.
(9) *Trienn. philosoph.* tom. 2, disp. 8, quæst. 3, art. ult.
(10) *Physic.* disp. 10, quæst. 6.
(11) *Physic.* disp. 2 *de Contin.* sect. 2, quæst. unic., in respons. ad *Dices* 2.°
(12) Vide cl. P. Liberatore *(Ontolog.* num. 167). Tongiorgi *(Ontolog.*, num. 355 seqq.), cl. P. Palmieri *(Theodicea* thes. XXVI), cl. P. Pesch *(Philos. natur.* num. 423 seqq.), cl. Van der Aa. *(Ontolog.*, propos. 74, *Objic.* 4.°).
(13) Suarez, loc. cit. n. 13.

Primum horum probatur, quia multitudo eorum, quæ a Deo simul videntur tamquam possibilia, vel etiam tamquam futura per totam æternitatem, non potest unquam complete poni a Deo in *esse*, non quidem ex defectu potentiæ, sed ex conditione ipsarum rerum possibilium aut futurarum, quæ partim contradictoriæ sunt, partim successive erunt per totam æternitatem, ideoque licet simul cognoscantur a Deo per unicum simplicissimum actum, non tamen possunt omnes actu et complete in *esse* positæ existere, prout jam superius explicatum remanet. Ergo ex eo quod Deus videat infinitam possibilium multitudinem, sive categorematice sive syncategorematice infinitam dixeris, non videtur illico posse inferri possibilitatem infinitæ actu multitudinis in rerum natura.

Alterum ex eo mihi persuadeo, quod non videam, quomodo admissa cognitione divina infinitæ actu multitudinis, possit efficaciter infiniti categorematici repugnantia convinci. Si enim possibilia, prout menti divinæ præsentia, infinitam categorematice multitudinem efficiunt: plane videtur sequi multitudinem ejusmodi in seipsa non repugnare; si enim repugnaret, non posset a Deo cognosci. Deinde contra infinitum actuale intentionale seu in mente Dei existens, eadem argumenta urgeri possunt, quibus superius usi fueramus adversus infinitum reale. Ergo vel utrumque negandum vel utrumque admittendum est. Quamobrem, ut ad propositam in hac questione difficultatem, tum relate ad magnitudinem, tum relate ad multitudinem infinitam divinæ cognitioni objectam, respondeam, aperiamque quid mihi verosimilius in re obscurissima videatur.

219. Dico. 2.° **Multitudo rerum cognitarum a Deo, etiam prout existens intentionaliter in mente divina, non videtur esse actu et categorematice infinita, sed potentia dumataxat et syncategorematice.**

Multitudo rerum a Deo cognitarum etiam prout est intentionaliter in mente divina non videtur esse

Prob. 1.° Quod est in se chimæricum et repugnans, nequit esse objectum cognitionis divinæ. Atqui ostensum est, infinitam actu multitudinem chimæram esse, atque in se repugnare. Ergo... Itaque si Deus videret multitudinem actu infinitam, videret illam augmenti ac decrementi capacem;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

categorematice infinita.

videret infinitum denariorum decuplo majus infinito unitatum; videret totum, quod non est majus sua parte etc., quemadmodum superius argumentabamur: quæ omnia sunt absurda.

Prob. 2.° Ad hoc ut multitudo rerum, prout a Deo cognita, foret actu infinita, oporteret, ut Deus omnes illas res collective cognosceret, seu per modum unius collectionis complete actuatæ. Atqui non potest hoc pacto Deus rerum omnium multitudinem videre. Nam α) in primis res possibiles sunt sine fine multiplicabiles; deinde actus animæ immortalis sine fine multiplicabuntur tamdiu, quamdiu durabit æternitas. Collectio vero harum rerum complete actuata debet omnes illas ita claudere in se, ut nulla alia sit assignabilis extra illam; secus enim quæcumque non continerentur intra talem collectionem, profecto nequirent ad illam pertinere, nec proinde collective cognosci. Atqui nunquam tot erunt positi actus animæ immortalis in quolibet instanti æternitatis, quin plures et plures sine fine sint ponendi, nec tot assignari possunt res possibiles, quin pariter alii plures in infinitum assignari queant. Ergo repugnat, ut Deus videat omnium rerum sive possibilium sive futurarum multitudinem collective, seu instar unius collectionis plene actuatæ omniaque prorsus sub suo ambitu comprehendentis; sed necessario dicendum est Deum illa omnia videre distributive, aut etiam per plures ac plures collectiones, puta binariorum, centenorum, millenorum, etc., nunquam exhauribiles. β) Præterea si Deus omnia, quæ videt, collective seu instar collectionis complete actuatæ videret, quoniam cognoscit etiam omnes numeros finitos possibiles, simili modo collective illos videret; par enim est ratio utrobique. Atqui hoc prorsus repugnat. Etenim si Deus ita cognosceret omnes numeros finitos possibiles, cognosceret etiam aliquem, qui cæteros omnes excedit, videlicet cognosceret numerum finitum maximum omnium. Atqui numerus finitus maximus omnium repugnat, ut in *Ontologia* probatum est. Ergo...

Prob. 3.° Si multitudo in divina mente relucens actuum immortalis animæ per totam æternitatem futurorum, foret categorematice infinita, videret profecto Deus eam constare ex unitatibus, et infinitam evadere per additionem novi

alicujus actus ad præcedentes; nam actus illi successive ponentur ac singillatim, nec ad infinitum numerum propterea perveniunt, quia in aliquo instanti simul infiniti actus ab anima eliciantur. Ergo nequit explicari vel concipi, quomodo multitudo illa crescat usque ad infinitum, nisi per additionem finiti ad finitum. Atqui id prorsus evertit conceptum infiniti actualis, ut jam probatum est in *Ontologia* (1).

Prob. 4.° Cum Eximio Doctore, «quia illa multitudo, quamvis simul cognita, talem habitudinem habet ad suam existentiam, ut ex intrinseca natura sua petat non posse exhauriri, cum fit. Unde in sua intrinseca ratione includit hanc veluti potentialitatem, ut semper scilicet aliquid illius restet efficiendum. Et in hac potentialitate consistit ratio infiniti syncategorematice; sicut quamvis tempus totum simul cognoscatur, ipsum tamen, etiam cognitum, ens successivum est, quia talem habitudinem habet ad existentiam, ut non possit totum simul existere, sed pars post partem. Similis enim ratio est de hoc infinito in potentia; includit enim in conceptu suo successionem quamdam in existentia seu productione sua. Et hoc modo salvantur multa, quæ tractari solent de infinito, ut est in cognitione divina» (2).

220. Dico 3.° **Deus non videt ullam magnitudinem quantitativam actu infinitam.**

Deus nullam videt quantitativam magnitudinem actu infinitam.

Hæc assertio forte certior et clarior est precedenti: unde etiam quidam, qui concedunt multitudinem rerum a Deo cognitarum esse actu infinitam, negant idem dici posse de magnitudine (3).

(1) Vide *Ontolog.*, n. 102, *propriet.* 1.ª, pag. 563.

(2) Suar. loc. cit., n. 14.

(3) Ita v. g. Joan. a S. Thom. (*Physic.*, quæst. 15, art. 7,) qui hanc reddit discriminis rationem: «Ad multitudinem syncategorematice infinitam et in potentia nihil deest, nisi quod simul in actu ponatur, ut reddatur infinitum actu; hoc autem consequitur beneficio intellectus simul in actu videntis ea, quæ non sunt simul, sed syncategorematice et in potentia infinita. Ut autem detur magnitudo infinita, non sufficit simul apprehendere plures vel omnes magnitudines, quæ cognoscuntur fieri posse, sed requiritur quod cognoscatur una magnitudo extra omnem terminum extensa et actu infinita; hæc autem non est possibilis ex parte rei cognitæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Ratio autem est, quia licet crescere usque possit magnitudo sine fine, nunquam tamen pervenire potest ad hoc, ut sit actu infinita, quia talis magnitudo impossibilis est, nec proinde inter omnes possibiles magnitudines videri a Deo potest. Sicut jam etiam in *Ontologia* declaravimus, probavimusque, species rerum creabilium perfectiores ac perfectiores in infinitum esse posse, quin tamen ulla plenam attingat essentiæ divinæ imitationem, nec proinde actualem in perfectione infinitatem (1). Id porro quomodo non repugnet, illustrari potest exemplo trianguli, qui certe crescere et ipse potest magis ac magis sine ullo limite, et nihilominus infinitus evadere nequit, quia est figura essentialiter terminis comprehensa. Ergo bene stat, quod magnitudo possit crescere in infinitum, quin tamen possit aut infinita effici, aut omnium finitarum possibilium maxima assignari (2).

Quædam objectiones solvuntur

221. **Objic. 1.°** Res possibiles utcumque in seipsis nequeunt omnes simul existere, at in mente divina simul existunt intentionaliter. Atqui res infinitæ simul existentes constituunt infinitum categorematicum. Ergo multitudo possibilium, prout in mente divina existens, actu infinita dicenda est.

Resp. *dist.* Major. In mente divina simul omnes existunt simultate cognitionis, *conc.*; simultate objecti constituentis unam collectionem complete actuatam, *neg.*; nam multitudo ejusmodi chimerica est.

Et *contradist.* Minor. Res infinitæ simul, id est uno actu, cognitæ constituunt infinitum categorematicum, *neg.*, simul cognitæ ex parte objecti ita, ut objectum repræsentetur instar collectionis determinatæ ac plene actuatæ, extra quam nihil aliud assignari queat, *conc.* Deus ergo non successive cognoscit multitudinem etiam eorum, quæ successive fieri et esse nata sunt, sed omnia unico simplicissimo actu repræsentat; verum hic unus actus non exhibet omnia per modum unius collectionis, sed distributive dumtaxat: quare cognitio illa ita terminatur ad singula individua vel singulas

(1) Vide *Ontolog.*, n. 205, p. 585 seqq.

(2) Cfr. quæ in citato loco *Ontologiæ* fusius disputata sunt de creatura omnium perfectissime.

determinatas collectiones individuorum quascumque, ut præter illa possint assignari alia et alia sine ullo fine, quæ pariter cognoscantur a Deo. Simili modo Deus cognoscit possibiles species creaturarum magis ac magis perfectas sine fine.

Dices 1.° Deus ita cognoscit singula possibilia et actus animæ immortalis per totam æternitatem futuros, ut nullum prorsus eorum ignotum maneat. Quid ergo vetat, quominus illa omnia collective cognoscere dicatur? Nam omnium profecto eorum, extra quæ nihil est, videtur fieri posse collectio.

Resp. *neg.* conseq. Ad probation, *dist.* assertum. Eorum omnium, extra quæ nihil est, videtur fieri posse collectio, si illa finita sint, sive actu sive patientia, *conc.*, si sint potentia infinita, *neg.* Nam proprium est collectionis complete actuatæ, ut habeat ultimum. At in possibilibus et in actibus per æternitatem exercendis ab immortali anima vel angelo, nullum ultimum assignari potest, sicut in nullo generatim infinito syncategorematico (1).

Dices 2.° Si creaturæ omnes possibiles non cognoscuntur a Deo instar collectionis determinatæ et completæ, aliqua creatura ab ipso non cognoscitur. Atqui hoc absurdum et impium est. Ergo... Prob. Major. Quia creaturæ possibiles non existunt realiter per modum unius collectionis, ideo aliqua saltem realiter non existit. Ergo a pari ex eo, quod omnes res possibiles non cognoscuntur, seu existunt intentionaliter per modum unius collectionis, sequitur aliquam illarum non existere intentionaliter, seu non cognosci.

Resp. *neg.* Major. Nam ut ex *Dialectica* notum est, præter suppositionem collectivam, adest distributiva, quæ etiam supponit pro omnibus suis inferioribus. Ergo potest Deus omnia possibilia distributive cognoscere, quin ullum se lateat. Sic in hisce propositionibus: *Omnis homo habet unum tantum nasum*, subjectum exprimit omnes homines distributive, non collective, et supponit pro omnibus et singulis absque ulla exceptione: ac proinde quicumque novit veritatem hujus propositionis, apprehendit in universali subjecto individua prorsus omnia distributive.

(1) Cfr. Card. Aguirre, loc. num. 39, 40

Ad probation., *neg.* parit., quia cum non solum per collectivam cognitionem, sed etiam per distributivam cognosci queant omnia sine ulla exceptione; ex eo quod Deus non cognoscat omnia possibilia collective seu tamquam partes unius collectionis determinatæ et completæ, non sequitur quod illa non cognoscat distributive.

Dices. 3.º Si Deus cognoscit possibilia omnia tantum distributive, et non per modum unius collectionis determinatæ, non scit, quod ea, quæ cognoscit sint omnia quotquot sunt possibilia: quod nefas est cogitare. Sane si quis belli dux suos milites non cognoscat per modum collectionis, sed tantum distributive, non cognoscit, quod sint prorsus omnes; atque adeo poterit quidem dicere: *Petrus adest, Paulus adest* etc.; sed non poterit dicere: *Omnes nemine excepto, adsunt.* Ergo a pari Deus si non cognoscat possibilia omnia collective, non poterit dicere: *Hæc quæ cognosco, sunt omnia quotquot dantur possibilia.*—Resp. *neg.* Major. et paritatem exempli adducti in ejus probatione. Collectio militum cognoscibilis est in se, utpote finita et valde limitata: quamobrem vel defectus attentionis applicationisve objecti vel imperfectio intellectus est in causa, cur belli dux illam non cognascat, et consequenter nequeat scire num milites, quos videt, sint omnes quotquot exercitum suum componunt, supposito quod non aliud ei medium suppetat id cognoscendi. At possibilium omnium dari collectio una determinata et completa nequit, atque adeo Deus non videt possibilia collective, sed tantum distributive. Et nihilominus scit perfectissime præter ea, quæ videt, nullum aliud possibile esse, tum quia comprehendit adæquate suam omnipotentiam, ac proinde terminos omnes, ad quos potest illa se extendere; tum quia novit nihil scientiam suam posse effugere, et sic videns illa omnia, quæ in eadem relucent tamquam possibilia, nihil præterea possibile esse certissime intelligit.

Objic. 2.º Si omnia et singula possibilia cognoscuntur a Deo; etiamsi non cognoscantur collective, sed tantum distributive, jam existit in mente divina infinitum categorematicum, saltem materialiter. Atqui in ejusmodi infinitum eodem jure retorquentur argumenta contra infinitum

categorematicum superius facta. Ergo frustra laboramus distributivam possibilium omnium Deo cognitionem asserentes, collectivam negantes. Major probatur exemplis. Nam lupus quia cognoscit omnes partes ovis, quamvis non cognoscat cognitione comparativa aut collectiva, tamen cognoscit materialiter totam ovem; item videns omnia ædificia urbis, etsi ea non videat comparando inter se, aut per modum unius collectionis, tamen videt, saltem materialiter, totam urbem.

Resp. *neg.* Major. Illud totum dicitur materialiter cognosci, quod realiter constituitur ex partibus quibusdam, quæ vere cognoseantur per cognitionem non comparativam earum ad se invicem. Et propterea lupus dicitur videre totam ovem, ac videns omnia urbis ædificiat, videt materialiter totam urbem. At infinitum categorematicum cum sit chimæricum, non est totum realiter constitutum ex possibilibus, tamquam ex partibus. Quare licet partes videantur distributive, non sequitur, quod videatur totum, etiam materialiter.

Objic. 3.º Ideo negatur possibilia videri per modum collectionis, quia non possunt simul omnia existere, sed tantum successive. Atqui hoc non sufficit ad negandum possibilia cognosci a Deo negative. Nam etiam dies v. g. unius anni nequeunt existere nisi successive, at nihilominus possunt omnes videri simul, non tantum ex parte videntis, sed etiam ex parte objecti seu collective.

Resp. *neg.* Major. Ratio enim, cur possibilia omnia nequeant videri collective, non est solum quod non possint existere simul, sed quod nec successive possunt omnia prorsus in existentiam venire complete ita, ut verum aliquando futurum sit in aliquo puncto æternitatis, nihil aliud jam remanere, quod possibile sit. Ideo Deus non potest videre possibilia reducta ad unam collectionem completam et plene actuatam; quia quascumque collectiones determinatas videat, cognoscit non omnia possibilia ibi contineri, sed plura et plura absque ullo fine adhuc addenda esse, quia nec æternitas finem habet, nec intrinseca rerum factibilium possibilitas, nec divina omnipotentia limitem ullum agnoscit per totam æternitatem, et consequenter nec Dei scientia videre potest ullam multitudinem possibilium vel factibilium actu clausam vel completam et ad exitum perductam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 4.° Juxta nos omne creatum vel creabile, quod Deus videt, finitum foret. Atqui id absurdum est; quia repugnat quidpiam finitum esse adæquatum objectum divinæ scientiæ.

Resp. *dist.* Major. Juxta nos omne creatum vel creabile, quod Deus videt, foret finitum actu, sed sine fine augibile, *conc.*, secus *neg.*

Et *contradist.* Minor., ad cujus probation. *neg* suppositum, nimirum quod creatæ vel creabiles res constituant objectum adæquatum divinæ scientiæ; ad quod pertinet etiam, et quidem tamquam primarium objectum, ipsamet essentia Dei.

Objic 5.° Deus videt collectiones possibilium plures et plures, semperque majores sine fine. Ergo existit in mente Dei aliqua, quæ excedit collectiones præcedentes infinitas, vel saltem est ipsis æqualis. Atqui collectio ejusmodi est infinita. Ergo.—**Resp.** *neg.* primum conseq. Nam Deus nunquam videt ullam collectionem præcedentem esse infinitam, nec videt collectiones omnes simul sumptas numero infinitas esse; sed tantum videt plures ac plures et majores præcedentibus collectiones, semper tamen finitas et in infinitum augibiles. Cujus rei hæc ratio afferri potest, quod Deus videat subsequentes collectiones semper crescere per augmenta finita, per quæ nihil potest infinitum effici. Simili modo videt Deus species rerum sine fine perfectiores ac perfectiores, quin tamen aliquam perfectissimam omnium vel infinitam deprehendat, quemmadmodum in *Ontologia* dictum est.

Objic. 6.° Si possibilia omnia, quæ sunt in mente divina, ponerentur in re, plane essent actu infinita. Ergo in mente Dei est iufinitum categorematicum.—**Resp.** *dist.* antec. Si ponerentur a parte rei eo modo, quo sunt in mente divina, *neg.*, alio modo chimærico, *trans.*, et *neg.* conseq. Nam in mente divina quælibet res possibilis vel possibilium collectio existit ut involvens, vel saltem in aliquo connotans negationem plurium aliarum sine fine apponibilium; quia nulla prorsus assignari potest tamquam ultima, quamque nulla alia sequatur: itemque quælibet creatura existit in intellectu Dei ut pars collectionis. Et proptera non existit in mente Dei

infinitum categorematicum; nec proinde in re ipsa existeret, si eodem modo poneretur (1).

CAPUT II.

DE CONTINUO.

222. Post caliginosam de infinito controversiam succedit alia non minus caliginosa de quantitate vel extensione continua, circa cujus naturam et compositionem fusissimæ exstant veterum scriptorum disputationes, in quibus hinc inde pro diversitate opinionum congesta legere licet argumenta quædam implicatissima et vix non penitus insolubilia. Prius autem ratio ipsa continui enucleanda est, ac realitas vindicanda contra recentiorum Physicorum pervulgatam opinionem.

ARTICULUS I.

Notio et existentia veri continui permanentis.

Quid continuum,

Continuum quid sit, melius cognoscitur per oppositionem ad *contiguum* et *dissitum*. Continua namque dicuntur ea, *quorum extrema sunt unum* (2), seu quorum partes communi termino vel vinculo tenentur: talis est v. g. linea geometrica. *Contigua* sunt, *quorum extrema sunt simul* (3), seu quæ licet propriis distinctisque terminis claudantur, sese tamen immediate tangunt: talis sunt granuli arenæ in acervo. Denique consequenter se habentia seu dissita sunt ea, *inter quæ nihil est medium, quod sit ejusdem rationis* (4), seu quæ

contiguum,

et dissitum.

(1) Vide Mayr loc. cit. n. 1244, 1245, 1246, 1247, 1251, 1255, 1256, 1258; apud quem plura, si lubet, require). Cfr. Senery *Trident. philos.* tom. 2, disp. 8, quæst. 31, Mastrius *Physic.* disp. 10, quæst. 6), Cardin. Aguirre (loc. cit. sect. 3, potissimum a n. 19), Lossada (loc. cit. n. 4, 5 seqq.)

(2) Συνεχῆ, ὧν τὰ ἔσχατα ἕν. Arist. lib. 6, *Physicor.* cap. 1, text. 1.

(3) Ἁπτόμενα δ' ὧν τὰ ἔσχατα ἅμα. Id. ibid.

(4) Ἑφεξῆς δ' ὧν μηδὲν μεταξὺ συγγενές. Id. ibid.

Continuum permanens et successivum;

interpositis spatiis separantur: v. g. duo homines, inter quos nullus alius homo est medius. Continuum dispescitur in *permanens* et *successivum*, prout partes ejus sint omnes simul tempore, vel non sint simul, sed una post alteram haud interrupto fluxu (1). Differt porro continuum permanens et successivum, quia permanens habet omnes partes suas simul in actu, successivum autem unam post alteram. Præterea permanens durat, etiam postquam fit, vel factum est; successivum autem non durat, nisi *quamdiu* fit. Continuum dividi quoque solet in perfectum et imperfectum. Perfectum est illud, quod omnes ac singulas partes suæ extensionis haberet communibus terminis ac vinculis unitas, ut evenit in linea et superficie ac solido corpore, quod Mathematici contemplantur, imperfectum est illud, quod non omnes partes eo modo unitas tenet, sed aliquas dumtaxat, alias vero aut solum contiguas, aut etiam spatiolis interpositis discretas. Rem exemplo intelliges: sume tabulam æneam perfectissime lævigatam, in qua nulli cernantur pori; tabula ejusmodi apparenter certe continua est, esset autem re etiam perfecte continua, si eodem modo in seipsa se haberet, sicut oculis nostris apparet. Si in eadem tabula mox hac illac foramina aperueris, habebis continuum imperfectum.

perfectum et imperfectum.

Utrum admittendum sit veri nominis continuum.

Hic vero statim occurrit quæstio de realitate continui. Nam extra controversiam quidem est, dari continuum saltem apparenter, seu extensionem, quæ sensibus nostris continua videatur; talis enim apparet oculis extensio hujus chartæ, aquæ, auri etc.: at non parum disceptatur nostris temporibus, num ejusmodi extensio, quæ nostris obtutibus continua manifestatur, sit reapse talis, an pure phænomenalis. Prius tamen, quam vel rem ipsam definiamus, vel auctorum recenseamus sententias, duplex distingui potest cum quibusdam auctoribus continuum: *formale* et *virtuale*. Continuum formale est id, quod re vera extensum est, ac partibus constat, in quas est divisibile. Virtuale vocant ens, quod in se

non virtuale solum, sed formale.

(1) Medium tenet quodammodo inter hæc continuum secundum intensionem, quod nimirum sucessive magis ac magis intenditur, retinendo totam intensionis perfectionem prius acquisitam. Nam hujusmodi continuum erit, ut patet, successivum *in fieri*, et permanens *in facto esse*. Vide Lossada, *Physic.* tract. 3, disp. 4 in proœmio.

quidem simplex est et inextensum ac proinde nullis constans partibus, in quas dividi queat, est tamen natura sua destinatum ad occupandum spatium divisibile majus aut minus, non secus ac si partes haberet, nec patitur secum aliud quodlibet ens simile intra illud spatium. In exemplum afferri potest ad capiendum hujusmodi continuum virtuale anima rationalis, quæ quamvis simplex sit et prorsus inextensa, ita tamen natura sua constituta est, ut toti humano corpori sit præsens: ad eumdem ergo modum intelligi potest entitas corporea, in se quidem inextensa, quæ tamen extensum exigeret occupare locum, illaque dici posset continuum, non quidem formale, sed virtuale (1).

Sententia affirmativa, communis inter Scholasticos,

Est ergo sententia communis Peripateticorum veterumque pariter ac recentiorum Scholasticorum, tenens dari in corporibus verum ac formale continuum, quamvis continuitas eorumdem non sit per totam extensionem perfecta, sed poris ac interstitiis hac illac abrupta. Reale continuum admittunt etiam, ut superius notavimus, Kantius, Schelling aliique dynamistæ scholæ transcendentalis.

quibus adstipulantur quidam dynamistæ.

Sententia negans, communissima et ipse inter naturalium scientiarum cultores

At extensionem continuam realem esse vehementer negant nostris diebus plerique scientiarum naturalium cultores, quibus corporeæ moles non sunt nisi aggregata quædam et congeries particularum minimarum (sive moleculas, sive atomos, sive monades, sive alio quovis illas nomine appelles), invicem discretarum ac spatiolis interpositis separatarum, aut ut summum pure contiguarum, quæ in subtilissimo medio, æthere, innatantes ac variis animatæ motibus, agant, et reagant inter se collidentes, motusque suos varie componentes ac transformantes. Hinc accedentibus magis hujusmodi particulis volumen corporis imminuetur, ac discendentibus augebitur, licet eadem semper materiæ massa inalterata in se perseveret (2): et hoc tandem pacto phænomena dilatationis et compressionis lucidissime explicari posse arbitrantur.

(1) Vide cl. P. Palmieri, *Cosmolog.* thes. 3.

(2) Vide Palmieri *(Cosmol.*, thes. 15, part. 1. Cfr. thes. 1.ª)

*A ces propositions il faut cependant ajouter l'hypothèse, généralement admise parmi les physiciens et les chimistes modernes de la constitution moléculaire ou atomique des corps, d' après laquelle la masse n' est pas continue, mais forme un agrégat d' éléments

Cæterum hujusmodi particulæ ultra omnem modum minimæ sunt (1), spatiisque respectu ipsarum amplissimis

inaltérables qui, en ce sens au moins, sont de simples unités». Stallo, *La Matière et la Physique moderne*, chap. 2, pag. 12, Paris 1891.

«Les dernières particules des corps ne se touchent pas; elles sont séparées par des intervalles relativement grands. Elles se meuvent dans l'éther, et pour les corps gazeux, leurs distances sont immenses par rapport à leur dimensions; elles sont très considerables pour les corps liquides et solides. L'espace occupé par l'unité de volume des corps est donc loin d'être rempli par la substance atomique elle-même; il comprend une portion probablement considérable de l'éther. En d'autres termes, la notion de la densité des corps comprend deux elements distincts, mais inséparables, savoir: les dernières particules qu'on nomme atomes ou molécules, et les espaces interatomiques et intermoléculaires. Cette remarque fixe le sens qu'il faut attacher aux expressions *volumes atomiques* et *volumes moléculaires*» Wurtz, *La Théorie atomique*, lib. 1.er, chap. 7, pag. 135. Paris 1880. Cfr. ib. liv. 2, chap. 4, pag. 223.

«I corpi, scribit P. Angelus Secchi, realmente ci si presentano sotto aspetto discontinuo, anche quando sembrano formare un continuo apparente» *(Unità delle forze fisiche*, t. 2, lib. 4, cap. 1, pag. 270). «La continuità della materia, se è facile asserirla, è pero inconciliabile coi fenomeni del moto, e qualindi qualunque siesi l'ultimo termine di sua attenuazione, essa deve esser composta di volumi discontinui». (Id. ib. p. 272. Cfr. vol. 1, lib. 1, cap. 7, pag. 113, et pag. 105). Similia habet Cantoni *(Lezioni di Fisica*, pag. 58, 59): similia Henricus Martin *(Philosophie spiritualiste de la Nature*, tom. 2, ch. 14, et 16), et Hugo Schiff *(Introduzione allo studio della Chimica*, pag. 7, 8. Torino 1876), et Cook (apud *Scienza italiana*, ann. 2, vol. 1, p. 377), et alii passim.

(1) «Les données acquises sur les diamètres des molécules ont permis de calculer approximativement leurs sections et leurs volumes. Pour l'air, ces deux grandeurs ne sont que de petites fractions, la première d'un carré, la seconde d'un cube dont le côté serait la millionième partie d'un millimetre. On peut faire un pas de plus: les volumes moléculaires étant connus, on peut calculer le nombre des molécules dans l'unité de volume des gaz, et aussi leurs distances respectives et leurs poids absolus. Ici nous arrivons à des resultats numériques qui confondent l'imagination et dont on a quelque peine à saisir la signification reelle. Un centimetre cube d'air renfermerait 21 trillions (21,000,000,000,000,000,000) de molécules»... Wurtz, *La Théorie atomique*, liv. 2, ch. 4, pag. 234, Paris, 1880.

«In un milligrammo di un' essenza odorifera non si esagererebbe, inquit Cantoni *(Elementi di Fisica*, pag. 16, Milano, 1770), ad

disgregantur (1): atque haud incongrue comparari possent pulvisculis in aëre fluitantibus, aut etiam variis globis ejusdem systematis planetarii (2). Quamobrem isti auctores in molibus corporum, quæ cadere sub experientiam sensuum possunt, ne contiguam quidem admittunt extensionem, nedum continuam.

In minimis autem illis particulis, quas atomos dicunt, quæque secari ulterius mediis saltem naturalibus nequeunt, quidam atomistæ non gravantur verum ac formale continuum agnoscere (3). At dynamistæ illi, qui ex punctis simplicibus et inextensis ac prorsus insectilibus invicem separatis corpoream extensionem conflari autumant, ne in minimis

ammetterne a trillioni». Mons. Giuseppe Rubbini, ap. *Scienza italiana*, anno 1, vol. 2 pag. 482.

(1) Ex sententia Young particulæ aquæ tantum distant ut minimum invicem proportionaliter, quantum distarent centum homines, si per totam superficiem Angliæ dispergerentur æqualiter inter se separati. Vide Grove *(Correlation des Forces physiques, traduit par Moigno*, pag. 104, 165. Paris 1868).

Alcuni moderni ammettono, inquit Rubbini (loc. nup. cit.), queste distanze così grandi relativamente al volume delle particelle, da ritenere che nei solidi anche i più densi il rapporto di tali distanze ai diametri delle particelle sia paragonabile al rapporto che vi è tra le distanze dei corpi celesti ed il diametro dei corpi stessi. Vide Moigno *(Physique moléculaire*, pag. 4, Paris 1868). Verum P. Angelus Secchi negat tantam distantiam proportionalem inter particulas corporeas admitti posse. Vide *Unità delle Forze fisiche*, t. 1, lib. 2, c. 6, p. 309; et t. 2, lib. 4, cap. 1, pag. 272, et alibi.

(2) Audi Augustum Laugel: «Cette comparaison est d'autant plus exacte qu'on a le droit de considérer chaque corpuscule materiel comme une sorte de petit monde, comme un tourbillon, qui comprend un certain nombre d'atomes remplacent les corps célestes; celle du corps simple est un soleil sans appendices planétaires; la molécule composée est un soleil entouré de planètes; certaines molécules organiques complexes dépassent en complication tout ce que peuvent montrer les cieux». Laugel *(Les problèmes de la Nature, La dinamique*, paragr. *Le mouvement invisible*, pag. 119. Paris 1873]. Vide etiam Mons. Rubbini *(Lezioni elementari di Fisica*, lez. 1.a num. 17), et P. Angelum Secchi (op. cit. tom. 2, lib. 4, cap. 1, pag. 271-272).

(3) Ita v. g. Tongiorgi *(Cosmolog.* num. 97 et 157), Helmholtz *(Rede auf G. Magnus)* apud el. Pesch. *(Philosoph. natur.* num. 254, nota 2.a), De Broglie *(Le continue matériel*, paragr. 3 et 4; *La theorie scholastique et la Science moderne*, paragr. 2).

quidem hisce particulis volunt dari continuum. Denique alii quidam atomistæ in atomis inextensis, ex quarum congerie putant constitui corpoream molem apparenter dumtaxat continuam, ponunt continuum non quidem formale, sed virtuale. Ita opinatur cl. P. Dominicus Palmierius, qui cum continuum aliquod necessario admittendum esse videret, in animum tamen sibi induxisset verum ac formale continuum non solum in grandioribus molibus, sed in ipsis etiam atomis repugnare; continuum virtuale excogitavit, quod in minutissimis hisce materiæ particulis sit agnoscendum. Sane quamvis atomi, ut ipse quidem existimat, sint inextensæ partiumque quarumlibet expertes, si tamen ponantur spatium divisibile occupare, virtualiter continuæ dici poterunt et quodammodo extrinsece divisibiles, quatenus spatium illud extensum, quod occupant, potest esse majus ac minus sine fine, sicut ipsum verum ac formale continuum ab ejus assertoribus dividi, atque adeo minui sine fine posse existimatur. Ut porro novitatis notam a se averteret clarus scriptor, veteres quosdam Philosophos laudat, qui continuam extensionem ex punctis *inflatis* componi autumabant, quæ nempe quamvis in se inextensa et simplicia essent, sese tamen in spatio dilatarent, vel spatium occuparent extensum ac divisibile: de qua opinione mox aliquid dicemus, cum de continui compositione disputandum erit. Quid enim tandem sunt puncta illa *inflata*, nisi entia quædam simplicia et inextensa extensum spatium occupantia? (1). Est tamen, meo quidem judicio, ingens discrimen, quantum attinet continui existentiam, inter punctorum illorum inflatorum patronos, et P. Palmierium, entibus simplicibus seu atomis virtualem dumtaxat extensionem continuam largientem. Illi enim verum ac formale continuum agnoscebant ex punctis, non invicem separatis, sed communi vinculo connexis coalescens: unde ipsa puncta, non continua, sed elementa solum extensionis vere ac formaliter continuæ volebant esse; at vero recens scriptor e contrario, quia corpora arbitratur esse meram congeriem atomorum inextensarum invicem separatarum, nullam prorsus corpoream extensionem molemve formaliter ac vere

Sententia virtuale dumtaxat continuum admittentium.

(1) Vide cl. P. Palmieri, *Cosmolog.*, thes. 3.

continuum vult agnoscere. Ut autem nomen saltem continui servet, immo et realitatem se retinere sibi persuadeat, admittit quidem illud in solis atomis, non tamen formale, sed tantum virtuale. Ceterum utrum saltem æther, qui spatia vacua replet, et in quo atomi corporeæ dicuntur ex recentiorum Physicorum placitis fluitare, continuus sit necne, non tam communiter nec asseveranter ab iisdem aut affirmatur, aut negatur (1).—Verum jam ad solutionem propositæ controversiæ gradus faciendus est.

223. Propositio 1.a **Non solum in minutissimis corporum particulis, sed in grandioribus quoque molibus, admittenda est veri nominis continuitas ita, ut corpora, quæ sensibus nostris objiciuntur, non apparenter modo, sed re etiam sint continua, sin minus perfecta, at certe imperfecta et partim interrupta continuitate.**

Admittendum est veri nominis continuum saltem virtuale.

Dicimus *saltem imperfecta continuitate*. Quia negari nequeunt in corporibus interstitia porique hac illac distributi; nec solum sensibiles quales cernuntur passim, sed etiam alii occultiores. In ipsis etiam viventibus, in quibus major videtur esse continuitatis necessitas, adsunt plures partes discretæ aut contiguæ, nec vinculo communi copulatæ; quales sunt in corpore animalis venæ, tendines, nervi, ossa etc.; et in plantis radices, folia, meatusque subtilissimi, per quos, attracto convenienti cibo, nutriuntur, et augescunt.

Probatur ergo propositio 1.a Standum est experientiæ, dum efficaces rationes in contrarium nequeant adduci. Atqui patet sensibus continua saltem imperfecte corporum extensio: neque in contrarium urgetur efficax et cogens ratio. Ergo...

Major certa est ex veracitate sensuum, nec potest negari ab eo, qui nolit planam sternere viam scepticismo.

Minor quoad alteram partem patescet ex difficultatum solutione. Quoad primam autem manifesta est ex Physicorum accuratissimis observationibus. Nam in corporibus fluidis,

(1) Vide Wurtz (*Theorie atomique*, liv. 2, chap. 4, pag. 225), Zanon (*Analisi delle ipotesi fisiche*, part. prim., cap. 2, pag. 160).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIGITALIZACIÓN REALIZADA DENTRO DEL PROYECTO

sive aëriformibus sive liquidis, utcumque attenuatis et rarefactis, nequit deprehendi vel ope potentissimorum instrumentorum perfecta illa discretio atomorum, quam jactant adversarii, sed semper cernitur continuitas saltem imperfecta materiæ, abrupta hinc inde plus minus secundum aliquas portiones, at semper continenter connexa secundum alias. In quibusdam solidis major est massæ corporeæ discretio: nam in crystallis deteguntur portiones materiæ propriis terminis distinctæ, quæ proinde non videntur conficere corpus vere *unum*, sed congeriem plurium corpusculorum *contiguorum*. Nihilominus adhuc hujusmodi portiones discretæ materiæ parvique crystalli multo grandiorem exhibent molem vere continuam, quam sit exigua et insensibilis moles atomorum. Alia denique sunt corpora solida, ut v. g. gelu, marmor, quæ veram præ se ferunt continuitatem per totam massam, quamvis abruptam in variis partibus (1). Verum ipsi quoque adversarii fatentur discontinuitatem experientia probari non posse (2); quamobrem licet obstare videatur sensuum testimonium, corrigendum esse per rationem contendunt.

Confirmatur. Si atomi tantopere distant in corpore, prout docent saltem plures recentiores Physici (3), plus vacui re vera est in ejus massa, quam materiæ. Deberent ergo magis videri ipsa interstitia, quam extensio corporis, vel certe deberent videri portiones materiæ instar pulvisculi fluitantis non autem instar solidæ molis (4).

(1) Vide Rubbini, *Lezioni elementari di Fisica*, lez. 1, n. 16-19. Cfr. lez. 3, n. 13.

(2) Ipse P. Angelus Secchi sic scribit: «Le molecole della materia sono così minime che non è possibile percepire *isolatamente ne esse ne i loro moti coi nostri sensi, ne dalla vista armata dai più potenti microscopi, nel dal tatto il più squisito.*» *Unità delle Forze fisiche*: vol. 1, p. 103. Vide etiam ibid. vol. 2, lib. 4, pag. 272-274. Itemque testimonium Grove statim citandum in sequenti nota.

(3) Revoca in mentem quæ nuper ex Young, Laugel et Wurtz in hanc rem retulimus.

(4) Audi quæ scribit Grove: «Pour ce qui concerne cependant les corps liquides et gazeux, il y a de très grandes difficultés à les considérer comme formés de molécules distantes et séparées. Si, par exemple, nous admettons avec Young que les particules de l'eau sont au moins à la même distance d' une de l'autre que le seraient cent hommes dispersés et également espacés sur la surface de l' Angleterre, la

Prob. 2.° Admittenda est saltem in humano corpore vera continuitas. Ergo idem dicendum de aliis.

Consequentia patet, quia eadem est experientia continuæ materiæ in reliquis corporibus, immo forte major in pluribus: et rationes, quæ contra continuam extensionem generatim adducuntur, si quid valerent, eodem modo urgeri possent contra corporis humani continuitatem.

Antecedens autem probatur. Quia saltem in homine anima (1) simplex est atque indivisibilis quocumque modo, ideoque secundum eamdem simplicissimam entitatem informat partes omnes. Atqui anima hujusmodi nequit informare partes invicem dissitas et non unitas; tum quia secus esset in pluribus locis, tum quia experientia ipsa demonstrat membrum abscissum ab humano corpore non amplius informari, et actuari ab anima, utcumque approximetur, aut etiam illud contingat, nisi forte iterum uniatur. Accedit quod, si anima posset informare partes tantisper separatas, æque posset etiam actuare partes valde inter se dissitas; eadem enim est ratio. Id vero evidenter absurdum est.

distance entre ces mêmes particules, lorsque l' eau sera réduite en vapeur, deviendra plus de quarante fois plus grande, de sorte que les cent hommes seront réduits à deux; et par une augmentation ultérieure de la température la distance des molécules peut être indéfiniment accrue; si aux effets de la température on ajoute la raréfaction produit par la machine pneumatique, on pourra rendre cette distance plus grande encore, de sorte que, quelle que soit la distance que nous admettions à l' origine, nous pouvons l' augmenter à un point tel que la distance entre une molécule et la molécule voisine devienne enfin mesurable. Or, quelque loin que l' on porte la raréfaction, par la chaleur et la machine pneumatique, on n' arrive pas à mettre en évidence le plus léger changement dans la continuité apparente de la matière; et j'ai trouvé que les gaz conservent leur caractère particulier, autant du moins que j'en puis juger par leurs effets sur l' étincelle électrique, même alors que leur raréfaction a été poussée aux dernières limites que l' on peut atteindre par l' expérience: ainsi l' étincelle électrique dans le protoxyde d' azote, quoique très-raréfié, présente une teinte cramoisie, et dans l' acide carbonique une teinte verdâtre». Grove, *Corrélation de Forces Physiques..... traduit par Moigno*.—Paris 1868, pag. 164-165.

(1) *Saltem in homine*, inquam, ut præscindamus nunc ab illa quæstione, num animæ brutorum et plantarum sint divisibiles, de quo alibi.

Ad rem S. Augustinus: *Spiritus facit viva membra: nec viva membra spiritus facit, nisi quæ in corpore, quod vegetat, ipse spiritus invenerit. Nam spiritus, qui est in te, o homo, quo constas, ut homo sis, numquid vivificat membrum, quod separatum invenerit a carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificat nisi membra, quæ sunt in carne tua; unum si tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur* (1).

Prob. 3.° Nisi admittatur verum continuum, saltem imperfectum, extensio corporea, quæ nobis apparet continua, coalesceret ex viribus aut atomis vel contiguis, vel invicem dissitis, pro varietate sententiarum continuum respuentium. Atqui nihil horum adstrui potest.

Probo Minor., *et primo quidem quoad utramque partem simul.* α) Decreta communis hominum sensus abjicere non licet absque cogenti ratione. Atqui sensus omnium communis, antequam præjudiciis Physicorum imbuantur, admittit verum continuum, immo vero miratur, quod extensio corporum re discreta et solum apparenter continua asseratur; nec ulla cogit ratio ejusmodi judicium corrigere. *Non ratio aliqua a priori;* quia ea repetenda foret ex repugnantia continui. At si repugnaret continuum; ut cætera nunc omittam, illud sequitur gravissimum incommodum, Geometriam versaturam esse circa objectum repugnans et absurdum: quod nequit ullo modo concedi. *Neque etiam cogit ulla ratio a posteriori:* non ex experientia, ut constat ex primo argumento; non ex effectibus vel aliis signis, ut patebit ex difficultatum solutione. β) Atomi vel vires, solum contiguæ vel invicem dissitæ, non possent constituere unum vere individuum compositum, ut per se patet. Atqui saltem in viventibus, ac nominatim in homine, non potest negari unitas vera individui compositi; in aliis autem corporibus ejusdem etiam unitatis sat clara cernuntur indicia. Ergo...

Prob. Minor. primi syllogismi per partes. A) *Extensio corporea non potest constare ex atomis vel viribus contiguis.* Nam ejusmodi atomi vel vires, quæ se contingunt ad extensionem faciendam, aut essent extensæ, aut inextensæ. Si

(1) S. August., *In Joann.*, tract. 27, ante med.

inextensæ, necessario se compenetrarent, nec possent extensionem gignere; quia simplex et inextensum simplici et inextenso additum, non potest majus quidpiam efficere. Unde contra ejusmodi hypothesin recurrunt omnia fere argumenta, quibus mox sententia Zenonica circa continui compositionem impugnabitur. Si sunt extensæ, constat et ipsa aliis partibus ulterius divisibilibus, illæ autem vel sunt unitæ inter se, vel solum contiguæ absque ulla unione. Si primum dicas, jam admittis continuum saltem in atomis et corpusculis; et facile cogeris ad admittendum etiam inmole majori. Sin alterum eligas, admittendæ tandem erunt partes extensi simplices et inextensæ; ac de illis redit argumentum nuperfactum.

B) *Extensio corporea nequit componi ex atomis vel viribus penitus discretis.* Etenim spatiola illa, quibus istæ atomi separarentur, vel essent vacua, vel oppleta subtiliori aliqua materia, v. g. æthere. Si vacua, in primis non possent transmitti per corpoream massam eo saltem modo, quem experientia refert, phænomena lucis, caloris, etc., nisi admittendo actionem in distans ab atomo in atomum: quod argumentum inferius magis dilatabitur, cum existentia vacui interatomici excludetur (1). Deinde ad vitandam actionem in distans necesse foret fingere atomos perpetuo motu agitatos, et invicem confligentes, ut sic medio contactu et conflictu actionem aliæ in alias transmiterent. Atqui id gratuitum prorsus est, et omnino excogitatum ad priorem hypothesin parum firmam fulciendam. Præterea quantumvis plura excogitata fuerint hactenus systemata motuum ad rem declarandam, nullum prorsus reperitur, quod satis possit facere, quemadmodum ostendunt rerum physicarum peritissimi viri (2). Si spatiola interatomica sint oppleta subtiliori materia, quæram de illa, num continua sit, an discreta. Si continua: ergo datur continuum, nihil obstantibus argumentis, quibus adversarii abhorrent a continua extensione in corporibus agnoscenda. Si autem sit discreta, redeunt argumenta

(1) Vide infra disp. 3, cap. 1, art. 1, paragr. III.

(2) Vide Rubbini *(Calore e Movimiento*, paragr. III seqq., et paragr. XI et XII), cl. Liverani *(Sui principi supremi*, cap. 27, a num. 69, et cap. 28), Stallo (Oper. cit. chap. 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

modo facta. Cum ergo nequeat dici extensio corporea coalescere ex atomis vel viribus, sive contiguis sive penitus discretis, verum continuum, saltem imperfectum, admittendum est.

Prob. 4.° Dantur corpora viventia. Atqui corpus vivens necessario sibi vindicat unitatem substantiæ ideoque continuitatem. Nam operationes vitales sunt essentialiter immanentes, quarum videlicet terminus in ipso vivente est. Necesse est ergo, ut vitalium operationum, ac potissimum nutritionis et augmentationis, terminus substantialiter uniatur cum vivente, unamque cum eodem substantiam efficiat. Secus enim termini illi re vera extra subjectum ipsum agens existent, et consequenter actiones, unde prodierunt, non inmanentes, sed transeuntes erunt.

Denique illud notandum venit doctrinam negantem reale continuum ab ipsis rerum physicarum scriptoribus, ut meram *hypotesin* haberi. Hypotesin vocat eam, ut alios nunc omittam, Wurtz (1), M. H. Poincaré (2), et Schützenberger, qui non valde honorifice loquitur de illa (3), ac

(1) Vide Op. cit. livr. 2. chap. 4 passim.

(2) «Première *hypothèse*. Nous considerons un milieu élastique comme formé de molécules séparées les unes des autres; c' est à dire que nous admettrons la *discontinuité* de la matière. *Remarquons que la concordance des faits expérimentaux avec les conséquences mathématiques obtenues en partant de cette hypothèse n' est pas une preuve de la discontinuité de la matière. Cette hypothèse a seulement pour effet de simplifier les calculs*: **on pourrait supposer la matière continue et la concordance que nous signalons existerait encore**. M. H. Poincaré (*Théorie mathématique de la lumière*, chap. 1er, pag. 7). Cfr. Boussinesq (*Leçons synthétiques de mécanique générale*, pag. 5).

(3) «La conception d' une matière discontinue formée de particules indivisibles et immuables dans leurs forme et leur masse, séparées par des espaces vides, est très ancienne. Nous la trouvons discutée et presentée sous diverses formes dans les écrits des philosophes grecs, mais sans aucun doute son origine doit être reportée beaucoup plus haut, car elle répond le plus directemet à la education naturelle de l'homme, habitué à voir la matière se partager en masses de propriétés et de grandeurs diverses. C'est par son intermédiaire que l' on se rend le plus aisément, compte de certains caractères trés apparents des corps: divisibilité dans des limites tres-étendues, faculté de se dilater et de se contracter sous l' influence des variations de temperature, des changements de pression extericure. Dans un ordre de

Stallo (1), qui eamdem data opera impugnat Quæ cum ita sint, nescio, an tolerari sine stomacho possit intemperans illa quorumdam recentiorum scriptorum arrogantia, qui doctrinam incertam ac hypotheticam cæteris obtrudere conantur, nec ferre æquo animo volunt, quod Philosophi veterum Doctorum vestigiis insistentes, continuam extensionen teneant, idoneis sane fundamentis innixi. Verum enimvero hypothesis materiæ discretæ necessaria est ad alias hypotheses Physicis carissimas circa lucem, calorem, et alias vires naturæ fulciendas, ideoque mordicus eam, reclamante licet experientia, tenendam sibi esse judicant, ne videlicet vel abjicere penitus, vel certe emendare, cæteras hypotheses cogantur.

224. Propositio 2.a **Admittendum est continuum, non virtuale, sed formale.**

Prob. 1.° Contraria doctrina virtuale dumtaxat agnoscens: α) gratuita est, β) communi sensui repugnans, et γ) absurda periculosaque utitur argumentandi ratione. Ergo rejicienda est. Admittendum est continuum formale.

faits plus delicats et plus scientifiques, elle a permis d'expliquer et même de calculer rigoureusement, avec le secours des mathématiques, les propriétés fondamentales des fluides élastiques des gaz. *Ce résultat serait à lui seul un puissant argument en faveur de l'exactitude de l'hypothèse; mais il ne faut pas se dissimuler que la concordance entre le calcul mathématique et l' expérience n' a été obtenue qu' en greffant de nouvelles hypothèses sur la première, celles de mouvements de projection en ligne droite, de mouvements vibratoires et de rotation des particules indépendentes ou des atomes*; en d' autres termes, *en prétant hypothetiquement à des choses hypothétiques les qualités dont on avait besoin pour arriver à une solution satisfaisante du problème*.

On a dit bien souvent que la Chimie devait à la théorie atomique, à l'hypothèse de Dalton, des plus importantes conquetes. *Nous pensons qu' il y a là une illusion, une espèce de mirage d' autant plus facile à écarter qu' il ne repose que sur la confusion entre l'atome chimique, vérité expérimentale, et l'atome de l'hypothèse d' une matière discontinue.* (*Traité de chimie generale...* par Paul Schützenberger Professeur au College de France, tom. 1.er, *Introduction*, pag. VI).

(1) *De son propre aveu, la theorie atomique n' est qu' une hypothèse*. Stallo, *La matière et la Physique moderne*, chap. 7, pag. 61.

Sententia virtualis dumtaxat agnoscens continuum gratuita est,

Prob. antecedens: 2) gratuita est, quia nullis nititur argumentis; ex eo enim probatur, quod ens simplex virtualiter extensum et continuum non repugnet, repugnet autem formale continuum, siquidem vel componeretur ex punctis simplicibus et ulterius indivisibilibus, vel ex partibus sine fine divisibilibus, quorum utrumque implicat (1). Atqui ut primum horum nunc transmittamus, alterum certe non satis probatur, ut patebit cum continui divisibilitas in infinitum tuenda erit in sequenti articulo. Et nihilominus probari debuisset, antequam nova et hactenus inaudita in scholas inveheretur sententia, in cujus patrocinium nec experientiam nec ullum positivum argumentum valuit auctor invenire. Jam enim monui magnum esse discrimen inter doctrinam continui virtualis et punctorum inflatorum doctrinam: quare præclarus scriptor nequit veterum auctorum nomen invocare, nisi ad ostendendam possibilitatem vel etiam existentiam corporearum quarumdam entitatum simplicium, quæ locum extensum occuparent; illi enim verum ac formale continuum admittebant, nec illud in punctis suis inflatis reponebant, sed ex eorum physica unione et coagmentatione resultare arbitrantur. Hinc patet etiam secunda pars β) antecedentis. Etenim nova hæc doctrina usque ad nostra tempora penitus siluit in scholis et a communi sapientium sensu abhorruit: a vulgi autem opinione alienissimam esse, nemo, puto, inficias ibit. Tertium γ) quoque patet. Aliud enim est existentia et aliud essentia rei. Et sæpe quidem existentia ipso sensuum experimento constat, vel certe argumento probabilissimo comprobatur, essentiam tamen ignoramus vel constitutionem ac reliqua attributa: quæ misera est imbecillis ingenii humani conditio. Quis autem rationi consentaneum esse duxerit, propterea quod non satis perspectam habeat rei constitutionem et quædam alia prædicata, vel etiam aliquas in iis declarandis deprehendat difficultates, quas nesciat evidenter solvere, ipsam illico existentiam rei denegandam esse decernat? Applica hoc criterium ad quædam Fidei nostræ dogmata, et ipsis Fidei veritatibus, quæ divina revelatione constant, valedicendum

communi sensui repugnat,

et absurdis periculosisque utitur argumentandi ratione.

(1) Hæc est summa totius argumentationis, qua utitur cl. P. Palmieri, loc. cit., thesi 1.ª et 2.ª

tibi erit. Hac eadem adversarii nostri argumentandi forma Zeno eleates realitatem motus fallacissime negasse perhibetur, ex eo videlicet quod motus si vere existeret, vel ex punctis indivisibilibus vel ex partibus sine fine dividuis componi deberet: quorum utrumque repugnare contendebat, inde concludens motum quidem nobis apparere, re tamen ipsa non dari (1). Simili denique modo si liceret in multis philosophicis quæstionibus argumentari, facile posset aditus patere scepticismo. Itaque realitas continui formalis adeo solidis probatur rationibus, ut non debeat negari ob difficultates, quas in ejus explicanda constitutione offendimus.

Prob. 2.° Exigentia, quæ certis formis convenit, præsentiam exhibendi per latius spatium, ex communi sanlorum Philosophorum consensu semper habita est tamquam signum excellentioris perfectionis supra brutam materiam. Ergo non est asserenda materialibus atomis sine urgenti et manifesta ratione, qualis certe nulla cernitur in re nostra. **Antecedens** patet 1.° in Deo, 2.° in angelis, ac 3.° in anima. Deus namque ob infinitam suam perfectionem præsens est ubique: angeli etiam, prout docent Theologi, adsunt in toto illo loco vel spatio, in quo suam exercent virtutem (2); anima denique humana, quidquid sit de aliis, tota est in toto corpore et in singulis partibus, quia totum debet actuare, *esse* vitamque suam communicando.

Prob. 3.° Doctrina continui virtualis omnino videtur ad illudendum excogitata. Ergo rejicienda est.—**Prob. antecedens.** Etenim idem ejus assertor et formalis continui osor prius realitatem ac veritatem continui et extensionis, quæ duo pro eodem habet, propugnat (3). Atqui virtuale continuum nec vere extensum, nec vere continuum est. Nam

(1) Vide Aristot. (*Physicor.* libr. 6, cap. 9), et S. Thom. (ibid. lect. 11).

(2) Vide S. Thom. (1 p., quæst. 52), Suarez (*de Angelis*, lib. 4, cap. 11).

(3) «Restat ergo, ut dicamus objecta, quæ phænomenon extensionis determinent, gaudere reali extensione; hoc est *existere a parte rei vere id, quod est continuum, hoc enim est, et non aliud extensum*». Palmieri, *Cosmolog.*, thesi 1.ª fin. Cfr. thes. 3.ª *Declaratio 1.ª partis.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

virtuale continuum caret partibus, vera autem extensio et continuum essentialiter partes requirit.

Prob. 4.° Continuum virtuale explicatur per ordinem ad spatium extensum majus aut minus sine fine, quod res simplex occupare potest. Jam spatium vel reale est vel possibile: et reale quidem est extensio realis, ut sentit idem auctor (1), vel certe intervallum corpore repletum, possibile autem extensio possibilis, ut nunc supponimus ex mox dicendis. Ergo de ipso spatio quærendum occurrit, utrum sit continuum, an penitus discretum. Et de spatio quidem reali, si supponatur idem esse cum actuali extensione, idem ferendum est judicium ac de ipsa extensione reali: erit nempe secundum præclarum adversarium et ipsum congeries partium virtualiter tantum continuarum. Quare nihil obtinetur declarando continuum virtuale per ordinem ad spatium reale; perinde enim foret, ac declarare unum continuum virtuale per aliud continuum virtuale. At si continuum virtuale explicatur in ordine ad spatium possibile vel imaginarium et absolutum, quod a nobis concipitur instar immobilis et ultimæ cujusdam capacitatis, nullis determinatis limitibus comprehensæ; vitari nequeunt in ejusmodi spatio argumenta, ob quæ præclarus scriptor repugnare formale continuum arbitratur. Sumamus enim portionem A spatii imaginarii, in ordine ad quam velit explicare continuum virtuale atomorum cujuslibet extensionis corporeæ, v. g. hujus chartæ, in quia nunc scribo. Et quæram, num tota illa partio A sit extensio quædam formaliter continua, vel contigua vel spatiolis aut interstitiis discreta. Discreta esse nequit, quia quæcumque interstitia vacua fingantur, sunt revera spatiola possibilia, quæ proinde sunt partes spatii totalis A: nempe portio illa spatii A nequit præ se ferre extensionem penitus discretam, sed vel continuam vel contiguam. Si est continua formaliter, contra illam urgeri poterunt argumenta omnia, quibus formale continuum ab eodem scriptore impugnatur (2). Si contigua, vel partes illius sunt et ipsæ extensæ, vel inextensæ. Si extensæ; re vera continuæ sunt,

(1) Vide cl. P. Palmieri, *Cosmolog.* thesi VI.
(2) *Cosmolog.* thes. 3.ª

et contra ea valebunt pari modo eadem argumenta. Si inextensæ; ergo extensio illa coalescit ex punctis indivisibilibus, quæ proinde iisdem rationibus oppugnari poterit, quibus idem auctor contra continuum ex punctis inextensis compositum utitur (1).

Dices. Spatium absolutum quamvis formale continuum sit, re vera non est quidpiam reale, sed tantum potentia, ideoque licet sine fine divisibile concipiatur, non constituit infinitum categorematicum, sed tantum syncategorematicum. E contrario continuum formale realis extensionis, si partibus constaret in infinitum divisibilibus, infinitam actu multitudinem contineret: quod repugnat. Nequeunt ergo contra spatium absolutum vel imaginarium retorqueri argumenta, quibus continuum formale repugnare ostenditur.—**Resp.** Quamvis spatium absolutum non actu existat, sed tantum possibile sit, tamen si in sua possibilitate formaliter continuum ponitur, necessario concipiendum est ut partibus suis possibilibus actu constans eodem prorsus modo, ac actu constat realibus partibus formale continuum. Si ergo hoc repugnat in statu realis existentiæ, repugnat pariter in statu possibilitatis; ac proinde si quid valent argumenta contra continuum formale actu existens, valebunt eadem vi contra continuum possibile imaginarii spatii.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

225. **Objic. 1.°** Experientia demonstrat in corporea extensione innumeros poros. Ergo (2).—**Resp.** *neg.* conseq. Pori enim aliud non probant nisi extensionem non esse perfecte continuam. Itaque possunt admitti pori non solum sensibiles, sed etiam alii, qui omnem experientiam transcendant, et vocari solent *physici*, dummodo non destruant penitus continuum etiam imperfectum.

Objic. 2.° Experientia pariter docet omnia corpora dilatari, comprimique posse. Atqui hujusmodi proprietas videtur omnino requirere materiam discretam usque ad minimas

(1) *Cosmolog.* thesi. 2.ª
(2) Vide P. Secchi, Op. cit. t. 2, lib. 4, c. 1, p. 270, et alios passim adversarios.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suas particulas, non autem continuam. Nam dilatabilitas ostendit partes extensionis magis magisque invicem dissociari, et compressibilitas magis magisque alias ad alias accedere (1); cum potissimum compressio possit magis magisque sine ullo fine protrahi (2).

Resp. *neg.* Minor., ejusque probationem. Primo, quia jam superius notavimus, uteumque materia dilatetur, ac rarefiat, nunquam pervenire ad hoc posse, si stemus experientiæ, ut ullum deprehendatur vestigium perfectæ illius discontinuitatis ac discretionis, quam adversarii nostri comminiscuntur. Deinde, quia factum dilatationis et rarefactionis condensationisque vel compressionis materiæ in volumen magis exiguum explicari potest, tum per existentiam interstitiorum sive pororum, qui per corpoream massam sparsi cernuntur; tum etiam per intrinsecam mutationem accidentalem, qua corpus in suo reali volumine varietur, ita ut massa corporea in seipsa condensetur, et expandatur, non per imminutionem vel incrementum spatii medii ac distantiæ inter diversas moleculas aut atomos interpositæ, sed per alterationem ipsius materiæ, quæ in eo posita est, ut accedentibus quibusdam causis naturalibus materia eadem majorem aut minorem ubicationem postulet; quæ dicitur condensatio et rarefactio proprie dicta, per oppositionem ad condensationem et rarefactionem apparentem atque improprie dictam, in eo sitam, quod interstitia vel pori, quibus partes quædam massæ corporeæ separantur, decrescant vel augescant, quin materia in se alteretur, vel reale illius mutetur volumen. Duplex namque distingui potest corporis volumen: alterum *reale*, alterum *apparens*. Reale est volumen et magnitudo solius substantiæ et quantitatis corporeæ, mensuraturque spatio a corporea realitate occupato, non habita ratione spatii occupati a poris et interstitiis. Apparens autem est volumen tum substantiæ quantæ, tum pororum, et proinde mensuratur per totale spatium occupatum et a substantia quanta et ab extraneis corporibus

Volumen corporis reale et apparens.

(1) Vide Hugon. Schiff, *Introduzione allo studio della Chimica*, p. 9, Torino 1876 et alios.

(2) Cantoni, *Elementi di Fisica*, paragr. 10, pag. 8, Milano, 1873.

replentibus poros. Unde reale volumen exceditur ab apparenti in volumine pororum, quod recentiores vocant *interatomicum*. Dicimus ergo dilatationem et compressionem locum habere non solum apparenter, sed vere ac realiter, nimirum per variationem voluminis realis vel atomici, non autem solum per variationem voluminis interatomici, ut nunc supponimus ex dicendis inferius. Hoc modo declarabant plurimi nobilissimique Scholastici phænomena condensationis ac rarefactionis cum Aristotele et S. Thoma (1), Suarez (2), Rubio (3), Conimbricensibus (4), Fonseca (5), Complutensibus (6), Sylv. Mauro (7), Carleton Compton (8), De Benedictis (9), Petro Hurtado (10), Semery (11), Joann. a S. Thoma (12), Ant. Mayr (13), Ant. Goudin (14), aliisque apud Lossada, qui hanc sententiam valde probabilem censet (15). Eamdem tuentur inter recentiores P. J. Van der Aa (16), P. Tilmanus Pesch (17), Joann. Cornoldi (18), Rubbini (19), P. Gustavus Lahousse (20) aliique.

(1) Aristot. (lib. 4, *Physicor.* cap. 11, text. 84), S. Thom. (ib. lect. 14, paragr. *h*).

(2) Disp. *Metaph.* 42, sect. 5, n. 17. Cfr. disp. 40. sect. 4, n. 29; sect. 9, n. 12.

(3) *De Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 5, *tract. de rarefact.*, q. 1.

(4) *De Gener. et corrupt.*, lib. 1, q. 17, a. 3.

(5) 5.° lib. *Metaph.*, c. 13, q. 1, sect. 4, ad 2.um

(6) *De Generat. et corrupt.*, disp. 7.

(7) *Quæst. philos.*, lib. 2, q. 29 ad 3.um et lib. 3, q. 44.

(8) *De Gener. et corrupt.*, disp. 11.

(9) Tom. 3, lib. 6, q. 1, cap. 4.

(10) *De Gener. et corrup.*, disp. 4, sect. 4.

(11) *Trienn. Philos.*, t. 3, disp. 6, quæst. 5.

(12) *Philos. natural.*, secunda part., q. 7.

(13) *Philos. peripat.*, tert. Part., disp. 3, q. 4, art. 2, n. 423 seqq.

(14) *Tertia Part. Physic.*, q. 2, art. 3.

(15) *Curs. Philos., de Generat. et corrupt.*, disp. 1, cap. 4, n. 64 et 68 et 81.

(16) *Cosmol. propos.* 19-20.

(17) *Philos. natur.*, lib. 3, disp. 2, sect. 3, n. 636, 637.

(18) *Instit. Philos. specul.*, lect. 38.

(19) *Lezioni element. di Fisica*, lez. 1, n. 19, 20; lez. 29, n. 12; et *Osservazioni sulla teoria dinamica dei gas*, apud *Scienz. ital.* ann. 1, vol. 2, p. 483.

(20) *Cosmolog.*, num. 323 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Utrum autem verum sit, quod addebatur in objectione nimirum, corpora sine fine magis magisque comprimi posse, videant naturalium scientiarum periti. Experientia certe, quæ docet, quo magis crescit condensatio et materiæ compressio, eo minorem esse compressibilitatem, videtur etiam probare, quod nequeat, saltem per media naturalia, compressio indefinite protrahi. Verum etiamsi id concedatur, nihil contra nos obtinebitur, quia semper poterit res declarari per variationem realis voluminis.

Instabis: Volumen reale seu *atomicum*, ut vocant recentiores, invariabile est prorsus. Si enim variabile foret, variaretur pro varietate pressionum, ut his crescentibus illud imminueretur, his vero imminitus illud augesceret. Atqui id saltem universaliter verum non est, nimirum pro casu privationis totius caloris in corpore. Etenim in eo etiam casu, imminuta pressione deberet crescere volumen sine interno aliquo labore; labor autem quem dicunt *mechanicum*, nullus est possibilis, quin calor aliquis insumatur in eo efficiendo, quemadmodum docet *Thermodynamica*. Atqui ubi nullus est calor, insumi vel expendi calor nequit. Ergo in eo casu foret impossibilis dilatatio, etiam imminuta pressione.

Resp. 1.° Non deesse viros scientiæ physicæ peritos, qui negent posse corpora omni prorsus calore spoliari (1).

Resp. 2.° *Neg.* conseq. quia objectio non probat volumen reale nunquam variari, sed solum non variari in aliquo casu, deficiente nimirum aliqua necessaria conditione. Nos vero non contendimus volumen semper esse variabile, sed variari posse, cum apta suppetit causa variationis. In quo nihil absurdi reperire debent adversarii, quia etiam in eorum sententia, licet dilatatio per variationem voluminis interatomici crescat imminuta pressione, corpora aëriformia, ubi ad temperiem frigoris 273° ventum fuerit, utcumque imminuatur pressio, nequeunt amplius dilatari, ex defectu videlicet virtutis expansivæ, quæ ab ipsis in motu reponitur; quia nempe in illo gradu frigoris foret, ut ipsi docent, absoluta

(1) Vide Rubbini (Op. cit. vol. 1, lez. 29, n. 12; lez. 24, n. 7; Zanon (*Analisi delle Ipotesi fisiche*. Part. 1.ª, cap. 4, n. 33, pag. 185, Venezia 1885).

et completa privatio caloris, ideoque particulæ corporis aëriformis tunc omni motu carerent (1).

Objic. 3.° In quibusdam accidentalibus mixtionibus seu aggregationibus (mezclas) tanta cernitur voluminis imminutio, ut sæpe volumen duorum corporum heterogeneorum deprehendatur esse minus, quam unius dumtaxat illorum volumen. Ita v. g. contingit in mixtione aquæ cum alcohol, aquæ cum acido sulphurico, aquæ dulcis cum salita etc. Præterea solida ipsa si in aquam immittantur, et postea fiat vacuum, magnam vim aëris emittunt. Atqui hujusmodi phænomena, nisi corporum compenetrationem admittere malueris, videntur necessario repugnare cum materiæ vera et reali continuitate.—**Resp.** hæc omnia explicari posse eodem modo, per poros et per alterationem realis voluminis (2).

Objic. 4.° Phænomena caloris non aliter exponi possunt, quam dicendo calorem in motu moleculari rotationis aut etiam translationis consistere. Atqui hujusmodi motus vindicant atomos ac moleculas inter se separatas. Enimvero quomodo motu saltem rotatorio agitari possunt partes, quæ non sint liberæ ac solutæ undequaque? (3).

Resp. *neg.* Major., quæ nondum ab adversariis satis probata est. Quamvis enim phænomena caloris, sicut actio quævis corporea fiat *cum* motu, non tamen sita est *in* motu, quemadmodum inferius ostendetur. Præterea nondum satis probatum est, motum, quem secum importat calor, esse præcise motum aut rotationis aut translationis. Nonne posset etiam alius generis motus excogitari, qui continuitatem corporis non abrumpat? (4). Quod ergo calor in motu, eoque rotatorio aut translatorio, reponendus sit, non est nisi mera *hypothesis* Physicorum, ut fatentur ipsimet adversarii (5);

(1) Vide apud cl. Rubbini, Op. cit. lez. 24, n. 7, pag. 459.
(2) Cfr. Zanon, apud *Scienza ital.*, ann. 4, vol. 1, pag. 318.
(3) Vide cl. P. Secchi, op. cit., l. 2, lib. 4, cap. 1, pag. 271.
(4) Cfr. Liverani, oper. cit., n. 71.
(5) «Conviene distinguere nella scienza, scribit P. Angelus Secchi, *le teorie delle legi*. La meccanica del calore è ancora nello *stato di teoria*, cioè di tentativo diretto a collegare i fenomeni di questo agente per via meccanica: essa incontrerà per certo le sue difficoltà, ed avrà i suoi diffetti, finche passi allo stato di legge», Op. cit., vol. 1, lib. 1, cap. 9, p. 145.

ideoque afferre argumentum hujusmodi ad materiæ discontinuitatem adstruendam, aliud re vera non est, nisi unam hypothesin alia hypothesi velle fulcire.

Objic. 5.° Leges proportionum determinatarum et multiplarum, saltem in praxi, eo chimicæ disciplinæ professores adduxit, ut corpora considerent velut aggregata ex corpusculis diversi voluminis et ponderis, quas atomos apellant, licet possint et ipsæ absolute ulterius esse divisibiles (1).

Resp. *dist.* assertum. Et lex determinatarum proportionum necessario vindicat constitutionem atomicam corporeæ massæ et extensionem penitus discretam, *neg.* Non necessario vindicat, sed potest etiam salva consistere etiam negata constitutione atomica et extensione massæ corporeæ penitus discreta, *conc.*

Instabis. Atqui ipsa theoria æquivalentium non aliter explicari potest, quam admitendo atomicam constitutionem. Nam quamquam hæc atomica constitutio non sit obnoxia experientiæ, tamen logice derivatur ex ipsa æquivalentium doctrina.—**Resp.** *neg.* assert. et probation. Ubinam enim sunt principia, unde logice consequatur atomica theoria? Quid vetat, quominus combinationes etiam massarum continuarum fiant, *modo in ipsa momento, in quo fiunt*, materia in minimas particulas dissecetur? Quamvis enim simplicia seu elementaria corpora ante combinationem retineant suam extensionem continuam, possunt in actu ipso compositionis chimicæ in minutissimas partes scindi ad mixtionem peragendam; cum potissimum ad determinandas hujusmodi compositiones adhibeantur media sat efficacia, quæ corpoream compagem disgregare valeant (2).

Objid. 6.° Si ponamus vas aqueo vapore plenum, potest adhuc in ipsum infundi vapor alcoholicus, et æthereus, aliique in indefinitum ita, ut omnes isti vapores inter sese misceantur. Atqui hæc videntur explicari non posse, nisi admissa vel compenetratione corporum, vel extensione discreta in massis illorum vaporum. Ergo (3).

(1) Vide Secchi, oper. cit., vol. 2, lib. 4, cap. 1, pag. 275.
(2) Cfr. cl. Liverani, apud *Scienza ital.* ann. 2, vol. 1, pag. 113.
(3) Ita Cooke, apud. *Scienza ital.* ann. 2, vol. 1, pag. 387.

Resp. *neg.* Minor. Nam phænomenum uniformis diffusionis unius vaporis per massam alterius explicari etiam potest in sententia nostra, si dicamus vapores, licet imperfectam saltem continuitatem habeant, facile tamen posse illam amittere ob suam vim maximam expansionis, mobilitatemque et minimam cohæsionem. Semel autem abrupta ob hasce causas continuitate, consonum est rationi, ut massa ex pluribus illis vaporibus invicem aggregatis resultans, tum solum nanciscatur æquilibrium, cum singuli vapores uniformiter distributi sint atque diffusi. Cæterum illud etiam notandum est, hanc objectionem, etiamsi rem conficeret, tantum valituram fore ad vaporum continuitatem inficiandam.

Quod autem in objectione addebatur, plures ac plures in indefinitum infundi posse vapores in vas aqueo vapore plenum, falsum prorsus est. Nisi enim corpora compenetrari velimus, etiamsi extensio penitus discreta poneretur in vaporibus, necesario deveniendum esset ad aliquem limitem, ultra quem jam amplius alteri vapori capiendo nullus remaneret locus (1).

Objic. 7.° In æqualibus voluminibus corporum aëriformium sub eadem temperatura et pressione idem numerus molecularum continetur secundum notam omnibus legem, quæ ab Avogadro et Ampère nominatur. Et una ex rationibus, quibus ea lex fulcitur hæc est, quod omnia corpora, sive simplicia sive composita, in statu aëriformi sub iisdem adjunctis pressionis ac temperaturæ æqualiter dilatentur, seu idem habeant, ut Physici loquuntur, cöefficiens dilatationis. Atqui hoc ostendit aperte compositionem extensionis atomicam ac proinde minime continuam. Ergo...

Resp. 1.° Iterum hoc argumentum, si quid valeret, solum probaret vaporum massam continuitate non donari; exinde vero jus nullum est consequentiam ad corpora liquida et solida extendendi. **Resp. 2.°** Legem illam Avogadri et Amperi non esse veri nominis legem, sed puram hypothesin ab illis clarissimis scriptoribus excogitatam præcise ad explicanda duo hæc facta experimentalia: 1.us, quod corpora

(1) Vide Liverani (apud *Scienza ital.*, ann 2, vol. 1, pag. 388, n. 2), Rubbini (apud *Scienza ital.* ann. 1. vol. 2, pag. 486).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aëriformia combinentur secundum relationes voluminum simplices; 2.us quod adsit etiam relatio valde simplex inter volumina compositi et summam voluminum componentium (1). **Resp. 3.°** Quod dicitur de cōefficiente dilatationis, verum non esse, si respiciamus tabellas coefficientium a Regnault post accuratissima experimenta confectas; ex quibus discimus aërem, hydrogenium, azotum, oxydum carbonis, acidum carbonicum, protoxydum azoti, acidum sulphurosum et cianogenum, diversa habere dilatationis cōefficientia sub constanti pressione (2).

Objic. 8.° Lux massam vitream pervadens, velocitatem suam retardat; quin etiam varii colores, in quos lux dividitur, diversam assumunt velocitatem. Atqui horum phænomenorum alia nequit assignari causa præter atomicam et discretam materiæ constitutionem. Ergo.—**Resp.** iterum meras hypotheses in patrocinium extensionis discretæ adduci: nondum enim probatum est ea phænomena non posse aliunde procedere. Quid enim vetat ipsam specificam materiæ diversitatem, vel variam elasticitatem aliamve proprietatem mediorum, quæ penetranda sunt, esse in causa, cur lux magis aut minus velociter propagetur, aliasve subeat affectiones? Adde, quod non desint, qui argumentis astronomicis innixi negent varios colores, in quos lux candida dividitur, inæquali velocitate idem medium prætergredi. Qua de re lege, si lubet, Stallo (3).

(1) Ipse Wurtz fatetur legem illam esse hypothesin *(La Theorie atomique*, livr. 1.re chap. 3, pag. 26, 33; chap. 5, pag. 71, Paris 1880, quamquam eam conatur sustinere, et ab exceptionibus vindicare. (Ib. p. 79 seqq.)—Simili modo Naquet vocat eamdem legem hypothesin *(Principes de Chimie*, pag. 20, Paris 1875). Idemque expressit Cantoni hisce verbis: *Certo è... che... non possiamo ammettere come legge esatta... la supposizione, che sotto volumi eguali di diversi gas tressi ad egual pressione e temperatura, si comprenda uno stesso numero di molecole).* Apud *Scienza ital.* ann. 2, vol. 1, p. 305. Cfr. etiam Fremy, *Encyclopédie chimique*, discours préliminaire, pag. 62. Paris, 1881.

(2) Vide cl. Rubbini, *Lezioni elementari* etc. lez. 24, n. 5, tom. 1, pag. 256, Bologna 1882.

(3) *La Matière et la Physique moderne*, chap. 7. Cfr. Liversani, *Scienza italian.* ann. 2, vol. 1, pag. 391, 392. Ipse Cooke, qui hæc et alia contra veram continuitatem objecerat, fatetur se non multum

Objic. 9.° In corporibus aëriformibus, ubi paululum variaverit pressio, cernuntur interni motus in massa. Atqui possibilitas motus supponit necessario existentiam vacuorum spatiorum. Ergo.—**Resp. 1.°** Objectio iterum, si quid valet, solum evinceret extensionem discretam massæ in corporibus aëriformibus.—**Resp. 2.°** Hæc aliaque similia explicari posse vel per poros, vel per variationem realis voluminis (1).

Objic. 10. Dantur certe in corporibus vibrationes sive sonoræ sive luminosæ, motus nempe undulatorii, quibus sonus et lumen propagantur. Atqui motus locum habere nequeunt, nisi supponatur materia discreta.—**Resp.** *neg.* Min. Nam neque undulationes sonoræ neque luminosæ fiunt per transmissionem materiæ ab uno corpore in aliud, sed per vibrationes. Hæ vero vibrationes diversarum particularum concipi rite possunt vel ex eo, quod ratione pororum, non penitus continuitatem materiæ abrumpentium, spatiari aliquantulum valeant particulæ; vel melius adhuc supposita, quam superius docuimus, variatione atque alteratione realis voluminis, quæ contingat in materia ex causis externis pressionis, caloris aut aliarum activitatum. Hoc enim posito, particulæ cum condensantur, ac rarefiunt, movebuntur quidem, eo ipso quod condensationes et rarefactiones illas aliæ aliis communicent, ut restituatur æquilibrium, sed non movebuntur motu projectionis, qua materia alio transferatur, nec motu, qui continuitatem aut abrumpat, aut abruptam supponat (2).

Mitto alia, quæ ex materia radiante, lucis polarizatione allisque phænomenis depromi possunt; adhuc enim incertæ sunt, nec penitus eliquatæ rerum harum veræ explicationes,

fidere suo argumento: «Non possiamo ancora, inquit, formare le nostre opinioni su ciò che riguarda la misura delle risorse della Natura; ed io pertanto *non do molta importanza a questa prova addizionale della struttura molecolare della materia*». *La Nuova Chimica*, pag. 21, apud *Scienza ital.* ibid.

(1) Vide cl. Rubbini, *Osservazioni sulla teoria dinamica dei gas*, apud *Scienza ital.*, ann. 1, vol. 2, pag. 485, 486.

(2) Vide cl. Rubbini, op. cit. lez. 16, n. 7-9, pag. 285, 286, et *Osservazioni sulla teoria dinamica dei gas*, n. 9, apud *Scienza ital.* ann. 1, p. 486. Cfr. ibid. p. 491.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ tamquam meræ *hypotheses* ab ipsis scientiarum physicarumtracta toribus afferuntur. Quæ vero cl. P. Palmieri adversus formale continuum urget ex repugnantia divisibilitatis extensionis in infinitum, inferius expendenda erunt.

ARTICULUS II.

Utrum continuum componatur ex partibus quibusdam, quæ actu sint in eo, et realiter inter se distinguantur.

Difficultas declarandi naturam continuæ extensionis, et imbecillitas ingenii humani.

226. Aggredimur quæstionem de compositione continui, quæ una est ex difficillimis ac salebrosissimis in tota Philosophia, cuique solvendæ jam inde ab Aristotele tot frustra insudarunt ingenia: vix enim quidpiam vel a felicissimis scriptoribus post longas disputationes assertum reperies, quod vel probabilitatis limites excedat, vel pene inextricabilibus argumentis non ab aliis auctoribus impugnetur. Quod certe insigne est humanæ imbecillitatis documentum, ut in iis ipsis, quæ patent oculis cæterisque sensibus familiarissima sunt, secundum intimiorem naturam introspiciendis penitus cæcutiat. Ex quo tamen perperam quidam recentiores extensionem ipsam in numerum phænomenorum mere subjectivorum cum idealistis amandarunt. Quod enim ignoremus veram continui constitutionem, jus nobis non præbet ipsam realitatem corporeæ extensionis in dubium revocandi; fatendum scilicet est multa esse in rerum natura humano ingenio impervia. Quamvis itaque persuasissimum habeam nihil possse a me in medium proferri, quod caliginosissimæ controversiæ lumen affundat; ex iis tamen, quæ veteres Doctores ingeniosissime disputata reliquerunt, placet præcipua quædam capita seligere, lectoribusque consideranda proponere.

Status quæstionis.

Agendum ergo nobis est de composito et compositione, quam vocant *integralem*, quia coalescit ex partibus integralibus, et differt a composito et compositione *essentiali*, quæ existit ex partibus essentialibus, materia et forma. Partes namque integrantes et essentiales, atque adeo composita exinde resultantia, prout ex superius scriptis satis patere potest, non parum inter se discriminantur. Nam ut recte docet

Cardin. Toletus, «primo partes integrantes sæpe similares sunt, ut quælibet pars ignis est, et aquæ aqua. Dico *sæpe*, quia non semper; nam in viventibus id non est. At partes substantiæ (essentiales) dissimilares sunt semper; est enim altera materia, altera forma. Prima pars integralis non habet eumdem adæquate locum cum altera, nec pars est in toto loco totius, ut patet in ulna; ubi est medietas, adæquate non est altera, et una medietas non est in toto loco, ubi est totum. At partes substantiæ non sic, sed in quo loco adæquate est materia, ibi est forma, et in toto loco, in quo compositum est, ibi et materia, ibi forma etiam est. Præterea partes integrantes possunt separatæ consistere, ut duæ ligni partes divisæ, per se sunt; at forma per se (nempe materialis) et materia per se non sunt, nec esse possunt» (1). Loquimur ergo in præsenti de compositione non ex partibus corporis essentialibus, sed ex partibus integralibus, unde continuum saltem imperfecte extensionem exurgere satis, opinior, in præcedenti articulo probatum est.

Discrimen inter compositionem ac partes integrales et essentiales.

Porro in corporea extensione non solum videmus partes integrantes, in quas corpus dividitur, sed insuper considerare possumus indivisibilia quædam, nempe superficies, lineas et puncta, quæ aliquo saltem modo corporibus inesse nemo dubitare potest. Siquidem omne corpus superficie aliqua terminatur, superficies autem lineis, et linea punctis. Et superficies, utpote quæ est ipsa corporis solidi extremitas, solida esse nequit, ac proinde indivisibilis est secundum profunditatem, solasque habet dimensiones in longum et latum: ob similem rationem, quia linea est terminus superficiei, neccesse est, ut indivisibilis sit et secundum profunditatem et secundum latitudinem, nec aliam habet dimensionem præter longitudinem: punctum denique caret omni dimensione, ac secundum omnem modum indivisibilis est. Itaque ad explicandam continui compositionem primo inquirere oportet, an et quomodo tum partes, in quas dispesci totum integrale videmus, tum indivisibilia, superficies, linea et puncta, existant in eo. Deinde investigandum est, utrum continuum vel compositum integrale constet tandem ex solis

In extensione corporea distingui possunt partes ipsæ integrantes, et indivisibilia quædam, quibus illæ uniantur, ac terminentur.

(1) Toletus, *Physicor.* libr. 6, quæst. 1, initio.

indivisilibus, an vero ex partibus sine fine divisilibus ita, ut quantumvis divisio continui protrahatur, semper recurrant portiones extensæ, ac proinde ulterius divisibiles, sin minus per naturales causas, certe per divinam virtutem, quin possit unquam deveniri ad partes ita minimas, ut reapse inextensæ atque adeo indivisibiles sint per quamcumque potentiam. De quibus omnibus ex ordine agendum est.

§ 1.—An et quomodo partes in continuo existant.

Utrum partes integrantes actu sint in continuo.

227. Partes integrantes esse aliquo modo in continuo, extra dubium est: quod enim in partes dividitur, partes in se habeat, vel actu vel potentia, necesse est. At utrum partes istæ actu existant, an vero solum in potentia; vel utrum partes, quæ divisione separantur, ante divisionem actu distinctæ sint in continuo, an autem tantum in potentia, disputatur. Actu existere actuque invicem distinctas esse dicendas tenent post Gregorium, Gabrielem aliosque (1), Paulus Soncinas (2), Dominicus Soto (3), Suarez (4), Toletus (5), Rubius (6), Conimbricenses (7), Hurtado (8), Arriaga (9), Oviedo (10), Rhodes (11), De Benedictis (12), Lossada (13), Mayr (14), Complutenses (15), Cardin. Aguirre (16), Joann. a S. Thoma (17), Mastrius cum Scoto (18), Pontius (19)

Prima sententia.

(1) Apud Suarez lusit., *Physic.*, tract. 4, disp. 1, sect. 1, n. 2.
(2) *Metaphys.*, libr. 5, quæst. 19.
(3) Sotus, lib. *Prædicam., de Quantit.*, quæst. 2.
(4) *Metaph.*, disp. 7, sect. 1, n. 22, 23; disp. 40, sect. 1, n. 7.
(5) *Physicor.*, lib. 6, quæst. 1, *conclus.* 3.
(6) *Physicor.*, lib. 6, tract. *de composit. continui*, n. 40 seqq.
(7) Ibid. cap. 1 et 2, quæst. 1, art. 2.
(8) *Physic.*, disp. 15, sect. 1.
(9) *Physic.*, disp. 6, a n. 14.
(10) *Physic.*, controvers. 17, punct. 1.
(11) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 3, quæst. 2, sect. 3.
(12) *Philos. perip.*, vol. 2, lib. 3, quæst. 6, cap. 3.
(13) *Physic.*, tract. 3, disp. 4, in procem.
(14) *Philos. perip.*, 3.a pars, n. 770.
(15) *Physic.*, disp. 25, quæst. 3.
(16) *Physic.*, disp. 33.
(17) *Physic.*, quæst. 20, art. 1, *Tertia difficultas.*
(18) *Physic.*, disp. 9, quæst. 2, art. 3.
(19) *Physic.*, lib. 6, disp. 18, quæst. 1.

aliique (1), quos sequuntur e recentioribus Em. Card. Gonzalez (2), P. Josephus F. Cuevas (3), cl. P. Cornoldi (4), cl. Lepidi (5). Patroni hujus opinionis suum esse volunt Aristotelem et S. Thomam. Aristoteles enim quantum definivit, ut superius vidimus, *quod est divisibile in ea, quæ insunt* (6). Atqui quantum, inquiunt, est divisibile in partes. Ergo partes eidem insunt, intellige actu. Idque perspicue docet Angelicus in hujus loci commentario: *Quantum dicitur, quod est divisibile in ea, quæ insunt. Quod quidem dicitur ad* **differentiam mixtorum.** *Nam corpus mixtum resolvitur in elementa,* **quæ non sunt in mixto,** *sed virtute tantum. Unde non est ibi tantum divisio quantitatis, sed oportet quod adsit aliqua alteratio, per quam mixtum resolvitur in elementa* (7). Alibi hæc habet Aristoteles: *Continuum habet aliam atque aliam partem, atque dividitur in ita diversa et loco sejuncta* (8) Quæ verba sic interpretatur Angelicus: **Omne continuum habet partes sejunctas, ita quod hæc sit una pars, et hæc alia,** *et dividitur in partes diversas et distinctas loco, id est, positione, in his quæ positionem habent* (9), qualia sunt continua permanentia, ut docet Auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (10). Secunda sententia tenet partes in continuo non esse actu distinctas, sed potentia dumtaxat. Ita

Secunda sententia.

(1) Eamdem doctrinam sequantur, necesse est, generatim omnes, qui in eo reponunt effectum formalem quantitatis, quod det corporeæ substantiæ partes integrantes: nequit enim existere forma, quin illico sequatur primarius effectus formalis. Qui ergo illum effectum formalem assignant quantitati, nequeunt consequenter negare continuo partes integrantes actu existentes. Cfr. Complutenses, loc. cit., n. 39.
(2) *Philos. elementaria, Cosmolog.*, cap. 3, art. 1.
(3) *Cosmolog.* n. 55.
(4) *Lezioni di Filos.* lez. 31, *conclus.* 5.a Firenze, 1872.
(5) *Element. Philos. christ., Cosmolog.*, lib. 1, sect. 2, cap. 1, pag. 83, cap. 2, pag. 156.
(6) Aristot. *Metaph.* lib. 5, cap. 12.
(7) S. Thom. (*Metaph.* lib. 5, lect. 5, initio). Cfr. Soncinas (*Metaphys.* lib. 5, quæst. 23).
(8) Aristot. *Physicor.* lib. 6, cap. 1, text. 2.
(9) S. Thom. ib. lect. 1, paragr. *c.*
(10) Tract. 3, cap. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

opinati sunt P. Fassolus (1), Soarez lusitanus (2), Albertinus (3), Semery (4), aliique, quos tacito nomine laudant Complutenses, Hurtadus et Arriaga. Soarez autem pro eadem refert inter alios Capreolum (5), Henricum et Aureolum et plures Aristotelis interpretes. Idemque tenent e recentioribus P. Tongiorgi (6), cl. P. Ludovicus de San (7), et ut videtur, etiam cl. P. Schiffini (8). Si autem ab his auctoribus quæras, quomodo quæ partes solum potentia distinguuntur in continuo, actu distinctæ reddi possint, non eodem modo respondent. «Plures cum P. Fonseca (9) opinantur fieri (partes) actu distinctas non solum cum actu dividuntur, et discontinuantur, sed etiam cum informatione diversa informantur, ut quando partes afficiuntur accidentibus diversæ speciei, altera nimirum calore, altera frigore summe intenso (vel altera colore albo, altera nigro). Immo et sola designatione putant fieri actu distinctas, eaque aut reali extrinseca, ut quando palmo imposito designamus palmum in quantitate; aut sola intentionali et objectiva, ut quando per intellectum in quantitate bipalmari designamus unum palmum, et illum concipimus, relicto alio» (10). Quam doctrinam amplectitur etiam P. De San (11), aliique recentiores (12). Verum Soarez

(1) In 1.am part., quæst. 7, art. 1, n. 37.
(2) *Physic.* tract. 4, disp 1, sect. 1.
(3) *De Prædicam. Quantitat.* disp. 3, quæst. 6, n. 19.
(4) *Trienn. philos.* tom. 2, disp. 9, quæst. 2, art. 6.
(5) Valde dubito Capreolum negasse partes actu esse in continuo, tum quia expresse videtur alias contrarium docere, tum quia cum esse putat formalem quantitatis effectum, ut det substantiæ partes.
(6) *Cosmolog.* n. 171.
(7) *Cosmolog.* cap. 3, quæst. 2.
(8) *Metaph. specialis*, pars. 1.ª, n. 67. Perperam quidam inter assertores hujus doctrinæ allegant P. Sylvestrum Mauri (*Quæstion. philos.* lib. 2, quæst. 40), utpote qui alias partes actu, alias solum potentia distinctas admittit in continuo, ac proinde potius tertiam quamdam sententiam propugnat.
(9) *Metaph.* lib. 5, cap. 13, quæst. 6, sect. 5, ad 2.um
(10) Soarez lusitanus, loc. cit. n. 25.
(11) Loc. cit. n. 156 et fusius n. 167.
(12) Vide P. Tongiorgi (loc. cit. n. 176), cl. P. Pesch (*Philos. natur.* n. 27), cl. Lahousse (*Cosmolog.* n. 197), cl. Van der Aa (*Cosmolog.* propos. 5, fin.).

lusitanus cum P. Albertino et P. Cabeo negat aliter posse partes actu distinctas reddi, quam per divisionem seu discontinuitatem (1). In hujus quoque sententiæ patrocinium citantur Aristoteles et S. Thomas. Ille quidem hæc habet: *In continuo autem insunt quidem infinita dimidia*, **non actu, sed potestate**: *quod si actu fecerit, continuum non faciet* (2). S. Thomas autem sic scribit: *Duo, quæ sunt in actu, nunquam sunt unum actu; sed duo, quæ sunt in potentia, sunt unum actu; sicut patet in partibus continui. Duo enim dimidia unius lineæ sunt in potentia in ipsa linea dupla, quæ est una in actu* (3). Et alibi: *Partes alicujus homogenei continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentia tantum; et ideo nullam habent unitatem propriam in actu, unde in actu non est accipere earum numerum, sed potentia tantum* (4). Itemque: *Divisio... reducit in actum, quod erat in potentia. Nam partes continui sunt potentia in toto ante divisionem* (5).

tertia sententia.

Tertia denique est sententia recentiorum quorumdam scriptorum ad duas priores conciliandas excogitata, secundum quam partes in continuo sunt quidem actu distinctæ, non tamen *completa*, sed *incompleta distinctione*, ut loquuntur cl. P. Liberatore (6) et cl. P. Mendive (7); vel ut cl. P. Pesch (8), et P. Lahousse (9), loqui malunt, partes *entativæ* sunt actu distinctæ, partes vero *formales* non actu, sed potentia dumtaxat distinguuntur; vel denique partes *materialiter* spectatæ, actu, at partes *formaliter* consideratæ, solum distinguuntur potentia, qua loquendi formula utitur cl. P. Van der Aa (10). Locutionis istæ id unum omnes significant, entitatem ipsam partium, quæ mox dividuntur, separanturque invicem, actu contineri, actuque distingui in

(1) Vide Soarez lusit., loc. cit. n. 29 seqq.
(2) Aristot. *Physicor.* lib. 8, cap. 8, text. 69.
(3) S. Thom. *Metaphysicor.* lib. 7, lect. 13, paragr. *h*.
(4) S. Thom. 4.ª dist. 10, quæst. 1, art. 3, solut. 3, ad 1.um.
(5) S. Thom. *Metaph.* lib. 9, lect. 10, paragr. *e*.
(6) *Cosmolog.* n. 68. Quamquam puto reapse cl. P. Liberatore non discedere a prima communissima sententia.
(7) *Cosmolog.* n. 34 seqq.
(8) *Philos. natur.* n. 24 seqq.
(9) *Cosmolog.* n. 167 seqq.
(10) *Cosmolog.* propos. 5.ª.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

continuo, non tamen ibidem inesse realitatem illam singularem partium propriis terminis divisam actu separatamve, dum adhuc in continuo continetur.

Lis fere magis de voce.

Sola hæc sententiarum expositio rationesque, quibus singulæ nituntur, me movent, ut litem istam magis esse de voce, quam de re ipsa, putem, quemadmodum jam alii notatum reliquerunt. Qui enim partes actu esse in continuo volunt, præcipue intendunt divisione continui nullatenus de novo produci ipsas partium, quæ mox incipiunt existere separatæ instar totidem suppositorum novorum, entitates; quamvis entitates istæ, dum continuum conflarent, non esssent invicem separatæ, sed unitæ, nec proinde constituerent actualem multitudinem, sed omnes unum simpliciter ac per se ens unumque suppositum efficerent. Id autem totum, equidem nescio, quomodo possit negari. Adversarii autem e contrario id potissimum evincere conantur, ut in continuo non sit actu multitudo nec pluralitas, nec ante actualem divisionem vel saltem externam aliquam designationem ulli sint termini et velut propria confinia, quibus invicem separentur ac distincta individua efficiantur. Id quod ultro concedunt primæ sententiæ assertores; negant tamen sufficere, ut partes solum potentia distingui dicendæ sint, negantque pariter ad nomen ac rationem veræ ac formalis partis requiri actualem divisionem limitumve terminationem.

228. Propositio. **Partes integrantes in continuo actu sunt actuque distinguuntur.**

Partes in continuo actu sunt, actuque distinguntur ante divisionem.

Prob. 1.° Cum actu esse in continuo partes integrantes dicimus, nihil aliud significamus, nisi quod entitas partis, quæ per divisionem separatur a toto, ante divisionem jam erat in toto, secundum eamdem specificam rationem: cum vero partes in continuo actu distingui dicimus, non significamus illas divisas aut separatas actu esse, sed tantum entitatem unius partis designabilis, etiam ante actualem designationem, non esse eamdem re ab entitate cujuslibet alterius partis designabilis. Atqui entitas partis, quæ a toto separatur, ante divisionem jam existebat secundum eamdem specificam rationem in toto; et entitas cujuslibet partis

designabilis non est eadem, ac entitas cujuslibet alterius similiter designabilis. Ergo...

Prob. Minor. per partes: α) *entitas partis, quæ a toto abscinditur, ante divisionem actu existit secundum propriam rationem specificam in toto.* Ratio est, 1.° quia secus mera mechanica divisio, immo et secundum plures adversarios, ut jam notavimus, mera mentalis partium designatio, virtutem contineret gignendi novam substantiam (1). Et e converso mera unio et copulatio partium integrantium destrueret illarum entitatem; v. g. guttæ aquæ pluvialis cum ineamdem situlam vel puteum vel flumen confluerent, illico suam entitatem amitterent. Atqui hoc inauditum prorsus est ac falsissimum. Ergo entitas partium ante divisionem inerat. 2.° Hinc nisi tota entitas partium secundum suam specificam rationem inesset actu, in continuo divisio mechanica continui converteretur in resolutionem chimicam, per quam entitas certæ alicujus formæ vel rationis actu nondum existen existentiam subinde acquireret. Et e contrario unio et copulatio plurium substantiarum in unam massam cœuntium esset vera combinatio chimica, in qua entitas prius in certa specifica ratione subsistens, existentia amitteret, ut jam solum existeret in potentia illius ipsius formæ vel specificæ rationis. Atqui hoc iterum falsissimum est atque inauditum. Ergo fatendum est entitatem partium integrantium, quæ divisione peracta in se subsistant, eamdem ipsam secundum eamdem naturam actu in continuo existere, licet non eodem modo, quia in continuo unitæ sunt, ac vere unum per se conflant,

(1) Fatetur cl. P. de San (loc. cit. n. 150) realitatem partium *actu* esse in continuo, licet non sint actu limites interiores earum, ideoque cum partes dividuntur, re vera non generari. Et idem etiam nos dicimus. Sed cur tum negat idem auctor cum suis partes actu non esse in continuo, sed tantum in potentia, solum quia falso existimat ad rationem formalis partis requiri, ut entitas earum talibus limitibus terminetur? Nonne id manifeste ostendit id, quod sapienter scripsit Doctor Eximius (*Metaph.* disp. 7, sect 1, n. 23. Cfr. disp. 40, sect. 5, n. 29) nempe in usu vocum harum, *distinctionis potentialis et actualis*, cum semo est de continui partibus integrantibus, magnam latere æquivocationem? Nihilominus præclarus scriptor, hanc etiam Eximii Doctoris observationem reprehensam voluit (Vide cl. P. De San, loc. cit n. 151 in nota).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 3) secunda pars: *entitas cujuslibet partis designabilis actu distinguitur, seu non est eadem, ac entitas cujuslibet alterius partis similiter designabilis.* 1.° Illa non sunt actu eadem, sed actu distincta, quæ realiter separabilia sunt. Atqui entitates partium, quæ dividuntur, ante divisionem profecto realiter separabiles sunt; secus enim non actu separarentur. Ergo... Major patet, quia prout in *Ontologia* scriptum reliquimus (1), tenetque communis omnium sententia, realis separabilitas est signum realis distinctionis.

Dices forte realem separabilitatem esse quidem signum saltem potentialis distinctionis, non tamen necessario actualis.—**Respondeo.** Nomine potentialis distinctionis vel intelligis realem, vel solam rationis distinctionem. Si rationis dumtaxat; quæ hoc pacto potentia distinguuntur, idem profecto sunt. Atqui quæ re idem sunt, metaphysice repugnat separari. Si autem potentialis distinctio vere realis est, nihil amplius volumus; nam cum partes actu in continuo distingui dicimus, solam realem intendimus illarum distinctionem evincere (2).

2.° Ea distinguuntur actu, quæ diversis locis ac sitibus collocantur, secus enim idem diversa loca occuparet, vel idem extra seipsum poneretur. Atqui partes continuum integrantes diversa occupant loca, nam aliæ sunt extra alias, nec aliter actualem extensionem efficere possent. Ergo... 3.° Item ea distingui actu necesse est, quorum unum non est aliud. Atqui entitas unius partis non est entitas alterius, quantumvis utraque sit unita. 4.° Ea, quibus antecedenter ad mentis considerationem, conveniunt prædicata contradictoria, actu ac realiter distinguuntur: neque enim ulla est admittenda distinctio a mentis consideratione independens, quæ non sit et actualis et realis, quemadmodum constat ex disputatis in *Ontologia* contra distinctionem virtualem intrinsecam et scotisticam (3). Atqui duabus vel pluribus quibuslibet invicem separabilibus partium entitatibus prædicata contradictoria conveniunt. Nam alia est dextrorsum, alia

(1) Vide *Ontolog.*, n. 105, pag. 319, 320.
(2) Cfr. Suarez, disp. 7 *Metaph.* sect. n. 23.
(3) Vide *Ontolog.*, n. 106, pag. 323 seqq.; et n. 117, pag. 361 seqq.

sinistrorsum; alia sursum, alia deorsum (1); alia est proxima respectu ejusdem, alia remota; alia calefieri, tangi, designari, vel aliter mutari potest, alia non mutata; alia destruitur sæpe, dum alia intacta prorsus perseverat.

Dices. Ad hoc ut duabus vel pluribus partibus prædicata contradictoria asseramus, necesse est mente saltem limitem aliquem aut terminum inter illas considerare: hoc sæpe pacto de duabus extensionis medietatibus loquimur, fingendo lineam quandam mediam. Atqui ejusmodi designatio mentalis divisionem quamdam importat. Ergo prædicata contradictoria, quæ partibus attribuuntur, supponunt aliquam in extenso continuo divisionem.—**Respondeo** 1.° non omnia prædicata contradictoria supponunt mentalem designationem; nam nemine considerante limites ullos in re, ignis absumit partem ligni, alia intacta relicta; et Deus potest unam extensi portionem in nihilum redigere. Simili modo discernimus oculum dextrum a sinistro, quin cogitemus de possibili divisione secundum mediam aliquam lineam, videlicet referendo ad frontem vel ad nasum. 2.° Si quando mentalem designationem adhibemus, non ea utimur ad *faciendam*, sed ad *cognoscendam* actualem partium distinctionem. Nam actualem distinctionem hic intelligimus realem distinctionem; realis autem distinctio est prædicatum rei conveniens in seipsa, non ex modo concipiendi derivatum. Immo vero ipsa partium realium divisionisque designabilitas manifeste probat distinctionem earum; nisi enim illæ in re reperirentur, falso

(1) P. de San negat (loc. cit., n. 162) dici posse a nobis sine petitione principii, quod «in extenso sit pars superior et pars inferior, pars anterior et pars posterior, pars dextrorsum jacens et pars sinistrosum jacens: assumere enim inter partes continui esse ordinem situalem non potentia, sed actu, hoc idem est, atque accipere tamquam manifestum, partes esse actu in continuo». Ego vero puto nullam hic esse petitionem principii, sed manifestam probationem. Evidens enim est frontem et occipitium non eumdem situm tenere, ut nec uterque humerus, etc. Hinc vero manifeste ac legitime concludimus, entitatem, quæ frons, et aliam, quæ occipitium dicitur, sive partes velis illas appellare, sive non (ego illas partes appellandas puto), re distingui; nisi absurde concedamus eamdem entitatem materialem spatium diversum occupare, aut esse extra seipsam. Lege S. Thomam loco inferius exscribendo (*Quodlib.* 1, art. 21).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illas designaret mens, falsoque cogitaret ut linea quadam separabiles. 3.° Designatio pure mentalis nequit importare nisi possibilem divisionem. Ergo si sufficit illa ad hoc, ut partes actu inesse vere concipiantur in continuo, jam eo ipso fateantur adversarii, oportet, ante realem divisionem actu partes distingui. Nec aliud nos intendimus, cum potissimum ex ipsa continui divisibilitate videatur nobis manifestum erui argumentum ad actualem partium distinctionem asserendam.

Prob. 2.ª Integra propositio. Ratio, cur adversarii negant actu partes esse in continuo, vel eas actu inter se distinctas esse dicendas, ea est, quod putent ad rationem partis *formalis* vel *formaliter* spectatæ requiri terminos proprios, inter quos illæ contineantur, diversos a terminis totius continui. Atqui hæc ratio falsa est. Ergo stat propositio.

Major constat ex diserta doctrina P. De San (1) aliorumque contrariam tenentium opinionem, qui non aliud probant nisi quod partes sint unitæ, non autem discontinuæ nec actu propriis limitibus terminatæ (2), sicque satis se actualem partium distinctionem exclusisse arbitrantur.

Minor probatur: α) primo negative, quia nullo argumento dignantur adversarii hanc assertionem suam probare. Petunt ergo principium; nosque jus habemus negandi id, quod nec per se evidens est, nec ullo argumento confirmatur. Verum hoc omisso, probatur Minor β) positive. Non minus unitæ sunt materia et forma in essentiali composito, quam partes integrantes in continuo, nec habent terminos ullos realitatis a termino totius compositi, distinctos, quin potius se intime penetrant indivise, atque unum per se constituunt in sensu magis proprio. Atqui tamen passim ab omnibus dicuntur

(1) «Duo sunt, inquit P. De San, essentialiter de ratione partis, prout nunc loquimur de partibus, scilicet a) realitas aliqua extensa præcontenta in toto continuo, et b) terminus hujus realitatis differens a termino totius continui. Quorum si utrumque vel alterutrum non sit actu in continuo, neque partes poterunt dici esse actu in continuo». (Loc. cit. n. 153. Cfr. ib. n. 152 et 159, 160). Hic est medius terminus primæ probationis, qua suam propositionem evincere conatur præclarus scriptor.

(2) Vide v. g. Soarez Iusit. loc. cit. n. 22.

partes compositi corporei, eæque realiter distinctæ. Ergo ad rationem ac nomen formalis partis minime requiritur actualis limitum ac terminorum distinctio. γ) Si vera esset ratio loquendi adversariorum, nunquam dari possent partes integrantes in vero, proprio ac formali sensu vocis. Sane vel partes habent actu proprios terminos, quibus invicem disterminentur, vel non. Si non habent, non sunt formaliter partes, ex adversariorum sententia. Si habent, partes illæ, quoniam actuales terminos vere a parte rei nequeunt habere nisi ope divisionis, jam actu divisæ supponendæ sunt. Atqui partes integrantes actu divisæ jam non spectant ad totum continuum, nec sunt proprie in eo, sed in seipsis tamquam tota quædam individua et supposita, ut constat ex ipsa Aristotelica quanti definitione, experientia et communi omnium sensu: nempe partes, quæ propriis actualibus terminis disterminatæ sunt, desinunt esse veri nominis partes, nec possunt actu appellari partes. Unde si vera foret adversariorum doctrina, sola aggregata plurium corporum actu partes habere dicenda essent. Præclare in hanc rem Cardin. Toletus: «Notatu dignum est, quod *ratio partis non consistit in separatione a toto, immo in conjunctione:* quod aliqui non advertunt, *dicentes partes esse in potentia, sed non actu, in continuo, nisi cum separatæ sunt.* Quod quidem falsum est; immo *cum separantur, jam non actu partes, sed tota quædam dicuntur: dum in toto sunt, actu partes sunt*» (1). δ) Hinc etiam ulterius conficitur, adversarios confundere distinctionem actualem cum divisione. Atqui aliud est actualis distinctio et divisio: patet in primo in materia et forma dum constituunt corpus, sunt enim actu distinctæ, et nihilominus non sunt divisæ, sed unitæ. Deinde divisio opponitur reali unioni et compositioni, distinctio vero actualis vel realis actuali vel reali identitati. At unio realis et realis identitas procul inter se distant, nam prima non excludit divisibilitatem ac potentialem multitudinem, altera vero excludit. Unde ad distinctionem actu habendam sufficit divisibilitas. Quamvis ergo non negem interdum voces *distinctum* et *divisum*,

(1) Card. Tolet. (*Physicor.*, lib. 6, quæst. 1, loc. cit.). Cfr. Complutens. (loc. cit., n. 39).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIGITAL

distinctio et *divisio*, in eadem significatione adhibitas fuisse, sicut etiam adhibitæ sunt voces *divisum* et *divisibile*, *indivisum indivisibile;* non tamen synonymæ sunt, si proprie loqui velimus. 8) Denique cum quæstio de modo loquendi incidit in scientiis, multum attendendum est ad usum frequentiorem sapientium. In præsenti autem controversia longe communior fuit apud sapientes sæculis transanctis modus loquendi, quo nostra utitur sententia, eumdemque adhuc tenent multi clarissimi scriptores, ut vidimus.

Quænam fuerit hac de re mens Aristotelis et S. Thomæ.

Venio ad mentem S. Thomæ et Aristotelis investigandam, quorum utraque sententia patrocinium sibi vindicat. Equidem puto sat probabile esse, quod Aristoteles reipsa non fuerit alienus a doctrina nostra, de S. Thoma vero vix ullum restare posse dubium: idque colligitur primo ex ipsa *Quanti* definitione, prout exponitur ab Angelico Doctore. *Quantum... dicitur*, inquit Philosophus, *quod est divisibile in ea*, quæ insunt, *quorum utrumque aut unumquodque, unum aliquid et hoc aliquid aptum natum est esse* (1). Quæ verba sic exponit Aquinas: *Primo ponit rationem quantitatis, dicens, quod quantum dicitur, quod est divisibile in ea, quæ insunt.* Quod quidem dicitur ad differentiam mixtorum; nam corpus mixtum resolvitur in elementa, quæ non sunt actu in mixto, sed virtute tantum. *Unde non est ibi tantum divisio quantitatis, sed oportet, quod adsit aliqua alteratio, per quam mixtum resolvitur in elementa.* Si quantum esse divisibile *in ea, quæ insunt*, dicitur ad differentiam mixtorum, in quibus elementa *non sunt actu;* plane infertur partes *actu* inesse in quanto ex mente Aristotelis et S. Thomæ. Similia scribit alibi S. Thomas: *Distinctio... secundum situm primo et per se convenit quantitati dimensivæ, quæ definitur esse quantitas positionem habens: unde et partes in subjecto* ex hoc ipso distinctionem habent *secundum situm, quod sunt subjectæ dimensioni. Et* sicut est distinctio diversarum partium unius corporis secundum diversas partes unius loci per dimensiones, *ita propter dimensiones diversa corpora distinguuntur secundum diversa loca. Duo enim corpora facit actualis divisio materiæ corporalis:* duas *autem* partes unius corporis divisibilitas

(1) Arist. *Metaph.* lib. 5, cap. 13. Vide S. Thom. ib. lect. 15.

potentialis (1). Item: *Natura substantiæ est* sub qualibet parte *dimensionum, sub quibus continetur: sicut* sub qualibet parte *æris est tota natura æris, et* sub qualibet parte *panis est tota natura panis, sive* sint dimensiones actu divisæ *(sicut cum æs dividitur, vel panis secatur), vel* etiamsi sint actu indivisæ, divisibiles vero potentia. *Et ideo manifestum est, quod totus Christus est sub* qualibet parte *specierum panis, etiam* hostia integra manente, *et non solum cum frangitur* (2). Ubi iterum agnoscuntur partes ante divisionem. Denique ex doctrina S. Thomæ *positio, quæ est* ordo partium in toto ad rationem quantitatis spectat (3). Quomodo autem, quæso, quantitas ordinare potest secundum situm partes, quæ non sunt?

Ex quibus haud operosum est loca S. Thomæ et Aristotelis adducta in favorem contrariæ opinionis explicare. Cum enim negat S. Thomas *partes actu esse in continuo* (4), dicendus est negare solum voluisse, quod partes habeant *esse* proprium est independens, ac divisum ab *esse* totius, quamobrem suppositi rationem sortiantur. Vult enim Angelicus non dari in continuo nisi unum *esse*, nempe *esse* totius, ideoque partes esse in toto per totius *esse:* quo sensu recte dici possunt partes non esse actu in toto, sed tantum in potentia; quia dum sunt unitæ, ac totum efficiunt, non habent *esse* hujusmodi, sed possunt illud assequi, ac porro assequentur sola divisione. Sensus hic probatur primo ex eo, quod S. Thomas doctrinam istam afferat solum ad excludendum actualem numerum ac multitudinem partium in continuo. Atqui partes quamvis dicantur esse actu in continuo, quamdiu permanent unitæ, non faciunt numerum vel multitudinem, sed solum quando reali divisione separantur. Ergo cum S. Thomas docet partes non esse actu in continuo, sed solum potentia, non absurde intelligi potest voluisse excludere *esse* duntaxat divisum ac proprium, ratione cujus in seipsis existunt. Doctrinam hanc confirmat

(1) S. Thom., *Quodlib.* 1.a art. 21. Adde etiam S. Thom. *Physicor.*, lib. 4, lect. 6, paragr. *f.*

(2) S. Thom. 3. p. quæst. 76, art. 3.

(3) *Contr. Gent.* lib. 4, cap. 65 in medio.

(4) Vide S. Thom., 4.a dist. 19, quæst. 1, art. 3, solut. 3, ad 1.um

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA

ipsemet Angelicus in aliis locis. *Ens... subsistens est, quod habet* esse *tamquam ejus quod* est... *Unde nec natura rei nec partes ejus proprie dicuntur esse, si* esse *prædicto modo accipiatur* (1), *similiter autem nec accidentia, sed suppositum completum, quod est secundum omnia illa* (2). Et alibi: *Ad rationem totius pertinent duo: unum scilicet, quod* esse *totius compositi pertinet ad omnes partes, quia partes non habent proprium* esse, *sed sunt per* esse *totius... Aliud est, quod partes componentes causant* esse *totius* (3). Verum accipe locum, in quo nullum dubium esse potest: Esse *dupliciter dicitur...: uno modo secundum quod est copula verbalis significans compositionem cujuslibet enuntiationis, quam anima facit... Alio modo* esse *actus dicitur entis, in quantum est ens, id est quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura: et sic esse non attribuitur nisi rebus ipsis, quæ in decem generibus continentur... Sed hoc* esse *attribuitur alicui dupliciter: uno modo ut sicut ei, quod* proprie et vere habet esse vel est, et sic attribuitur soli substantiæ per se subsistendi. *Unde quod vere est, dicitur substantia in 1.° Physicorum* (text. comm. 27). Omnia vero, quod non per se subsistunt, sed in alio et cum alio, sive sint accidentia, sive formæ substantiales, aut quælibet partes, non habent esse ita, ut ipsa vere sint, sed *attribuitur* eis esse. *Alio modo*, ut quo aliquid est, *sicut albedo dicitur* esse, *non quia ipsa in se subsistat, sed quia ea habet aliquid esse album.* Esse *ergo* proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti... *Non impediebat, quin* (humanitas Christi) *proprium* esse haberet, nisi hoc, quod non erat per se subsistens. *Sicut si arca esset quoddam individuum naturale; ipsa tota non haberet nisi unum* esse; quælibet tamen partium ejus ab arca separata proprium esse habebit (4). Vides ergo apertissime, quo sensu neget S. Thomas partes *actu esse* in continuo? In eodem sensu, in quo nec accidentia nec forma substantialis dici possunt *actu esse*, nempe non quatenus non sint actu existentia in composito,

(1) Nempe *esse*, quod est actus entis vel existentia, ut ibidem declarat S. Doctor.
(2) S. Thom. 3.° dist. 6, quæst. 2, art. 2.
(3) S. Thom. ibid., art. 3. Cfr. ib, dist. 8, quæst. 1, art. 2, ad 1.um
(4) S. Thom., *Quodlibet.* 9, art. 3.

sed quatenus *non per se subsistant* cum *esse* sibi proprio et individuali. Nequit ergo cum veritate dici S. Thomam reipsa nobis adversari.

Ex his facile etiam intelliges aliud ejusdem S. Doctoris testimonium, cujus quædam verba possent prima fronte videri contraria, cum tamen re vera non sint nisi nova ejusdem doctrinæ confirmatio: *Sciendum est*, inquit, *quod quantitas secundum rationem ejus communem, quæ ponitur in 5.° Metaphysicorum, est divisibilis in ea, quæ* sunt actu. *Quod non est ideo dictum*, quasi partes, in quas quantum est divisibile, sint actu in toto, *in quo sunt*, divisæ; *sed hoc est dictum ad differentiam mixti, quod* non est divisibile in miscibilia nisi per alterationem, per quam altera forma inducitur, sed hic sine alteratione aliqua, sola divisione fit pars in actu. Unde quando est in toto, actu esse dicitur, quia quod prope est ad esse nihil ab esse differre videtur. *Et ideo statim subjungit* (Aristoteles), quod quælibet pars nata est esse unum aliquid et hoc aliquid demonstrabile, nempe individuum vel suppositum (1). Vides ergo iterum, in quo sensu neget S. Thomas partes esse actu in continuo?

Ex quibus nullo negotio explicantur reliqua, quæ ex Doctore Angelico vel Aristotele opponi solent.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

229. Objic. 1.° «Distinctio, sicut omnis respectus, importat pluralitatem aliquam ex parte terminorum, inter quos viget. Immo distinctio formaliter stat in hoc, quod unum distinctorum non est aliud; ubi autem est *unum* et *aliud*, ibi est pluralitas quædam. Sed non aliter est possibile in continuo actu existere pluralitatem quamdam, nisi quatenus in eo existunt limites, quorum unoquoque figatur finis unius realitatis extensæ et principium alterius realitatis extensæ». Et probatur hæc Minor. «Ubi enim secundum nullum modum considerationis actu viget finis unius realitatis et principium alterius realitatis, ibi omnimodis et simpliciter non est actu nisi una realitas. Sed in continuo limites,

(1) S. Thom., opusc. *de Natura generis*, cap. 20.

quorum unoquoque figatur finis unius realitatis extensæ et principium alterius realitatis extensæ sunt indivisibilia continuantia (puncta, vel lineæ, vel superficies); hæc autem in continuo per se inspecto non sunt actu, sed potentia, quod modo quidem supponimus, postea vero demonstratum dabimus. Non est ergo in continuo per se inspecto actualis aliqua pluralitas. Ergo nec in eodem per se inspecto est actualis aliqua partium distinctio». En secundum argumentum, quo cl. P. De San (1) probat contrariam sententiam: primum nuper dissolvimus in altera probatione nostræ propositionis.

Resp. *dist.* primam partem Majoris. Distinctio importat pluralitatem aliquam, sive actualem sive possibilem, ex parte terminorum, inter quos viget, *conc.;* præcise actualem, *subdist.:* si distinctio versetur inter duo supposita vel entitates actu divisas, *conc.;* si versetur inter entitates actu unitas, sed divisibiles, *neg.*

Similiter *dist.* ultimam partem Majoris. Ubi est *unum* et *aliud* substantive sumptum, nempe unum et aliud supposita, ibi est pluralitas quædam, *conc.;* ubi est una et alia entitas designabilis ac divisibilis, *subdist.:* ibi est pluralitas quædam actualis, *neg.;* possibilis, *conc.*

Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. et consequentiam. Notare enim debes in syllogismo, prout jacet, quatuor esse terminos. In Majori enim sermo est de *aliqua* vel de *qualam* pluralitate, quæ, ut vides, potest esse vel realis vel rationis, et realis vel actualis vel possibilis; in Minori autem et conclusione sermo est de *actuali* pluralitate, ut constat tum ex ipsis verbis, tum ex probatione Minoris. Quod si ea forte Majoris est vis, ut omnis distinctio importet actualem pluralitatem ex parte terminorum, inter quos viget, non quidem erunt quatuor termini in syllogismo, sed neganda erit propositio. Mirum autem est, quod præclarus scriptor totus sit in probanda Minore, Majorem penitus prætergressus, quam tamen probare debuisset, ut quidpiam suo argumento evinceret. Itaque, ut quæ jam superius declaravimus, summatim repetamus, distinctio si rationis sit, non habet nisi pluralitatem

(1) Vide loc. cit. num. 154.

conceptuum; si vero sit realis, semper importat aliquam multitudinem, sive actualem sive possibilem, sive simpliciter sive secundum quid. Ad realem ergo et actualem distinctionem non requiritur præcise actualis multitudo, sed stare potest cum sola possibili multitudine, quæ oritur ex divisibilitate vel possibili divisione partium, quæ actu non sunt divisæ, sed unitæ, et proinde unum efficiunt. Quæ enim unita sunt ac divisibilia, profecto non sunt idem actu et realiter, nam quæ sunt re idem, nequeunt uniri, sed sunt unum: ergo quæ sunt unita, realiter ideoque actu distinguuntur.

Objic 2.° Si partes actu distinguerentur in continuo, suas haberent figuras. Atqui hoc dici nequit, ut pote contrarium ipsi experientiæ. Ergo.—**Resp.** *neg.* vel *dist.* Major. Si essent quoque actu divisæ, *conc.*, si sint actu unitæ, *neg.* Figura enim est terminatio quantitatis; at partes unitæ, non disterminantur suis propriis limitibus.

Objic 3.° Si partes actu distinguntur, vel sunt finitæ vel infinitæ. Si infinitæ, aderit in rerum natura infinitum categorematicum. Si finitæ, ant sunt ulterius indivisibiles et inextensæ, et admittenda erit compositio continui ex punctis indivisibilibus secundum sententiam Zenonis; si vero sint divisibiles, nisi velimus tandem in aliquibus partibus inextensis et indivisibilibus consistere, dicendæ erunt dividi posse ulterius absque ullo fine, atque adeo iterum habebitur infinitum categorematicum in multitudine.—**Resp.** *neg.* Major. Quia cum partes non sint divisæ, verum unitæ, actu et simpliciter unum sunt, et solum potentia et secundum quid multæ dici possunt, nempe eodem prorsus modo, ac in contraria sententia. Cum ergo in continuo non sit actualis multitudo, partes nec sunt finitæ nec infinitæ, quia non faciunt numerum, donec dividantur. Sed quia peracta divisione, adesset numerus et multitudo, ideo loqui solemus de partibus quasi de multis entibus, non quia sunt actu multa entia, sed quia possunt esse (1).

Cætera, quæ videri possunt apud P. Tongiorgium, Soarez lusitanum aliosve supra laudatos auctores, nullo negotio

(1) Vide S. Thom. 1. p. quæst. 11, art. 1 ad 2.um; et *Ontolog.* nostram, num. 83, num. 244.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solves ex dictis: hæc enim quæstio non magnam habet difficultatem (1).

§ II.—QUOMODO UNIANTUR PARTES INTEGRANTES IN CONTINUO.

Partes in continuo uniuntur unione ab ipsis distincta.

230. PROPOSITIO. 2.a **Partes in continuo non uniuntur seipsis, sed unione independenter a mentis consideratione distincta.**

Assertio hæc post ea, quæ de materiæ ac formæ unione scripsimus, haud ægre probatur. Et primo quidem 1.° continua et contigua, ut constat ex eorum definitionibus, re inter se discriminantur. Atqui nequeunt aliter distingui, nisi quia contigua carent unione, qua continua copulata sunt. Nam contigua sunt, *quorum extrema sunt simul*, nempe in eodem loco, continua vero, *quorum extrema unum sunt* seu, *communi vinculo copulantur*. 2.° Præterea partes possunt esse in rerum natura, quin uniantur, ut passim accidit, cum dividuntur. Atqui si seipsis unirentur, non possent esse in rerum natura nisi unitæ. Ergo partes in continuo non uniuntur seipsis, sed unione superaddita distinctaque independenter a mentis consideratione. 3.° Denique nequeunt prædicata realia et contradictoria verificari successive de eodem subjecto, nisi aliquid ei reale adveniat, vel recedat. Atqui de iisdem partibus successive verificantur prædicata contradictoria et realia vel independentia a mentis consideratione, nam modo unitæ sunt, modo non unitæ, ac vicissim. Ergo in partibus cum uniuntur aliquid reale est, quod prius non erat, et similiter cum separantur, aliquid deest, quod prius erat. Id

(1) Fallitur cl. P. De San (loc. cit. num. 151 not. 2.°) existimans hanc maxime controversiam respicere verba, quibus P. Arriaga disputationem circa continui compositionem exordiens, rei difficultatem exponit (Vide Arriaga, *Physic.* disp. 16, in procem.). Verum enimvero Arriaga ita plenam existimavit doctrinam, tenentem partes in continuo esse actu distinctas, ut contrariam omnino *exoletam* dixerit et *exterminandam a Philosophis bene et clare discurrentibus* (Loc. cit. num. 14 et 20). Verba ergo illa citata a P. De San, potissimum respiciunt, ut ipsemet Arriaga notat (ibid. num. 20 fin), et patet ex tota ejus disputatione, quæstionem illam mox tractandam, utrum continuum componatur ex solis punctis indivisibilibus, an vero ex partibus in infinitum divisibilibus.

autem, quod partibus accedit, cum uniuntur, vel aufertur, cum separantur, est unio.

Quid rei sit unio partium integrantium: variæ sententiæ.

Si quis porro quærat, quid rei sit unio ista partium integrantium, multi videntur eam in punctis continuantibus reponere, quæ in neutra parte recipiantur, utramque tamen exigant sibi propinquissimam absque penetratione (1). Cum enim de indivisibilibus disputant, punctis nempe, lineis et superficiebus, duo punctorum genera distinguunt, terminantium et continuantium; continuantibus autem id muneris attribuunt, ut partes alias cum aliis continuent, atque uniant; quæ enim non continuantur cum aliis, terminum habent, ac discretæ sunt et divisæ. Alii unionem in modo seu modali entitate sitam esse volunt (2): quorum sententia iisdem argumentis suaderi potest, quibus superius unionem informativam inter materiam et formam in modo quodam consistere probavimus.

Probabilius consistit in modo,

231. **Inter illos autem, qui unionem in modo reponunt,** disputatur 1.° num modus iste sit simplex et indivisibilis, an vero divisibilis, constans duobus partialibus modulis, quorum unusquisque in sua parte recipiatur. Divisibilem esse arbitrantur Arriaga et De Benedictis (3); indivisibilem esse simplicissimumque Suarez, Hurtadus, Aguirre (4), Mayr (5), et Oviedus (6); quorum mihi sententia probabilior videtur. Quia si modus unionis duabus particulis constaret, egerent et ipsæ nova unione, qua inter sese connecterentur; de qua unione iterum quærendum esset, num divisibilis foret, an indivisibilis. Si indivisibilis, cur non dicatur idem de primo modo partes continui uniente? Si

qui sit simplex et indivisibilis,

(1) Cfr. apud Lossada loc. cit. in procem. disp. 4.° num. 3.

(2) Ita v. g. Rhodes (loc. cit., disp. 3, quæst. 2, sect. 8, *Dico primo*), De Benedictis (*Philos. peripat.*, tom. 2, lib. 3, quæst. 6, cap. 5), Oviedo (*Physic.*, Controv. 4, punct. 1, num. 19 at 23), Arriaga (*Physic.*, disp. 4, sect. 2, num. 72), Aguirre (*Physic.*, disp. 33, n. 30), Suarez (*Metaph.*, disp. 40, sect. 5, num. 46), Mayr (*Philos. peripat.*, pars 3.ª, num. 820), Hurtadus (*Physic.*, disp. 15, sect. 3), etc.

(3) Locis nup. cit. Cfr. Rhodes (loc. cit. *Dico* 2.°), et Aversa (apud Mastrium, *Physic.* disp. 2, quæst. 2, art. 2, num. 42).

(4) Locis nuper citatis.

(5) Loc. cit. num. 830.

(6) Loc. cit. collat cum controv. 17, punct. 1, num. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

autem divisibilis in alias partes, illæ quoque sua indigebunt unione, et sic procedetur in infinitum.

Si autem quæras, ubinam recipiatur iste modus unionis indivisibilis, utrum in utraque parte, quam unit, an in una dumtaxat; sunt qui illum in una sola recipi arbitrentur (1), in illa scilicet, quam Deus determinaverit, fere sicut docuimus in *Ontologia* (2) Deum extrinsece quoad individuum quoslibet effectus causarum secundarum determinare. Sicut enim causæ secundæ de se non sunt determinatæ, sed prorsus indifferentes, ut hunc præ alio ex infinitis possibilibus effectum ejusdem conditionis ac naturæ sub iisdem circumstantiis producant, ideoque divina egent determinatione, prout in *Ontologia* declaratum manet, ita modus unionis ex se non magis postulat subjectari, vel recipi in una parte, quam alia. Probarique forte potest opinio hæc ex dictis superius circa unionem materiæ ac formæ, quam etiam in sola materia subjectari frequentior tenet scriptorum doctrina. Præterea superare videtur entitatis indivisibilis materialis conditionem perfectionemque, ut in duabus partibus recipiatur. Alii tamen, e quorum numero est Antonius Mayr (3), probabilius fortasse putant modum illum unionis indivisibilem in utraque parte recipiendum esse. Neque id esse supra perfectionem indivisibilis entitatis declarant, probantque exemplo animarum materialium seu non spiritualium, quæ a multis indivisibiles ponuntur, recipiuntur tamen in omnibus partibus, quas ex munere suo informare debent ad corpus vivens constituendum. Simili ergo modo cum finis ac munus unionis sit partes copulare, non in una sola, sed in omnibus, quarum est formale vinculum, recipi dicenda est. Nec urget in contrarium ratio adducta ex unione materiæ ac formæ; quia in illa jam sufficiens affertur causa, cur in sola materia tamquam in subjecto recipi debeat. Verum hic nulla prorsus est ratio, cur in una magis, quam in alia parte, recipiatur unio. Cum ergo non

et in utraque parte receptus.

(1) Apud Lossada, loc. cit. *Physic.* tract. 3, disp. 4, procem. num. 3.

(2) Vide *Ontologia* num. 306, pag. 1142.

(3) Loc. cit. num. 830.

repugnet eam in utraque recipi, ita reapse fieri putandum probabiliter est.

Quædam difficultates solutæ.

Dices 1.° Si una indivisibilis unio daretur in utraque parte recepta, ambæ partes cum illa compenetrarentur. Atqui nequeunt partes cum unione compenetrari, quin compenetrentur inter se. Ergo si modus unionis indivisibilis ponatur, dicendum erit partes integrantes inter se compenetrari: quod absurdum est. Quod si neges partes modo unionis indivisibili unitas inter se compenetrari, certe fatendum tibi erit prædictam unionem localiter replicari, nam revera esset præsens duplici loco contiguo, qui a partibus occupatur.

Resp. ad primum, *negando* Minor. Etenim sicut ex eo quod anima rationalis, et generatim quævis forma indivisibilis, compenetretur cum singulis partibus, minime sequitur, quod hæ invicem penetrentur; ita nec partes unitæ debent inter se penetrari, propterea quod unio communis ambabus compenetretur cum illis. Alterum etiam negandum esse declaratur eodem exemplo rationalis animæ. Sicut enim anima, quamvis non est in parte indivisibili spatii, sed præsentiam suam exhibet toti spatio, quod corpus ab ipsa informandum occupat, nequit dici localiter replicari, simili modo non replicatur unio indivisibilis, quia præsens est spatiis contiguis *partium* uniendarum. Ratio est, quia ad localem replicationem requiritur, ut res sit extra locum suum adæquatum: locus autem adæquatus rei est ille, qui debetur eidem naturaliter ad hoc, ut munus suum exerceat, ut patet in anima rationali.

Dices 2.° Modus unionis vel unit partem divisibilem extensionis continuæ, ac proinde constantem aliis minoribus, vel partem indivisibilem. *Non indivisibilem:* quia cum et ipsi modi unionis et extrema unita in ea hypotesi forent indivisibilia, continuum componeretur ex solis indivisibilibus. *Neque etiam divisibilem;* quia pars divisibilis includit in se uniones alias, quibus copulentur partes minores, ex quarum functione coalescit. Atqui pars includens uniones prout talis nequit terminare unionem; quia unio ad unionem non terminatur. Ergo modus unionis nequit unire partem divisibilem, saltem prout talem.—**Resp.** difficultatem hanc varie solvi pro varietate opinionum. Qui enim putant cum Zenone continuum componi ex indivisibilibus invicem copulatis,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

primum eligent membrum, nec premuntur isto argumento. Qui autem cum Aristotele arbitrantur continuum constare ex partibus ulterius in infinitum divisibilibus, quin deveniri unquam possit ad indivisibia, secundum disjunctionis membrum eligant, necesse est. Ad argumentum vero respondent partem quidem divisibilem formaliter ut divisibilem terminare unionem, non tamen secundum indivisibilia, quæ illa in se continet, quia pars integra, indivisibiliter sumpta, est quæ unitur alteri parti, quamvis indivisibilia, quibus constant ambæ partes unitæ non uniantur inter se immediate, sed tantum mediate, mediante videlicet utroque extremo unito (1). Itaque partes divisibiles uniuntur inmediate secundum eorum extremitates dumtaxat. Ut autem loquitur Suarez, non «potest in linea assignari pars adæquata, cui punctus uniatur, quia nulla pars secundum se totam est immediate in puncto: alioqui vel illa esset æque indivisibilis, ac punctum, vel punctum esset quasi extensum vel præsens divisibili spatio. Unit ergo punctum partes lineæ indivisibiliter sese totum uniens utrique, non adhærens toti alicui parti divisibili determinatæ, sed quasi intime assistendo utrique» (2). Verum hæc difficillime intelliguntur, quia attingunt obscurissimam illam de ultimis continui elementis quæstionem mox proponendam.

Uberior declaratio subjecti unionis integralis.

Et hæc quidem dicta fuerint de unionis subjecto, præcisione facta a sententia, quam superius propugnavimus relate ad effectum formalem quantitatis. Illa tamen doctrina supposita, potest res magis declarari. Nam substantia corporea in dependenter a quantitate suas habet partes integrantes, easque substantialiter unitas, quibus respondent totidem partes integrantes quantitatis pariter unitæ, quæ actuando partes substantiæ, reddunt illas naturaliter impenetrabiles seu exigentes diversa occupare loca. Unde in corpore physico duplex considerari potest continuum, alterum substantiale coalescens ex partibus entitativis integrantibus unitis

(1) Vide Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 34, num. 42 et disp. 36, num. 37), Oviedo (*Physic.* Controv. 17, punct. 4, num. 1), apud quem plura videri possunt.

(2) Suarez, disp. 40 *Metaphys.* sect. 5, num. 67.

modali unione substantiali, alterum quantitativum constans partibus quantitativis, pariter unitis modali unione accidentali, quod intime penetrans substantiale continuum, coextendit illud sibi, ac in loco constituit extenso modo. Hæc si vera sunt, dicendum videtur, sicut singulæ partes quantitatis in singulis partibus entitativis substantiæ subjectantur, ita modos unionis partium quantitativarum recipi in modis unionis partium substantialium, ipsos vero modos partium substantialium in partibus integrantibus substantiæ, quas uniunt, recipi, quemadmodum superius explicatum manet. Vide de his Eximium Doctorem et Rubium (1).

Utrum unio modalis identificetur cum punctis continuantibus

Disputatur 2.° loco inter assertores unionis modalis, utrum modi unionis, quibus partes integrantes vinciuntur, sint unum idemque cum punctis continuantibus, de quibus mox in sequenti articulo disputandum erit. Suarez (2) cum aliis præter puncta continuantia admittit, saltem in linea, modos, quibus illa cum lineæ partibus connectantur, quamvis concedat etiam non omnino improbabile esse, quod puncta se ipsis instar modorum uniantur cum partibus lineæ. Alii vero, ut Hurtadus, De Benedictis, et Oviedo (3) negant modos unionis distingui a punctis, aut dari puncta a modis diversa. Rubius etiam eamdem sequitur sententiam (4), additque ita opinari *majorem partem modernorum*.

Verum hactenus de unione partium in continuo. Unum tantum notandum superest, quod jam per se patet, modos unionis ponendos dumtaxat ibi esse, ubi datur vera extensionis continuitas; ubi enim hæc abrumpitur, interpositis spatiolis vel interstitis, planum est nullam intercedere unionem.

(1) Suarez (*Metaphys.* disp. 40, sect. 5, num. 50-55), Rubius (*Physic.* lib. 6, tract. *de composit. continui*, num. 34). Cfr. Mastrius (*Physic.* disp. 9, quæst. 2, art. 5, num. 74).

(2) Loc. cit. num. 46. Cfr. ib. num. 42, et 24 et 25.

(3) *Physic.*, controv. 17, punct. 1, n. 4. Cfr. Cardin. Aguirre (Op. cit. disp. 34, sect. 5, num. 52).

(4) Rubius, *Physic.* lib. 6, tract. *de composit. continui*, num. 25.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS III.

An et quomodo dentur in continuo indivisibilia, nempe puncta, lineæ ac superficies.

Status quæstionis.

232. Distinximus initio præcedentis articuli in continuo partes, in quas dispescitur, a punctis, lineis ac superficiebus, quæ indivisibilia vocari solent. Cum enim extensionis ac dimensionum triplex considerari possit genus, in longum solum, in longum et latum, et in longum, latum et profundum, triplici huic extensionis modo triplex modus indivisibilitatis opponi potest: primus carens omni prorsus dimensione, isque proprius est puncti; secundus solam habens extensionem secundum longitudinem absque latitudine et profunditate, et constituit lineam, quæ dividi nequit nisi secundum longitudinem; tertius denique reperitur in superficie, quæ dividi quidem potest secundum longitudinem et latitudinem, non tamen secundum profunditatem. Quare solum punctum est simpliciter et undequaque indivisibile, linea vero et superficies solum secundum quid. Indivisibilia hæc esse aliquo modo in corpore continuo, nemo dubitat, omnes enim passim loquimur, multaque disputant de illis scientiæ mathematicæ. Quamvis enim nullum sit in rerum natura punctum sine linea, nec linea sine superficie, nec superficies sine profunditate, de illis tamen præcisive cogitare, ac loqui solemus. Verum dubitatur, utrum hæc sint veræ quædam entitates realitates re distinctæ et a continuo, cui attribuuntur, et inter se; atque adeo utrum continuum vere dicendum sit, constare etiam ex quibusdam indivisibilibus: estque quæstio sane difficillima. Ut porro sententiarum hac in re varietas melius percipiatur, duo indivisibilium genera distinguere oportet, *continuantium* seu *copulantium* ac *terminantium*. Terminantia, ut ipsum nomen satis innuit, sunt illa, quæ claudunt extensionem; sicut punctum est extremum lineæ, linea superficiei, superficies corporis solidi. Continuantia vero dicuntur ea, quæ alias cum aliis partes copulant, et continuant tamquam communes limites vel

Indivisibilia continuantia et terminantia.

vincula utriusque partis: talia sunt puncta, quæ in qualibet parte extensionis lineæ; et lineæ, quæ inter extrema superficiei; et superficies, quæ secundum profunditatem in corpore solido cogitari queunt. Unde ubicumque abrumpitur continuum, vel dividitur, loco indivisibilis continuantis succedunt duo terminantia, ut si lineam in duas secueris partes, in puncto intersectionis, quo prius illæ continuabantur, resultant duo puncta, quæ terminant extremitates duarum novarum linearum.

Controversia ergo ista in varias auctores distraxit opiniones, duas extremas, alias medias. Prima negat indivisibilia ulla dari actu in continuo, saltem ut veræ ac distinctæ a partibus realitates: eam tenuerunt Durandus (1), Ockam et Gregorius aliique nonnulli, præsertim e Nominalium schola, apud Suarez et Conimbricenses (2). «Quæ opinio non negat, quin in corpore quanto sit vera longitudo et latitudo realis; id enim tam est evidens, ut a nemine negari possit, cum constet corpus tribus illis modis divisibile esse, idque sæpe ab Aristotele asseratur, et in Mathematica seu Geometria demonstretur, ut in sequentibus attingemus. Sed negant dicti auctores dari in corpore quanto rem aliquam a cæteris distinctam, quæ longitudinem habeat absque latitudine, aut latitudinem sine profunditate. Affirmant autem corpus ipsum per sese habere has omnes dimensiones, et prout consideratur a nobis, ut præcise habet longitudinem, vocari lineam; ut vero consideratur a nobis cum longitudine et latitudine, præcise vocari superficiem. Punctum vero ajunt in re solum esse quid privativum, a nobis vero concipi per modum positivi carentis omni extensione» (3). Eamdem postea doctrinam sic expositam tenuerunt P. Rhodes (4), Soarez lusitanus (5), aliique apud ipsum: et eamdem nostris temporibus videntur sequi plures clari scriptores, ut PP. De San, Pesch,

Variæ opiniones: prima.

(1) 2.a dist. 2, quæst. 4.
(2) Suarez (*Metaphys.* disp. 40, sect. 5, n. 8), Conimbricenses (*Physic.* lib. 6, cap. 1 et 2, quæst. 1, art. 1).
(3) Suarez, *Metaphys.* disp. 40, sect. 5, n. 8.
(4) Rhodes, *Philos. peripat.*, lib. 2, disp. 3, quæst. 2, sect. 1).
(5) (*Physic.* tract. 4, disp. 1, sect. 3).

in cujus favorem quædam allegantur Aristotelis ac S. Thomæ testimonia,

Van der Aa, Mendive, Schiffini et Lahousse (1). Sententia hæc in favorem suum citat quædam Aristotelis et S. Thomæ testimonia, quæ omnino perspicua videntur. Aristoteles enim cum eam sibi proposuisset quæstionem, utrum numeri et corpora et superficies et puncta substantiæ aliquæ sint, post allatas quasdam rationes pro affirmativa responsione, quatuor alias profert pro negativa, quarum hæc una est: Substantia est actu in eo, cujus est substantia. Atqui puncta, lineæ ac superficies, si sola terminantia excipias, quæ constat non esse corporis substantiam, non sunt actu, sed solum in potentia in corpore. Ergo... Minor autem probatur, quia *si quæcumque superficies præter exteriorem essent in actu in corpore solido*, pari modo esse posset actu quælibet figura, puta Mercurii, in ligno vel marmore ante operationem statuarii, quod absurdum est. Nulla ergo superficies interior est actu in corpore. *Quod autem dictum est de superficie intelligendum est in linea, puncto, unitate. Hæc enim in continuo non sunt in actu, nisi solum quantum ad illa quæ terminant continuum* (2). Hic tamen locus, nisi ex aliis confirmetur, fortasse non est talis, cui multum fidere debeamus; notum enim est propositum fuisse Aristoteli in eo libro, varias quæstiones in utramque partem more dialectico disputare, quin aliquid resolveret (3). Illa quoque solent ex Angelico Doctore verba in hanc rem recitari: *Sicut punctum intra lineam est in potentia ante lineæ divisionem, in actu autem, quando linea est divisa, cum punctum sit ipsa lineæ divisio, etc....* (4). Adde illam ejusdem Aquinatis sententiam:

(1) De San (*Cosmolog.*, cap. 3, paragr. 1, quæst. 3), Pesch (*Philos. natural.*, num. 42 seqq.), Van der Aa (*Cosmolog.* prop. 9, 10, 11), Mendive (*Cosmolog.* num. 37 seqq.), Schiffini (*Metaphys. specialis*, pars 1.ª, disp. 3.ª, sect. 1, num. 60), Lahousse (*Cosmolog.*, num. 253 seqq.)

(2) S. Thom., *Metaphys.*, libr. 3, lect. 13, paragr. *g*, cum Aristotele ibid. cap. 5. Cfr. S. Thom. ib. paragr. *e* et *h*.

(3) Lege ipsum Aristot. in exordio ejusdem libri tertii, et S. Thom. (ibid.), et Fonseca et Mauri (ibid.), et Suarez (in *Indice locupletissimo in Metaphysicam* Aristotelis, lib. 3, in limine Suarezianæ *Metaphysicæ*).

(4) S. Thom. (*Physicor.* lib. 6, lect. 8, paragr. *b*). Cfr. S. Thomas (lib. 1 *de Gener. et corrupt.* lect. 4, paragr. *c*).

In hac ergo linea constituta per diversitatem puncti, erunt puncta quædam, duo actu ut ejus termini, qui cadunt in ejus definitione, et infinita alia in potentia, secundum quod ipsa est in infinitum divisibilis potentialiter (1).

Secunda sententia longe communior.

Secunda sententia extreme opposita docet indivisibilia tum terminantia tum continuantia, esse in continuo tanquam aliquid a partibus ejusdem distinctum. Ita opinantur Capreolus (2), Paulus Soncinas (3), Dominicus Sotus (4), Cajetanus (5), Scotus (6) aliique veteres: item Suarez (7), Toletus (8), Rubius (9), Conimbricenses (10), Sylvester Maurus (11), Hurtadus (12), Oviedus (13), Arriaga (14), Complutenses (15), Cardin. Aguirre (16), Joannes a S. Thoma (17), Goudin (18), Mastrius (19) et alii. Nec caret hæc sententia suffragio Aristotelis ac S. Thomæ. Philosophus enim hæc habet: *Linea continuum est, sumi namque communis terminus, quo partes lineæ copulentur, punctum potest. Itidem ut superficiei linea; plani namque partes communi quodam termino copulantur. Similiter et in corpore sumere assignareque lineam superficiemve communem terminum potes, quo partes corporis copulantur* (20).

Loca quædam Aristotelis ac S. Thomæ pro hac secunda sententia.

(1) S. Thom., opusc. de *Instantibus*, cap. 2.
(2) 2.ª dist. 2, quæst. 2, art. 3; et dist. 18, quæst. 2, art. 3.
(3) *Metaphys.* lib. 5, quæst. 20.
(4) Lib. *de Prædicam., de Quantit.*, quæst. 2, *conclus.* 1.ª
(5) Ibid., et in 3.am part. quæst. 4, art. 2.
(6) 2.ª dist. 2, quæst. 9.
(7) *Metaphys.* disp. 40, sect. 5, num. 28 seqq.
(8) *Physic.* lib. 6, quæst. 1, *concl.* 1.ª, ubi quamquam statuit indivisibilia *non omnino a continuo realiter distingui*, affirmat *tamen magis distingui, quam animal ab homine.*
(9) *Physic.* lib. 6, tract. de *composit. continui*, num. 11 seqq., et num. 16 seqq.; et a num. 21.
(10) *Physic.* cap. 2, quæst. 1, art. 2.
(11) *Quæstiones philos.*, lib. 2, quæst. 41.
(12) *Physic.* disp 15, sect. 8.
(13) *Physic.* controv. 17, punct. 1.
(14) *Physic.* disp. 16, sect. 7.
(15) *Physic.* disp. 25, quæst. 1.
(16) *Physic.* disp. 33, sect. 3.
(17) *Physic.* quæst. 20, art. 1, *Secunda difficultas.*
(18) *Physic.* 1.ª part., disp. 3, quæst. 5, art. 2.
(19) *Physic.* disp. 9, quæst. 2, art. 2.
(20) Arist., *de Categoriis*, cap. 6, *de Quantit.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Plura loca et capita doctrinæ Aristotelicæ huc facientia videri possunt apud Suarez, Rubium, Complutenses et Cardin. Aguirre. Illud nominatim notandum est, quod Aristoteles probandum sibi assumpserit (1), *nunc* seu præsens temporis punctum sit indivisibile, et quod unum idemque *nunc* sit terminus præteriti et initium futuri. In quo videtur aperte supponi indivisibile temporis esse aliquid reale ac distinctum a duabus partibus temporis. Ergo Philosophus novit realia et distincta indivisibilia temporis, non terminantia dumtaxat, sed continua. Sed de continuo successivo temporis ac de permanenti magnitudinis loquendum est proportionali modo, ac porro loquitur Aristoteles (2). Ergo credendum est ipsum admisisse saltem puncta continuantia in continuo permanenti, quæ respondent indivisibilibus temporis punctis. Accedit, quod Aristoteles non solum contra Democritum aliosque Philosophos disputans, fusissime loquitur de punctis (3), et aperte distinguit puncta continuantia a terminantibus, ut constat ex commento S. Thomæ: *Punctus non potest assignari in magnitudine, nisi* ut quidam tactus partium continui vel divisio partium lineæ jam divisæ: tactus autem semper est unus quorumdam duorum: quæ scilicet sunt partes magnitudinis, habentes determinatum situm in magnitudine: quasi illud quod est pars magnitudinis habens determinatum situm inter partes ejus sit aliquid præter ipsum tactum et divisionem, et per consequens præter punctum. Non ergo videtur esse possibile, quod magnitudo dividatur in puncta, vel tactus, aut divisiones (4). Quid autem significaverit per punctum quod sit *tactus*, declarat S. Thomas cum Aristotele paulo inferius per hæc verba: *Punctum* in actu nihil aliud est, quam actualis divisio lineæ, aut compositio sive tactus partium lineæ (5) nempe copulatio vel

(1) Vide Arist., *Phys.*, libr. 6, cap. 3. Et ib. S. Thom., lect. 3.
(2) Quia *sicut punctus se habet ad lineam, ita se habet nunc ad tempus*, docente Angelico, opusc. *de Instantibus*, cap. 2 initio.
(3) Vide Arist. *(de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 2; *de Anim.* lib. 1, cap. 4), et S. Thom. *(de Gener. et corrupt.*, lib. 1, lect. 4 et 5; *de Anim.*, lib. 1, lect. 11).
(4) S. Thom. *de Gener. et Corrupt.*, loc. cit., 1 et 4, paragr. c.
(5) S. Thom. *de Gener. et Corrupt.*, loc. cit., lect. 5, paragr. c.

continuatio. Habes ergo in Aristotele et ejus commentatore S. Thoma puncta terminantia et continuantia, et saltem hæc postrema a partibus, quas uniunt, distincta.

Quod vero attinet S. Thomam, sufficiat dicere illum passim loqui de indivisibilibus, punctis, lineis et superficiebus, tamquam de realibus ac positivis entitatibus. Promant adversarii locum, in quo asserat S. Doctor illa esse aut pure privativa, aut aliquid mere cogitatum per rationem. Deinde indivisibilibus ejusmodi attribuit prædicata, quæ non pendent ex diverso modo concipiendi, diversa a prædicatis, quæ continuo conveniunt. Nam dicit punctum occupare locum indivisibilem in spatio (1). Præterea non semel docet, aut supponit, punctum addi aut subtrahi posse lineæ, quin linea pereat vel mutetur; ac proinde supponit realem separabilitatem, sive mutuam sive non mutuam, lineæ a puncto; ut cum scribit, *a linea, si diminuatur punctus in actu, nihil deperire de lineæ quantitate* (2), et *punctum additum vel subtractum lineæ non* facere *majus vel minus* (3). Atqui quæ realiter separabilia sunt, sive mutuo sive non mutuo, realem habent distinctionem (4). Alibi hæc scribit S. Thomas cum Aristotele:

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 52, art. 2.
(2) *De Verit.*, quæst. 2, art. 3, ad 11.um
(3) *Quodlib.* 7, art. 10, ad 2.um
(4) Cfr. opusc. *de Instantibus*, cap. 2.

Adde hoc insigne testimonium ex *Summa totius Logicæ Aristotelis*: *Quantitas dividitur in continuam et discretam. Dicitur autem discreta quantitas, cujus partes inter se ita se habent, quod sunt separatæ, et ad unum communem terminum non copulantur; partes enim hujus numeri, qui est decem, ad nullum communem terminum copulantur, non enim in numero, qui est decem, invenitur aliqua particula, ad quam copulentur aliæ particulæ, cum omnes particulæ ejus sint separatæ, una ab alia: continua vero quantitas dicitur, cujus partes ad unum communem terminum copulantur, quia omnes sunt separabiles (Summ. totius Logicæ Aristotelis* tract. 3, cap. 1). Quæ verba postrema sic exponuntur inferius in eodem opere: *Notandum, quod aliqui sic intelligunt hoc, scilicet quod partes continui copulentur ad unum terminum communem: nam partes lineæ terminantur ad unum punctum, quod actu eam terminat, non ad punctum in potentia; similiter partes superficiei terminantur ad lineam, quæ actu eam terminat, et partes corporis ad superficiem terminantem illud. Ad quod intelligendum, sciendum est, quos nos debemus imaginari punctum,*

Puncta sunt in his, quæ nata sunt se tangere, et secundum puncta aliqua se tangunt ad invicem (1): ubi aperte habes puncta continuantia.

Vides ergo sententiam hanc alteram, asserentem indivisibilibus veram realitatem distinctam a partibus continui, communissimam fuisse apud optimos quosque scriptores antiquitatis, ut productis quibusdam Aristotelis ac S. Augustini testimoniis, non dubitaverit P. Sylvester Mauri sic concludere: «Aristotelem et S. Augustinum secuti sunt omnes interpretes ac Scholastici ante Durandum et Nominales, ac nominatim Albertus M., Alexander de Hales, S. Thomas, Scotus et alii, quos citat, ac sequitur Suarez disp. 40 *Metaph.*, sect. 5» (2).

quod est indivisibile in linea, moveri, et motu suo causare lineam, et lineam motam causare superficiem, et superficiem motam causare corpus, et Nunc *motum causare tempus. Quibus sic causatis et imaginatis, licet non ita sit realiter, intelligimus prædictam definitionem: si enim punctus motus causat lineam; omnes partes lineæ per punctum copulantur. Et quia in qualibet parte lineæ est imaginari secundum istam viam punctum, ad quem se continue habet alia particula sine alia decisione, ideo dicitur linea esse continua. Eodem modo se habebat de superficie respectu lineæ, a qua mota, ut dictum est, imaginamur eam causari: nam partes ejus per lineam et ad lineam continuantur; similiter etiam se habet de corpore respectu superficiei.* (Ibid. cap. 3). Et ibidem paulo inferius hæc leguntur. *Et licet punctum non sit quantitas....., quia tamen habet ordinem ad partes lineæ, dicitur habere positionem; nam communiter dicitur: Punctus est indivisibile habens positionem, cum sit finis prioris partis et initium posterioris.* (Ibid. cap. 4, fin.)

(1) S. Thom., lib. 5 *Physic.* lect. 5, paragr. *1*, nempe paulo ante fin. Cfr. locus inferius exscribendus.

(2) Mauri, *Quæstiones philos.* lib. 2, quæst. 41, non procul ab initio. Nihilominus nuperrime cl. P. Lahousse hanc sententiam sub nomine Suarezii retulit *(Cosmol.* num. 263), quasi eam plurimi et gravissimi viri ante non docuerint; immo et ausus est accusare Doctorem Eximium, quod «*ad sententiam suam* traxerit *D. Thomam, Capreolum, Cajetanum, Scotum et Alensem*». Verum enimvero, quæ ex S. Thoma nuper deprompsimus testimonia, probabilissime ostendunt S. Doctorem re vera tenuisse illam, quam eidem Suarezius aliique innumeri scriptores attribuunt, sententiam: vel certe multo probabilius id persuadent, quam persuadeant contraria loca ab adversariis pro se laudata. Cæteros vero auctores suspicor cl. Patrum Lahousse aut non legisse omnino, aut cursim legisse. Si enim attente legisset,

Jam tertia opinio (1) admittit indivisibilia terminantia, non autem copulantia. Verum quoniam nullum est indivisibile terminans, quod simul non sit copulans, sola excepta superficie, nam puncta ipsa et lineæ, quæ sunt in angulis, ita re vera terminant, ut etiam copulent, puncta quidem lineas, lineæ autem superficies, quæ angulos continent, seu in angulum desinunt; ideo P. Fonseca (2) non admittit alia indivisibilia præter externam vel terminantem superficiem, eam enim solam putat vere ac more physico esse actu in quolibet corpore, lineam autem et punctum non esse actu in corpore ullo, nisi mathematico more spectata. Et hanc opinionem vocant Conimbricenses (3) non minus probabilem, quam sit præcedens, ostenduntque etiam modum eamdem tuendi. Quarta demum est aliorum sententia, qui nolunt agnoscere indivisibilia terminantia, immo nec continuantia distincta a modis unionis. Ita inter alios P. De Benedictis (4) et P. Mayr (5): quæ doctrina relate ad indivisibilia copulantia defenditur etiam a pluribus aliis, ut constat ex dictis in altero paragrapho articuli præcedentis.

Tertia sententia.

et quarta.

Verum relatis aliorum sententiis, liceat mihi jam, quid verosimilius in perplexa quæstione tenendum esse videatur, aperire.

233. PROPOSITIO 1.ª **Probabilior est communissima veterum sententia, indivisibilia copulantia in continuo admittentium, a partibus integrantibus realiter distincta; nec rem evincunt argumenta, quibus quidam graves scriptores nostris diebus adversus istam doctrinam insurgunt.**

Non moror in extrinseca probabilitate, quam constat esse longe majorem in hac opinione, sive numerum sive nomen auctorum spectes, qui eamdem propugnarunt.

reperisset profecto eos, saltem si Halensem excipias, quem videre non patui, non invitos pertractos fuisse, sed jure merito in suum patrocinium adductos aberuditissimo æque ac gravissimo P. Francisco Suarez.

(1) Apud Suarez loc. cit. num. 13.

(2) *Metaphys.* lib. 5, cap. 13, quæst. 6, sect. 4.

(3) *Physicor.* lib. 6, cap. 1 et 2, quæst. 1, art. 4.

(4) *Physic.* lib. 2, quæst. 6, cap. 5.

(5) Oper. cit., tertia pars, num. 819.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Rationibus itaque agendum est. Neque vero in animo mihi est hic omnia quæqunque prisci Philosophi docebant circa indivisibilia, vindicare, sed positivam dumtaxat eorum realitatem ac distinctionem: cætera namque, quæ naturam attingunt illorum, magis sunt incerta nec tam communia vel constantia apud eos ipsos, qui in asserendis indivisibilibus conveniunt.

Probabilius admittenda sunt indivisibilia continuantia.

Prob. prima pars. *Probabilius admittenda sunt indivisibilia copulantia seu continuantia.* 1.° ex natura continui. Partes enim continui uniuntur, vel continuantur aliqua unione reali. Atqui ea unio indivisibilis est. Ergo dantur indivisibilia continuantia.

Major patet: α) continuum ita est unum per se, ut importet partes actu distinctas realiter. Quod sit unum per se concedunt adversarii, nec possunt negare, quicumque admittunt veri nominis continuum; at quod partibus constet actu distinctis realiter, satis probatum est in præcedenti articulo. Atqui ex multis nequit unum per se confici sine formali aliqua unione, qua jam non sint illa actu et simpliciter multa entia. Ergo... β) Continuum differt a contiguo, et aliquid aliud importat præter meram juxta-positionem vel contiguitatem, utpote quæ reperitur etiam in mera aggregatione plurium entium. Neque vero continuum existit ex partium penetratione; tum quia partes in continuo non sunt penetratæ, seu in eodem loco constitutæ, sed aliæ extra alias positæ vel extensæ, tum etiam quia possunt duo penetrari, quin continuum efficiant, nec uniantur, ut constat in miraculosa penetratione corporis Christi resurgentis cum lapide sepulcri. Rationem hanc insinuasse, videtur Aristoteles: *Continuum est, quod habet rationem cohærentis. Dico autem esse continuum, cujus* **utriusque termini, quibus se contingunt, facti sunt unum et idem,** *et ut nomen significat* **continentur: hoc autem esse nequit, cum extrema duo sunt** (1). Quæ verba sic interpretatur Angelicus: *Cum enim unus et idem fiat terminus duorum, quæ se tangunt, dicitur esse continuum; et hoc significat etiam nomen, nam continuum a continendo dicitur. Quando igitur multæ partes continentur in uno, id est quasi simul se tenent, tunc est continuum. Sed hoc non potest esse, cum sint duo ultima, sed solum cum est unum* (1).

(1) Aristot. *Physicor.* lib. 5, cap. 3, text. 26.

Minor autem syllogismi principalis probatur; nam si id, quod formaliter partes corporis unit, foret aliquid divisibile, constaret et ipsum partibus quibusdam, quæ proinde egerent alia unione diversa, qua inter sese *connecterentur;* et sic abeundum esset in infinitum, nisi daretur aliqua unio simplex et indivisibilis. Præterea si id, quod partes unit, foret divisibile, jam partes illæ non vincirentur uno communi termino, sed aliæ secundum alias portiones, quæ talem terminum conflarent.

Hinc vero facile patet, quod indivisibilia continuantia sint aliquid reale ac positivum. Quomodo enim potest negatio diversas partes copulare? Aut quomodo petest esse pure rationis id, quod continuum a contiguo secernit?

Prob. 2.° Reale ac positivum est illud, quod tangi physice potest. Atqui indivisibilia tangi possunt physice in corpore continuo. Ergo... **Minor** probatur frequentissimo apud veteres argumento. Nam globus perfectus planum nequit tangere nisi in puncto, quemadmodum demonstrant Mathematici. Similiter cylinder tangit planum in linea. Ergo dantur in continuo puncta et lineæ. Porro puncta et lineæ, quæ a globo vel cylindro continguntur in medio plano, dummodo planum sit continuum, sunt procul dubio continuantia respectu reliquæ extensionis ejusdem plani.

Prob. 3.° Tertia ratio sit pro indivisibilibus in continuo successivo, ac nominatim in tempore, ex quo facile judicari potest, quid dicendum sit de motu. Nam «præter tempus, quod solum est præsens ratione partis, vel quasi partis, dari debet aliquid præsens ratione sui. Sed nullum divisibile est præsens primo et ratione sui. Ergo præter tempus divisibile dari debet aliquod indivisibile.—**Minor probatur;** hic annus est præsens ratione hujus mensis; secundum alios undecim menses, partim est præteritus, partim futurus; hic mensis est præsens ratione hujus diei, secundum alias dies partim est præteritus, partim futurus; hæc dies est præsens ratione hujus horæ, secundum alias 23 horas partim est

(1) S. Thom. *Physicor.* lib. 5, lect. 5, paragr. *f.*

præterita, partim futura; hæc hora est præsens, ratione hujus quadrantis, secundum alios 3 quadrantes partim præterita, partim futura; hic quadrans est præsens ratione unius momenti, secundum alia momenta partim præteritus, partim futurus; idemque dic de quacumque parte divisibili temporis. Cum enim partes non sint simul, tempus divisibile secundum aliquas partes est præteritum, secundum alias est futurum; ergo nulla pars divisibilis temporis est præsens ratione sui; sed debet dari aliquid, quod sit præsens et actu, contradistinctum a toto eo, quod non est, sed vel fuit, vel erit; ergo debet dari aliquid indivisibile temporis, quod sit totum simul, et explicet aliqualiter præsens divinæ æternitatis, quod est totum simul; licet deficiat a divina æternitate, in quantum illa non potest transire in præteritam, nec expectari ut futura; cum præsens creatum diu expectetur ut futurum, et statim transeat in præteritum» (1).

Indivisibilia continuantia re distinguuntur a partibus continui.

Probatur altera pars: *hæc indivisibilia continuantia realiter distinguuntur a partibus continui.* Nam terminus communis partium re distinctarum profecto realiter, id est, ante omnem mentis operationem distinguitur ab illis. Si enim unum idemque foret cum eis, ipsa quoque inter se identificarentur ex principio identitatis. Atqui ostendimus in præcedenti articulo partes continui realiter inter se discriminari. Ergo et communis earum terminus seu indivisibilia re distinguuntur. Idem eruitur ex eo quod, ut jam alias diximus, possunt partes, quin vel minimum in sua entitate immutentur, amittere unionem, vel potest existere partium entitas eadem, quin detur unio. Ergo partes ab unione distinguuntur, si realis duorum separabilitas signum est realis distinctionis, prout tenet communis sententia.

Hanc quoque partem satis innuisse dicendus est Aristoteles illis verbis: *Unus enim semper duorum quorumdam tactus est, tamquam* re quapiam alia præter tactum punctumque atque divisionem existente (2). Quem locum sic commentatur Aquinas: *Punctus non potest assignari in magnitudine,*

(1) Sylvester Mauri, *Quæstiones philos.*, lib. 2, quæst. 41, *tertia ratio.*

(2) Aristot., *de Gener. et corrupt.*, cap. 2, text. 8.

nisi ut quidam tactus partium continui vel divisio partium lineæ jam divisæ; tactus autem semper est unus quorumdam duorum, quæ scilicet sunt partes magnitudinis habentes determinatum situm in magnitudine: quasi illud, quod est pars magnitudinis habens determinatum situm inter partes ejus sit aliquid præter ipsum tactum et divisionem, et per consequens præter punctum (1).

Utrum a indivisibilia sint entitates pure modales.

Et hæc quidem ita generatim dicta solidum habent, mea quidem sententia, fundamentum. Illud vero magis dubium est, utrum puncta continuantia sint modales quædam entitates, ac proinde modaliter dumtaxat distinctæ a partibus, quas nectunt, nec capaces existendi extra illas, an vero e converso sint realitates per divinam potentiam separabiles a partibus, ac distinctæ a modis unionum inter illas, quemadmodum docuit cum aliis Suarez tamquam verosimilius (2) contra alios, inter quos P. Rubius æqualis Eximio Doctori sic statuit: «Nostra sententia tria asserit de omnibus indivisibilibus tam permanentium, quam successivorum: *primum, non distingui a partibus tamquam res, sed tamquam modos earum: secundum non uniri partibus per alios modos unionis, sed seipsis: tertium, non posse sic separari ab eis, ut separata consistant. Ita sentit major modernorum pars, inter quos hæc dubia de indivisibilibus versantur*, nam antiqui interpretes nec verbum de eis faciunt» (3), nempe de dubiis, non ipsam realitatem ac distinctionem independentem a mentis considerationem indivisibilium istorum spectantibus, sed de aliis, quæ eo loci agitat Rubius, ubi quærit, *«an indivisibilia ejusdem continui distinguantur inter sese, et ab eo realiter separari possint saltem per divinam potentiam»*. Et hæc altera sententia mihi magis arridet; quia officium indivisibilium est continuare vel copulare, id est, esse formales uniones partium integrantium. Ut autem sint formales partium uniones, necesse non est, ut habeant nisi modalem entitatem. Verum plura, si libet, apud eumdem

(1) S. Thom., *de Gener. et Corrupt.*, lib. 1, lect. 4, parngr. *f.*

(2) Suarez loc. cit., num. 46.

(3) Rubius, *Physicor.*, lib. 6, tract. *de Composit. continui*, num. 21 seqq. Pro eadem opinione laudavimus superius (num. 230) Hurtadum, De Benedictis, Oviedum, et Cardin. Aguirre *(Physic.*, disp. 34, sect. 5, num. 52).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Rubium require: hæc enim quæstio est magis dubia et secundaria.

Argumenta contraria rem non evincunt.

Tertia pars propositionis non aliter probanda est, quam respondendo præcipuis argumentis, quibus recentiores stabilitam veterum doctrinam aggrediuntur. Eo autem consilio recentiorum argumenta præcipua dissolvenda duxi, ne quis videns antiquam opinionem desertam, immo et male multatam, deterreatur, aut novi quidpiam nostris diebus inventum esse putet, quo profligata illa penitus manserit, ac falsitatis convicta.

Argumentum 1.um recentiorum. «Si in continuo essent indivisibilia continuantia in actu, deberent saltem per omnipotentiam divinam posse resolvi isti nexus omnes simul. Atqui hoc est absurdum. Ergo.—**Prob. Major.** Nexus isti actu existentes omnes simul, essent resolubiles singuli independenter ab aliis. Atqui essent resolubiles, etiam omnes simul. Ergo.—**Prob. Minor** (syllogismi principalis). Solutio nexuum *ultimorum omnium* repugnat; nam α) essent multitudine infinita; et β) partes ita solutæ, jam ultimæ et divisibiles essent; ergo constaret continuum ex simplicibus indivisilibus». Ita cl. P. Van der Aa (1). Simili modo argumentatur cl. P. de San, nisi quod contendit partes, quæ facta resolutione (nexuum) superessent, fore ipsos nexus resolutos, hoc est puncta (2).

Resp. 1.° Retorqueo argumentum in adversarios ipsos, qui admittunt continui divisibilitatem in infinitum. Nam concedunt illi puncta continuantia esse in potentia, et fieri posse actu, saltem secundum quid, per designationem extrinsecam ex parte cognoscentis, quatenus in quacumque parte divisio peragi potest, concipit indivisibilem quemdam terminum tamquam copulam partium separabilium. Concedere pariter debent in quavis parte assignabili continui divisionem effici posse, ac proinde resultare actu puncta, non quidem continuantia, nam divisione continuitas abrumpitur, sed terminantia. Ergo certum est in quacumque assignabili parte continui nos ponimus reale punctum

(1) Ita cl. Van der Aa, loc. cit. prop. 10, **Prob. 1.°**
(2) Vide cl. P. De San, loc. cit. num. 168 et 169, ubi iterum immerito aggreditur Doctorum Eximium.

continuans seu modum unionis, posse dari actu etiam in adversariorum sententia puncta continuantia, saltem per extrinsecam designationem divini intellectus, itemque puncta terminantia per realem divisionem. Certum pariter est, Deum actu cognoscere omnia ejusmodi puncta possibilesque divisiones non minus, quam modos, si dentur, ut nos quidem dari putamus. Certum denique est, Deum æque posse dividere continuum, sive partes ejus separabiles uniantur modis realibus, ut nos contendimus, sive seipsis immediate, ut volunt adversarii. Ergo si supponi possunt resoluti per divinam potentiam nexus omnes modales, quemadmodum dicunt, adversarii contra nostram sententiam argumentantes, eodem jure supponi possunt factæ omnes possibiles divisiones per omnia puncta continuantia, quas Deus novit, præcisis nempe partium omnium separabilium unionibus. Nam sicut resolutio unius nexus modalis non est incompossibilis cum resolutione alterius cujuscumque, ut arguunt adversarii, ita divisio duarum partium non est incompossibilis cum divisione aliarum quarumcumque. Et sic sicut resolutis omnibus nexibus modalibus, resultarent partes ulterius indivisibiles, ut recte inferunt adversarii; recte pariter nos inferimus, factis a Deo divisionibus partium secundum omnia puncta continuantia extrinsece designabilia per divinum intellectum, non remansuras esse in continuo nisi partes ulterius indivisibilis. **Respondebunt,** et recte quidem adversarii, non posse fieri omnes divisiones, quia supposita falsitate sententiæ Zenonis, continuum ex punctis seu partibus ulterius indivisibilibus componi asserentis, materiæ divisibilitas nunquam habere finem potest. **Sed idem eodem** jure respondere possunt Suarez et alii ejusdem doctrinæ assertores, quidquid dicat P. De San. Ratio enim, cur Deus nequeat facere simul omnes possibiles divisiones, non aliunde peti potest, nisi ex repugnantia objectiva, quam hæc hypothesis implicat, supposita secundum Aristotelis doctrinam continui divisibilitate in infinitum. Sive ergo continuum constet punctis continuantibus modaliter distinctis a partibus, sive punctis potentia dumtaxat existentibus, eamdem objectio facta vim retinet; nec eam proinde possunt aristotelicæ circa continui divisibilitatem sententiæ adsertores nobis opponere,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quin seipsos eodem telo feriant. Lege Aristotelem (1) et S. Thomam (2), ubi fuse probant contra Democritum, ex eo quod puncta continuantia dentur, quæ partes nectant, minime sequi, quod continuum ex divisibilibus constet, quia nempe puncta non sunt contigua, sed inter quælibet puncta assignabilia mediat pars sine fine divisibilis (3).

Respondeo jam 2.° directe, *distinguendo* Majorem. Si in continuo essent indivisibilia continuantia in actu, deberent saltem per omnipotentiam divinam posse resolvi isti nexus omnes simul, si supponamus veram esse Zenonis sententiam, *conc.*; si e converso vera sit aristotelica sententia divisibilitatis in infinitum, de qua controversia in sequenti articulo est agendum, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.*, Illud vero quod ex P. De San additum est, negandum est prorsus. Qui enim indivisibilia continuantia ponunt, probe illa secernunt a partibus integrantibus continui, quas uniunt, docentque continuum componi non ex solis indivisibilibus, sed ex partibus, unitis ope indivisibilium. Legatur Suarezius (4), ubi diserte id notat, ac demonstrat. Falsum ergo est secundum hanc sententiam, quod si nexus omnes resolverentur, nihil remaneret de continuo, præter ipsos nexus resolutos vel puncta continuantia quemadmodum objicit P. De San. Immo vero supposito quod nexus isti sint modi, ut nobis probabilius videtur, resolutis illis, nil posset remanere nisi partes integrantes indivisibiles quæ nexibus illis tenebantur.

(1) Arist. *de Gener. et corrupt.* lib. 1, cap. 2, text. 9 et 10.

(2) S. Thom. ibid. lect. 5.

(3) Post hæc scripta legi alibi apud cl. P. De San sententiam Aristotelis circa continui divisibilitatem in infinitum, optime sane pertractatam. Vidi tamen non sine admirationem hanc eadem difficultatem, quam hic contra Suarezianam et nostram doctrinam tam acriter urget, sibi ipsi solvendam proponere contra continui divisibilitatem in infinitum. Solvit autem illam hac ipsa, qua nos utimur, doctrina. Et in modo respondendi satis significat difficultatem istam valere etiam contra ipsum P. De San et cæteros aristotelicæ sententiæ adsertores (Lege ipsum cl. scriptorem *Cosmolog.* num. 145, 146). Si ergo difficultas communis omnibus est, quid juvat illam contra doctrinam, totius fere antiquitatis, ac nominatim S. Thomæ, auctoritate firmatam, urgere?

(4) Suarez *Metaphys.*, disp. 40., sect. 5, num. 35.

Argumentum 2.um «Talia indivisibilia continuantia essent aut continua inter se, aut contigua, aut distantia. Atqui nihil horum. Ergo... **Prob. Minor.** 1). *Si continua et contigua*, indivisibilia se compenetrarent; et 2) nullum constituitur continuum; β) jam nullæ intersunt partes, quæ his continuantibus connectantur. 2) *Si distantia:* jam aut intersunt partes continui non ulterius divisibiles, aut non ultimos habemus nexus continuantes, et redit integra quæstio». Ita iterum cl. P. Van der Aa (1); et ante ipsum cl. P. De San idem argumentum fusius dilataverat (2). **Resp.** *conc.* Major., et eligo tertium membrum, ad cujus probationem, *neg.* utrumque membrum. Nam supposita sententia Aristotelis, inter quælibet puncta, quæ signentur, quantumvis proxima, necesse erit, ut intercedat pars ulterius in infinitum divisibilis, atque adeo constans aliis partibus minoribus ac minoribus sine fine, suis punctis connexæ. Eodem prorsus modo, ac in ipsa adversariorum sententia, facta divisione cujuslibet partis quantumvis minimæ, necesse erit agnoscere infinita puncta continuantia in potentia, secundum quæ possunt ulterius fieri divisiones in infinitum. Itaque admissa doctrina Aristotelis de divisibilitate continui, ex eo quod puncta continuantia ponantur interjectis partibus separata, nec sequitur, quod partes ullæ in continuo dentur, vel assignari possint ulterius indivisibiles, nec quod ejusmodi partes inter quælibat puncta assignabiles et constantes aliis minoribus particulis, in quas sine fine dividi queant, non coalescant aliis punctis ad eas vinciendas; quemadmodum inferunt præclari adversarii.

Dices. Saltem Deus, qui videt omnes partes et puncta, quibus uniuntur in nostra sententia, poterit duo puncta ita proxima assignare, ut inter illa non intercedat nisi pars indivisibilis ulterius.—**Resp.** 1.° retorqueo argumentum. Nam eodem jure in adversariorum opinione dicendum esset, Deum, qui videt omnes divisiones possibiles, omniaque possibilia puncta potentialia, posse asignare duo illorum adeo proxima, ut si secundum ea perageretur divisio, resultaret pars inextensa et indivisibilis. Ergo difficultas, si valet contra nos,

(1) Ibid. *Prob.* 2.ª

(2) Loc. cit. num. 170. Cfr. cl. P. Lahousse, *Cosmolog.* num. 256.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

valet etiam contra adversarios.—**Resp. 2.°** Supposita Aristotelis sententia, *neg.* assertum. Quia Deus nequit videre, quod non est; si ergo repugnat ullam assignare materiæ portionem minimam, quæ sit inextensa, et ulterius indivisibilis, profecto non videt Deus puncta ulla ita proxima, inter quæ reperiatur pars indivisibilis.

Argumentum 3.UM Si indivisibilia continuantia actu et realiter distinguuntur a partibus, quarum sunt copulæ: ergo totalitas indivisibilium continuantium actu et realiter distinguitur a totalitate partium copulatarum. Jam quæro, utrum partes istæ, prout in sua totalitate distinguuntur a totalitate indivisibilium continuantium, sint dimensionibus præditæ, atque adeo ulterius divisibiles, an vero omni dimensione careant, et sic sint indivisibiles. Si prius dicatur: ergo partes continui, prouti in sua totalitate distinguuntur a totalitate indivisibilium continuantium, adhuc continent indivisibilia continuantia, quod est contradictorium in terminis. Si vero posterius dicatur: ergo continuum ultimato coalescit ex indivisibilibus, quod absurdum est. Ita iterum fere ad verbum cl. P. de San (1), estque gravis sane difficultas, non tamen nunc de novo excogitata, sed jam sæpe a veteribus proposita ac soluta (2); est enim unum ex argumentis, quæ in favorem sententiæ Zenonis de continui compositione ex solis indivisibilibus adducebantur.

Respondeo itaque 1.°, retorquendo argumentum. Nam quoniam dantur in continuo secundum adversarios nostros puncta continuantia et secundum illa possibiles in infinitum divisiones, Deus certe videt omnia prorsus ejusmodi puncta potentialia, omnesque possibiles divisiones. Iam quæro partes, quas videt Deus in continuo præter illa omnia puncta continuantia in potentia, vel quæ restarent de continuo,

(1) Loc. cit. num. 171.

(2) Vide v. g. Toletum *(Physicor.* lib. 6, quæst. 1, paragr. *Dubia quædam... Tertium est Theologorum)*, Complutenses *(Physicor.* disp. 25, quæst. 2, num. 15 et 32), Conimbricenses *(Physicor.* cap. 2, quæst. 2, art. 1, argum. 1) Arriaga *(Physic.* disp. 16, sect. 5, subsect. 2), Oviedum *(Physic.* controv. 17, punct. 3, num. 6), Cardinal. Aguirre *(Physic.* disp. 34, sect. 5, num. 43 seqq.), Mastrium *(Physic.* disp. 9, quæst. 2, art. 5, num. 73) aliosque.

peractis omnibus possibilibus divisionibus, sunt dimensionibus præditæ, ac proinde ulterius divisibiles, vel non. Si primum dicas: ergo Deus videt continui partes, præter omnia potentialia puncta, adhuc alia continere, vel præter omnes possibiles divisiones, novas alias ulterius subire posse: quod pugnat in terminis. Si alterum dicas; ergo tandem videt Deus continuum ex partibus indivisibilibus coalescere. Iterum ergo contra veterum ac nostram doctrinam objicitur difficultas, ipsis adversariis æque dissolvenda.

Resp. 2.° directe, *dist.* illatum asserti. Si indivisibilia continuantia actu et realiter distinguuntur a partibus, quarum sunt copulæ; ergo totalitas indivisibilium continuantium distinguitur a totalitate partium copulatarum, ita ut alia indivisibilia adæquate, alia inadæquate distinguantur a partibus, *conc.*, ita ut omnia et singula distinguantur adæquate, *neg.*

Ad argumentum, eligo primum membrum disjunctionis; et quod inde infertur, similiter *distinguo*: partes continui, prout in sua totalitate distinguuntur inadæquate a quibusdam indivisibilibus ex eorum totalitate, adhuc continent indivisibilia continuantia, *conc.*, et nego id esse contradictorium: prout distinguuntur adæquate, *neg.* Et hæc quidem responsio supponit sententiam aristotelicam; fundamentum proinde est divisibilitas continui in infinitum, quin unquam veniri possit ad inextensas et indivisibiles partes: quæ opinio defendenda erit sequenti articulo. Si enim nunquam veniri potest ad partes inextensas, quia id repugnat: ergo ea est essentia quarumlibet partium continuum constituentium, ut et ipsæ continuæ sint et extensæ: si autem continuæ sunt et extensæ, partibus aliis minoribus et ipsæ constare debent inter se unitis. Ergo quantumvis divisio protracta concipiatur, nec ipse Deus videt ullas continui partes, quæ inextensæ sint et indivisibiles ulterius. Quare sicut Deus, quamvis videat *omnes* actus liberos beatorum per totam æternitatem futuros, aut dies, qui successive possunt esse in illa absque fine, nullum tamen videt ultimum, quia repugnat: et sicut quamvis videt omne possibile incrementum, quod numerus per successivam unitatis additionem in infinitum suscipere potest, non tamen videt ullum numerum aut ultimum aut finitorum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

maximum; ita etiam quamvis Deus videat omnia puncta et omnes partes per illa unitas, non potest videre ullas partes minimas, vel ultimas, vel ulterius indivisibiles, nec proinde collectionem omnium punctorum præcisam a collectione omnium partium. Quia cum partes illæ sint essentialiter extensæ omnes, necessario continent in se alia puncta continuantia partes alias, in quas ulterius dividi queunt quælibet partes determinate assignabiles. Itaque quædam indivisibilia adæquate distinguuntur a quibusdam partibus, ab illis nempe, inter quas intercedunt tamquam formales earum uniones: indivisibilia vero, quæ in partibus continentur ad uniendas alias minores partes, in quas illæ sunt ulterius divisibiles, solum inadæquate distinguuntur ab illis prioribus, sicut nempe constitutiva rei alicujus distinguuntur a tota re; quia ejusmodi uniones spectant ad constitutionem integralem talium partium. Sic in palmo indivisibile, quod unit utrumque semipalmum, ab eo actu distinguitur; sed indivisibilia, quæ in singulis semipalmis uniunt eorum dimidia, quartas, octavas, etc., partes, non adæquate distinguuntur a singulis semipalmis, nec possunt hi esse, nec concipi sine talibus indivisibilibus, sicut non potest concipi homo sine unione materiæ cum anima rationali. Ideo ergo non potest supposita sententia Aristotelis concedi, quod omnia prorsus puncta continui sint aut possint concipi ut adæquate distincta vel separata a partibus: unde nec partes sunt, nec possunt concipi ut indivisibiles (1).

Dices. Potest ab homine separari unio, quia quamvis illa sit de essentia hominis, non tamen est de essentia materiæ nec rationalis animæ. Ergo simili modo, quamvis uniones spectent ad constitutionem integralem partium, quæ ex continui divisione resultant, possunt separari ab illis.

Resp. *dist.* conseq.: possunt separari aliquæ, vel etiam plurimæ in infinitum, *conc.*; omnes, *neg.* vel *subdist.*: in Zenonis sententia, *conc.*; in aristotelica, quam tuebimur, *neg.* Quia secundum hanc opinionem, in divisione continui nunquam perveniri potest ad inextensa, sed semper occurrunt

(1) Vide Mastrium (loc. cit., n. 60), Oviedum (loc. cit., et punct. 5), Cardin. Aguirre, et alios nuper citatos Auctores.

membra continua et extensa, quæ proinde indivisibilibus continuantibus egent. Sicut si in divisione hominis quacumque semper resultarent homines, nunquam possent præscindi a talibus partibus uniones ad constitutionem hominis necessariæ.

Argumentum 4.um «Indivisibilia continuantia sunt limites partium copulatarum, proindeque si in continuo secundum se spectato ipsæ sint actu, omnes partes, in quas divisibile est continuum, sunt actu et determinatæ in continuo. Sed ex hoc sequitur rursum idem absurdum, quod in præcedentibus argumentis inferebatur, nempe continuum ultimato coalescere ex divisibilibus». Ita cl. P. de San (1).

Resp. *dist.* primum membrum Majoris. Indivisibilia continuantia sunt limites partium copulatarum tales, qui partes dividant, ac in se ac separatim existentes efficiant, *neg.*; qui illas uniant, et faciant existere in toto, unum per se cum eodem constituendo, *conc.* Simili modo *dist.* alterum membrum. Tales partes sunt actu et determinatæ, ita ut habeant suam proprium ac divisam a toto existentiam, *neg.*; ita ut unam essentiam atque existentiam totalem constituant, *conc.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Minorem certe conatur probare P. De San; hac tamen distinctione argumentum ejus præoccupatum manet.

Argumentum 5.um «Si in continuo per se indivisibilia continuantia sunt actu, consequens est, in omni continuo dari multitudinem actu infinitam tam indivisibilium continuantium, quam partium. Consequens videtur inconveniens. Ergo etiam antecedens». En quintum argumentum ejusdem cl. P. De San (2).—**Resp.** Ad hanc difficultatem veteres Doctores alii aliter respondebant, quibusdam concedentibus quibusdam negantibus multitudinem indivisibilium infinitam. Mihi omnium expeditissima via videtur, negare in continuo non solum infinitam, sed etiam omnem quamcumque multitudinem actualem. Ubi enim est actualis unio plurium, actu non adest multitudo vel pluralitas: ac nominatim scimus in continuo esse veram unitatem efficientem unum simpliciter ens. Quamvis

(1) Ibid. num. 172.
(2) Ibid. num. 173.

ergo ex continuo per divisionem fieri queant plura et plura entia in infinitum, actu tamen non est nisi unum. Itaque *neg.* Majorem.

Argumentum 6.^um Indivisibilia vel sunt modi reales partium, vel distinguuntur a partibus sicut res a rebus. Neutrum horum dici potest, quin sequantur impossibilia. *Non primum;* quia si essent modi, vel modificarent partes secundum aliquid sui indivisibile, vel secundum aliquid sui divisibile: atqui *si primum horum admittatur*, jam consequens est, continuum totum coalescere ex indivisibilibus; *alterum vero nequit dici*, quia subjectum divisibile, qua tale, non valet modificari nisi divisibiliter, hoc est, per modum aliquem divisibilem. *Si jam indivisibilia sint res*, et non modi, vel sunt extra partes, vel sunt intra partes. *Non extra partes*, quia quod est extra partes, additum parti facit majus, pars autem additione indivisibilis non fit major. *Non intra partes*, quia redit argumentum prius factum: nam nequit indivisibile esse intra partes, quas copulat, secundum aliquid indivisibile illarum, quin sequatur necessario continuum ex solis indivisibilibus componi; neque etiam secundum aliquid divisile, quia non potest indivisibile commensurari divisibili. Præterea sequeretur partes secundum aliquid sui divisibile inter se compenetrari; quod absurdum est. Hoc est postremum argumentum cl. P. Ludovici De San, quod paulo fusius expositum videri potest in ejus *Cosmologia* (1).

Resp. *conc.* antec., et eligo primum membrum, nempe quod indivisibilia uniant partes extensas secundum extremitates. Nego autem indivisibile non posse unire partes divisibiles secundum extremitates earum, nam præcise ad continuandas extremitates partium diversarum termino vel vinculo communi, inducuntur indivisibilia, idque est illorum munus (2).

Responsio ad testimonia Aristotelis et S. Thomæ in contrarium adducta.

Difficultates alias contra stabilitam propositionem solutas vide, si lubet, apud Eximium Doctorem aliosque auctores. Testimonia vero superius ex Aristotele ac S. Thoma in favorem contrariæ sententiæ adducta, in quibus negatur

(1) Loc. cit. num. 175.

(2) Cfr. superius dicta num. 230, in responsione ad **Dices 2.°**

indivisibilia esse actu in continuo, manifeste loquuntur de indivisibilibus terminantibus. Illa enim certissime concedendum est non posse actu esse intra continuum, sed tantum divisione resultare. Vera autem mens tum Aristotelis tum S. Thomæ circa indivisibilia continuantia satis clare patet in aliis multis eorumdem locis, quæ pro nostra sententia producta sunt (1). Sed jam aliquid de indivisibilibus terminantibus dicendum est.

234. Propositio 2.^a **Seposito modo, quo res explicanda sit, admittenda quoque videntur esse indivisibilia terminantia, quæ non sunt unum idemque cum ipso continuo terminato.**

Hæc etiam propositio communissima est apud veteres.

Dantur quoque in continuo indivisibilia terminantia.

Prob. prima pars: *Dantur in continuo indivisibilia terminantia.* 1.° «Omne finitum ex utraque parte habet primum principium et ultimum finem. Sed continuum est finitum ex utraque parte. Ergo continuum habet primum principium et ultimum finem. Sed primum principium et ultimus finis sunt omnino indivisibilia. Nam si essent divisibilia, eo ipso haberent aliud principium et alium finem, atque adeo non essent primum principium et ultimus finis. Ergo in continuo dantur indivisibilia, in linea primum et ultimum punctum, in superficie prima et ultima linea, in corporibus prima et ultima superficies» (2). Notandum porro est, nullam dari lineam, nullumve punctum in rerum natura, quod sit tantum terminans. Nam quæcumque tandem sit figura corporis, nulla excogitari potest in eo linea, quæ solum terminet superficiem, nec eam cum altera parte ejusdem corporis continuet. Similiter nullum assignari potest in corpore punctum ita claudens lineam, ut eam pari modo cum alia linea vel alia parte lineæ non conjungat. Itaque ex omnibus indivisibilibus sola superficies undique corpus ambiens ita

(1) Cfr. Suarez (*Metaphys.*, disp. 40, sect. 5, num. 34 et 68), et Conimbricenses (*Physicor.*, lib. 6, cap. 1 et 2, quæst. 1, art. 3 fin.)

(2) Sylvester Mauri, *Quæstiones philosophicæ*, lib. 2, quæst. 41, *Prima ratio*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terminat illud, ut aliam ulteriorem partem cum priori non copulet (1).

Prob. 2.° Corpora se tangunt secundum superficiem. Atqui illud, secundum quod se tangunt corpora, necessario est indivisibile. Nam si unum corpus tangit aliud secundum aliquid divisibile, necesse erit, ut tangat etiam aliquid aliud præter ultimam vel extremam corporis entitatem. Id autem fieri nequit sine compenetratione, ut per se patet. Atqui compenetratio partium unius corporis cum patibus alterius repugnat. Ergo... Atque hinc facile

quæ non sunt idem realiter cum continuo terminato.

Probatur secunda pars: *Indivisibilia terminantia non sunt idem realiter cum ipso continuo terminato.* Id, in quo se duo tangunt non potest esse re idem cum eo, in quo non se tangunt. «Est enim impossibile, quod verificetur: *In hoc tangitur; In hoc non tangitur*, quin ea, de quibus verificantur hæc contradictoria, sint contradistincta, eo pacto quo si aliquid movetur, aliquid non movetur, motum est contradistinctum ab immoto. Ergo superficies distinguitur a profunditate. Hinc vero rejiciuntur responsiones, quod indivisibilia sint negationes ulterioris extensionis, vel quod dentur solum præcisive et per intellectum. Nam duo corpora se tangunt non in negatione, sed in aliqua extremitate positiva, et extremitas tacta non solum per intellectum, sed a parte rei distinguitur a profunditate non tacta» (2). Unde indivisibilia hujusmodi terminantia videntur a reliquis partibus continui adæquate, a toto vero continuo inadæquate distingui.

Difficultates solutæ.

235. **Objicies. 1.°** «In omni genere realitatis terminus intrinsecus nihil addit realitatis rei, cujus est terminus, præter negationem ulterioris realitatis. Ergo etiam in specie quantitatis. **Prob. antec.** 1) Terminus extrinsecus est quidem positiva aliqua entitas distincta a re terminanda; sed terminus intrinsecus si esset aliquid distinctum, haberet et ipse terminum suum intrinsecum, positivum, distinctum, dequo rediret quæstio, et ita in infinitum... 2). Si terminus intrinsecus sit aliquid reale distinctum, poterit conceptu detrahi.

(1) Vide Suarez (loc. cit. num. 2 et 40). Conimbricenses (loc. cit. quæst. 1, art. 2, *Secunda assertio*).

(2) Sylvester Mauri, op. et loc. cit., *Secunda ratio*.

Atqui etiam sic, quantum non erit infinitum, sed intrinsece terminatum. Ergo (1).

Resp. *dist.* antec. In omni genere realitatis inextensæ et indivisibilis, *conc.* antec.; extensæ ac divisibilis, *neg.* antec. Tum *neg.* pari modo conseq. Ad probationem 1) *neg.* alterum membrum. Sicut enim actio, qua aliquid fit, non indiget nova actione, qua ipsa fiat, nec clavus vel commissura, qua duo ligna junguntur, indiget alio clavo vel commissura, qua ipsa connectantur, ita id quod est formalis terminus rei alicujus, non indiget alio termino, quo ipse in se terminetur. Ad 2) *dist.* Minor. Præciso per mentem termino reali distincto, quantum adhuc est intrinsece terminatum reipsa, *conc.* nihil enim reapse amisit propter mentis præcisionem; in cogitatione, *subdist.*; quia concipitur alter terminus, *conc.*; secus, *neg.*

Objic. 2.° Nulla est necessitas indivisibilium terminantium; sed sufficit ad ea concipienda entitas ipsius continui prout connotans negationem ulterioris extensionis. Nam 1.° superficies formaliter est aliquid habens longitudinem et latitudinem. Atqui per solam prædictam connotationem habetur jam aliquid reale (i. e. corpus, cui inhæret negatio), quod extrorsum versus est realiter abstractum ab omni profunditate (i. e. sub reali aliquo aspectu) et non nisi longitudinem et latitudinem habet; quamvis introrsum versus identificetur cum profunditate quanti. Ergo per solam corporis entitatem, quæ connotet, negationem ulterioris extensionis extrorsum versus, jam sufficienter explicata manet superficies. 2.° Similiter linea est formaliter aliquid habens longitudinem. Atqui per solam negationis connotationem habetur aliquid reale (i. e. superficies), quod extrorsum versus est realiter abstractum ab omni latitudine et profunditate. 3.° Punctum denique formaliter est aliquid nec longitudinem nec profunditatem habens. Atqui rursus per solam connotationem negationis habetur aliquid (linea) quod extrorsum versus est prorsus abstractum ab omni longitudine, latitudine et profunditate (2).

(1) Cl. P. Van der Aa (loc. cit. propos. 11, *Prob. 2.a pars. 1.a*) post cl. P. De San, loc. cit., num. 179.

(2) Ita fere ad verbum cl. P. Van der Aa *(Ibid. Prob. 2.a)* post cl. P. De San ibid. num. 180.

Resp. Ingeniosa est sane ac lepida explicatio ista indivisibilium, sed repugnat cum sensu communi omnium. Omnes enim, ut mihi quidem videtur, intelligunt ad rationem superficiei pertinere, ut non *sub aliquo dumtaxat, sed sub omni reali aspectu* non habeat nisi longitudinem et latitudinem, careatque profunditate non solum *extrorsum*, verum etiam *introrsum*. Itemque de ratione lineæ est, ut nullam aliam contineat dimensionem præter longitudinem, ac de ratione puncti, ut omni careat quaquaversus dimensione.

Objic. 3.° Si punctum, in quo duo circuli se tangunt, esset ab ipsis circulis distinctum, saltem a Deo annihilari posset. Atqui hoc fieri nequit. **Prob. Minor.** Destructo illo, de quo sermo est puncto, duo illi circuli simul distarent inter se, et non distarent. *Non distarent*, quia ut omnes concedunt, punctum locum non occupat. Ergo vel illo deleto, circuli sese tangerent. *Distarent*, quia punctum, quo inter se conjungebantur, deletum esset (1).

Resp. 1.° obiter noto, quod formam argumentandi attinet, posse Majorem negari. Nam quamvis ex reali duorum separatione certo concludatur eorum distinctio realis; non tamen e converso ex reali distrinctione duorum sequitur semper realis separabilitas.

Resp. 2.° argumentum solvendum esse omnibus, ac nominatim ipsi claro adversario, qui in eadem disputatione paulo antea (2) ostenderat existentiam indivisibilium argumento mathematico, ac nominatim ex contactu globi et superficiei planæ, qui fieri nequit in parte divisibili, sed solum in puncto indivisibili. Manifestum quippe est contra demonstrationem mathematicam retorqueri argumentum in objectione ista propositum, hoc pacto: Si globus planum in solo puncto indivisibili tangeret, quemadmodum docent Mathematici, partes vicinæ atque indistantes a puncto contactus distarent simul, et non distarent ab eodem illo puncto; quod absurdum est. *Distarent* quidem, quia quæ non se tangunt.

(1) Ita fere totidem verbis cl. P. Pesch *(Philos. natur.* num. 46. *Arg. secundum)*, et post ipsum cl. P. Lahousse *(Cosmolog.* num. 265).

(2) Ibid. num. 43 *Arg. tertium.*

profecto distant inter se. *Non distarent*, quia punctum contactus, utpote indivisibile, non occupat locum. Vides ergo quomodo, sive Deus destruat, sive non destruat punctum contactus, argumentum adversariorum, si quid valet, non magis propositionem nostram, quam veritatem ac demonstrationem mathematicam impugnet. Dicendum ergo est, vel Mathesim absurda, aut certe imaginaria sectari, vel posse dari contactum duorum circulorum in puncto realiter distincto a reliquis partibus continui, quin ullum consequatur absurdum.

Quid rei sint indivisibilia terminantia, valde dubium et obscurum esse agnoscitur.

236. Et hæc quidem valeant ad probandam realitatem indivisibilium terminantium distinctionemque realem ab ipso, continuo, quod terminant. Cæterum quid rei sint hujusmodi indivisibilia terminantia, ingenue fatebor mihi non satis constare. Duobus modis videtur posse res aliquatenus declarari. Primo si dicatur puncta terminantia esse quamdam entitatem quodammodo extraneam, nempe distinctam a realitate specifica corporei continui, puta ferri, æquæ, auri etc., cujus officium sit tantummodo terminare continuum positive, ac facere capax contactus cum alio quovis continuo absque penetratione. Hæc explicatio videtur satis familiaris apud veteres Doctores, qui consequenter dicunt corpus, præciso indivisibili terminativo, fore quidem finitum vel terminatum *negative*, nempe quatenus corpus, etiam ejusmodi terminativo privatum, re vera non propterea excurreret in infinitum, vel non haberet infinitam extensionem; non tamen fore *positive* finitum vel terminatum, quia nimirum careret termino, quem continuum requirit ad sua naturalia munia exercenda, et nominatim ad hoc, ut continuum tangi ab alio possit absque ulla suarum partium compenetratione. Remque ulterius declarant exemplo subsistentiæ secundum illorum opinionem, qui eam a natura realiter distinguunt. Quemadmodum enim, inquiunt, natura vel substantia per solam suam quidditatem non redditur plene subsistens, nec perfecte tota *in se* ac *per se* constituitur, donec accedat ratio suppositi; sic etiam continuum absque positivo termino indivisibili distincto non terminatur, prout ratio ejus postulat. Unde etiam docent, cum dividitur continuum, in ipso loco divisionis illico resultare in utraque parte

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

abscissa indivisibilia ejusmodi, quibus apte terminentur (1). Hæc quidem opinio lucidissime declarat realem et positivam entitatem ac distinctionem indivisibilium a continuo, quod terminant. Dissimulare tamen non possum, non satis apparere, cur continuum egeat indivisibilibus ita declaratis, ad hoc ut positive terminetur, aptumque reddatur ad contactum absque penetratione. Si enim impenetrabilitas est formalis effectus quantitatis, plane intelligitur, quomodo partes ac realitas tota corporis, hoc ipso quod quantitate afficiantur, etiamsi nihil aliud superaddatur, repellere debeant a suo loco quamlibet aliam corpoream realitatem, atque adeo aptæ sint ex seipsis ad contactum, quin sequatur ulla compenetratio.

Ad hanc vitandam difficultatem alia reddi potest rei declaratio, nempe indivisibilem illam realitatem, qua continuum terminatur, nihil aliud esse nisi extremam partem ipsius realitatis corporeæ, v. g. extremam partem ipsius ferri, aquæ, auri etc. In omni enim magnitudine undique clausa, vel quæ non est infinita, videtur posse assignari prima et ultima pars, quia non se porrigit ultra certos limites; quamvis supposita divisibilitate continui in infinitum, nequeat postea assignari secunda nec penultima, siquidem qualibet assignata prope primam vel ultimam, alia semper vicinior et proximior sine fine assignari potest. Dici ergo posse videtur primum et ultimum in ipsa realitate continui, nempe extrema realia, ultra quæ jam non se porrigit continuum, esse indivisibilia terminantia. Juxta hanc explicationem indivisibilia terminantia realiter quidem distinguerentur a continuo, non tamen adæquate a totali realitate continui, quia ipsa etiam sunt intrinsecæ partes illius; a cæteris autem partibus continui adæquate distinguuntur. At secundum priorem rei declarationem indivisibilia terminantia realiter adæquate distinguerentur a totali realitate continui. Adversus hanc explicationem illa statim occurrit difficultas, quod

(1) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 40, sect. 5, num. 40 et 50), Joann. a S. Thom. (*Physic.* quæst. 20, art. 1, *Secunda difficultas*), Complutenses (*Physic.* disp. 25, quæst. 1, num. 12), Mauri (*Question. philos.* lib. 2, quæst. 41, ad 1.um et 3.um), Mastrium (*Physic.* disp. 9, quæst. 2. art. 2).

secundum eam jam admittantur in continuo aliquæ saltem partes indivisibiles, nempe partes extremæ, cum tamen secundum sententiam Aristotelis nullæ videantur dari partes realitatis ipsius corporeæ, quæ sint inextensæ atque indivisibiles. Ego rem hanc in medio relinquo, sapientioribusque solvendam commendo. In utravis explicatione plane salvantur ea, quæ in probanda propositione salvari non posse ostendimus nisi admissa realitate indivisibilium a continuo distinctorum. Quamvis itaque modus rem declarandi non satis constet, realitatem tamen indivisibilium terminantium tuendam omnino esse arbitror ob allatas supra rationes. Nec hujus dumtaxat difficillimæ controversiæ id proprium est, ut multo certius et manifestius rei existentiam, quam modum aut naturam ejus cognoscamus.

ARTICULUS IV.

Utrum continuum ex solis indivisibilibus componatur, an vero ex partibus sine fine divisibilibus.

Rei difficultas.

237. Postremam aggredimur circa permanens continuum quæstionem, omnium sane salebrosissimam, quæ omnium semper torsit ingenia, et tenebris suis ipsam quoque præcedentis articuli controversiam obscuram implicatamque reddebat. Vidimus in continuo dari partes integrantes actu distinctas et indivisibilibus continuantibus copulatas. Illud itaque nunc dubium occurrit, quales sint ejusmodi partes, ex quarum compositione resultat continuum: suntne partes quædam inextensæ atque adeo indivisibiles ulterius per quamcumque potentiam, an divisibiles in infinitum ita, ut quantumvis divisio continui protrahatur, semper resultent partes extensæ et continuæ, ideoque ulterius divisibiles, quin possit unquam ullum existere membrum ex divisione partium integrantium relictum, quod inextensum sit et indivisibile saltem per divinam potentiam. Fatentur porro omnes divisibilitatem physicam et naturalem non posse infinitam esse, quia in divisione ad certas quasdam minutissimas particulas perveniri potest, quæ quamvis in se gaudeant extensione, dividi

Status quæstionis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

abscissa indivisibilia ejusmodi, quibus apte terminentur (1). Hæc quidem opinio lucidissime declarat realem et positivam entitatem ac distinctionem indivisibilium a continuo, quod terminant. Dissimulare tamen non possum, non satis apparere, cur continuum egeat indivisibilibus ita declaratis, ad hoc ut positive terminetur, aptumque reddatur ad contactum absque penetratione. Si enim impenetrabilitas est formalis effectus quantitatis, plane intelligitur, quomodo partes ac realitas tota corporis, hoc ipso quod quantitate afficiantur, etiamsi nihil aliud superaddatur, repellere debeant a suo loco quamlibet aliam corpoream realitatem, atque adeo aptæ sint ex seipsis ad contactum, quin sequatur ulla compenetratio.

Ad hanc vitandam difficultatem alia reddi potest rei declaratio, nempe indivisibilem illam realitatem, qua continuum terminatur, nihil aliud esse nisi extremam partem ipsius realitatis corporeæ, v. g. extremam partem ipsius ferri, aquæ, auri etc. In omni enim magnitudine undique clausa, vel quæ non est infinita, videtur posse assignari prima et ultima pars, quia non se porrigit ultra certos limites; quamvis supposita divisibilitate continui in infinitum, nequeat postea assignari secunda nec penultima, siquidem qualibet assignata prope primam vel ultimam, alia semper vicinior et proximior sine fine assignari potest. Dici ergo posse videtur primum et ultimum in ipsa realitate continui, nempe extrema realia, ultra quæ jam non se porrigit continuum, esse indivisibilia terminantia. Juxta hanc explicationem indivisibilia terminantia realiter quidem distinguerentur a continuo, non tamen adæquate a totali realitate continui, quia ipsa etiam sunt intrinsecæ partes illius; a cæteris autem partibus continui adæquate distinguuntur. At secundum priorem rei declarationem indivisibilia terminantia realiter adæquate distinguerentur a totali realitate continui. Adversus hanc explicationem illa statim occurrit difficultas, quod

(1) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 40, sect. 5, num. 40 et 50), Joann. a S. Thom. (*Physic.* quæst. 20, art. 1, *Secunda difficultas*), Complutenses (*Physic.* disp. 25, quæst. 1, num. 12), Mauri (*Question. philos.* lib. 2, quæst. 41, ad 1.um et 3.um), Mastrium (*Physic.* disp. 9, quæst. 2. art. 2).

secundum eam jam admittantur in continuo aliquæ saltem partes indivisibiles, nempe partes extremæ, cum tamen secundum sententiam Aristotelis nullæ videantur dari partes realitatis ipsius corporeæ, quæ sint inextensæ atque indivisibiles. Ego rem hanc in medio relinquo, sapientioribusque solvendam commendo. In utravis explicatione plane salvantur ea, quæ in probanda propositione salvari non posse ostendimus nisi admissa realitate indivisibilium a continuo distinctorum. Quamvis itaque modus rem declarandi non satis constet, realitatem tamen indivisibilium terminantium tuendam omnino esse arbitror ob allatas supra rationes. Nec hujus dumtaxat difficillimæ controversiæ id proprium est, ut multo certius et manifestius rei existentiam, quam modum aut naturam ejus cognoscamus.

ARTICULUS IV.

Utrum continuum ex solis indivisibilibus componatur, an vero ex partibus sine fine divisibilibus.

Rei difficultas.

237. Postremam aggredimur circa permanens continuum quæstionem, omnium sane salebrosissimam, quæ omnium semper torsit ingenia, et tenebris suis ipsam quoque præcedentis articuli controversiam obscuram implicatamque reddebat. Vidimus in continuo dari partes integrantes actu distinctas et indivisibilibus continuantibus copulatas. Illud itaque nunc dubium occurrit, quales sint ejusmodi partes, ex quarum compositione resultat continuum: suntne partes quædam inextensæ atque adeo indivisibiles ulterius per quamcumque potentiam, an divisibiles in infinitum ita, ut quantumvis divisio continui protrahatur, semper resultent partes extensæ et continuæ, ideoque ulterius divisibiles, quin possit unquam ullum existere membrum ex divisione partium integrantium relictum, quod inextensum sit et indivisibile saltem per divinam potentiam. Fatentur porro omnes divisibilitatem physicam et naturalem non posse infinitam esse, quia in divisione ad certas quasdam minutissimas particulas perveniri potest, quæ quamvis in se gaudeant extensione, dividi

Status quæstionis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamen ulterius nequeunt; vel ex defectu videlicet virium naturalium vel aptorum instrumentorum, vel etiam quia ut multi putant, corpus naturale certos limites parvitatis habet, quos transgredi nequeat, quin destruatur. Talia forte sunt minima naturalia vel atomi Physicorum, secundum quas corporeæ extensionis contextus exstruitur, vel dissolvitur in combinationibus ac resolutionibus chimicis. Dubium ergo versatur circa metaphysicam et absolutam divisibilitatem. Si enim quacumque divisione peracta partes occurrunt extensæ, poterit saltem a Deo nova fieri divisio; si vero tandem post multas divisiones perveniri potest ad portiones materiæ inextensas, ne per virtutem quidem divinam poterunt illæ rursus partiri. Idem puto significari ab aliis, cum dicunt quæstionem de divisibilitate in infinitum agitari, non secundum physicam, sed secundum mathematicam, considerationem. Cum enim impossibile sit, ut quantumvis mutiplicatis divisionibus semper recurrant partes physice etiam ulterius divisibiles; solum dubitatur, utrum in omni divisione vel in infinitum protracta semper resultent membra vere in seipsis extensa, quæ proinde mathematice cumputanda sint adhuc divisibilia.

Sententia Zenonistarum

Duæ sunt in proposita controversia præcipuæ opiniones; prima affirmat, altera negat continui compositionem ex indivisibilibus. Illam tenuit vel certe supposuit Zeno, non ille Stoicorum princeps, ut quidam perperam scribunt, sed eleatensis, a quo et nomen accepit; licet eamdem prius tenuisse dicitur Pythagoras et Democritus (1). Eidem doctrinæ, præter Leucippum aliosque veteres atomistas, adstipulatus quodammodo dicendus est Plato, siquidem corpora putabat ex indivisibilibus superficiebus componi, ut novimus ex Aristotele (2), et videri etiam potest in suo *Timæo*. Eamdem secuti sunt quidam scriptores ætatis mediæ apud Soarez lusitanum (3), et probabilem putasse multos suo tempore refert Cardin. Toletus (4), ac tamquam probabilem

(1) Vide Aristot., *de Gener. et corrupt.* cap. 1.
(2) Ibid. cap. 2, text. 7.
(3) *Physic.* tract. 4, disp. 1, sect. 2, num. 52.
(4) *Physicor.* lib. 2, quæst. 1, paragr. *Dubia quædam, Decimum.*

supponit Cardin. Lugo (1), ac inuunt Arriaga (2) et Oviedus (3) aliique; et absolute præferunt oppositæ Aristotelis opinioni ex posterioribus Scholasticis, ut alios omittam, PP. Quiros (4), Peinado (5), Antonius Mayr (6), Joannes Ulloa (7), Ludovicus Lossada (8), et plures atomistæ apud eumdem. Hanc quoque sententiam tuentur relate ad continuum successivum PP. Oviedus (9) et Soarez lusitanus (10). Pro eadem doctrina laudantur a quibusdam Leibnitzius, Boscovichius et alii Dynamistæ, quamvis verius dicendi sint, hi omnem penitus negasse continuum. Zenonistæ itaque volunt continuum proxime componi ex superficiebus, superficies vero ex lineis, et lineas ex punctis: unde ultima tandem elementa extensionis continuæ esse puncta indivisibilia, plurima quidem, immo et innumerabilia, tamen in se et coram Deo finita. Cæterum indivisibilia hæc non constituunt continuum, nisi uniantur unione indivisibili distincta et superaddita, puncta nempe puncto modali, lineæ, alia modali linea, et superficies demum modali superficie (11).

Sententia Aristotelis longe communior.

Longe frequentior est, ac fere communis, sententia Aristotelis, secundum quem continuum ex iis componitur partibus integrantibus, quæ sint continuæ et extensæ, atque adeo in infinitum divisibiles (12). Ut porro melius hæc doctrina percipiatur, varia partium genera distinguenda sunt: aliæ dicuntur *aliquotæ*, aliæ *aliquantæ*, aliæ *proportionales*. Aliquotæ sunt partes certæ magnitudinis ac mensuræ, quæ aliquoties repetitæ totum continuum adæquant: talis est v. g. palmus

Partes aliquotæ.

(1) *De Incarnat.* disp. 26, sect. 8, num. 111; *de Sacramentis*, disp. 4, sect. 6, et *de Pœnit.* disp. 16, sect. 1.
(2) *Physic.* disp. 16.
(3) *Physic.* Controv. 17.
(4) *Opus. Philosoph.*, disp. 67, sect. 2.
(5) *Physic.* lib. 6, disp. unic., sect. 1 seqq.
(6) *Philos. peripat.*, pars tertia, num. 781 seqq.
(7) *Philos. natur.* disp. 2, cap. 7.
(8) *Physic.* tract. 3, disp. 4 cap. 4.
(9) Loc. cit. punct. 11, num. 7.
(10) *Physic.* tract. 4, disp. 1, sect. 2, paragr. 18, num. 123 seqq.
(11) Vide Lossada (loc. cit. cap. 2).
(12) Vide Aristot., *Physicor.* lib. 6, cap. 1 et 9; et de *Lineis insectilibus* etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in ulna, quia quater ducta totam metitur ulnam. Hujusmodi partes vocantur quoque *determinatæ* et *æquales*, et *non communicantes*, quia nimirum certam et æqualem inter se mensuram habent, neque una quidpiam de alia participat, sed adæquate ab illa distinguitur. Partes aliquantæ sunt illæ, quæ non sunt commensurabiles cum toto, seu quæ aliquoties replicatæ non adæquant totum, sed vel excedunt vel non attingunt, ut numerus ternarius respectu denarii.

seu determinatæ et non communicantes et æquales: partes aliquantæ.

Proportionales sunt illæ, quæ ex divisionibus ac subdivisionibus secundum eamdem proportionem factis resultant, ut si quantum bipalmare dividas in duos palmos, quos deinde in quatuor semipalmos, et illos in acto medietates semipalmorum, et ita porro partiaris, servata proportione dupli inter divisum ac partes, in quas dividitur. Simili modo partes proportionales existerent in serie divisionum successiva, quæ fieret in tertias partes, vel in quartas, etc., ita, ut partes singulæ ex precedenti divisione resultantes, iterum secundum eamdem proportionem partirentur. Unde patet, cur dicantur proportionales.

et proportionales: quæ dicuntur etiam

Dicuntur etiam indeterminatæ, quia licet certam servent inter se proportionem, non tamen exigunt determinatam mensuram vel magnitudinem: dari quippe possunt dimidia, vel tertiæ vel quartæ, etc., partes cujuslibet magnitudinis.

indeterminatæ.

Partes istæ solent quoque vocari *communicantes* et *inæquales;* tales enim sunt in aliquo sensu. Quamvis enim in serie divisionum proportionalium partes, quæ resultant in quacumque divisione, sint inter se æquales et non communicantes, ut v. g. palmi duo, vel semipalmi in superius allato exemplo; at vero partes quævis respectu partium præcedentis divisionis, ut quatuor semipalmi respectu duorum palmorum, inæquales sunt et communicantes.

vel communicantes et inæquales.

Itaque secundum Aristotelis sententiam solæ partes proportionales sunt divisibiles in infinitum, non autem partes aliquotæ nec aliquantæ. Nam hujusmodi partes, quantumvis minimæ assignentur, numero finitæ sunt non solum actu, sed etiam potentiæ, quia pluries replicatæ penitus exhauriunt totum continuum. Hanc doctrinam sequuntur post Aristotelem veteres ejus interpretes, et S. Augustinus (1), aliique

Ex Aristotele solæ partes proportionales sunt divisibiles in infinitum, non autem partes aliquotæ nec aliquantæ.

(1) *De Trinit.* lib. 11, cap. 10.

PP. apud Cardin. Aguirre (1), Albertus M. (2), S. Thomas (3), Scotus (4) et Scotistæ communiter (5), itemque Thomistæ (6), et Nostrates (7) cum Eximio Doctore (8), Complutenses (9) et Cardinalis Aguirre (10). Eademque communissime tenetur a gravioribus scriptoribus catholicis hodiernis, e quibus liceat nominare P. Tongiorgi (11), et clarissimos PP. Liberatore (12), Cornoldi (13), Palmieri (14), Pesch (15), Mendive (16), Schiffini (17), Lahousse (18) et Van der Aa (19).

Hæ sunt, ut dixi, præcipuæ hac de re opiniones. Quia tamen utraque gravissimis difficultatibus implicatur, multoque felicius adversarium ferit, quam ejus ictus repellit; ideo aliqui mediam quamdam punctorum *inflatorum* seu *turgidorum* sententiam excogitarunt, ex Zenone puncta indivisibilia finita, ex Aristotele vero infinitam divisibilitatem ubicationis

Sententia media punctorum *inflatorum*.

(1) *Physic.* disp. 34, sect. 1, num. 2.
(2) In libr. *de lineis indivisibilibus.*
(3) 1, 2. quæst. 85, art. 2; *Physicor.* lib. 6, lect. 1 et 2, etc.
(4) 2.^a disp. quæst. 9.
(5) Vide Mastrium (*Physic.* disp. 9, quæst. 2, art. 2), Pontium (*Physic.*, disp. 18, quæst. 2), Frassen (*Physic. de continuo*, quæst. 2).
(6) Vide Joann. a S. Thoma (*Physic.* quæst. 20, art. 3), Goudin (*Physica*, prima pars, disp. 3.^a quæst. 5, art. 1), Sotum (*Physicor.* lib. 6, quæst. 1).
(7) Vide Tolet. *Physicor.* lib. 6, quæst. 1), Rub. (loc. cit.) Conimbric. (*Physicor.* lib. 6, cap. 1 et 2, quæst. 2), Rhodes (lib. 2, disp. 1, quæst. 2, sect. 1.^a), Benedict. Pereira (*de communibus principiis etc.*, lib. 10, cap. 13 seqq.), De Benedictis (tom. 2, lib. 3, quæst. 6, cap. 1), Mauri (*Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 37), Soarez lusitanum (*Physicor.* tract. 4, disp. 1, sect. 2), etc.
(8) *Metaph.* disp. 40, sect. 5.
(9) *Physic.* disp. 25, quæst. 2.
(10) Loc. nup. cit.
(11) *Cosmolog.* num. 158 seqq.
(12) *Cosmolog.* num. 60.
(13) *Lezioni di Filos. speculat.*, lez. 31, *conclus.* 4.
(14) *Cosmolog.* thes. 2.^a
(15) *Philos. natur.*, num. 32 seqq.
(16) *Cosmolog.* num. 21 seqq.
(17) *Disput. Metaphys. special.* pars 1.^a, disp. 3, sect. 5.
(18) *Cosmolog.* num. 214 seqq.
(19) *Cosmolog.* prop. 6.^a seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel spatii, quod ea occupant, mutuantes. Volunt enim continuum componi ex indivisibilibus, quæ tamen spatium impleant virtualiter vel æquivalenter divisibile; «quatenus ubi est ubicatio unius puncti, possent esse duæ vel tres, vel si vis etiam non tot quin plures ubicationes aliorum punctorum. Itaque unum punctum in ordine ad locum est virtualiter multa puncta, et inter puncta, alia sunt majora, alia minora et minora, non formaliter et secundum se, sed virtualiter et secundum spatium, quod replent» (1). Exemplo res illustrari potest angeli nunc majorem nunc minorem ubicationem habentis, prout actionem suam extendit ad majus vel minus spatium: pari modo etiam rationalis anima in uno corpore majus, in alio minus spatium sibi assignatum habet, pro varia corporum ipsorum, quæ informat, magnitudine, immo in eodem corpore, prout sensim adolescit, et pinguescit, vel gracilius efficitur, majori vel minori spatio præsentiam exhibet. Ejusmodi puncta, quia relate ad spatium quasi intumescere videntur, *turgida*, vel *inflata*, vel *tumentia* dicta sunt. Hanc doctrinam tribuunt auctores superiorum sæculorum suppresso nomine quibusdam æqualibus suis; ejusdemque nostris diebus patrocinium suscepit cl. P. Palmieri, non ut continuum ex talium punctorum unione coalescere putaret, sed quia continuum in solis punctis inflatis admitteret, vel negaret dari in rerum natura verum ac formale continuum (2), ut superius vidimus, cum realitatem formalis continui vindicaremus.

Controversiam hanc, ut verum fatear, superiorem ingenii mei viribus judico, in qua ad nihil me sponte propensiorem sentio, quam ut nullam ex relatis sententiis tuendam amplectar. Quia vero aristotelica tum argumentis intrinsecis vehementissime impugnat, tum extrinseca gravissimorum omnis ætatis Philosophorum probabilitate longe Zenonicam excedit, illam tamquam probabiliorem exponemus allatis etiam responsionibus, quibus ingeniosissimi viri usi sunt ad contrariarum rationum impetum effugiendum.

(1) Semery *(Trienn. philos.* disp. 9, quæst. 2, art. 3). Cfr. De Benedictis (loc. cit., cap 2), Mauri (loc. cit., quæst. 39), Lossada loc. cit., cap. 2, num. 2).

(2) Vide cl. P. Palmieri *(Cosmolog.*, thes. 3). Cfr. superius dicta in primo hujus capitis articulo.

238. PROPOSITIO. **Continuum ex solis indivisibilibus constitui nequit, sed ex partibus extensis ac sine fine divisibilibus.**

Continuum non constituitur ex solis indivisibilibus

Probatur 2) propositio de continuo permanenti. 1.° Quia si continuum constat solis indivisibilibus, puncta vel se tangunt, vel non. Si non se tangunt, nequeunt constituere lineam continuam, ut per se patet. Si se tangunt, oportet, ut se tangant secundum se tota, non enim ullas habent partes. Si autem se tangunt secundum se tota, simul sunt, seseque penetrant. Ergo iterum impossibile est, ut extensionem efficiant. Et quemadmodum nequit linea ex punctis constitui, ita nec superficies ex solis lineis, nec solidum ex superficiebus. Nec refert, ut infinita fingas, et in unum congeras indivisibilia; quia sicut primum et secundum se penetrant, ita secundum tertium, atque adeo etiam primum, se penetrabunt, et similiter tertium et quartum, quartum et quintum, et ita proro (1).

Prob. 2.° Hinc etiam consequens est, lineam unius solius puncti additione majorem fieri. Atqui id impossibile est, quia quod nulla longitudine vel dimensione gaudet, non potest longitudinem vel dimensionem augere. **Major** autem patet, quia si linea solum ex punctis conficitur, quo plura sint puncta, major quoque linea esse debet.

Prob. 3.° Plura docet, ac demonstrat Mathesis, quæ admissa continui ex punctis compositione, ruant, necesse est. Et primo quidem Mathesis docet omnem lineam in duas medietates æquales secari posse. Atqui admissa Zenonis sententia, id non semper verum erit, nempe si linea tribus, quinque, septem, et generatim impari punctorum constat numero.

Secundo demonstrat Mathesis dari quasdam magnitudines inter se incomensurabiles, v. g. diagonalem et costam in quadrato. Atqui hoc etiam falsum esse deprehenditur in Zenonis sententia, secundum quam profectó illæ lineæ communem mensuram, punctum, haberent.

(1) Cfr. Aristot. *Physicor.* lib 6, cap. 1; et S. Thom. ib. lect. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tertio diagonalis A B nequit esse æqualis costæ B C, nec duplo major illa. Atqui alterutrum asserendum est in doctrina Zenonis. Nam certum est ex singulis punctis lineæ B C posse totidem parallelas duci ad lineam A D, quæ omnes procul dubio secabunt diagonalem A B. Quæro nunc, num singulis hisce lineis totidem respondeant puncta distincta in diagonali, vel singulis lineis duo puncta vel plura; nam punctum cum dimidio vel alia fractione non potest respondere. Si primum dicas, diagonalis æqualem numerum punctorum cum costa habet, ac proinde illi æqualis est, sin alterum duplo majorem.



Quarto. Nequit basis trianguli minor esse parallelis suis, quæ a costa in costam ducantur. Id tamen sequitur in adversariorum sententia. Sit triangulus insosceles A B C, cujus basis A B sex, latera A C et B C duodecim constent punctis. Ducantur parvæ parallelæ basis per singula puncta costarum vel laterum. Jam duo illa latera infra verticem C in puncto *a* distant perfecto inter se. Sed nequeunt distare minus, quam punctum. Ergo saltem puncto distant. Quare parva parallela *a a'* ut minimum tribus constabit punctis. Ob similem rationem parallela *b b'*, quæ priori longior est, quartuor, *c c'* vero quinque, *d d'* sex, *e e'* septem saltem punctis constet, necesse est; at aliæ, quæ per reliqua puncta duci possunt, a fortiori longiores erunt. Habemus ergo in triangulo parallelas longiores ipsa basi.

Quinto ulterius sequitur, quod circulus major et circulus minor, concentrici, sunt æquales. Nam ex singulis punctis exterioris circuli duci possunt totidem radii ad centrum usque. Atqui isti radii necesse est, ut transeant per totidem distincta puncta minoris circuli. Ergo tot sunt puncta in minori, quam in majori circulo, atque adeo uterque æqualis

est. **Minor** constat. Secus enim in uno puncto minoris circuli occurrerent duæ vel plures lineæ ex distinctis punctis majoris circuli profectæ, et ab illo puncto in unam solam lineam coirent usque ad centrum. Inde autem illud consequens foret, quod ex communi centro *o* ad duo vel plura puncta *a, b, c* contigua majoris circuli non possent duci radii, quin aliquis eorum in puncto *h* minoris circuli frangeretur, vel curvaretur. Hæc argumenta dudum a veteribus Scholasticis proposita vide, si lubet, apud Dominicum Soto (1) et Cardin. Toletum (2).



Prob. 4.º Linea quævis divisibilis est in infinitum. Ergo non constant punctis indivisibilibus. **Prob. antec.** Sit v. g. linea C D: connectantur ejus extremitates per duas parallelas A B et H E. Certum est a puncto H duci posse lineam ad quodvis punctum lineæ C A, quæ secare debebit lineam C D, cujus divisibilitatem infinitam volumus demonstrare. Sane cum linea C A in infinitum pretendi possit, omnes prorsus lineæ a puncto H versus illam directæ, secabunt lineam C D in totidem distinctis punctis. Ergo linea C D est divisibilis in totidem puncta, quot sunt lineæ, quæ ab H ad C A duci possunt. Atqui hæ sunt plures ac plures in infinitum. Ergo et linea C D est in infinitum divisibilis.

Antecedens hujus argumenti probatur. Et primo quidem omnes illæ lineæ secabunt lineam C D; quia nulla linea ab H versus C A pergens pervenire unquam potest ad punctum D, secus coiret cum linea H E, et sic duæ parallelæ haberent punctum commune. Deinde omnes lineæ ab H ad diversa puncta lineæ B A directæ, debent secare C D in distinctis

(1) *Physic.* lib. 6, quæst. 1, *conclus. 1.ª*

(2) *Physicor.* lib. 6, quæst. 1, *conclus.* 2.ª Cfr. Conimbricenses (loc. cit. quæst. 2, art. 2), et Soarez Iusitan. (loc. cit.), Benedictus Pererius (Op. et loc. cit. cap. 13), Cardin. Aguirre (*Physic*, disp. 34, sect. 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

punctis. Si enim duæ vel plures secarent lineam C D in eodem puncto, non possent terminari ad diversa puncta lineæ B A.

Prob. 5.° Si extensio componeretur ex punctis, idem spatium eadem velocitate acquireretur ab aquila et a testudine: quod absurdum est. **Probatur.** «Incipiant enim simul moveri supra spatium constans v. g. centum punctis: dum aquila acquirit primum punctum, testudo, si movetur, ut supponitur, punctum etiam acquirit, cum non possit puncti indivisibilis dimidium acquirere. Similiter in secundo et tertio instanti quælibet movetur, et acquirit consequenter secundum et tertium punctum; atque ita usque ad centesimum; adeoque idem spatium æquali velocitate percurrunt» (1).

Dices cum Zenonistis 1.° idem argumentum solvendum ab Aristotelicis, secundum quos totidem sunt partes in magnitudine majori, quam in minori; nam utraque est æque divisibilis in infinitum. Ergo etiam secundum ipsos æquali tempore tot partes spatii percurrit aquila et testudo.

Resp. *dist.* assertum. Secundum Aristotelicos totidem sunt partes proportionales in majori, quam in minori magnitudine, *conc.*; partes aliquotæ ac determinatæ mensuræ, *neg.* Cum ergo partes proportionales possint esse in seipsis et relatæ ad determinatam mensuram diversissimæ, facile intelligitur posse diversam magnitudinem spatii percurri eodem tempore a diversis mobilibus, diversa velocitate sese moventibus.

Dices 2.° In tardiori velocitate plures esse morulas, quam in velociori; et sic recte intelligi, cur aquila velocius moveatur, quam testudo, quia nimirum pauciores habet morulas, in quibus quiescat, vel motus ejus interrumpatur.

Resp. absurdas esse hujusmodi morulas, potissimum in corporibus inanimatis: 1.° quia eo ipso quod darentur morulæ, motus desineret esset continuus: 2.° cum per quietem cesset motus, nequit intelligi, cur corpora saltem inanimata, quæ lege inertiæ reguntur, vicissim quiescant, et motum resumant. Vel enim habent in se principium intrinsecum et proximum motus, impetum nempe vel nisum sibi

(1) De Benedictis (lib. 3 *Physicor.* quæst. 6, cap. 1, paragr. 1). Estque argumentum Aristotelis (6 *Physicor.* cap. 2), quod passim legere licet apud veteres Scholasticos.

impressum, vel non. Si habent, cur subito quiescunt absque ulla causa extrinseca retardante? Si non habent, cur iterum post morulam, nullo novo accepto impetu, moveri pergunt? 3.° morulæ hujusmodi efficaciter repelluntur sequenti argumento, quod, omissis aliis Zenonistarum instantiis (1), jam propono.

Prob. 6.° Urgendo præcedens argumentum ex motu circulari. «Cum enim rota volvitur circulariter in se ipsa, radii rotæ, seu lineæ rectæ a centro ad circunferentiam, moventur omnes circa centrum, et ita moventur, ut puncta magis distantia a centro velocius moveantur, ac designent circulum externum majorem circulis internis designatis a punctis interioribus, radii minus distantis a centro. Sed si quantitas componeretur ex punctis, non possent velocius moveri puncta remotiora, quam propinquiora, cum neque plus neque minus promoverentur, quam per punctum spatii. Ergo, etc. Neque valet hic recursus ad morulas. Nam dum movetur punctum remotius, etiam propinquius centro debet moveri, alioquin linea et radius flecteretur, vel rumperetur, quod est contra experientiam» (2).

Confirmatur. Quia continuum cum sit unum per se, concipere licet instar unitatis in varias fractiones divisibilis. Atqui possunt mathematice dari absque ullo fine fractiones unitatis, v. g. $^1/_2$, $^1/_4$, $^1/_8$, $^1/_{16}$..... Ergo.

Probatur β) propositio de continuo successivo, motu videlicet ac tempore. 1.° Si enim magnitudo est in infinitum divisibilis, pari modo divisibilis erit motus ac tempus. Atqui ostensum est magnitudinem esse divisibilem in infinitum. Ergo.—**Prob.** antec. Nam si magnitudo quæ motu percurritur, in infinitum dividi potest, singulis partibus magnitudinis proportionales partes motus respondent, atque adeo simili modo dividi poterit. Itemque «si... mobile regulariter motum

(1) Quas vide apud de Benedictis, Rhodes, Mauri, Cardin. Aguirre (loc. cit. disp. 41), aliosque priscos scriptores.

(2) P. Sylvester Mauri, *Quæstion. philos.*, lib. 2, quæst. 37, *Urgetur validissime.* Solutiones his aliique rationibus datas a Zenonistis vide apud Lossada (loc. cit. cap. 3), Oviedum (loc. cit. controv. 17, punct. 8 seqq.), Arriaga (*Physic.* disp. 16, sect. 8), Cardin Aguirre (loc. cit. disp. 34, sect. 4) etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

totam magnitudinem A B conficit spatio unius horæ, dimidium magnitudinis conficiet dimidio temporis, quartam partem magnitudinis quarta parte temporis, millesimam partem magnitudinis millesima parte temporis, ac proinde si magnitudo est divisibilis in infinitum, etiam tempus est divisibile in infinitum» (1).

Prob. 2.° Si motus ac tempus constarent ex solis indivisibilibus, nequit explicari inæqualitas motus velocis ac tardi, quam nostris passim oculis cernimus. Nam velox motus est ille, qui cum longus ipse sit, multumque spatium percurrat, breve tempus insumit; tardus vero ille, qui brevis est in se ipso, tempusque diuturnum ad exiguum spatium metiendum impendit. «At posito, tempus et motum immediate constare puris indivisibilibus, hæc inæqualitas motuum impossibilis erit; quia qualiscunque motus continuus qualibet sui parte indivisibili insumet unicum instans reale temporis: nec enim plura potest, cum unum indivisibile non sit majus alio; nec etiam minus, quam unum instans, quia intra durationem instantaneam nulla est possibilis. Ergo omnis motus continuus per æquale spatium æquale tempus insumet, atque adeo nullus motus continuus poterit esse inæqualis, aut velocior alio» (2).

Prob. 3.° Sint duo mobilia, quorum primum duplo velocius, alterum duplo tardius moveatur. Si tempus constet punctis indivisibilibus, licet nobis supponere mobile velocius imparem punctorum numerum posuisse in certo spatio percurrendo: nihil enim id vetat. Ergo tunc mobile tardius dimidium tempus impendet in eodem percurrendo, nempe certum punctorum indivisibilium numerum cum aliqua fractione.

Simili modo ratiocinandum est de motu. Omnis enim motus partiri potest in duas medietates. Quid autem, si punctorum indivisibilium impari constet numero? Atqui si motus ex successiva punctorum collectione componitur, innumeros licet concipere motus et possibiles et actu existentes, qui numerum contineant imparem ejusmodi partium indivisibilium.

(1) Mauri, loc. cit. quæst. 37, *Tertia ratio*.
(2) Card. Aguirre, op. cit. disp. 37, sect. 2, num. 27.

Nova continui definitio

COROLLARIUM. Supposita veritate hujus sententiæ continuum definiri poterit etiam hoc modo cum Aristotele: *Continuum est id, quod est divisibile in semper divisibilia* (1).

239. PROPOSITIO 2.ª **Continuum nequit constitui ex punctis inflatis.**

Continuum non componitur ex punctis inflatis.

Pob. 1.° Doctrina ejusmodi punctorum invecta est, ut præcipuæ difficultates, quibus Zenonis et Aristotelis premuntur sententiæ, vitarentur. Atqui difficultates istæ, saltem omnes, nequeunt vitari per recursum ad puncta inflata.

Prob. Minor. 2) Gravissima omnium difficultas, quam in aristotelica sententia horrent adversarii, est divisibilitas in infinitum partesque actu infinitæ, quæ inde consequi videntur in continuo Atqui non effugiunt adversarii hanc difficultatem, sed penitus transferunt ad spatium, in quo plenum suum robur obtinet. Sane sumamus «punctum turgidum, quod impleat foramen acus. Potest in illo spatio poni punctum, quod occupet dimidium hujus spatii; deinde alterum, quod occupet dimidium dimidii; et tertium, quod occupet dimidium secundi dimidii, et ita deinceps in infinitum. Ergo infinita puncta (virtualiter) extensa poni possunt in illo spatio.—Antecedens clarum est, quia puncta duplo minora non æquabunt primum dimidium, nisi sint infinita» (2). 3) Eodem modo etiam urgent doctrinam punctorum inflatorum quædam argumenta contra Zenonem facta, ac nominatim primum, alterum et tertium, quod ex præceptis Matheseos depromptum est superius.

Prob. 2.° Sine ulla ratione ac fundamento inflantur puncta ab adversariis. Nam dogma communiter receptum hoc est apud omnes Philosophos naturaliumque scientiarum cultores, materiam corporeamque extensionem spatio ita commensurari, ut corpus uno, duobus, centum, etc., metris extensum occupet spatium unius, duorum, centum, etc., metrorum; ac vicissim spatium unius, duorum, centum metrorum repleri non posse nisi corpore unius, duorum, centum

(1) Aristot. *Physicor.*, lib. 6, cap. 1.
(2) Rhodes, *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 3, quæst. 2, sect. 1, paragraph. 2, *Secundo, nec existat*.

metrorum extensionis. Ergo si quidpiam valet argumentum analogiæ, puncto indivisibili nequit respondere spatium divisibile. Unde S. Thomas rectissime docet (1) punctum, utpote quod est indivisibile in genere quantitatis, extra spatium indivisibile porrigere se minime posse. Quare potestas præsentiam suam exhibendi extenso spatio majorem arguit perfectionem, quam quæ materiæ convenire possit, solisque spiritualibus substantiis, ut angelo et rationali animæ, asserenda est.

Dices. Anima brutorum materialis est et, in valde probabili sententia, simplex atque indivisibilis: et nihilominus præsens est toti corpori, quod informat. Ergo præsentia, quam simplex et indivisibilis entitas exhibeat extenso spatio, conditionem materiæ superare minime dicenda est.

Resp. *neg.* paritat. Nam anima brutorum cum sit forma dans *esse* ac vitam corpori, debet procul dubio præsens esse illi, neque enim aliter illud vivificat et in *esse* talis corporis constituit, nisi actuando et informando. At in punctis non militat ejusmodi ratio aut necessitas (2).

DIFFICULTATUM, QUIBUS ARISTOTELIS DOCTRINA PREMITUR, ALIQUALIS SOLUTIO.

240. **Objic. 1.°** In Aristotelis sententia vitari nequit possibilitas multitudinis actu infinitæ. Nam si continuum est in infinitum divisibile, continet profecto partes infinitas, non enim est divisibile, nisi in partes, quibus actu constat, ut superius ostensum est in secundo hujus capitis articulo. Inde autem et illud consequens foret, continuum esse infinitæ magnitudinis, quod enim infinitis partibus constat, infinitum quoque est secundum magnitudinem.

Resp. *neg.* assert., et probation. *dist.* Si continuum est divisibile in infinitum, continet partes infinitas actu, *neg.*; potentia, *conc.*

Illud etiam, quod addebatur de infinita magnitudine, negandum prorsus est. Nam continuum esse divisibile in infinitum,

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 8, art. 2, ad 2.um; 2.° *Contr. Gent.*, cap. 56.

(2) Plura dabunt auctores citati, et Cardin. Aguirre, (Oper. cit. disp. 36).

perinde est, atque illud esse magnitudinem quamdam, ex qua in infinitum poterit semper aliquid detrahi: ad quod non requiritur, ut sit aliquid infinitum, nam ex finito etiam semper auferri poterit, si semper minus et minus auferatur. Sicut e converso si alicui finito fiat in infinitum adjectio alicujus unitatis vel alterius quantitatis finitæ, nunquam prodibit infinitum, ut constat ex probatis in *Ontologia*. Quod ergo certum est de adjectione unitatis, nimirum non posse exinde resultare infinitum; a fortiori valet de detractione, qualis locum habet in divisione continui: nam in divisione non detrahitur semper æqualis quantitas, sed minor ac minor in infinitum; secus divisio finem haberet. Si ergo finitum non redditur infinitum per adjectionem indefinitam certæ alicujus finitæ quantitatis licet æqualis, multo minus quamvis ex continuo possint detrahi semper minores ac minores partes in infinitum, totum detractum, atque adeo ipsum continuum, erit infinitum (1).

Instabis 1.° Totidem sunt actu in continuo partes, quot fieri possunt divisiones. Atqui divisiones continui possibiles sunt infinitæ. Ergo... Nec dicas partes, prout actu reperiuntur in continuo, quia sunt unitæ, non efficere multitudinem, nec numerum. Nam certe cum post divisionem maneant in seipsis, nequeunt non efficere numerum, atque adeo post infinitas divisiones numerum infinitum.

Resp. *dist.* Major. Tot sunt partes actu multitudinem facientes, *neg.*, quia non sunt actu divisæ: potentia facientes multitudinem, *conc.*

Disting. Minor.: divisiones continui possibiles sunt infinitæ, actu *neg.*; potentia, *conc.* Omnes enim assignabiles divisiones, semper erunt actu finitæ atque ulterius sine fine multiplicabiles. Unde etiam soluta remanet nova instantia, quæ addebatur. Nam quamvis post divisiones partes numerum constituant; quoniam divisiones nunquam poterunt exhauriri, nec actu infinitæ esse, nec partes resultantes efficient multitudinem actu infinitam.

Instabis 2.° Deus certe potest, solutis nexibus, quibus unitæ tenentur, omnes prorsus partes continui dividere.

(1) Cfr. Toletus, *Physicor.* lib. 6, quæst. 1, paragr. *Dubia quædam... Secundo pro solutione.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Atqui eo in eventu certe constitueretur ex omnibus illis partibus actu infinita multitudo. Ergo.—**Resp.** *dist.* Major. Potest Deus dividere partes omnes continui distributive, ita ut nulla sit, quæ singillatim sumpta nequeat a Deo dividi, *conc.*; omnes collective ita, ut nulla jam remaneat ulterius divisibilis, sed omnes sint indivisibiles, *neg.*; quia ut ostensum est, repugnat continuum coalescere ex inextensis, atque adeo dividi in partes integrantes ulterius indivisibiles.

Instabis 3.° Possibili in actu posito, nihil sequitur repugnans. Atqui possibiles sunt infinitæ continui divisiones. Ergo... Et confirmatur, quia si possibiles continui divisiones non sunt infinitæ, necesse est, ut sint finitæ. Atqui si finitæ sunt, possunt procul dubio finem habere, id quod perinde est, ac dicere continuum non esse in infinitum divisibile.

Resp. *dist.* Major. Possibili in actu posito, eo modo quo possibile est, nihil sequitur repugnans, *conc.*, alio modo, ac sit possibile, *neg.*

Dist. etiam Minor. Divisiones infiniti possibiles sunt actu infinitæ, *neg.*, potentia, *conc.* Difficultas hæc fuse versatur ab Aristotele (1), ac declaratur a S. Thoma (2), ubi etiam duas affert instantias rem egregie explicantes, alteram in successivis, alteram in permanentibus. Possibile namque est omnes horas diei esse, repugnat tamen, ut actu simul sint in principio diei; quia sic destrueretur natura temporis in eo consistens, ut non sit totum actu, sed in potentia et fluens: possibile est etiam materiam habere omnes formas, sed repugnat, ut actu omnes habeat, quia natura ejus est in potentia ad omnes formas. Similiter etiam quia, ut patet ex dictis contra Zenonem, de essentia continui ut sic est esse semper ulterius divisibile ita, ut nequeat dividi in tot partes quin plures, impossibile est, ut omnes divisiones possibiles actu factæ supponantur.

Ad confirmationem, *dist.* Major. Si divisiones possibiles non sunt infinitæ, necesse est, ut sint finitæ, et actu et potentia, *neg.*; finitæ actu, sed infinitæ potentia, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

(1) *De Gener. et Corrup*, lib. 1, cap. 2.
(2) Ib. S. Thomas lect. 5, paragr. *c*.

Instabis 4.° Deus videt actu omnes possibiles divisiones, nulla excepta. Ergo partes omnes, quæ factis omnibus possibilibus divisionibus a parte rei darentur, intentionaliter existunt in mente divina. Ergo si divisiones multiplicari possunt in infinitum, omnes illæ, ac partes exinde resultantes, saltem in mente divina constituunt multitudinem quamdam objectivam actu infinitam.—**Resp.** *dist.* primum conseq. Omnes illæ partes existunt in mente divina distributive, *conc.*; collective, *neg.* Et sub hac distinctione *neg.* alterum conseq. Deus enim continui partes ac divisibilitatem non aliter videre potest ex parte objecti, quam partes illæ ac divisibilitas reapse possunt existere. Quia ergo nequeunt in seipsis omnes simul existere per modum completæ collectionis, quia nunquam possibiles omnes divisiones exhauriri possunt, ideo nequit illas videre collective, ac multitudinem actu infinitam constituentes. Recole superius dicta circa multitudinem infinitam cognitorum in Deo.

Objic. 2.° Si continuum foret in infinitum divisibile, non posset pertransiri. Nam antequam mobile pertranseat totum continuum, debet pertransire medietatem, et prius quartam, octavam partem, et ita porro sine fine, percurrendo omnes possibiles partes proportionales, Atqui continuum pertransitur, ut cum ignis successive comburit chartam, vel mensuratur quævis extensio etc., etc. Ergo non constat partibus in infinitum divisibilibus (1). Hoc argumentum solvit Aristoteles (2) dicens infinitas partes proportionales, quæ sunt in magnitudine, pertransire infinitis partibus proportionalibus, quæ sunt in tempore; nec repugnare ut infinitum magnitudinis alio simili temporis infinito pertranseatur. Verum ipsemet Aristoteles alibi (3) notavit hanc responsionem transferre difficultatem a magnitudine ad tempus. Pari enim

(1) Hoc unum est ex argumentis, quibus Zeno conabatur probare apud Aristotelem (*Physicor.*, lib. 6, cap. 9), motum esse impossibilem. Quæ argumenta experientia ipsa lepide refellisse dicitur Diogenes Cynicus, ut refert Simplicius (*Physicor.* lib. 6, commento 53, et lib. 8, comens. 25). «Nam cum Zenonis rationes aliquando audisset, surrexit, nec aliter, quam coram ambulando, respondit». Conimbric. loc. cit., cap. 2 in commentario paragr. *i*.
(2) (*Physicor.*, lib. 6, cap. 2, text. 19.
(3) *Physicor.* lib. 8, cap. 8 text. 68 et 69.

modo probari potest non posse horam pertransiri; siquidem antequam transeat hora, debet transire semihora, et antea quadrans horæ, et octava pars, et ita in infinitum plures ac plures medietates proportionales. Ergo una hora non posset pertransiri. «Non enim possunt pertransiri infinitæ partes una post aliam, seu sint æquales uni certa, seu non, sed minores et minores; nam impertransibilitas non oritur ex æqualitate, sed ex infinita multitudine partium, quarum una debet pertransiri post aliam» (1).

Responderi solet cum Aristotele (2) continuum posse pertransiri, quia partes in eo sunt tantum potentia, nempe non divisæ; si autem forent actu, id est divisæ ac facientes multitudinem, ita ut una post aliam esset numeranda, non posse pertransiri (3). *Respondendum est*, inquit Angelicus, *ad eum qui interrogat, an contingat infinita transire sive in tempore, sive in magnitudine, quod quodammodo contingit, et quodammodo non contingit. Cum enim sunt infinita media in actu, non contingit ea transire: cum autem sint in potentia, contingit infinita transire: et sic, cum in continuo non sint infinita media nisi in potentia, contingit infinita transire: quia illud quod continue movetur, transivit secundum accidens infinita, scilicet in potentia. Per se enim transit lineam finitam, cui accidit, quod insint ei infinita media in potentia: sed ipsa linea secundum substantiam et rationem est ab his mediis infinitis: non enim linea componitur ex punctis, sed puncta possunt signari in linea, in quantum dividitur*. (4) Itaque cum partes continui quamdiu sint unitæ, non faciunt actualem multitudinem, sed tantum potentialem, quia, omnes sunt unum ens vere finitum in se; tunc eundo continuum, reapse non pertransitur infinitum actuale, sed finitum (5).

(1) Mauri, *Quæstiones philosoph.*, lib. 2, quæst. 27, 3.°, *Et est argumentum*.

(2) *Physicor.* lib. 8, cap. 8.

(3) Vide Mauri (loc. cit.), Complutenses (loc. cit. quæst. 3, num. 59.)

(4) S. Thom. *Physicor.* lib. 8, lect. 17, paragr. *f*.

(5) Simile argumentum, quod a Zenone factum et ob ejus vim *Achillem* vocatum esse refert Aristoteles (*Physicor.* lib. 6. cap. 9. text. 78. Vide S. Thom. ib. lect. 11, paragr. *c*), simili prorsus modo solvitur ab eodem Philosopho.

Objic. 3.° Si quodvis continuum foret divisibile in infinitum, tot essent partes in granulo farinæ, quot in terræ globo vel solis; immo tot in singulis partibus minutissimis alicujus totius, quam in ipso toto. Atqui hoc absurdum prorsus est; nam granulum farinæ cum terra vel sole, partem æquaret cum toto.

Resp. *dist.* Major. Tot essent partes aliquotæ ac determinatæ alicujus dimensionis, *neg.* Tot essent partes proportionales, atque adeo inæquales, *conc.*, quia in Aristotelis sententia non magis deveniri potest ad indivisibilia in parva, quam in immani aliqua mole corporis. Æqualitas vero duorum continuorum non ex multitudine partium proportionalium judicanda est, sed ex æqualitate illarum secundum certam ac determinatam mensuram.

Objic. 4.° Ex Mathematicorum sententia, punctum motu suo lineam generat, linea superficiem, superficies solidum. Unde si globus, qui solum in puncto tangit planum, super illud moveatur, successivo suo tactu lineam describit: simili modo per motum cylindri, qui tantum in linea potest planum tangere, superficies notatur; denique si superficiem facias gyrare circa unum ex extremis, solidum cylindrum generabit. Ergo dicendum prorsus est, lineam ex punctis, superficiem ex lineis, solidum corpus ex superficiebus in unum congestis componi.

Resp. Molestissimam esse istam difficultatem sentiunt omnes auctores, satisque produnt ex diversissimis, quas apiant, responsionibus. Quidam enim negant fieri posse globum ita perfecte sphæricum, ut quaquaversus sit curvus, solamque in puncto tangere planum valeat: alii negant talem globum re vera tangere positive planum, quamvis negative indistans sit ab eo: alii putant globum, quamvis per circumfusum aërem continuo moveatur, at per ipsum planum non continuo, sed discrete dumtaxat moveri, nempe «per saltus de puncto in punctum ita, ut inter unum et aliud tantisper elevetur a plano» (1). Quæ omnes responsiones mihi placere nequeunt. Quare melius videtur cum aliis dicendum,

(1) Ita Complutenses (loc. cit. quæst. 2, num. 31). Cfr. Joann. a S. Thoma (loc. cit. art. 3, in respons. ad 2.um argumentum).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

globum sphæricum, dum stat, vel quiescit, tangere planum in puncto; at vero dum movetur, et volutatur super planum, non illud tangere in puncto, sed in linea; nempe cum sphæra volvitur, non est punctum solum ipsius, sed linea, quæ successive applicatur plano, atque adeo non in puncto dumtaxat, sed in linea tangit illud (1). Et idem dici potest de cylindro super planum rotante.

Ad argumentum ergo respondeo, *nego* antec. Non enim Mathematicorum sententia est ex fluxu indivisibilium effici re vera aliquod continuum; sed utuntur ii ejusmodi fictione ad significandam divisibilitatem lineæ secundum longitudinem dumtaxat, similiterque ad explicandas dimensiones aliarum quantitatum continuarum (2).

Dices. Globus super planum describere potest lineam non solum, si super illud volutetur, sed etiam si manu trahatur. Atqui in hoc certe altero casu habemus unicum punctum sphæræ successive transiens in plano lineam notare. Ergo linea recte concipi potest ut generata per motum puncti, atque adeo ex punctis composita.—**Resp.** In ista hypothesi sphæræ, quæ quin ipsa volutetur, manu trahatur super planum, verum est punctum illud sucessive transire totam lineam in plano; sed non est verum, quod illa singulis instantibus solum tangat punctum. Quia cum linea, ut probatum manet, non constet solis punctis, sed partibus extensis unitis per puncta, punctum globi modo puncta plani, modo partes extensas tangat, neccesse est; hoc tamen discrimine, quod puncta quidem tangat adæquate, partes vero inadæquate seu non totaliter, quia nulla est inextensa vel indivisibilis. Simili modo inadæquate tangit digitus, vel quævis alia res, planum majoris extensionis, successive transiens super illud, quia nequit sua mole molem illius æquare.

Objic. 5.° Numerus componitur ex unitatibus, quæ non habent in se rationem numeri. Ergo etiam continuum potest componi ex indivisibilibus, non vero ex partibus continuis ac divisibilibus.

Resp. *neg.* conseq. Quia cum numerus sit quantitas discreta bene potest componi ex unitatibus; at nequit quantitas continua ex indivisibilibus constitui, quia de ratione ejus est, ut semper in continua et ulterius divisibilia dividatur, quemadmodum ostensum est (1).

Objic. 6.° In rerum principiis repugnat processus in infinitum. Unde in genere causæ efficientis necesse est venire ad causam primam, et similiter in genere finium ad ultimum aliquem, itemque in genere causæ materialis (2). Sed rerum, quæ componuntur ex partibus, principia sunt ipsæ partes componentes. Ergo etiam in iis necesse est tandem devenire ad aliquas non compositas, sed simplices et indivisibiles. Nam sicut pendet effectus ab efficiente tamquam a priori secundum naturam, ita et totum a suis partibus. Si ergo in serie producentium nequit procedi in infinitum propter neccessariam ab aliquo primo dependentiam, nec poterit similiter in partibus integralibus componentibus totum (3).

Resp. *dist.* Major. In rerum principiis, vel essentialibus, vel quæ veram rationem causæ habeant, *conc.*; in aliis *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam pro partibus integralibus continuum componentibus non solum non repugnat processus in infinitum per divisiones in alias et alias partes, verum e contrario necessarium illum esse ostenditur, ut vidimus.

Instabis 1.° De ratione partium est, ut sint saltem natura prius, quam ipsum compositum. Ergo ante omne compositum supponenda sunt componentia. Atqui componentia omnem compositionem in continuo præcedentia sunt simplicia et indivisibilia. Ergo...

Resp. *dist.* conseq. Ante omnem compositionem supponenda sunt componentia, quæ sint possibilia, *conc.*: quæ repugnant, *neg.*

(1) Vide Tolet. (loc. cit. paragr. *Dubia quædam* in respons. ad 4.um), Mastrium (loc. cit. quæst. 2, art. 4, num. 63), Aguirre (loc. cit. disp. 34, sect. 5, num. 55) etc.

(2) Conimbric. (loc. cit. art. 3, ad 8.um)

(1) Cfr. Benedictus Pererius., *de Communibus omnium rerum naturalium principiis* etc., lib. 10, cap. 14, ad 5.um.

(2) Vide *Ontologiam* num. 385, pag. 1099 seqq.

(3) Cfr. De Benedictis, *Philos. perip.* tom. 2, lib. 3, quæst. 6, cap. 4.°, *Objic.* 3.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Cum enim partes continui necessario sint extensæ et continuæ, æque repugnat indivisibilia præsupponere ad continui compositionem, ac ad indivisibilia per divisionem pervenire. Quare quamvis ponas mundi opificium locum habuisse secundum Laplacianum systema ex tenuissima summeque rarefacta materia, non potest dici Deum exorsum esse ab indivisibilibus et inextensis particulis productionem materiæ.

Instabis 2.° Ubi non est primum in compositionibus, neque est secundum, nec tertium etc. Atqui in continui compositione solum indivisibilia possunt habere rationem primi, partes vero divisibiles rationem secundi, tertii, etc. Ergo...

Resp. *neg.* Minor., ut constat ex præcedente responsione. Nam si repugnat indivisibilia integrantia dari, nequeunt illa esse prima continui elementa. Vel si mavis aliter respondere, *neg.* suppositum, quod nempe in compositione integrali possit assignari aliquid absolute primum, ante quod non sit possibile aliud. Nam si in continui resolutione impossibile est ad ultimum pervenire, nequit in ejusdem compositione determinari aliquid primum, ante quod non potuerit dari aliud prius.

Objic. 6.° «Aut linea componitur ex punctis aut ex alio. Non ex alio; quia tum in illo non essent puncta, et nihil est in linea, ubi non sit punctum. Ergo linea componitur ex punctis». Accedit, quod «si linea non componeretur ex punctis: ergo puncta non essent ubique in linea. Sed sunt ubique in linea: nam linea est ubique divisibilis, dividitur autem in puncto» (1).

«Respondendum est, lineam componi ex alio, quam ex punctis, nimirum ex lineis minoribus, quas continet tamquam partes, in quibus et reperiuntur puncta. Non enim est absurdum in linea reperiri ubique lineas et ubique puncta; diverso tamen modo, lineas quidem tanquam partes ejus, quæ si separentur, existent actu lineæ; puncta vero ceu ea, quæ terminant, et continuant lineam, eo modo quo supra declaratum est, cum de hac re ageremus. Quamquam

(1) Apud Benedict. Pereira, op. et loco cit. cap. 12, argum. 1.° et 2.°

illud, quod vulgo dicitur, puncta esse ubique in linea, partim est verum, quatenus in omni parte lineæ possunt signari puncta; partim autem est falsum, quia si in linea aliqua signetur punctum, non potest immediate post signari aliud punctum: siquidem est impossibile puncta sibi invicem esse immediata. Atque hinc etiam patet solutio secundi argumenti» (1).

Objic. 7.° Contra continuum successivum divisibile in infinitum. Si continuum succesivim, motus ac tempus, non constarent ex solis indivisibilibus, sed simul ex partibus sine fine divisibilibus, deberent hæ uniri, et realiter continuari inter se. Atqui partes motus ac temporis non uniuntur realiter inter se. Nam quæ realiter non coëxistunt, nequeunt realiter uniri, quia unio realis essentialiter supponit coëxistentiam extremorum. Atqui partes temporis vel motus nullæ prorsus coëxistunt, siquidem, una recedente, altera advenit, et hac transeunte, succedit nova, atque ita porro usque in finem ipsorum. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Ad probat. *dist.* Major. Quæ realiter non coëxistunt, nequeunt realiter uniri, si constituant continuum permanens, *conc.* Si successivum, *neg.* Et similiter *dist.* adjunctam hujus asserti probationem.

Et concessa probationis Minori, *neg.* conseq. Motus enim ac tempus sicut entitatem habent successivam, ita et successivam important partium unionem, ac proinde nullatenus exigentem, ut utrumque extremorum coëxistat, sic enim jam esset continuum permanens, non autem successivum, sed solum ut utrumque in temporibus immediatis sit, et medio aliquo communi utrique extremo continuetur (2).

Instabis 1.° Motus et tempus, quamvis non exigant partium coëxistentiam, at certe requirunt, ut partes aliquando in rerum natura existant. Atqui nulla pars divisibilis temporis vel motus unquam existit, sed tantum indivisibilia instantia. Etenim temporis et motus solum existit id, de quo verificari potest propositio: *Nunc est.* At solum de instanti

(1) P. Benedictus Pererius ib. cap. 14 ad 1.um et 2.um

(2) Cfr. Cardin. Aguirre (Op. cit., disp. 37, sect. 3, num. 29), De Benedictis (loc. cit., quæst. 6, cap. 7 in respons. ad Objection. 3.am).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præsenti hæc verificari propositio potest, non autem de partibus divisibilibus, quæ habent rationem dumtaxat præteriti vel futuri.—**Resp.** *neg.* Minorem. «Ad probationem dico, temporis et motus illud tantum existere, de quo verificatur: *Nunc est*, vel ratione sui, vel ratione alterius, vel in se et subjective, vel in alio, in eoque aut terminative aut initiative. Licet autem solum indivisibile temporis ac motus sit præsens ratione sui et subjective existens, ita ut de eo solo verificari possit aliquando: *Nunc est in seipso;* adhuc ipsæ partes dividuæ temporis ac motus sunt præsentes ratione ejusdem indivisibilis, præteritæ quidem terminative, futuræ autem initiative. Ideoque eodem sensu de unaquaque illarum verificari potest aliquando: *Nunc est*, non quidem ratione sui aut in seipsa, sed tantum ratione indivisibilis, prout inchoantis aut terminantis. Neque aliud genus præsentiæ in partibus temporis et motus exigere jure potest, nisi qui voluerit utrumque confundere cum continuo permanenti» (1). Ad rem S. Augustinus: *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas vel minutissimas partes dividi possit, id solum est, quod præsens dicatur. Quod tamen ita raptim a futuro in præteritum transvolat, ut nulla mora extendatur. Nam si extenditur, dividitur in præteritum et futurum. Præsens autem nullum habet spatium* (2). Unum tamen nota, non convenire inter Auctores, utrum partes temporis nequeant dici existere nisi ratione indivisibilium, quibus copulantur, continuanturque (3). Plures enim iique gravissimi scriptores putant partes temporis etiam per se existere, et non solum ratione indivisibilium.

Instabis 2.° «Sumo instans hoc, et argumentor sic: Quid primo existit post istud *Nunc?* Vel tempus, vel *Nunc* aliud.

(1) Cardin. Aguirre (ibid. num. 32). Cfr. Cardin. Tolet. (loc. cit., quæst. 1, paragr. *Dubia quædam*, ad 6.um), et Suarez (*Metaphys.* disp. 50, sect. 9, num. 20 seqq.)

(2) S. August. *Confession.*, lib. 11, cap. 15.

(3) Qua de re vide Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 31, sect. 4 et 5). Suarez (loc. nup. cit.), Conimbricenses (*Physicor.* lib. 4, cap. 14, quæst. 1, art. 4), Rubium (Ibid. tract. prior *de Tempore*, quæst. 1, num. 25, 26), Complutens. (*Physic.* disp. 21, quæst. 5), Joannem a S. Thoma (*Physic.*, quæst. 18, art. 2).

Si *Nunc* aliud, duo ergo *Nunc* erunt immediata. Si tempus, cum tempus non existat, nisi secundum *Nunc* et instans, erunt duo immediata instantia» (1).—**Respondeo** immediate post hoc instans esse tempus, nec esse aliud instans immediatum præcedenti. Fere sicut, signato quovis lineæ puncto medio, non sequitur immediate punctum sed linea, ita ut vere possim dicere: *Hic est linea*, et *hic*, et *hic*, cum tamen non demonstretur, nisi hoc vel alterum punctum (2).

Instabis 3.° Creet Deus Angelum in uno aliquo instanti, nam potest. Quæro utrum possit immediate post creare alterum, an non. Impossibile est dicere eum non posse creare. Quod si potest, aut in tempore, nempe in parte divisibili temporis, aut in instanti. Non in tempore, quia et angelus simplex est, ideoque totus simul creatur; creatio autem est actio instantanea, ut suo loco probatum est. Ergo jam habemus duo instantia immediata in tempore. Atqui quod de duobus instantibus, dicendum pariter de aliis multis, atque adeo de omnibus. Ergo tempus ex indivisibilibus constituitur.—**Resp.** «Tempus duplex est secundum Theologos, unum discretum, alterum continuum: in discreto possunt duo instantia esse immediata, in continuo minime. Posset igitur Deus immediate creare duos angelos, unum post alium respectu temporis discreti, sed non continui; repugnat enim, ut unum instans immediate continuetur aliis» (3).

Verum hæc et alia, quæ Soarez Iusitanus ac cæteri adversarii urgent contra infinitam successivi continui divisibilitatem, viderique possunt fusius pertractata apud Cardinalem Aguirre et Oviedo (4), satis demonstrant, quantis controversia hæc implexa sit difficultatibus. Fatendum quoque est quasdam contrariorum argumentorum solutiones, potius effugii, quam veræ solutionis, speciem fortasse præ se ferre.

(1) Apud Cardin. Tolet., loc. cit. post argum. 6.um. *Confirmatur.*

(2) Cardin. Tolet. ibid. *Ad sextum*, et *Ad Confirmationem.*

(3) P. Benedictus Pereira, Op. cit., libr. 10, cap. 14, ad 4.um

(4) *Physic.* controv. 17, punct. 6 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISPUTATIO TERTIA.

DE QUIBUSDAM MINUS PROPRIIS CONTINUÆ QUANTITATIS SPECIEBUS.

In recensendis speciebus quantitatis continuæ, permanentis et successivæ, locum meminimus, motum ac tempus, quas probavimus non esse veri nominis species quantitatis. Post disputationem, ergo de propria quantitate, operæ pretium est trium istorum continuorum tractationem aggredi, quorum frequentissima est et apud vulgus et apud Philosophos mentio, summique momenti accurata notitia.

CAPUT I.

DE LOCO.

Quanta sit loci spatique cum corpore connexio.

241. Arctissimam esse corporis cum loco necessitudinem et cognationem videmus omnes, nec necesse est rationibus comprobare. Si enim experientiam consulamus, profecto reperiemus, nullum existere corpus, quin sit in spatio aliquo (1): si quiescit, loco continetur; si movetur, unum locum vel spatium deserit, aliud diversum acquirit; nec potest unum corpus duo replere spatia vel in duobus locis consistere, nec e converso duo corpora in uno eodemque loco: unde unitas loci, unitatis corporis, diversitas locorum, distinctionis corporum semper habitum est naturaliter aut physice certum argumentum. Hæc tanta spatii locive connexio Kantium impulit, perperam sane nullaque vi consequentiæ, ut spatii repræsentationem tamquam formam subjectivam mentis nostræ venditaret. Verum non ita se res

Locus vel spatium una ex proprietatibus corporis.

(1) Quam ad rem sic habet S. Agustinus: *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt. et quia nusquam erunt, nec erunt.* Epist. 187 (al 57). cap. 6.

habet: quantum ex perpetua constantique inductione concludere licet, spatium quidem et locum cernimus et intelligimus ubicumque corpora nobis contuenda obversantur; at ex hoc, si verum est ac certissimum, ut est profecto, cognitiones nostras esse objectivas, id unum jure merito inferendum est, constitutionem vel positionem in loco spatiove esse unam ex proprietatibus, quæ corporibus competit ratione quantitatis.

ARTICULUS I.

Ratio loci et spatii enucleatur; ubi aliquid etiam de vacuo.

Quamquam spatium et locus sæpe pro eodem accipiantur, in usu tamen sapientissimorum Philosophorum distingui solent. Oportet ergo distinctas utriusque notiones enucleare.

§ 1.—QUID SIT SPATIUM.

Quid sit spatium.

242. Spatium concipimus vulgo instar capacitatis cujusdam in longum, latum et profundum, aptæ ad recipienda corpora: hoc pacto mundus creatus esse dicitur in spatio, et extra mundanam machinam, quam supra ostendimus non sese protendere in infinitum, adhuc longissima patere creduntur spatia, in quibus alia quoque nova corpora crearl, collocarique possent. Pari modo spatium quærimus ad extruendas domos, ad ambulandum; spatia replentur, exinaniuntur, amplificantur, contrabuntur, et si omnia corpora in nihilum abirent, spatia remansura esse intelliguntur, aliis novis capiendis parata. In quibus aliisque propositionibus idem semper menti occurrit conceptus receptaculi cujusdam, in quo locentur, vel certe locari queant corpora. At in explicanda natura et ratione spatii, mirum est, in quot abierint scriptores, potissimum recentiores, diversas opiniones (1). In primis Kantius omnem penitus objectivam realitatem spatio eripuit: voluit enim repræsentationem spatii, quæ perpetuo nobis intuentibus corpora obversatur animo, non obtineri

Opinio Kantii.

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 51, sect. 1, num. 10, 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

per experientiam, sed experientiam omnem antevertere, nec esse conceptum aliquem universalem, sed *puram intuitionem a priori*. Quia vero pura intuitio spatii a priori, experientiam omnem præcedens, nihil aliud esse potest, nisi modus quidam, quo animus noster ad ita præformandas objectorum repræsentationes conformatus est, tandem conclusit spatium non esse aliquid extra mentem existens, nec determinationem intrinsecam rebus, sed esse formam quamdam, quam induunt phænomena sensuum externorum seu conditionem subjectivam sensibilitatis, quæ sola possibilem efficit intuitionem exteriorem (1). Porro «repræsentatio spatii dicitur a Kantio *intuitio* seu *visio pura*; *visio*, quia non est apprehensio rei universalis, quæ de pluribus inferioribus dicatur, sed est apprehensio unius rei illimitatæ, cujus particularia spatia partes sunt, quæ illius circumscriptione determinantur: *pura*, quia non est ab experientia» (2). Verbo secundum Kantium spatium est figmentum mentis.

Cæteri fere realitatem objectivam spatio adseruerunt, quamvis eam mirifica varietate explicaverint; aliis realitatem spatii in aliqua entitate ab ipsis corporibus distincta, aliis in extensione corporea, vel sola vel cum aliquo respectu superaddito reponentibus. Ex iis tamen, qui spatium rem a corporibus penitus distinctam finxerunt: α) quidam, ut Henricus Morus (3), Newtonus (4), Clarke (5), aliique apud P. Salvatorem Roselli (6), dixerunt spatium esse ipsam Dei immensitatem: qua in re Newton eo usque progressus est, ut spatium vocaverit quasi *sensorium Dei* (7), quapropter longa

Newtonii et Clarkii

(1) Emmanuel Kant, *Æsthetica*, sect. 1.^a

(2) Cl. Palmieri *(Cosmolog.*, cap. 1, thesi VI, part. 6.^a), apud quem plura de hac re. Cfr. Gallupi *(Saggio filosofico*, lib. 3, cap. 10).

(3) *Enchirid. Metaphys.*, cap. 8.

(4) *Optic.*, quæst. 20.

(5) Vide inter Opera Leibnitzii p. 1, pag. 111 seqq.

(6) *Summa philosoph.*, tom. 2, quæst. 10, art. 1, num. 574.

(7) En ejus verba. «Annon sensorium animalium est locus, cui substantia sentiens adest, et in quem sensibiles rerum species per nervos et cerebrum deferentur? Annon ex phænomenis constat, esse ensintelligens, omnipotens, quod in spatio infinito *tamquam sensorio suo* res ipsas intime cernat, totasque intra se præsens præsentes complectatur?» (Newton loc. cit. pag. 215).

et acris exarsit inter Clarkium et Leibnitzium controversia, hoc impugnante, illo defendente, aut certe excusante, Newtonianam doctrinam modumque loquendi (1). Sententia ista spatium in divina immensitate sitam asserens, aliis quoque viris doctis tribui solet, ac nominatim Fenelonio, Cameracensi Præsuli (2) et P. Leonardo Lessio (3), immo et ex ipsis SS. Theophilo Antiocheno (4), Dionysio (5), quodque magis est, ex S. Paulo Apostolo (6) patrocinium sibi adscire audet. Eadem denique doctrina expresse propugnatur a P. Rhodes (7), Caramuel (8), et inter recentiores a P. Bayma (9). β) Alii (10) arbitrati sunt spatium esse nescio quid reale sempiternum, increatum et indestructibile, distinctum et a Deo et ab ipsis corporibus. γ) Tertio quidam alii spatium decreverunt esse substantiam quamdam, eamque primam, quam inter res extensas Deus creaverit (11). δ) Petro Gassendio spatium est ens quoddam incorporeum, quod neque substantia sit neque accidens, sed medium inter

et aliorum.

itemque Petri Gassendii,

(1) Quam controversiam lege, si lubet, apud Jacobum Balmes, *Filosofia fundamental*, lib. 3, in nota 2.^a a cap. 10.^um, quæ ad calcem secundi voluminis reperitur.

(2) In suo tractatu *de divina existentia et attributis*, e quo quædam loca excerpta videre potes apud Balmes (loc. cit. cap. 11).

(3) *De perfectionibus moribusque divinis* lib. 2, cap. 2, num. 10, 12.

(4) Deum esse *omnium locum* scripserat in lib. 2.^o *ad Autolicum*.

(5) *De divinis nominibus*, ubi S. Dionysius (cap. 1 fin.) Deum vocat *custodiam et domicilium omnium*, προυράν καὶ στέγην, et inferius (cap. 10) *continentem omnia ut omnium sedem omnicapacem*, συνέχουσαν αὐτὰ ὡς πάντων ἕδραν παγχρατῆ.

(6) Cujus hæc est sententia: *In ipso vivimus, movemur, et sumus*, *Act.* cap. 17, v. 28.

(7) *Philos. peripat.* lib. 2, disp. 4, quæst., sect. 2, paragr. 2.

(8) Apud Franciscum Soarez lusitanum, *Metaphys.* tract. 7, disp. 1, sect. 6, num. 180.

(9) *Philos. realis*, vol. 1, tract. III, cap. 1, num. 9, pag. 249, 250.

(10) Ita Orlandius in *Adnotationibus ad Physicen Musschenbroekii*, apud Roselli (loc. cit. num. 384, not.), A. Wissner apud cl. Pesch *(Philos. natur.* num. 451 in not.), et Hesiodus aliique veteres apud Aristotelem *(Physicor.* lib. 4, cap. 1), et S. Thomam (Ibid. lect 1.^a fin).

(11) Ita De Turre et Musschenbroeke, apud Roselli (loc. cit. num. 392 et 393 in not.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

utrumque. ε) Huc revocari possunt etiam opiniones veterum
et quorumdam veterum, quorundam Philosophorum, relatæ a Simplicio (1). Nam Proclus posuit spatium esse corpus quoddam inanimatum, indivisibile, immobile et immateriale. Alii, ut Chrysippus et Epicurus, quos refert Themistius (2), et Academici citati ab Alberto M. (3), spatium existimant esse non substantiam, sed solam quantitatem et dimensiones: idque tenuit etiam Galenus, quemadmodum testantur Simplicius ac Themistius, et post Galenum Philoponus (4).

Inter eos etiam, qui spatium in extensione corporea
Cartesii. constituunt, est aliqua varietas opinandi. Nam α) Renatus Cartesius videtur spatium in extensione absolute constituere; nam cum essentiam corporis posuisset in extensione, cumque spatium involvat in suo conceptu extensionem, tria hæc unum esse statuit, spatium, extensionem, corpus: unde ulterius vacuum spatium chimæram esse conclusit, quia videlicet si spatium omne extensionem importat, extensio vero est ipsum corpus, spatium fingere corpore vacuum, tantum valet, quantum corpus concipere sine corpore. Illud quoque præterea ex iisdem præmissis intulit, quod jam superius refutavimus, extensæ materiæ, atque adeo mundanæ molis, nullos esse limites (5). Doctrina ista spatium in extensione reponens, omissis tamen vel rejectis cæteris, quæ Cartesius addebat, capitibus de infinitate mundanæ extensionis ac de ejus identitate cum corporis essentia, placuit quoque Jacobo Balmesio, secundum quem ubi nullum
Balmesii, est corpus, nullum quoque est spatium, et ubi nullum intercedit corpus, nulla dari distantia potest (6) β) Alii
Leibnitii, videntur spatium in relatione aliqua reponere. Nam Leibnitzius (7), ut refert cl. P. De San, constituit spatium «*in*

(1) In digressione de *Loco*, quam fecit super 4.um lib. *Physicor.*
(2) In Commentariis in lib. 4.um *Physicor.*
(3) In lib. 4.um *Physicor.*
(4) Vide Cardin. Toletum. (*Physicor.* lib. 4, quæst. 3) et Rubium (Ibid. tract. de *Natura loci*, quæst. 1, num. 16, 17), et Benedictum Pererium (Oper. cit. libr. 11, cap. 4).
(5) Vide Cartesium. *Princip.* 2.a part. num. 10 seqq., 18 et 21.
(6) Op. et loc. cit. cap. 12.
(7) *Nouveaux essais sur l'entendement humain* lib. 2, cap. 13, num. 17.

ordine coëxistentium, nomine ordinis intelligens relationes distantiæ, ut ipsemet sese explicat» (1). Hanc eamdem sententiam paululum correctam vel explicatam videtur amplecti idem cl. P. De San, ex quo spatium «non est quælibet distantia, ut definere visus est Leibnitzius, sed voluminalis tantummodo, et quidem non alia, quam ea, cujus termini sint discreti a corpore inter eos intercepto» (2). Unde mox hanc ordine quartam statuit propositionem: «Spatium formaliter est intervallum sive relatio distantiæ voluminalis inter superficies vel partes superficiei, quæ locum constituunt intercedens» (3). Quare alibi consequenter docet locum se habere ad spatium, sicut concretum ad formam suam. Cum enim locus definiatur a cl. Auctore «immobilis corporis alicujus superficies, prouti inter hujus partes ratione partialium ubicationum eas diversimode ubicantium *tale intervallum sive talis distantia voluminalis intercedit, ut possibile sit corpus determinatæ molis inter eos mediare*» (4); efficitur, ut spatium sit quodammodo forma loci, quia est id, quo locus capax efficitur continendi aliud. Hæc doctrina videtur opinionem Leibnitzii cum opinione Scholasticorum in unum conjungere.

Quod enim spatium *consistat* in relatione nullibi recordor
et Scholasticorum. me reperisse apud veteres Doctores; at quod spatium sit intervallum inter superficies corporis aliud continentis existens, vel si mavis generalius, quod spatium sit intercapedo, quæ corpore occupatur, aut repletur, puto esse sententiam Aristotelis, eamque valde communem inter Scholasticos. Sane Aristoteles cum loci naturam investigat, excludit opinionem eorum, qui locum confundebant cum spatio (5), docetque locum esse superficiem corporis aliud continentis vel ambientis, nomine autem spatii intelligit intervallum, quod inter superficies corporis aliud continentis intercipitur, illud ipsum, quod corpore contento repletur. Ut in vase

(1) Cl. De San, Op. cit. num. 428.
(2) De San, loc. cit., num. 428 fin.
(3) Id. ibid. num. 444. Cfr. num. 415 et 401.
(4) Ibid. num. 412 et 416.
(5) *Physicor.* lib. 6, cap. 4. Cfr. ib. S. Thom., lect. 6; et in opusculo *de Loco*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aqua pleno et in cubiculo superficies interna parietum vasis et cubiculis sunt locus, spatium autem est intervallum inter illas superficies comprehensum, quod aqua repletur vel aëre vel alio quovis corpore, quodque vacuum foret, nisi aliquo corpore repleretur. Quo pacto spatium mundi est illa capacitas vel intercapedo et quasi vorago mundanis corporibus repleta, cumque ipsis quasi penetrata, et penitus commensurata, quæ ante creationem fuit de facto ac, destructo per Deum mundo, foret iterum inanitas quædam vacua easdem habens dimensiones in longum, latum et profundum, ac ipsa mundana moles nunc existens.

Eodem modo loquuntur interpretes Aristotelis, ut S. Thomas, Sotus, Conimbricenses, Toletus, Rubius, Mauri aliique (1), quin et aliquando indiscriminatim usurpant voces *spatium* et *intervallum* in hac materia. Simili modo passim loquuntur plurimi alii graves Auctores in sus operibus philosophicis, cum notionem loci describunt, diversasque circa ejus naturam opiniones referunt (2), itaque tum ii, qui locum putabant esse idipsum quod spatium, tum ii, qui spatium a loco distinguebant cum Aristotele ac S. Thoma, nomine spatii proprie intelligebant intervallum illud, quod corpore occupatur, quodque si nullum actu corpus adesset, vacuum et inane penitus foret (3) et hanc puto communissimam

(1) Vide illos in cap. 4.um libri 6.i *Physicarum*.

(2) Videntur tamen quandoque veteres auctores, etiam ii ipsi, qui distinguenda illa esse docent, pro eodem accipere spatium et locum. Sic S. Thomas, qui in *Quodlibeto* 6.° art. 3 negat locum esse spatium, alibi (1 p. quæst. 46 art. 1 ad 4.um et 8.um) videtur voces *locum* et *spatium* promiscue accipere. Ita etiam celebrem illam quæstionem, *utrum Deus sit in spatiis imaginariis*, quidam sic enuntiant: *Utrum Deus sit in locis imaginariis*. Vide v. g. P. Gregorium de Valentia (In 1.am part. disput. 1, quæst. 8, punct.), et Card. Aguirre (*Physic.* disp. 28, sect. 1).

(3) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 51, sect. 1, num. 9), Benedict. Pereira (*De communibus* etc. lib. 11, cap. 4), Complutenses (*Physic.* disp. 19, quæst. 1), Joannem a S. Thoma (*Physic.* quæst. 16, art. 1), Goudin (*Physic.* 1.a pars. disp. 3, quæst. 4, art. 1), Cardin Aguirre (*Physic.* disp. 25, sect. 1, num. 4), Mastrium (*Physic.* disp. 11, quæst. 1, num. 3), Rhodes (Op. cit. lib. 2, disp. 4, quæst. 1), etc.

inter Scholasticos opinionem. Hæc tamen non exhibent nisi spatium, quod particulare vel limitatum aut determinatum dici potest.

Quid spatium imaginarium.

Ad plenam autem hujus sententiæ declarationem, describendum quoque est spatium aliud longe familiarius apud Scholasticos, *imaginarium* nempe, quod et *absolutum* a recentioribus denominatur. Nos enim apprehendimus extra corporeum mundum innitatem quamdam et capacitatem plurium sine fine recipiendorum corporum instar tenuissimæ cujusdam extensionis quaquaversus in immensum diffusæ: hoc est spatium imaginarium. Illudque est, quod imaginamur rerum creationem præcessisse tamquam receptaculum aptum, in quo mundana machina collocaretur, illiusque partem certam in se ac determinatam replet, et occupat nunc mundus, æqualem suis dimensionibus, ita, ut adhuc extra ultimam superficiem mundanæ molis protendatur absque ullo termino inanitas locum relinquens infinitis alis mundis fabricandis, in quo proinde spatiari posset mundus iste, alioque, si Deus vellet, migrare. Unde sequitur intervalla omnia et spatia, quæ a quibuslibet mundi corporibus replentur, consideranda esse tamquam portiones majores aut minores absoluti et imaginarii hujusmodi spatii, in quo fluitat, ut ita dicam, totus mundus. Characteres proinde imaginarii spatii, prout a nobis apprehenditur, sunt, ut 1.° sit indefinitum ratione ejusque notæ. limitum, quia limites a nobis nulli in eo concipiuntur. 2.° ut sit indivisibile, seu cujus partes nequeant separari; quia si quas partes ab aliis separari fingamus, in hujusmodi spatio, inter eas sic separatas mens spatium interceptum percipit, quare impossibile est istud spatium ut discretum et non continuum imaginari. Possunt tamen in eo concipi partes distinctæ ac certas determinatasque inter sese habentes distantias et dimensiones, sicut in reali extensione. 3.° est immobile, nam omnem motum corporum fieri concipimus ab una parte spatii in aliam ita, ut sola corpora moveantur: nec possumus spatium aliquod apprehendere ut alio migrans, quin simul ibi, unde migratio proficiscitur, spatium adhuc manere concipiamus, fere sicut modo diximus de divisione imaginarii spatii. 4.° est quaquaversus penetrabile ac permeabile, nulli enim corpori resistit, sed omnibus patet, et ab

omnibus, quantum est in se, sinit se penetrare. 5.° denique quia corpora fiunt in spatio, illisque omnibus destructis adhuc remaneret inanitas illa vastissima, in qua possent, si de novo crearentur, corpora recipi; spatium hujuscemodi concipimus, ut initio carens ac fine durationis. Porro spatium istud imaginarium, ex communi Scholasticorum doctrina, nulla physica gaudet realitate, quamvis a nobis apprehendatur instar immensæ cujusdam extensionis in longum latum et profundum; et propterea etiam vocatur imaginarium, quia ratio ejus nequit intelligi a nobis, quin imaginatio phantasma extensionis cujusdam interminatæ suppeditet, et sic tamquam actuale aliquod repræsentare faciat id, quod nihil est actuale.

Quotuplex spatium.

Itaque ut omnia in summam redigamus, nomine spatii venit generatim capacitas recipiendi corpora; nam ubicumque potest corpus esse, ibi spatium adest. Dividitur in absolutum vel imaginarium et respectivum vel partiale. Respectivum vel partiale est quodvis determinatum intervallum aptum, ut corpore repleatur: spatium hujusmodi est majus vel minus pro majori vel minori corpore, quod continere queat, potestque augeri vel amplificari, et contrahi vel minui. Spatium imaginarium est illud, quod a nobis concipitur ultra mundi limites quaquaversus sese protendere sine ullo termino, immobile, indivisibile, infinita partialia spatia, quæ assignari possint, in se uno complexum, ut jam declaratum est. Vocari etiam solet a quibusdam *possibile* vel *ideale*, quatenus nihil habet actualitatis physicæ.

Spatio imaginario solet etiam contraponi spatium reale, illud nempe quod realibus terminis clauditur, quale est spatium hujus cubiculi, quod physica parietum extensione ac superficie terminatur. Spatium proinde hujusmodi est illud, quod continetur intra *locum realem*. Sunt tamen, qui spatium reale velint esse realem extensionem, et alii videntur cum ipso loco reali confundere seu cum superficiebus corporis, intra quas aliud continetur. Spatium reale vocant etiam quidam recentiores actuale, sive in actu secundo, sive in actu primo: spatium actuale vel actuatum in actu primo dicunt illud, quod non est repletum vel occupatum: tale foret spatium vacuum intra realem locum existens, ut si Deus destrueret aquam vel aërem, qui replet vas, vacua

capedine relicta. Spatium actuatum in actu secundo est illud, quod corpore aliquo repletum est: talia sunt omnia spatia, quæ in mundana mole reperiuntur, quia non datur actu locus reapse vacuus, licet vacuus videri possit, propterea quod corpore aliquo minus sensibili repleatur. Denique recentiores meminerunt etiam spatii *mathematici* et *physici:* mathematicum vocant extensionem abstractam; physicum, extensionem consideratam tamquam receptaculum capiendorum corporum.

Verum jam videndum est, quid rei sit spatium, judiciumque ferendum expositarum hactenus opinionum.

243. Propositio 1.a **Spatium non est subjectiva quædam forma externæ sensibilitatis, quemadmodum Kantius commentus est.**

Spatium non est subjectiva quædam forma externæ sensibilitatis.

Prob. 1.° Kantianum comentum idealismo innititur, aut certe ad idealismum adducit. Ergo rejiciendum est. **Prob. antec.** Nam non minus evidens est corpora esse in spatio posita, quam corpora existere, et extensa esse, ut cuivis propria experientia manifeste testatur. Ergo nemo potest asserere consequenter spatii repræsentationem esse pure subjectivam et phænomenalem, quin pariter in animo suo decernat realitatem sensibilium omnium repræsentationum respuere.

Prob. 2.° Animo nostro eodem permanente, repræsentatio spatii diversissima est pro diversitate corporearum magnitudinum, quas in illo collocatas cernimus secundum varietatem propemodum infinitam. Atqui si ex animi natura vel insita forma procedit spatii repræsentatio, ratio sufficiens tantæ diversitatis reddi nequit. Ergo...

Dices 1.° «Ut quædam impressiones referri possint ad res distinctas a me (i. e. ut haberri possint tamquam repræsentationes realium objectorum a me distintorum), et ut eas (id est objecta earum) possim mihi repræsentare, ut seorsim a seipsis existentes aut juxta positas, et idcirco non solum ut distinctas, sed etiam ut existentes in locis differentibus, oportet, ut antecedenter habeam ideam spatii. Nequit ergo idea spatii derivari ab experientia: immo experientia ipsa possibilis non est sine hac idea» (1).—**Resp.** *neg.* antec., quod gratis

(1) Ita Kantius loc. cit.

asseritur intolerabili dogmatismo. Sufficit enim sentiendi vis, ut partialia spatia concrete percipiantur simul cum corporum extensione ac realitate, situ locisque diversis. Qua posita experientia potest deinde intellectus ideam spatii in genere efformare, sicut reliquas omnes ideas universales, detractis notis individuantibus ac differentiis, quæ in particularibus spatiis cernuntur.

Dices 2.° «Idea spatii est repræsentatio *a priori*, quæ in nobis necessario existit. Nequit sane unquam concipi, quod spatium non sit, quamvis liceat cogitare, quod nullum objectum ibi reperiatur» (1).—Resp. *neg.* assertum. Ad probat. *dist.* assertum. Non possumus unquam concipere, quod spatium passibile non sit, *conc.*; quod spatium reale non sit, *neg.* vel *subdist.*; non possumus concipere, id est imaginari, *trans.*, nam imaginatio semper spatium repræsentat instar extensionis actu existentis. Non possumus concipere, id est intelligere, *neg.*

Dices 3.° Cum eodem. Spatium primitus nos apprehendimus ut unicum et infinitum; cum vero spatia plura nominantur, ea concipimus ut partes ac limitationes unius cujusdam spatii illimitati. Atqui α) nec partes spatii prævertere possunt spatium unicum, quod illas complectitur, ac si eæ forent ejus elementa constitutiva, quin possimus illas concipere nisi intra illud unicum spatium: β) nec ope experientiæ apprehenditur quidpiam infinitum. Ergo dicendum est repræsentationem spatii non esse empiricam, sed antevertere omnem experientiam (2).—Resp. *neg.* iterum antec., quod gratis et falso asseritur a Kantio, «Talis videlicet est cognitionis processus: *primo* empirice apprehendimus varia spatia finita: *secundo*, ex spatii sic sensibiliter apprehensi efformamus ope abstractionis conceptum spatii universalem, hoc est, talem qui præscindat ab hisce vel hisce determinatis terminis spatii: *tertio*, eo ipso quod conceptus iste universalis spatii est independens ab omni limitatione determinata, intelligimus ultra omne spatium, quod cogitamus posse extendi spatium majus, et sic applicatione conceptus universalis

(1) Id. ibid.
(2) Vide Kant loc. cit.

spatii efformamus conceptum spatii indefiniti» (1). Plura dabit cl. P. Pesch. (2); sed res vacat difficultate.

244. Propositio 2.ª **Spatium non est immensitas nec aliud attributum divinum, nec quidpiam reale sempiternum, increatum et indestructibile.**

Spatium non est immensitas.

Probatur prima pars: *Spatium non est immensitas nec aliud attributum divinum*. Spatium neque esse neque concipi potest nisi ut quidpiam extensum. Atqui immensitas vel aliud divinum attributum non potest esse, nec concipi extensum. Ergo.

Minor constat ex summa Dei simplicitate. **Major** vero manifesta est tum ex experientia tum ex ratione usque adeo, ut ipsam corpoream extensionem non aliter intelligamus, nec explicemus, quam per ordinem ad spatium, quia videlicet sunt in spatio circumscriptive, seu commensurando illud, adaptando se illi ita, ut totum corpus extensum sit in toto spatio æquali, et pars in parte.

nec quidpiam reale sempiternum.

Probatur secunda pars: *Spatium non est quidpiam reale sempiternum*, etc. Si spatium foret quidpiam reale sempiternum, increatum et indestructibile, vel esset ipse Deus vel aliquod ens a Deo distinctum. Atqui non Deus, ob rationem factam in prima parte. Non aliquid a Deo distinctum, quia repugnat præter Deum esse quidpiam ab eo independens in *esse*, atque adeo increatum et indestructibile; nec datur in rerum natura ullum ens creatum æternum, ut patet ex superius probatis circa mundi creationem. Ergo.

Dices 1.° Quidquid existit, vel existere potest, præsens est spatio. Sed solus Deus est ubique, ac proinde soli Deo præsentia sunt omnia quæcumque existunt, aut certe existere possunt. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Quidquid existit præsens est spatio, sive reali sive imaginario, *conc.*; spatio reali, *neg.*

Contradist. Soli Deo sunt præsentia omnia, quæcumque existunt, tamquam enti reali, *conc.* tamquam enti possibili vel imaginario, *neg.* Et *neg.* conseq.

(1) Cl. P. De San, *Cosmolog.*, num. 435.
(2) *Philos. natural.*, num. 458 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dices 2.º Spatium concipitur tamquam aliquid infinitum et prius omni re creata; nam quidquid creatur, in spatio constituitur. Atqui solus Deus est infinitus et prior omni re creata. Ergo spatium est ipse Deus.

Resp. *dist.* Major. Spatium reale concipitur tamquam aliquid infinitum prius omni re creata, *neg.*; spatium possibile vel imaginarium, *transeat*. Et *concessa* vel *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Addo præterea, spatium non apprehendi tamquam ens infinitum simpliciter et secundum essentiam, sicut Deus, sed secundum quid et secundum quantitatem vel extensionem, nec ut infinitum categorematicum, sed ut syncategorematicum seu indefinitum.

Dices. 3.º Si fingamus omnia in nihilium redigi, adhuc concipitur perstare immotum spatium cum sua immensa capacitate recipiendi possibilia omnia corpora. Ergo spatium est aliquid indestructibile et independens a Deo in *esse*.

Resp. *dist.* ant. Si fingamus omnia in nihilum redigi, adhuc perstat spatium reale, *neg.*; imaginarium vel possibile, *conc.*; et *neg.* conseq.

Dices 4.º Si Deus est immensus, debet esse ubique actu præsens. Atqui ubique esse non potest, nisi ab æterno adsit spatium quaquaversus diffusum. Ergo spatium et realitas aliqua sempiterna, increata et indestructibilis.

Resp. *dist.* Major. Si Deus est immensus, debet esse ubique, id est non habet præsentiam restrictam ad unum præ alio ex omnibus possibilibus spatiis, sed ad omnia illa applicatam, *conc.* Debet esse actu præsens ubique coëxistendo alicui realitati, *subdist.*: quando detur talis realitas, *conc.*; secus, *neg.*

Contradist. Minor. Deus ubique actu præsens esse nequit, coëxistendo ab æterno alicui realitati, nisi etc. *trans.*; coëxistendo alicui realitati tum solum, cum a Deo res creentur, *neg.* Et *neg.* conseq. Etenim aliud est Deum esse immensum, et aliud Deum actu esse ubique. Immensitas est attributum absolutum, quod æque salvatur, sive existant alia, sive nihil aliud præter Deum actu existat: in eo enim consistit, ut Deus exigat præsentem esse absque ulla sui mutatione rebus omnibus locisque creabilibus. Ad quod requiritur sane, ut Deus actu adsit, ubicumque aliquid creari potest: unde

quandocumque aliquid creatur et alicubi constituitur, Deus non tum incipit ibi esse, sed jam ab æterno erat, et solum incipit præsens esse vel coëxistere rei creatæ. Prius enim non præsens erat rei; non quidem ex defectu sui, sed ex defectu rei nondum existentis, quia nihil potest præsens esse vel coëxistere rei, quæ nondum existit; præsentia enim et coëxistentia relationem quamdam important, quæ utriusque extremi realitatem subaudit. Esse autem Deum ubique importat præsentiam Dei actu exhibitam aliis rebus, proinde supponit existentiam illarum per divinam operationem. Est ergo denominatio Deo conveniens ex tempore, et non ab æterno, sicut denominatio Creatoris ac Domini; nec absolute necessario convenit Deo, sed solum hypothetice, nempe supposito, quod sint alia, quibus præsentiam suam exhibeat. Verum de his in Theologia naturali (1).

Jam quod attinet Sanctorum testimonia, quæ pro se adducunt adversarii, primo quidem S. Paulus cum scripsit: *In ipso vivimus, movemur et sumus*, idipsum videtur expressisse, quod alibi de Deo docuit: *Portans omnia verbo virtutis suæ* (2), significans nempe Deum omnibus tribuere *esse*, omniaque virtute sua in *esse* continere, et omnibus vim agendi atque ipsam actionem largiri (3). In eodem sensu intelligi possunt SS. Theophilus et Dionysius, quia cum Deus omnia virtute sua teneat in *esse*, omniaque impleat excedendo præsentia sua, jure dici potest in aliquo sensu *sedes, domicilium, locus* et *custodia omnium:* unde etiam suadent scriptores ascetici, ut nos præsentes Deo cogitemus, quasi in medio pelago immenso totius *esse* constitutos. Et sic etiam exponit Dionysii doctrinam S. Maximus: *Deus*, inquit, *immensitate sua rerum omnium locus est, non ad modum corporum, sed in eis tamquam earum opifex agendo* (4). Cæteri auctores, ut Lessius, Fenelonius, Rhodes et Caramuel ita defendunt contrariam sententiam, ut minime velint Deo extensionem veri nominis ac partium diffusionem tribuere,

(1) Vide interea S. Thom. 1.ª dist. 37, quæst. 2, art. 3.
(2) *Hebr.* cap. 1, v. 3.
(3) Vide S. Joann. Chrysost. (hom. 38 in *Acta Apostolor.*), S. Thom. (1 p. quæst. 8, art. 1 ad 2.um).
(4) S. Maxim., In Cap. 1.um *d. divin. Nomin.*

et fortasse noluerunt quoad substantiam aliud significare præter id, quod alii significant, cum scribunt Deum esse in spatiis imaginariis, nempe Deum ratione suæ immensitatis actu esse, ubicumque aliquid creari potest: unde sequitur Deum quodammodo implere omnia immensitate sua, et ubicumque nulla creata entitas datur, ideoque qua lata patent spatia imaginaria, nihil esse reale et actuale præter divina mimmensitatem. Si autem reapse conceptum spatii, sive realis sive imaginarii, in divina immensitate repositam voluere, audiendi non sunt contra manifestam rationem et communem sensum doctorum pariter atque indoctorum hominum.

245. Propositio 3.ª **Spatium non est substantia prima inter extensas, quam Deus creaverit, nec omnino substantia, multoque minus quantitas vel dimensiones aliquæ reales, nec demum ens quoddam incorporeum, medium inter substantiam et accidens.**

Spatium non est prima substantia extensa a Deo creata.

Prob. prima pars: *Spatium non est prima extensa substantia, quam Deus creaverit, nec omnino substantia.* 1.° Nam ejusmodi substantia vel esset corpora vel incorporea. Si incorporea, non posset esse extensa, quale concipimus spatium: extensio enim proprietas est corporis. Si corporea, suam haberet quantitatem, ac proinde non posset cum corporibus compenetrari. Atqui spatium quaquaversus permeatur, penetraturque a corporibus in eo locatis. Ergo...

2.° Ideo spatium dicitur esse prima extensa substantia a Deo creata, ut videlicet cætera recipi, ac locari possint in illa. Atqui ipsa quoque primo creata substantia concipitur a nobis in spatio recipi, nec certe posset constitui, nisi ubi aliqua daretur capacitas receptiva.

nec quantitas abstracta.

Probatur secunda pars: *multo minus reponi potest spatium in quantitate vel realibus dimensionibus*, abstractis nempe ab omni corporea substantia. Nam tunc daretur accidens sine subjecto: quod naturaliter absurdum est. Jam videlicet probavimus superius, quantitatem esse accidens realiter distinctum a corpore. «Respondet Philoponus, quod illa quantitas semper est cum corpore locato aliquo.—**Ista responsio nulla est:** nam vel est in eo ut in subjecto inhæsive, vel non. Si non, jam idem est inconveniens. Si autem sic, cum postea

eadem quantitas (nempe spatium) maneat recedente illo corpore (ut v. g. cum in eodem spatio vasis aër recedit, ut locum relinquat aquæ vel vino, quod in illud infunditur), datur unum accidens, quod migrat de subjecto in subjectum» (1); quod absurdum esse probavimus in *Ontologia* (2).

nec ens incorporeum medium inter substantiam et accidens.

Probatur tertia pars: *Spatium non est ens aliquod incorporeum medium inter substantiam et accidens.* 1.° Repugnat ens, quod nec sit substantia nec accidens: nam ens, ut demonstratum in *Ontologia* est (3), adæquate dividitur in substantiam et accidens. Ergo repugnat pariter Gassendianum commentum. 2.° Præterea spatium trine dimensum a nobis concipitur. Atqui ens incorporeum nulla, nedum trina, dimensione potitur. Ergo,

Dices. Angelus vere dicitur esse in spatio. Atqui nisi spatium esset incorporeum, non posset angelus esse in spatio. Ergo.—**Resp.** *dist.* Angelus vere dicitur esse in spatio definitive, ita ut intra spatium, in quo suam exercet virtutem, sit totus in toto ac totus in singulis spatii partibus, *conc.*: circunscriptive, seu commensurando suas partes partibus spatii, *neg.*; nam nullas habet Angelus partes. Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. (4).

246. Propositio 4.ª **Spatium non consistit formaliter in ipsa corporea extensione vel in continuata serie corporum extensorum nec in relationibus distantiæ, quæ adsint vel adesse possint inter corpora eorumve superficies, inter quas contineri aliquid queat.**

Spatium non consistit in ipsa corporea extensione.

Probatur prima pars: *Spatium non consistit in ipsa corporea extensione.* 1.° Si spatium formaliter situm esset in ipsa corporum extensione, eadem utrique prædicata convenirent. Atqui spatio et corporum extensioni, prout concrete in illis reperitur, non eadem, sed diversa conveniunt prædicata. Nam spatium *continet* extensionem corpoream, hæc

(1) Card. Tolet., *Physicor.*, lib. 6, quæst. 1, *Secunda conclusio.*
(2) Vide *Ontologiam*, num. 315, pag. 909, *respons. ad Object.* 5.um
(3) Vide *Ontolog.* num. 265, pag. 762.
(4) Cfr. plura apud P. Salvatorem Roselli, *Summ. philos.*, tom. 2, quæst. 10, art. 3 et 4. Et vide etiam Suarez, *Metaphys.* disp. 51, sect. 1, num. 10, 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vero *continetur;* spatium *repletur, occupatur,* corpora ratione suæ extensionis *replent, occupant:* spatium concipitur, et potest etiam esse vacuum, et non impletur nisi adventu alterius realitatis, nempe corporis extensi, at ipsum corpus extensum nec esse, nec concipi ut vacuum potest. Jam vero hæc omnia et alia id genus, quæ adduci possent, diversa seseque invicem excludentia prædicata sunt. Ergo nisi velis corpus extensum seipsum continere, replere et occupare, spatium non consistit in extensione.

Dices. Id, quod concipitur a nobis ut *continens* et ut *implebile*, dici potest esse spatium possibile vel possibilitas extensionis; quod vero aprehenditur ut *contentum* et *impletum*, esse spatium reale seu extensio realis. Ergo verum non est inter extensionem realem et spatium item reale intercedere ullam oppositionem.—**Resp.** *neg.* antec. Nemo enim concipit extensionem actualem et realem recipi et contineri in extensione possibili, quia extensio realis et possibilis sunt eadem res in diverso statu.

Prob. 2.° Extensio corporea prout talis, sive secundum quod est a parte rei, sive secundum quod a nobis apprehenditur, nihil amplius importat nisi positionem partium extra partes. Atqui nemo concipit spatium solummodo tamquam positionem partium extra partes. Ergo nequit spatium reponi formaliter in corporea extensione.

Mitto cætera, quæ addidit Cartesius de impossibilitate vacui ac de corporis essentia, quæ alibi profligata sunt (1), nec necessario connectuntur cum opinione spatium in corporea extensione reponente.

nec in relationibus distantiæ inter corpora eorumve superficies.

Probatur secunda pars: *Spatium formaliter non consistit in relationibus distantiæ, quæ adsint vel adesse possint inter corpora eorumve superficies.* Ratio eadem est, quam contra præcedentem opinionem ursimus. Nam diversa sunt prædicata, quæ spatio ac prædictis relationibus attribuuntur. Nempe spatium est, et concipitur potius tamquam ratio fundandi relationem inter extremas illius superficies, quam instar formalis relationis. Unde etiam subjectum, in quo sunt relationes distantiæ, est extremum vel superficies ab alia distans

(1) Vide supra num. 20, et lib. 2, disp. 1.

ratione interpositi intervalli; at certe spatium non habet subjectum, in quo sit. Præterea spatium est æquale corpori locato, relationes autem non possunt dici corpori æquales. Denique potest concipi spatium, quin importet ullam relationem distantiæ inter ulla corpora vel superficies, ut accidit in conceptu spatii possibilis et imaginarii, indefiniti, in quo certe nulli possunt concipi limites, intra quos coërceatur.

Dices 1.° Extensio re vera est receptaculum corporum, immo vero sine extensione non concipitur spatium.

Resp. 1.° Quamvis extensio foret corporum receptaculum a parte rei, adhuc non sequitur spatium formaliter consistere in extensione: nam extensio, qua talis, non importat nisi partium extra partes positionem; id autem solum non est formalis ratio spatii. **Resp. 2.°** *dist.* primum membrum asserti. Extensio realis re vera est receptaculum corporum, si vacuum habeat, vel habere possit, *conc.;* secus, *neg.* Extensio namque realis et actualis importat impenetrabilitatem: ubi autem adest impenetrabilitas, nequit dari capacitas receptiva alterius corporis, nisi recedente priore. Unde in vase non datur capacitas receptiva aquæ vel alterius liquoris, nisi quatenus vacuum est: quod si plenum est, eatenus dumtaxat recipere aliquid potest, quatenus prius exinanitum, locum relinquat alteri corpori capiundo.

Distinguo etiam alterum membrum. Sine extensione reali non concipitur spatium, *neg.*, sine extensione possibili; *subdist.:* id est non concipitur spatium, quin intelligamus dari vel poni in eo posse extensionem aliquam, *conc.:* id est ipsam possibilem extensionem apprehendimus ut spatium vel ut elementum spatii, *neg.;* vel si vis iterum *disting.;* ex lusu imaginationis, unde nomen habuit spatium imaginarium, *conc.;* ex decreto rationis, *neg.*

Dices 2.° Mutata relatione rerum simul existentium, mutatur spatium; manente relatione, idem manet spatium. Ergo in relatione rerum simul existentium consistere spatium dicendum est.—**Resp.** *neg.* antec., vel si mavis *disting.* primam partem. Mutata relatione etc., mutatur in seipso formaliter spatium, *neg.:* mutatur spatium prout occupatum, vel spatii occupatio diversa est, *conc.* Et *neg.* conseq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dices 3.° Eo ipso quod res occupat spatium, cogitamus eam sub relationibus ad alias res. Ergo in prædictis relationibus situm est spatium.—**Resp.** 1.° *dist.* antec. Eo ipso quod res occupat spatium, cogitamus eam sub relationibus ad alias res, si existant, *conc.*, secus, *neg.* Nonne posset Deus unum tantum corpus creare? et nonne tale corpus occuparet spatium? Atqui tamen in ea hypothesi nullam realem ad alias res relationem corpus illud haberet.—**Resp.** 2.° Transmisso antecedente, *neg.* conseq. Nam relationes illæ coëxistentiæ vel distantiæ, etc., rei in spatio existentis fundantur in ipsa rei entitate vel positione locali, quam proinde prævie præsupponunt. Ergo nequit spatium in illis consistere.

Dices 4.° «Nomine spatii formaliter et directe omnes apprehendunt aliquid, quod si minus per se et ab intrinseco, saltem per extrinsecam denominationem, sit mensurabile secundum tres dimensiones. Non autem superficiei ambienti, sed solummodo relationi distantiæ, quæ ad eam consequitur, competit, ut hoc modo mensurabilis sit» (1).—**Resp.** *neg.* conseq. Nam etiam substantiæ corporeæ convenit per extrinsecam denominationem, nempe ratione quantitatis, ut sit mensurabilis secundum trinam dimensionem; ipsi vero quantitati cuivis reali extensioni idem convenit per intrinsecam denominationem. Ergo si hæc ratio arguendi valet, eodem jure concludendum erit rationem formalem corporis et quantitatis esse sitam in relatione distantiæ voluminalis. Quod ergo spatium vel intervallum corpore replebile possit mensurari secundum trinam dimensionem, minime probat illud formaliter in relatione distantiæ consistere. Cum potissimum ipsa formalis relatio distantiæ nequeat mensurari secundum trinam dimensionem, non enim est quantitas, nec habet quantitatem; sed tantum mensuratur id, quod intercedit, vel potest intercedere medium inter extrema, et consequenter mensurari potest vacuum ipsum, quod forte intersit; tantum enim est vacuum, quantum corpus, quod capere potest. Jam vero nihil horum est ipsa formalis relatio, sed tantum ratio fundandi relationem distantis inter extrema quævis assignabilia, quæ non se tangant, et inter quæ medium aliquid

(1) Ita cl. P. De San, *Cosmolg.* num. 444. *Primo, ex eo quod...*

interest, vel certe interesse potest. Et prout illa ratio fundandi varias importet dimensiones, relatio distantiæ inter extrema variatur. Quamvis ergo spatium sit intervallum vel receptaculum quoddam, minus recte dicitur consistere formaliter in relationibus distantiæ, sive linealis sive voluminalis. Cum potissimum concipi possit spatium vel receptaculum, quin concipiantur extrema vel termini ejus, qui relationem distantiæ habeant, ut accidit in spatio universalissimo et imaginario, in quo nulli certi termini vel distatiæ assignantur; ubi enim termini et distantiæ determinantur, non jam spatium in genere nec imaginarium, sed particulare dumtaxat obtinet.

Dices 5.° «Omnes aliquatenus distinguunt inter spatium et superficiem continentem, hanc apprehendendo tamquam *id, quod terminat spatium*. Est ergo spatium formaliter distantia voluminalis inter definitos terminos, qui sunt superficies vel partes superficiei, intercedens» (1).—**Resp.** *Concedo* totum, dummodo non concludas spatium consistere in formali relatione distantiæ. Antecedens enim solum probat aliud esse *locum*, id est, superficiem continentem, et aliud *spatium*, id est capacitas receptiva vel intervallum existens inter superficies: ex hoc autem minime sequitur esse formaliter relationem.

247. PROPOSITIO 5.ª **Spatium est capacitas recipiendorum corporum vel extensionis: quæ capacitas, quantum est de se, nihil est actuale, non tamen est incompossibile cum ente actuali; unde generatim sumptum dividi potest in reale vel plenum ac possibile vel inane aut vacuum. Spatium autem quod vocant imaginarium quoad rem ipsam non est, nisi spatium possibile nullis circumscriptum limitibus, quod per lusum imaginationis apprehenditur instar realis et actualis cujusdam extensionis, ac proinde prout ita apprehensum, est ens quoddam rationis cum fundamento in re.**

Spatium est capacitas

Probatur prima pars: ex communi omnium sensu. Nam ubicumque locari corpus potest, ibi spatium esse dicere

(1) Ita idem clarus scriptor, ibid. *Secundo idem patet.*

recipiendorum corporum:

solemus, et vicissim ubi nequit locari corpus, negamus spatium esse, vel dicimus spatium esse ocupatum; si autem corpus, quod replet spatium, alio amoveatur ita, ut remaneat amplitudo vacua, quam corpus novum subintrare queat, dicimus fieri spatium. Quæ omnia probant affatim communem hunc esse modum apprehendendi spatium, ut sit capacitas recipiendi corpora vel realem extensionem.

et de se nihil actuale est.

Probatur altera pars: *spatium, quantum est de se, nihil est actuale.* 1.° Si spatium foret aliquid actuale, vel esset aliquid divinum et increatum, vel creatum. Et si creatum, aut incorporeum aut corporeum; et si corporeum, vel substantia vel accidens, ac potissimum quantitas et extensio aliqua subtilissima. Atqui hæc omnia exclusa manent in superioribus. Ergo.....

Prob. 2.° Si spatium per se esset aliquid actuale, non posset dari spatium inane, quod nihil sit actu. Atqui dari possunt, ac porro dantur spatia inania. Nam potest Deus annihilare aërem vel quodvis aliud corpus, quod opplet vas vel cubiculum vel athmosphæram, nullo alio in ejus locum surrogato corpore: tunc autem daretur intra vas vel cubiculum vel in athmosphæra spatium penitus inane. Præterea ultra mundanam machinam, quam superius probavimus infinitam non esse, dantur spatia inania aliis mundis, qui creari a Deo possent, recipiendis apta.

Prob. 3.° Omnes concipiunt spatium tamquam receptaculum corporis, trinam habens dimensionem, quaquaversus permeabile et aptum, ut in eo moveatur corpus, illudque ita replens, ut spatium repletum æquet corpus, a quo replet̃ur, et totum corpus sit in toto spatio, et pars in parte, et interiores partes corporis in interioribus partibus spatii, et sic corpus quodammodo sit cum spatio compenetratum. Atqui hæc omnia perfectissime quadrant in inanem concavitatem, ut per se patet.

patitur tamen secum ens actuale.

Probatur tertia pars: *spatium non est incompossibile cum ente actuali.* Nam secus corpus, et generatim ens actuale, non posset esse in spatio, nec ei adaptari, et cum ipso quasi compenetrari. Atqui contrarium patet experientia, nec potest actuale corpus esse nisi in spatio. Ergo spatium quamvis non sit ens actuale, non tamen pugnat cum ente actuali, sed

amice stat cum illo. Unde etiam confirmatur præcedens pars propositionis, quia nisi vellis spatium esse divinum aliquid, vel incorporeum, vel qualitatem aliquam, necesse est dicere illud ex sese non esse aliquid actuale. Nihil enim actuale in genere corporis et extensionis potest secum pati consortium et compenetrationem et quasi commixtionem cum corpore et extensione, qualem patitur spatium.

Discrimen inter spatium et vacuum.

Hinc etiam patet discrimen, saltem rationis et secundum modum concipiendi et loquendi satis communem, inter spatium et vacuum vel inane. Nam vacuum et inane, si repleatur corpore, jam desinit esse, et vocari vacuum vel inane: at vero spatium tametsi repleatur, non omnino desinit appellari spatium. Quamvis enim sæpe cum spatium est actu occupatum, dicitur non esse, spatium; at sæpe alias loquimur de *spatiis repletis et occupatis*, quin tamen hæ locutiones absurdæ habeantur aut contradictoriæ, sicut absurdum et contradictorium habetur *vacuum plenum* vel *repletum*. Quare crediderim significationem et vim vocis spatii *analogiam* quamdum servare in hac parte cum vocibus *possibile* et *possibilitas* præcisive sumptis. Quemadmodum enim in *Ontologia* notavimus (1), id differunt *pure* possibile ac *præcisive* possibile; quod pure possibile importet præsentem carentiam actualitatis et existentiæ, secus vero præcisive possibile, quod cum non importet nisi aptitudinem ad existendum, prædicari potest non solum de actu non existentibus, sed etiam de actu existentibus. Simili quodam modo inane quidem et vacuum pugnat cum corpore, quo actu repleatur; spatium vero talem importat capacitatem et non repugnantiam corporis, ut in sua generali ratione nec exigat actu occupari, nec carere corpore et actuali extensione. Unde patet

Spatium generatim sumptum dividitur in reale et possibile.

Quarta pars propositionis. Nam spatium reale dici videtur ab auctoribus spatium actu occupatum vel plenum aliquo corpore, vel illud, quod naturaliter est intra *locum* vel superficies continentes, vel continere valentes, aliud corpus. Talia sunt omnia spatia intra mundanam molem existentia. Ita enim sunt in mundo corpora ordinata, ut dimensiones

(1) *Ontolog.* num. 233, pag. 645.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ac superficies unius contineant, vel continere, ac circundare possint alia corpora, donec veniatur ad extimam superficiem totius machinæ mundanæ, quæ nulla alia ulteriori realis corporis superficie circumscribitur. Et quoniam in hoc mundo non videtur dari vacuum, sed omnia sunt corporibus magis minusve subtilioribus oppleta, sequitur intra mundum omnia intervalla intra superficies locorum interjecta, nempe spatia, de facto repleta reapse esse. Quamvis enim plura vulgo spatia vacua putentur, vel etiam dicantur, non tamen vere vacua sunt, sed tantum apparenter, quia nempe insensibili vel parum sensibili corpore occupantur: talia sunt vasa et concavitates atque athmosphæra. Unde etiam repleri dicuntur, quando amoto corpore, quo prius occupabantur, aliud in ejus locum substituitur.

Unum tamen probe notatum volo, spatium, quod reale dicitur, nullam re vera realitatem importare contradistinctam vel a terminis ejus, id est a loco, intra cujus superficies intercipitur, vel ab ipso reali corpore aut extensione, a qua repletur; et ratio est, quia jam ostensum est intervallum capax recipiendi corpora seu spatium, quantum est de se, nihil esse actuale: unde spatium et corpus replens illud non sunt duo entia realia. Quapropter nequit etiam capacitas, quam importat spatium, concipi instar potentiæ alicujus physicæ receptivæ corporis, quia spatium ex sese, et prout contradistinctum a loco et corpore replente atque occupante, nihil reale est. Spatium itaque, quod *reale* dicitur, nisi me fallit opinio, non videtur intrinsece denominari reale, per aliquam nempe realitatem sibi propriam, sed extrinsece dumtaxat ac per ordinem ad reales loci superficies, a quibus terminatur, vel ad realem extensionem, qua repletur. Spatium porro inane vel possibile est intervallum, quod non occupatur reali et actuali extensione, nec terminatur ad reales corporum superficies: cujusmodi est capacitas aliorum locandorum corporum, quæ adest ultra mundi machinam.

Spatium imaginarium extensio rationis.

Probatur quinta pars: *spatium imaginarium est ens rationis cum fundamento in re.* Nam spatium imaginarium est capacitas vel possibilitas locandorum corporum, quæ præcessit mundi creationem, et nunc etiam adesse intelligitur ultra limites mundanæ molis instar subtilissimæ cujusdam

extensionis indefinitæ, indivisibilis, immobilis, quaquaversus penetrabilis aut permeabilis, prout superius declaratum reliquimus. Atqui ejusmodi spatium nequit esse aliquid actuale ac reale. Ergo debet esse ens rationis. Atqui non est ens pure confictum ab intellectu. Ergo debet esse ens rationis cum fundamento in re.

Minor constat ex prima parte hujus propositionis. Quia si spatium generatim sumptum nequit esse ex sese reale quiddam, multo minus spatium imaginarium. Sane spatium istud concipitur esse: α) nullis terminatum limitibus: β) ultra limites mundi sese protendens in infinitum: γ) ante mundi creationem existens. Atqui nihil reale datur: α) carens limitibus secundum extensionem, ut alibi probatum est contra Cartesium (1): β) nihil item reale existit ultra mundanam machinam, saltem præter Deum et substantias immateriales: γ) denique ante mundi creationem nihil existebat, nisi solus Deus.

Prima consequentia manifesta est, si *ens rationis* sumatur per oppositionem ad ens actuale seu actu existens, ut hic sumitur.

Minor subsumpta etiam probatur, quia in spatio imaginario duo possunt considerare: primo phantasma extensionis cujusdam subtilissimæ in infinitum diffusæ, indivisibilis, permeabilis atque immobilis; et secundo realis extensionis possibilitas, vel potius possibilis ubicatio corporis vel extensionis realis, quam late diffundi fingitur per imaginationem tetrum illud spectrum extensionis. Jam primum quidem horum duorum est purum figmentum, alterum vero non: quia quamvis extra mundum, ubi fingitur phantasma extensionis cujusdam actualis, re vera non datur ulla extensio physice existens, at certissimum est posse, qua late patet fictitia illa extensio, et in quacumque ejusdem assignabili portione, veram ac realem actu physice existentem extensionem collocari, sicut de facto locatus est a Deo hic mundus. Et præcise quia novit mens nostra posse ubicumque dari realem extensionem, phantasia figmentum illud procudit, umbris inanibus solidum corpus extensionemque nullo fine diffusam

(1) Vide supra, num. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

attribuens. Quamobrem spatium imaginarium continet quidem figmentum, sed non est purum figmentum, et figmentum ipsum, quod importat, fundatur in realis extensionis possibili ubicatione, vel ut alii loquuntur, in possibili extensione (1).

COROLLARIUM. Patet hinc in idem recidere doctrinam Cardin. Lugo (2), Sylvestri Mauri (3) aliorumque, dicentium spatium imaginarium reipsa non esse aliud, quam complexum et summam possibilium omnium ubicationum, quæ corpori competere queunt. Nam ubicumque corpus habere suum *ubi* potest, ibi est spatium aliquod, sive detur realis locus et realis superficies continentes, sive non. Nam intra hunc mundum corpora omnia ubicantur in realibus locis; at ipse mundus secundum extremam superficiem suæ molis, non habet realem locum, sicut nec etiam haberent res, quæ extra mundum locarentur in immensa illa inanitate, quam spatium imaginarium dicimus. Quia ergo ibi nihil actu est ubicatum, at ubicari posset in quacumque designabili parte, ideo spatium imaginarium in se complectitur omnes possibiles ubicationes.

Quædam difficultates solvuntur.

248. **Objic. 1.°** Spatio conveniunt prædicata realia et positiva, qualia sunt habere trinam dimensionem, esse mensurabile, æquale corpori locato, etc. Atqui illud, cui realia prædicata conveniunt, reale sit, oportet. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Spatio conveniunt prædicata realia, id est non pure conficta a mente, *conc.*; id est, actualem ac physicam existentiam importantia, *subdist.*: spatio imaginario, *neg.*: spatio reali vel etiam spatio in genere: iterum *disting.*: per se et per intrinsecam denominationem, quatenus spatium, prout contradistinctum et independenter a corpore ubicato ac replente, sit subjectum realium prædicatorum, *neg.*; per extrinsecam denominationem et ordinem ad corpus ubicatum, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *neg.*

(1) Vide Suarez. *Metaphys.* disp. 51, sect. 1, num. 24. Cfr. Losseda *Physic.* tract. 3, disp. 2, cap. 1, initio.

(2) *De Eucharist.* disp. 5, sect. 6, num. 148 seqq.

(3) *Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 27, ad 3.um

conseq. Non enim potest habere in se ac per se reales dimensiones, nec proprie mensurari, nec æquale esse, nisi quod in se quantum et extensum est. Jam autem demonstratum est spatium, prout a corpore vel extensione in eo locata distinguitur, non esse quantum nec aliud quidpiam actuale. Dicitur nihilominus, et concipitur habens trinam dimensionem et mensurabile, quia tale est corpus in eo locabile; et propterea etiam concipitur ut illi æquale.

Objic. 2.° Corpus vi suæ extensionis replet, vel occupat partem spatii. Atqui quod nihil est actuale, nequit repleri vel occupari. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Corpus vi extensionis suæ replet, vel occupat partem spatii realis, nempe inter superficies loci realis intercepti, *trans.* vel *conc.*; partem spatii possibilis vel imaginarii nullisque realibus superficiebus circumscripti, *subdist.*: in rei veritate ac proprie, *neg.*; secundum nostrum modum concipiendi, *conc.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Proprie non repletur, nisi quod habet capacitatem per modum *potentiæ physicæ* receptivæ: quo pacto vasa et loci replentur proprie, et occupantur a corpore in eis ubicato, illudque physice ac realiter continent, ac circumscribunt. Inde autem mens et imaginatio nostra capiunt ansam, ut quidquid ubilibet constituatur, etiamsi nulla ibi realis extensio nullumve corpus præcedat, repræsentent quasi replens locum aliquem realem ibidem existentem, quamvis reapse nihil sit actuale, sed solum inanitas quædam, quæ jam desinit esse eo ipso, quod ibi constituitur corpus; et vicissim quia videmus in hoc mundo nonnisi in loco et reali receptaculo recipi corpora, ubicumque corpus aliquod ubicari potest, fingimus locum, qui replendus et occupandus sit instar vacui cujusdam vasis.

Objic. 3.° Duo entia, quæ interposito spatio separantur, vere distant inter se, nec disinerent distare, quamvis in nihilum verteret Deus omne corpus, quod intermedium hujusmodi spatium occuparet. Atqui id dici non posset, nisi spatium per se et ex se reale quidpiam esset. Nam distantia, qua duo illa entia invicem separarentur, tandem realis quædam esset relatio; fundamentum autem talis relationis aliud non daretur præter spatium interjectum. Atqui ad realem

relationem prædicamentalem requiritur præter realia extrema relata reale fundamentum. Ergo spatium illud necessario reale quiddam esse debet.

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor. Ad cujus probationem *dist.* Minor. Ad realem relationem prædicamentalem requiritur fundamentum reale, quod nempe sit aliquid independens a mentis consideratione, *conc.*, quod sit necessario entitas quædam actualis et physice existens, *neg.*; et *neg.* conseq. Nam etiam duo cæci realem inter se habent similitudinis relationem, fundatam in cæcitate, quæ certe nihil est rĕalis, positivæ ac physicæ entitatis, sed sola privatio. Cur ergo duo entia spatio, quod nihil actuale ac physicum sit, separata, non possint habere realem relationem? Nam si spatium intercedit, possibile est inter duo illa entia, absque ulla sua mutatione locali, realem extensionem interponere, ac proinde diversas ubicationes habent, atque adeo nequeunt non realiter distare.

Objic. 4.° Si spatium non est aliquid actuale, importaret negationem corporis. Atqui hoc absurdum est. Nam secus non posset dari spatium reale nec plenum, negatio enim non cohæret cum forma, quam negat. Datur autem, fatentibus omnibus, spatium reale ac plenum. Ergo.

Resp. *neg.* Major., nam vel sermo est in objectione de spatio in genere, vel de reali vel de imaginario. Si de spatio in genere, id quidem dicitur non esse aliquid actuale; non tamen in quantum importet positive negationem corporis, sed in quantum non requirat ad sui rationem actualitatem physicam, quia solam importat capacitatem recipiendi corpus, vel ubicabilitatem corporis, modo jam declarato: hæc autem capacitas non necessario importat negationem corporis, sed præscindit ab hoc, quod corpore repleatur actu, vel non. Si sermo est de spatio pleno ac reali, non importat negationem, sed præsentiam corporis, et propterea habet quamdam actualitatem, quamvis tota ejusmodi actualitas non sit intrinseca spatio, sed in illud refundatur ex corporis replentis vel loci realitate. Denique spatium imaginarium negat quidem corpus; sed si mox corpus reale in ipso constituatur, desinit esse spatium imaginarium, et fit reale (1).

(1) Cfr. plura apud cl. P. De San, *Cosmolog.*, num. 447 seqq.

§ II.—QUID SIT LOCUS.

Quid locus

249. Variæ fuere veterum opiniones circa naturam loci (1). Quidam enim putarunt locum esse ipsum prædicamentum *Ubi* seu præsentiam localem. Alii contenderunt locum esse idem, ac spatium, nempe secundum quosdam spatium imaginarium, secundum alios spatium reale. Communis autem Scholasticorum sententia locum reponit cum Aristotele in superficie corporis aliud continentis et ambientis. Idque facile probari potest. Locus enim vel est ipsum *Ubi*, vel spatium, sive imaginarium sive reale, vel corpus aut extensio replens spatium illud, vel intervallum existens inter superficies aliorum corporum circumstantium, vel denique ipsæ hujusmodi superficies. Nihil enim præter hæc cum aliqua probalitate assignari potest. Atqui locus nec est *Ubi*, nec spatium, nec corpus replens illud. Ergo relinquitur, ut aliud esse non possit præter superficiem corporis ambientis.

ex communi Scholasticorum doctrina.

Locus non est confundendus cum prædicamento *Ubi*.

Probatur Minor. El primo quidem locus non est confundendum cum ipso prædicamento *Ubi:* prædicamentum enim *Ubi* latius patet, quam locus proprie dictus, ut jam probatum reliquimus in *Ontologia* (2), quamvis sæpe vulgus videatur utrumque permiscere. *Ubi* enim convenit omnibus entibus creatis sive corporeis sive spiritualibus, quia omnia sunt *alicubi*, ac proinde omnia suum habent *Ubi;* at vero locus stricte sumptus est proprius tantum corporum. Præterea prædicamentum *Ubi*, vel præsentia localis, vel ubicatio, secundum nostram sententiam ibidem in *Ontologia* propugnatam, est modus ipsius rei ubicatæ, ideoque est in ipsa re ubicata, locus vero non est modus rei locatæ, nec est in illa, sed e converso res loco. Accedit, quod corpore quiescente, posset Deus locum vel corpora omnia circumstantia penitus destruere, Atqui tum corpus illud idem *Ubi* retineret, non tamen esset proprie in loco. Quare ut omnis ambiguitatis occasio præcidatur, prædicamentum *Ubi* cum

(1) Vide Card. Tolet. (*Physicor.* lib. 4, quæst. 3 et 4), Conimbric. (ibid. cap. 5, quæst. 1, art. 1), Rubium (ibid. tractat. *de natur. loci*, quæst. 1), Suarez (*Metaphys.* disp. 51, sect. 1), Complutenses (*Physic.* disp. 19, quæst. 1).

(2) Vide *Ontolog.* num. 371, pag. 1062 et 1063.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Locus intrinsecus

pluribus veteribus vocari potest *locus intrinsecus*, quia nempe est aliquid in ipsa re existens tamquam modus ejus (1), et nos nunc non loquimur de hoc, de quo jam egimus in *Ontologia*, sed de loco physico et corporeo, qui sub nomine loci simpliciter significatus est ab Aristotele, et passim a Philosophis etiam significatur, quamquam ad distinctionem prædicamenti. Ubi a multis vocatur *locus* extrinsecus. Si cui tamen minus arrideant nomina intrinseci et extrinseci loci, nolo litem de voce movere: hoc unum contendo, locum, de quo nunc agendum est, non esse idem prorsus, ac *Ubi* prædicamentum, quod in *Ontologia* declaratum manet (2).

et extrinsecus.

Locus non est spatium, sive imaginarium.

Neque etiam admitti potest sententia locum confundentium cum spatio imaginario. Nam spatium ejusmodi non est aliquid actuale vel reale actu existens, nec proprie continet res, nec conservat. Atqui loci nomine proprie loquendo venit aliquid reale, continens et ambiens conservansque res in illo constitutas. Ergo locus non est spatium imaginarium.

sive reale.

Nec pariter locus est spatium reale: ut enim constat ex superius probatis, spatium reale est intervallum plenum, inter superficies aliorum corporum interceptum, quod independenter ab ipso corpore vel extensione, qua repletur, nihil est ex se. Atqui locus proprie dictus intelligitur aliquid reale in se ipso et ex seipso seu independenter ab extensione vel corpore contento et locato. Ergo locus non est spatium, quod dicunt reale.

nec corpus, nec materia, nec forma.

Denique locus non est corpus ipsum, nec materia, nec forma corporis replentis spatium. Nam materia et forma corporis sunt aliquid intrinsecum corpori, et solum inadæquate distingui possunt ab eo, seorsim sumptæ: nec possibile est, corpore eodem manente, materiam vel formam ab

(1) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 51, sect. 2, num. 4), Joann a S. Thom. (*Physic.* quæst. 10), Sylvest. Mauri (*Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 26), Lossada (*Physic.* tract. 3, disp. 2, cap. 1, num. 5), etc.

(2) In alio diverso sensu voces loci extrinseci et intrinseci usurpant PP. Tongiorgi (*Cosmolog.* num. 347) et cl. Palmieri (*Cosmolog.* thes. VIII): locum extrinsecum dicunt esse superficies corporum ambientium nempe verum ac proprium locum, intrinsecum autem locum vocant ipsum spatium quod inter superficies corporum ambientium intercipitur, quodque repletur et occupatur a corpore locato. Verum spatium perperam confunditur cum loco, ut statim probandum est.

eo separari. Atqui locus adæquate distinguitur a re locata, nec est illi intrinsecum quiddam, sed extrinsecum, et facillime separatur, ac deseritur a corpore locato, cum nempe id ab uno in alium locum transfertur. Ergo locus non potest esse corpus ipsum replens spatium, nec illius materia vel forma (1).

Aristotelica loci definitio

250. Locus ergo communiter definitur a Scholasticis cum Aristotele: *extrema superficies corporis continentis, immobilis, prima* (2), id est extrema superficies corporis vel corporum aliud ambientium, quæ immediata seu contigua est corpori contento, quatenus immobilis. Sic immediata superficies aëris ambientis terram est locus hujus; et superficies aëris quaquaversus circumdantis aquam in vase contentam est locus ejus (3). Verba definitionis priora difficultate vacant ex hactenus dictis, ex quibus habetur locum aliud esse non posse præter ultimam superficiem corporis vel corporum ambientium rem locatam. Aliquod tamen negotium facessit illa particula definitionis, qua locus dicitur *superficies immobilis*. Si enim attente res consideretur, nulla est superficies hujusmodi ambiens corpus, quæ sit immobilis: sic superficies aëris domum circumdans, perpetuo mutatur; itemque superficies aquæ pisces in flumine continens perpetuo fluit: ac generatim superficies cujuslibet corporis aliud circumstantis posset a Deo moveri, vel destrui. Aliunde vero negari nequit locum aliquam sibi vindicare immobilitatem: siquidem quidquid movetur, locum deserit, et ab uno in alium locum transit; non posset autem id fieri, si locus non remaneret immobilis. Unde communiter sentiunt Peripatetici locum esse debere immobilem, quamquam non omnes eodem pacto rem declarent. Alii enim cum Commentatore et Janduno (4)

explicatur

(1) Vide Aristot. (*Physicor.* lib. 4, cap. 2, et 4), S. Thom. (ibid. lec. 3 et 6), Tolet., Conimbric., aliosque passim interpretes Philosophi in hunc librum.

(2) Arist. loc. cit., cap. 4.

(3) Vasis autem ipsius superficies, quamvis vulgo locus existimetur corporis in vase contenti, non est tamen vere locus, quia non est immobilis.

(4) Apud Toletum (*Physicor.*, lib. 4, quæst. 5), et Rubium (Ibid. quæst. 1.ª, num. 32).

volunt, locum vel superficiem continentem non moveri per se, sed tantum per accidens, ad motum nempe corporis ipsius cujus est superficies, et ob id dici immobilem. Alii arbitrantur cum Scoto (1), locum dici immobilem, non simpliciter vel per identitatem, sed per æquivalentiam, quia nempe licet mutetur, vel mutari possit hæc vel illa superficies, alia tamen succedit prorsus æquivalens, et ideo reputatur pro eodem loco. Alii denique, ut cætera omittamus, probabilius ac melius contendunt locum non esse solam superficiem ultimam corporis ambientis, sed superficiem, prout importat certam distantiam ad polos vel partes fixas, quæ determinari possunt in spatio imaginario. Omnia enim spatia realia et loca mundi considerari possunt ut partes quædam spatii imaginarii, vel certe respondent partibus hujusmodi spatii, suasque proprias ubicationes sortiuntur, determinate distantes a punctis fixis assignabilibus in spatio imaginario. Cum itaque istæ ubicationes sint essentialiter immobiles, nec possint alio migrare, sequitur superficies corporis aliud continentes, formaliter prout talem ubicationem vel præsentiam habentes tali parti spatii imaginarii, vel tali mensura distantes a certis ejusdem spatii punctis fixis, re vera immobiles aliquo modo esse, sin minus ob identitatem superficiei, certæ ob identitatem ubicationis, quæ præcipue attendenda est ad judicandum de identitate loci, quæque si sola deficiat, etiamsi superficies ambiens eadem sit, locus re vera mutatur. Quare si vas aqua plenum alio transferatur, mutat locum; quia quamvis superficies vasis eadem sit, mutatur tamen ubicatio; et e converso turris immota remanens cum sua ubicatione, si aër circumfusus varietur, non censetur mutare locum: etenim quamvis *physice* non ambiatur eadem superficie, quia tamen eamdem retinet ubicationem, eumdem quoque dicitur locum servare, saltem formaliter, solumque materialiter illum mutare, ob mutationem videlicet physicam superficiei. Ita ergo immobilitas loci sufficienter videtur declarata, quia superficies quamdiu eamdem retinet ubicationem, non movetur formaliter, cum eamdem pergat servare

(1) Apud Rubium (loc. cit., num. 33). Cfr. Mastrius (*Physic.*, disp. 11, quæst. 1, art. 2, num. 33).

distantiam ad puncta fixa, quæ in imaginario spatio licet assignare. Vel si mavis, distingue inter physicam et moralem loci immobilitatem, et dic alterutram semper verificari in superficie ambiente, quamdiu eadem retinetur ubicatio. Immobilitas physica loci in eo stat, quod eadem numero superficies circumstat locatum, quamdiu hoc non mutat suam ubicationem: et hæc non semper habetur, quia dantur quædam superficies rem locatam continentes, quæ sunt in perpetuo fluxu, quemadmodum accidit in turri et in lapide fluminis, etc. Immobilitas moralis consistit in eo, quod eadem saltem in existimatione hominum remaneat superficies, quia hempe pro una superficie transeunte alia penitus æquivalens continuo succedit, sive secundum naturam specificam sive secundum dimensiones, ut fit in iisdem turris et lapidis exemplis, quæ proinde quamvis physice mutent locum, quia non circundantur eadem numerice et individue superficie, jure tamen merito dicuntur in eodem versari loco, quia uni superficiei alia specifice et quantitative eadem sensim sine sensu substituitur. Est ergo locus aliquo modo vere superficies immobilis (1).

Denique dicitur locus extrema superficies ambiens, immobilis, *prima*. Quid sibi vult *prima?* nempe significat ocum rei non esse quamcumque superficiem, sed proximam vel immediatam et contiguam corpori locato. Quæ definitio proinde convenit non cuivis loco, sed *proprio*. Duplex enim distingui solet locus: *communis* vel *mediatus* et *proprius*. Communis est ille, qui non immediate continet rem, sed media superficie alterius. Hoc pacto fluvius est locus piscium, et cubiculum vel domus, hominis: nam alveus fluminis non immediate tenet pisces, sed tantum totam aquam, et similiter parietes domus vel cubiculi non immediate circundant hominem. Proprius vero locus est illa superficies, quæ tangit rem locatam, ut superficies aquæ proxima piscibus, est eorum locus proprius; et similiter superficies aëris contigua

Locus communis vel mediatus et proprius.

(1) Vide Toletum (*Physic.*, lib. 4, quæst. 5), Rubium (loc. nup. cit. num. 40), Mauri (*Quæst. philos.*, lib. 2, quæst. 26, ad 5.um), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 25, sect. 2), De Benedictis (op. cit. tom. 2, lib. 3, quæst. 2, cap. 1), Lossada (loc. cit. cap. 1, num. 4) etc.

hominis est locus ejus in cubiculo vel domo. Si quis ergo vellet, ut aristotelica definitio utrumque locum complecteretur, et proprium et communem, oporteret ultimam particulam definitionis tollere.

Aristotelica definitio probatur.

Rectitudo porro definitionis aristotelicæ patet, tum ex exclusione aliarum sententiarum breviter superius præmissa, tum etiam ex quibusdam prædicatis, quæ ex communi modo concipiendi loco solent attribui. Nimirum locus dicitur æqualis locato, illudque quaquaversus circumscribere, ac tangere: item locus dicitur plenus, vacuus. Atqui hæc apprime conveniunt extremæ superficiei ambienti corpus, immobili, primæ. Nam superficies ejusmodi ratione suæ duplicis dimensionis tota tangere rem locatam potest: secus ac solidum corpus, quod non potest aliud tangere nisi secundum superficiem; si enim tangeret secundum profunditatem, deberent aliquæ partes compenetrari. Et ob eamdem rationem etiam potest locus ambire locatum, illius prorsus figuram et externa lineamenta induendo, fere sicut cera induit formam sigilli in illa impressi. Unde sequitur etiam locum esse omnino loco æqualem secundum longum et latum, et quodammodo etiam secundum profunditatem, non quidem ratione sui, sed ratione spatii vel intervalli inter superficies loci interjecti.

Quædam objectiones solutæ.

Dices 1.o Locus videtur non distingui ab *Ubi*. Nam locus est forma, a qua res denominatur esse in loco. Atqui *Ubi* est forma, unde res denominatur locata vel dicitur esse in loco. Nam perinde est aliquid esse in loco, atque esse alicubi. Ergo.

Resp. *neg.* assert., ac Majorem probationis *disting.* Locus est forma, a qua res denominatur esse in loco, tamquam ab aliquo extrinseco, *conc.*: tamquam ab aliquo intrinseco, sibi inhærente, *neg.*

Contradist. Minor. *Ubi* est forma, a qua res dicitur esse in loco tamquam a forma extrinseca, *neg.*, tamquam a forma inhærente, *conc.*: nam *Ubi* vel ubicatio est modus intrinsecus rei ubicatæ. Probationem vero Minori aptatam *neg.*; quia latius patet *Ubi*, quam locus, ut jam explicatum manet.

Dices 2.o Etiam τῷ *Ubi* vel ubicationi conveniunt proprietates loci, nam pari modo *Ubi* est terminus motus localis, et fundamentum proximum, cui innititur tum relatio

distantiæ ac propinquitatis, tum differentiæ positionum in diversis rebus.—**Resp.** ex eodem principio solvendam esse hanc difficultatem. *Ubi* est terminus intrinsecus, qui acquiritur, et deseritur motu locali tamquam modus rei ubicatæ; locus autem est extrinsecus terminus localis. Certum autem est dari in hoc mundo extrinsecos hujusmodi terminos motus localis. Ergo non oportet confundere locum et *Ubi*, nisi velis internum et externum terminum motus absurde confundere. Sane potest Deus in spatio imaginario unum dumtaxat corpus constituere, atque impulsu projectionis donare. In hac hypothesi corpus illud certe non quiesceret, sed moveretur. Ergo novum *Ubi* assequeretur, novamque præsentiam spatio imaginario exhiberet, nempe internum terminum localis motus acquireret. Atqui tamen nullum tum externum terminum talis motus haberet corpus illud; siquidem nulla prorsus daretur realis superficies, quam desereret, vel attingeret in suo motu. Ergo absurdum est internum et externum motus terminum, atque adeo *Ubi* et locum, permiscere.

Aliæ difficultates, quæ facile ex dictis solvuntur, videri possunt apud veteres Auctores (1).

Utrum ratio loci sit formaliter, an solum materialiter, in ultima superficie. Sententia Jandoni.

Disputant tamen hic Scholastici, utrum ultima superficies corporis continentis sit locus formaliter, an vero solum materialiter. Qua de re Jandunus (2) scripsit duo esse in loco consideranda, superficiem continentem et qualitatem seu virtutem conservativam locati: et primum horum esse materiale et quasi subjectum, at formaliter naturam loci plenam consistere in prædicta virtute conservativa locati, quæ ab aliis solet afferri tamquam una e proprietatibus loci. Hæc tamen sententia communiter deseritur; quia secundum illam locus formaliter in qualitate consisteret. Atqui nulli qualitati conveniunt attributa illa loci, quæ superius innuimus, quod nempe locus sit æqualis locato, contineat illud, itemque dicatur plenus, vacuus, etc.

---

(1) Vide Card. Tolet. (*Physic.* lib. 4, quæst. 3), Conimbricens. (ibid. cap. 5, quæst. 1, art. 3).

(2) Apud Toletum (loc. cit. quæst. 4), et Rubium (ibid. quæst. 2), et Conimbric. (loc. cit. art. 3 ad 1.um).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et Scoti

Ex alio capite Scotus contendit *superficiem* non esse genus in definitione loci aut rationem formalem, sed solum materialem et quasi subjectum, formam vero ac rationem loci sitam esse in relatione continentiæ ad locatum, quam vocat extrinsecus advenientem, atque etiam in relatione distantiæ ad polos (1). Verum hæc etiam sententia ex eodem principio videtur rejicienda. Neque enim in formalem relationem quadrare possunt prædictæ affectiones et attributa loci. Itaque locus importat quidem relationem prædictam, non tamen in ea formaliter consistit (2).

rejicitur.

Utrum in definitione loci superficies habeat rationem generis,

an potius subjecti.

Nunc autem inter eos, qui censent communissime superficiem intrinsece et essentialiter ingredi loci definitionem, controverti potest, utrum superficies se habeat tamquam genus, quod contrahatur per immobilitatem tamquam per differentiam specificam. Et quod non se habet tamquam genus veri nominis, sed potius tamquam subjectum, opinantur Complutenses (3), Joannes a S. Thoma (4), Cardinalis Aguirre (5), et alii: et ut videtur, etiam Dominicus Sotus (6), Toletus (7) et Conimbricenses (8), quos non recte pro contraria opinione adducunt Complutenses, quia re vera non dicunt superficiem esse verum genus respectu loci, sed Sotus quidem et Conimbricenses solum dicunt locum proprie et intrinsece esse superficiem, Toletus vero diserte negat superficiem esse genus, sed docet esse subjectum. Videturque hanc sententiam debere tenere omnes, qui negant locum esse veram speciem quantitatis: qua de re superius egimus, ubi de speciebus quantitatis continuæ (9). Si enim superficies est vera ratio generica in definitione loci, sequitur locum esse veram speciem superficiei, atque adeo continuæ quantitatis.

(1) Vide apud Rubium, (loc. cit., num. 27), et Toletum (loc. cit.).

(2) Vide de his Toletum (loc. cit., quæst. 4), Conimbricens. (loc. cit., art. 7 ad 1.um), et Rubium (loc. cit., quæst. 2).

(3) *Physic.*, disp. 10, quæst. 3.

(4) *Physic.*, quæst. 16, art. 1 fin.

(5) *Metaph.*, lib. 5, lect. 15 fin.

(6) *Physicor.*, lib. 4, quæst. 1 paragr. *At vero ad majorem rei evidentiam, prima propositio.*

(7) Ibid. quæst. 4.

(8) Ibid. quæst. 1, art. 2.

(9) Supra num. 193, pag. 712.

Dicendum itaque est locum non addere ullam differentiam essentialem supra superficiem, sed aliquid mere accidentaliter se habens respectu illius: ac proinde locum potius considerandum esse instar concreti cujusdam accidentalis, cujus subjectum et materia est superficies forma vero continentia et circumscriptio locati; fere sicut hoc concretum, *album* dicit corpus sub albedine, «et utrumque essentialiter in suo gradu, hoc est corpus tamquam materiale et albedinem tamquam formale. Et ita definitur locus per superficiem tamquam per subjectum et per continentiam immobilem tamquam per formam, sed per utrumque tamquam per quid intrinsecum in suo ordine et gradu», quemadmodum loquitur P. Antonius Rubius, apud quem plura, si lubet, require (1).

Loci affectiones et proprietates.

251. Sed jam aliquid de loci affectionibus et proprietatibus delibandum est. Varias assignant Scholastici ex Aristotele desumptas, aut ex ejus doctrina derivatas (2): **Prima loci affectio** vel attributum est, *continere locatum*, id est, ita circumscribere illud, ut non sit ei intrinsecum sive per modum intrinsece constituentis, sivi per modum accidentis inhærentis, sed extrinsecum, ac pure ambiens rem locatam. **Secunda affectio est** *esse locato æqualem*, intellige æqualitate continentiæ et secundum longitudinem et latitudinem; nam locus formaliter non habet profunditatem. **Tertia affectio est**, *locum esse separabilem a quocumque locato*, saltem distributive: nam collective forte non est naturaliter separabilis. Si enim posset locus naturaliter nullum continere locatum, daretur naturaliter vacuum. Propterea uno corpore deserente locum, aliud subintrat. **Quarta affectio:** *locus est terminus* (intellige externum) *motus localis*, nam motus localis intra hunc mundum semper est ab uno loco in alium. *Intra hunc mundum*, inquam, quia in spatiis imaginariis non datur realis et actualis locus, a quo et ad quem moveri possint corpora, quamvis possent ubicationem suam mutare, atque adeo moveri. Ratio porro, cur locus sit extrinsecus terminus motus, patet ex dictis, quia nimirum

(1) *Physic.*, lib. 4, tract. *de Natur. loci*, quæst. 2.

(2) *Physicor.*, lib. 4, text. 30 seqq. Vide S. Thom. (Ibid. lect. 5), et Toletum aliosque interpretes (in eumdem librum 4.um *Physicor.*, cap. 4), et Mastrium (*Physicor.*, disp. 11, quæst. 2, art. 2), etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

locus non est aliquid intrinsecum, quod insit corpori locato, ab eoque, cum movetur, deseratur, vel acquiratur. Terminus hujusmodi intrinsecus lationis vel localis motus est *Ubi*, qui est modus rei ubicatæ, ut jam alias dictum est. **Quinta affectio** ***est immobilitas***, quæ manet jam superius explicata (1).

Ad quodnam prædicamentum pertineat locus

Si jam prædicamentum quæras, ad quod locus revocandus sit, responsio varia est pro variis respectibus, sub quibus considerari locus potest. Quatenus enim est superficies, spectat ad prædicamentum quantitatis: quatenus importat externam mensuram corporis locati, reducitur ad idem prædicamentum, non tamen ut species, sed ut proprietas; jam enim diximus mensurabilitatem, activam et passivam, esse quantitatis proprietatem. Si in loco spectes relationes ad locatum, ille ad prædicamentum relationis pertinet. Denique si locus consideretur ut quædam extrinseca forma locati, videtur similem præ se ferre rationem denominandi, quam habitus respectu hominis vestiti (2).

De realitate et existentia loci, quam Aristoteles tractat initio libri quarti, ex dictis hactenus circa naturam ejus, nullum dubium superesse potest.

(1) «Aliam affectionem loci affert Aristoteles, parvi sane momenti, videlicet «omnem locum superum inferumque obtinere, quod duobus modis interpretes explicant, inquiunt Conimbricenses: nimirum vel disjunctim, ita ut doceat Aristoteles, omnem locum aut superum aut inferum esse, quæ est interpretatio Simplicii, Themistii et Philoponi; vel copulatim, ut asserat in omni loco superum esse et inferum». Conimbricenses (loc. cit. cap. 4. in Commentario textus Aristotelici initio).

Illam quoque Peripatetici asserebant loco proprietatem, quod nempe importaret qualitatem aliquam conservativam locati: notabant autem istud attributum loco naturali, id est non mathematice, sed physice spectato, convenire. Inde porro rationem hujus rei derivabant, quod arbitrarentur sua esse propria loca quatuor vulgatis veterum elementis, assignata ab Auctore naturæ: unde inferebant aliquam profecto ex loco proprio utilitatem cuique elemento manare debere. Vide Card. Aguirre (loc. cit. sect. 4). et Complutenses (loc. cit. quæst. 5), aliosque veteres. Hæc itaque proprietas licet non conveniat omni loco, et licet falsum supponat circa loca et numerum elementorum, vere tamen asserenda est locis illis, quæ natura ipsa certis corporibus assignavit: sic aqua locus est piscium, potiturque aptis qualitatibus ad eorum conservationem: idemque dic de aëre respectu avium, etc.

(2) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 51, sect. 2, n. 10.

§ III.—QUID SIT VACUUM.

Quid vacuum? Ejus discrimen ab inani,

252. Reliquum est, ut pauca quædam addamus de vacuo. Primum autem notandum est, vacuum, si proprie loqui velimus ex usu sapientium, non esse confundendum cum spatio inani. Nam inane per se meram negationem corporis importat, vacuum autem privationem (1). Cum vero simplex negatio non postulet subjectum, in quo sit, sicut postulat privatio, sequitur vacuum proprie esse in aliquo subjecto, quod aptum sit corpore repleri, nec tamen actu repletur. Quare definitur: *locus nullo corpore repletus*. Quidam addunt his verbis definitionis hæc alia: *sed aptus repleri*. Verum recte observant alii, supervacaneam esse talem additionem, quia jam sola voce *locus* implicatur aptitudo, ut corpo pore repleatur. Unde concludes: 1.º in spatiis imaginariis dari quidem inane, non autem proprie vacuum. 2.º Verum ac proprium vacuum non esse illud, quod sæpe vulgus appellat vacuum, locum nempe nullo sensibili corpore repletum, qualis est crumena, vel cubiculum, vel uter solo aëre plenus. 3.º Spatium quamvis de se nihil sit actuale, non tamen penitus confundi cum inani nec cum vacuo: et ratio est, quia spatium importat capacitatem receptivam, præscindendo ab hoc, quod capacitas illa obtineat suum actum necne, unde potest dari spatium plenum et inane ac vacuum, nec plenitudo destruit rationem illius. E converso vacuum et inane important essentialiter carentiam corporis, ac propterea ubicumque adest corpus, non potest dari vacuum nec inane; vacuum enim vel inane plenum est contradictio in terminis.

et spatio.

Utrum detur in natura vacuum.

253. Circa vacuum illa jam inde ab Aristotele agitata quæstio est, utrum detur in natura vacuum. Qua de re sententia est Cartesii et Balmesii aliorumque, ut jam superius docuimus, negantium vacuum dari, immo et dari posse. Plures etiam dynamistæ, ut superius vidimus, in descriptione systematis ipsorum circa corporum constitutionem, vacuum ponunt inter corporeas particulas. At cl. P. Palmieri

(1) Cfr. S. Thom. 1 p. quæst. 46, art. 1 ad 4.um; 2.ª dist. 1. quæst. 1, art. 5 ad 4.um.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

duplex distingult cum veteribus (1) vacuum: *disseminatum* et *coacervatum* seu *non interruptum:* vacuum disseminatum vocatur illud, quod inter atomos cujusque corporis intercedit. Vacuum coacervatum vel non interruptum est vacuum grandius, interjectis aliis corporibus vel corporum particulis non abruptum. Docet itaque cl. P. Palmieri, vacuum quidem coacervatum non dari intra mundum istum; at vacuum disseminatum non solum *physice* possibile esse, verum etiam supposita corporum impenetrabilitate, in hypothesi saltem continui formalis, esse necessario admittendum (2). Quæ doctrina videtur veterum illorum atomistarum doctrinam renovare, qui, ut suo loco retulimus, corpora constitui ex pleno et vacuo autumabant. Sententia communis Scholasticorum mediam tenet viam, hisque assertionibus continetur: 1.° *Vacuum improprie sumptum seu inane datur de facto extra mundi machinam, qua late patet spatium imaginarium.* 2.° *Vacuum proprie dictum vel locus nullo repletus corpore, sive sensibili sive insensibili, per divinam omnipotentiam possibilis est.* Et duo hæc certa omnino sunt, ac demonstrata manent initio hujus voluminis cum de possibilitate aliorum mundorum ageretur (3); intelligi enim nequit, quænam intrinseca repugnantia possit obstare, quominus Deus destructo penitus corpore locato, conservet in *esse* cum eadem ubicatione corpora omnia circumstantia cum iisdem suis superficiebus: 3.° *physica et naturalis vacui possibilitas et actualis existentia nullo idoneo argumento probatur; immo vero solidissima ratione reficitur.* Primum horum patet, quia ob eam potissimum rationem quidam ad asserendum vacuum permoventur, quia secus motus localis nequeat explicari. Nam avis v. g. per aërem volatu suo viam sibi aperire nequit, nisi ad ejus transitum aër successive densetur. Ut ergo condensatio hæc aëris locum habeat, necesse erit, inquiunt, dari poros et interstitia penitus vacua, nisi mavis dicere aviculam suo impulsu totam massam compactissimam aëris athmosphærici agitare, et alio amovere.—Verum negatur consequentia, quia ut jam

(1) Vide apud Lossada, *Physic.*, tract. 7, disp. 1, cap. 2, num. 22.
(2) Vide cl. P. Palmieri, *Cosmolog.*, thesi VII. parte 4.ª
(3) Vide supra num. 20, pag. 40, 41.

superius innuimus, et mox fusius probabimus, condensationes ac rarefactiones potius explicandæ sunt per variationem realis voluminis. Unde quando unum corpus localiter movetur, tantumdem spatium successive acquirit, ac de novo replet, quantum relinquit vacuum; et sic aër, qui ad transitum corporis cedit loco, potest subintrare spatium illud vacuum, ut ita perfectum remaneat æquilibrium. Verum diximus præterea, vacui existentiam solidissima ratione rejici. Experientia namque docet phænomena luminis, caloris, actionis gravitatis, aliaque id genus, maxima regularitate quaquaversus propagari. Id autem fieri non posset, si vacuum daretur; quia posito vacuo inter atomos disseminato phænonena illa transmitti non possent, nisi admittendo actionem in distans, quam naturaliter repugnare ostendimus in *Ontologia*. Nisi forte gratis fingas vacua illa tam regulari ordine distributa esse per corpus, ut supponantur constitutæ per lineam rectam atomorum series non interruptæ, per quas propagentur illa phænomena. Sed tum aliæ darentur lineæ vel vacuæ penitus vel mixtæ ex atomis et vacuis, per quas ob adductam rationem non possent prædicta phænomena transmitti: id quod videtur experientiæ refragari (1).

Natura abhorret a vacuo.

Quæ cum ita sint, jure merito concluseris haud esse absurdam illam veterum sententiam: *Natura abhorret a vacuo.* «Nihil quippe aliud, inquit cl. De San, sibi vult hoc eorum effatum a moderna ignorantia adeo derisui habitum, quam incolumitati naturarum, e quibus hoc universum constat, ac subinde universali rerum ordini vacuum obesse quam maxime; ideoque res per potentias activas, quæ ipsis naturaliter insertæ sunt, esse impeditivas vacui. Quæ profecto sunt verissima, si verum sit vacuum esse physice impossibile» (2).

Utrum corpus in vacuo moveri posset.

254. Ad extremum, illud quoque veteres in controversiam vocarunt post Aristotelem, utrum corpus in vacuo moveri posset, et utrum in instanti, an tempore moveretur.

(1) Vide cl. P. De San (*Cosmolog.* num. 460), et cl. Van der Aa (*Cosmolog.* propos. 70, Scholion).
(2) De San (ibid.). Cfr. Sylvester Mauri (*Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 29).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad primam horum quæstionem quibusdam videtur Aristoteles negative respondere (1); verum probabilus est, Aristotelem non negare re vera possibilitatem motus in vacuo, sed potius contra veterum placita, qui vacuum necessarium esse ad hoc, ut motus detur, arbitrabantur, voluisse probare vacuum ex sese magis lationi obesse, quam illius causam esse. Verum quidquid sit de mente Philosophi, communissima tenet sententia Scholasticorum, paucis reclamantibus apud P. Antonium Rubium (2), motum in vacuo possibilem naturaliter esse, ut videre licet apud eumdem Rubium et Conimbricenses (3), Complutenses (4), Toletum (5), Sotum (6), Cardin. Aguirre (7), Joannem a S. Thoma (8), et Mastrium (9), qui omnes plurimique alii hanc tuentur doctrinam cum S. Thoma (10) Scoto (11) Philopono (12). Et ita tenendum est, ut egregie probatur a prædictis auctoribus (13).

Quod vero alteram quæstionem attinet, ex iisdem auctoribus disces motum corporum in vacuo non in instanti, sed tempore peractum iri.

ARTICULUS II.

An et quomodo omnia entia sint in loco.

255. Duo entium genera distingui possunt: alia spiritu alia, ut Deus, angeli et animæ rationales a corporibus separatæ, alia corporea. Præsentia quoque localis et ubicatio potest multiplex distingui, nempe *definitiva*, *circumscriptiva*

Quotuplex præsentia localis.

(1) *Physicor.*, lib. 4, cap. 8, text. 67 seqq.
(2) Rubius, *Physic.*, lib. 4, tract. *de vacuo*, quæst. 2.
(3) *Physicor.*, lib. 4, cap. 8 et 9, quæst. 4.
(4) *Physic.*, disp. 20, quæst. 3.
(5) *Physic.*, lib. 4, quæst. 9.
(6) *Physicor.*, lib. 4, quæst. 3, art. 2.
(7) *Physic.*, disp. 27, sect. 1.
(8) *Physic.*, quæst. 17, art. 2.
(9) *Physic.*, disp. 12, quæst. 3.
(10) *Physicor.*, lib. 4, lect. 12; et 4.ª dist. 44, quæst. 2, art. 1.
(11) 2.ª dist. 2, quæst. 9, ad 4.um
(12) In lib. 4.um *Physicor.*, text. 75, et in digressione de loco.
(13) Cfr. Lossada, *Physic.*, tract. 3, disp. 3, cap. 1, num. 26.

et sacramentalis, quibus addunt aliqui *infinitam* vel *interminatam*. Illud est interminate alicubi, quod nulli adstringitur loco, sed est ubique; ac soli Deo ratione suæ immensitatis competit hujusmodi ubicatio. Præsentia definitiva et circumscriptiva in eo conveniunt, quod ut ipsæ voces satis innuunt, ambæ sint alligatæ certo spatio, extra quod res nullibi sit. In eo tamen differunt, quod res, quæ definitive est in loco aliquo vel spatio, tota sit in toto illo ac tota etiam in singulis illius partibus; circumscriptive autem dicitur esse in loco id, quod ita certum locum occupat, ut pars sit in parte ac totum in toto loco, ac proinde cœxtendatur illi (1). Sacramentalis denique præsentia convenit cum definitiva in eo, quod res, quæ sacramentaliter est in loco, tota sit intra ambitum illius, ac tota etiam in singulis partibus illius, ac propterea quidam ubicationem istam ad definitivam revocandam esse ducunt. Differt nihilominus aliquo modo a definitiva, quia res, quæ præsens est alicubi definitive, ita natura sua alligatur ad suum locum, ut extra limites illius non possit esse; id autem quod sacramentaliter est alicubi, potest alibi etiam esse illo eodem modo. Præsentiam sacramentalem, ut Fide docemur, habet Christus Dominus in Eucharistia, qui sic intra ambitum sacramentalium specierum continetur totus in toto, ac totus in singulis illarum partibus, ut non definiatur ad unam hostiam vel tabernaculum, sed possit esse pari modo, ubicumque adsit hostia consecrata. Et propterea multi distinguunt præsentiam sacramentalem a definitiva, quamvis dissensio auctorum hac in re solum possit esse de modo loquendi. Quod est interminate alicubi, nempe Deus, solum improprie dici potest esse in loco; quia esse in loco videtur ex modo communi loquendi aliquam alligationem ad certum ac determinatum spatium importare. Propriissime autem ea dicuntur esse in loco, quæ sunt circumscriptive.

Deus proprie non est in loco.

Alii quoque modi essendi in loco describuntur a S. Thoma, quos utile judico hic referre. Esse namque in loco significat aliquam determinationem ad locum. At *quod aliquid*

Alii modi essendi in loco describuntur.

(1) Præsentiam hanc duplicem, definitivam et circumscriptivam, egregie declarat S. Augustinus epist. 166 (el. 28) ad Hieronymum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

determinetur ad locum aliquem, hoc non est, nisi in quantum per aliquem modum applicatur ad locum illum, et non ad alium. Hæc autem applicatio vel intelligitur secundum situm aut contactum, vel secundum formam vel secundum operationem aliquam. **Secundum formam**, *sicut anima est in corpore; quo modo angelus in re locali esse non potest, cum non sit actus corporis.* **Secundum determinatum situm**, *sicut punctus in linea, quam determinant: quo modo angelus in loco non est, quia essentia ejus omnino a situ absoluta est.* **Secundum contactum**, *sicut in loco est corpus. Contactus autem dicitur dupliciter: proprie et metaphorice.* **Proprie tangere est habere ultima simul.** *Et patet, quod hoc angelo convenire non potest. Tactus autem metaphoricus est per actionem, sicut dicitur contristans* **tangere**; *et iste tactus angelo potest convenire* (1). Inter hos modo præsentiæ localis ex Angelico Doctore relatos præcipue notandus est ille, qui dicitur per contactum sive proprium sive metaphoricum. Contactus proprius vocatur etiam *quantitativus*, metaphoricus vero *contactus virtutis* vel *per operationem:* contactus quantitativus vel per quantitatem dimensivam consistit in eo, quod duo se tangant eo modo, quo se tangunt corpora quanta, nimirum ita ut sola extrema seu superficies sint simul, et quidem una pars cum una parte alterius superficiei et altera cum altera: hunc contactum habent cum loco ea, quæ sunt circumscriptive. Contactus virtutis in eo consistit, quod virtus unius applicetur, vel exerceatur circa aliud, id quod fit per operationem, *ita tamen*, ut rem explicat S. Thomas, *quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quæcumque unitio, quæ sua virtute se corpori unit* (loquitur de Angelo S. Doctor), **præsidendo** *vel* **continendo** *vel* **quocumque alio modo** (2). Duplicem hunc contactum sæpe meminit Aquinas (3), et egregie quoque declarat discrimen utriusque: *Differt tactus virtutis a tactu corporeo in tribus:* **Primo** *quidem quia hoc tactu* (virtutis) *id, quod est indivisibile potest tangere divisibile: quod in tactu corporeo non potest*

nempe secundum formam,

et secundum contactum, sive quantitativum sive virtualem.

Discrimen inter contactum quantitativum et virtutis.

(1) S. Thom. 1.a dist. 37, quæst. 3, art. 1.
(2) S. Thom., *Quodlib.* 1. art. 4.
(3) Vide v. g. loc. nup. cit.; et 1 p., quæst. 8, art. 2, ad 1.um et 2.um; quæst. 52, art. 1, quæst. 53, art. 1, quæst. 75, art. 1, ad 3.um, etc.

accidere, nam puncto non potest tangi nisi indivisibile aliquod; substantia autem intellectualis quamvis sit indivisibilis, potest tangere quantitatem divisibilem, in quantum agit in ipsam. Alio enim modo est indivisibile punctum et substantia intellectualis; punctum quidem est sicut quantitatis terminus, et ideo habet situm determinatum in continuo, ultra quem porrigi non potest; substantia autem intellectualis est indivisibilis quasi extra genus quantitatis existens: unde non determinatur ei indivisibile aliquid ad tangendum. **Secundo** (differt uterque contactus), *quia tactus quantitatis est solum secundum ultima; tactus autem virtutis est ad totum, quod tangitur* (i. e. circa quod virtus et operatio exercetur): *sic enim tangitur, secundum quod patitur, et movetur; hoc autem fit secundum quod est in potentia; potentia vero est secundum totum, et non secundum ultima totius: unde totum tangitur. Ex quo patet* **tertia differentia**; *quia in tactu quantitatis, qui fit secundum extrema, oportet esse tangens extrinsecum ei, quod tangitur; et non potest incedere per ipsum, sed impeditur ab eo; tactus autem virtutis, qui competit substantiis intellectualibus, cum sit ad intima, facit substantiam tangentem esse intra id, quod tangitur, et incedentem per ipsum sine impedimento* (1).

Ut vero jam ad propositam quæstionem respondeamus, sit.

256. PROPOSITIO 1.a **Substantiæ spirituales nequeunt esse in loco circunscriptive, sed tantum definitive ac per contactum virtutis; substantiæ vero corporeæ constituuntur in loco circunscriptive.**

Substantiæ spirituales non sunt in loco circumscriptive, sed tantum definitive.

Propositio, supposita terminorum explicatione, quam in antecessum præmissimus, vix eget probatione. **Primo** dicimus spirituales substantias non posse esse in loco circumscriptive. Ratio vero in promptu est. Nequit enim esse in loco extense ac per partium commensurationem, quod partibus penitus caret. Atqui omnis substantia spiritualis caret partibus. Ergo... Unde substantiæ spirituales sunt definitive. Certum enim est ejusmodi substantias ubicari posse intra certum aliquem locum, si possunt circa corpora suam excercere

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 56, paragr. *Est autem quidam.*

virtutem atque operationem, eamque restrictam ac determinatam ad limitatum aliquod spatium et locum. Atqui possunt substantiæ spirituales, ac nominatim angeli, ut supponimus ex Theologia, virtutem exercere circa corpora: eam autem non nisi ad certum spatium restrictam exercere possunt, quia ubique posse operari simul et per modum unius, est virtutis duntaxat infinitæ, qualem angeli non habent (1). Ergo substantiæ spirituales sunt per contactum virtutis ac definitive ita, ut non excurrat earum præsentia ultra certum spatium (2). Aliunde vero non sunt in spatio indivisibili, ut quidam putaverunt, *imaginationem transcendere non valentes et indivisibilitatem angeli ad modum indivisibilitatis puncti cogitantes. Sed manifeste decepti sunt: nam punctum est indivisibile habens situm, sed angelus est indivisibile extra genus quantitatis et situs existens. Unde non est necesse, quod determinetur ei unus locus indivisibilis secundum situm; sed vel divisibilis vel indivisibilis, vel major vel minor, secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus majus vel minus. Et sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus* (3). Si ergo substantiæ spirituales intra certum spatium, tamquam locum earum adæquatum, contineantur, oportet, ut totæ sint in singulis partibus, ac proinde definitive ac spirituali modo. Verum hæc quatenus respiciunt angelos, theologica sunt, solumque summatim hic tractantur ad doctrinæ complementum melioremque rei intelligentiam.

Quod vero anima rationalis sit definitive in corpore, quod informat, patet ex ejus munere ac fine. Si enim forma est corporis, ut suo loco probabitur, necesse est, ut actuet corpus ac vivificet, atque adeo debet esse ubicumque officium istud exerceat, et quidem tota in singulis partibus, quas informat, quia simplex est atque indivisibilis. Idipsum,

(1) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 52, art. 2; et quæst. 53, art. 1; 1.° dist. 37, quæst. 3, art. 2.

(2) Nolumus tamen hic definire, sed Theologis difiniendam relinquimus quæstionem illam, utrum præsentia definitiva angeli in loco immediate fundetur in operatione, an in ejus substantia.

(3) S. Thom. 1 p. quæst. 52 art. 2; 1.° dist. 37, quæst. 3, art. 2; lib. 2.° *Contr. Gent.* loc. nup. cit

quod de anima rationali diximus, dicere debent de omnibus formis ii, qui eas indivisibiles esse putant. Quamvis formas quidem corporum non viventium jam diximus non esse indivisibiles; quid autem de formis viventium seu de animabus tenendum sit, suo loco, Deo volente, dicemus.

Denique quod corpora circumscriptive sint in loco, patet primum experientia: deinde ratione, quia corpora sunt extensa, extensa vero habent partes extra partes; at quæ habent partes extra partes nequeunt omnes illas in singulis spatii aut loci partibus constituere, sed singulas singulis adaptatas commensuratasque.

corpora vero circumscriptive.

Hinc facile capies, cur a S. Thoma dicantur angeli esse in loco *æquivoce*, nempe comparatione facta cum modo, quo sunt corpora in loco. *Angelo convenit esse in loco*, inquit: *æquivoce tamen dicitur angelus esse in loco et corpus. Corpus enim est in loco, per hoc, quod applicatur loco secundum contactum dimensivæ quantitatis, quæ quidem in angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet, quod non oportet dicere, quod angelus coæmensuretur loco, vel habeat situm in continuo; hoc enim convenit corpori locato, prout est quantum quantitate dimensiva* (1).

Cur angeli dicantur esse in loco æquivoce.

Simili modo intelligitur id, quod alibi docet Angelicus, corpora quidem *contineri a loco*, secus vero substantias spirituales. *Nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream*, continet ipsam, et non continetur ab ea. *Anima enim est in corpore ut continens, et non ut contenta; et similiter angelus dicitur esse in loco corporeo, non ut contentum, sed ut continens aliquo modo* (2).

Corpora quidem continentur a loco; secus substantiæ spirituales.

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 52, art. 1. Cfr. ib. quæst. 53, art. 1.; et 1.° dist. 37, quæst. 4, art. 1.

(2) S. Thom., 1. p., quæst. 52, art. 1. Cfr. ib. quæst. 53, art. 1 et 2 fin.; et 1 p., quæst. 8, art. 1 ad 2.um etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

257. PROPOSITIO 2.ª **Quamvis ratio, cur corpora sint in loco circumscriptive, repetatur ex quantitate dimensiva; non tamen absolute ac metaphysice repugnat, ut corpora, etiam affecta quantitate, definitive constituantur in loco.**

Corpora sunt in loco circumscriptive ratione quantitatis.

Prima pars: *corpora sunt in loco circumscriptive ratione quantitatis;* non eget probatione. Etenim ratio, cur corpora constituuntur in loco circumscriptive, est actualis eorumdem extensio, qua fit ut partes integrantes ex interna exigentia aliæ sint extra alias. Atqui actualis extensio provenit a quantitate, ut jam abunde declaratum est. Itaque nec substantia corporea, nec materia prima, nec forma substantialis, nec qualitates, nec ulla corporis accidentia sunt in loco circumscriptive ratione sui, sed sola quantitas, et ratione illius reliqua omnia: quia sicut sunt extensa propter quantitatem, ita etiam propter solam illam commensurantur loco.

non repugnat tamen corpora etiam quanta esse in loco definitive.

Secunda pars: *non repugnat absolute, ut corpora, etiam quantitate affecta, constituantur in loco definitive.* Ex præcedenti parte propositionis plane sequitur corpora, si spoliarentur quantitate, non futura esse in loco circumscriptive, seu modo quantitativo. Nunc autem probare volumus, nullum absurdum secuturum esse, si corpora, adhuc retenta quantitate, privarentur modo ubicationis circumscriptivæ. Unde ulterius infertur, posse Deum per miraculum corpora definitive constituere in spatio, quamvis id per nullam causam naturalem fieri possit. Res porro facile probatur supposita certa et communi Theologorum doctrina. Nam certum est in Sma. Eucharistia Corpus Christi Domini quantum esse. Atqui non minus certum est, idem Corpus sanctissimum non esse circumscriptive in venerabili Hostia, sed totum in tota et totum pariter in singulis partibus Hostiæ, præsentia videlicet sacramentali vel definitiva. Ergo... Isto autem facto certo supposito, possumus etiam rationem rei reddere, ex formali effectu quantitatis desumptam. Nam quantitatis proprium est munus, reddere corpoream substantiam extensam. Sed in extensione duo possunt distingui: ipsa actualis positio partium extra partes, et interna exigentia ponendi partes alias extra alias: fere sicut in igne distingui potest ipsa combustio actualis et vis exigens comburere, et generatim in

omnibus proprietatibus physicis distingui potest exigentia certi actus vel muneris, et actus ipse secundus conformis tali exigentiæ. Quæ duo, plane intelligitur non repugnare, ut invicem separentur ita, ut possit actus secundus, manente primo, abesse. Et hoc pacto solent explicari multa miracula, quæ contra naturæ vires et exigentias divinitus fiunt. Ad hunc ergo modum plane concipitur, illud esse quantitatis munus penitus inseparabile, ut reddat substantiam *aptitudinaliter extensam*, seu exigentem partes habere alias extra alias, et consequenter locare illas circumscriptive, ita tamen ut etiamsi non detur actualis extensio et actuali extensioni respondens ubicatio circumscriptiva, non repugnet salvam manere essentiam ipsam realitatemque quantitatis (1).

258. PROPOSITIO 3.ª **Extrema superficies molis mundanæ non est actu in loco, sed tantum potentia.**

Variæ fuerunt hac de re veterum sententiæ, ut videre est apud Conimbricenses (2) aliosque auctores (3). Verum res breviter expediri potest.

Extrema superficies mundi non est actu in loco,

Probatur primum. Locus est ultima superficies corporis ambientis. Ergo ubi nulla est superficies aliud ambiens, actu locus esse nequit. Atqui extrema mundanæ molis superficies non habet ulteriorem superficiem, qua circundetur et contineatur. Ergo.

sed tantum potentia

Probatur alterum. Quia ultra extremam, qua nunc de facto mundus terminatur, superficiem dari possent per divinam virtutem alia corpora, quorum profecto ultimæ superficies rationem veri loci haberent respectu actualis hujusce mundi. Potest ergo hic mundus locum habere, quamvis actu non habeat; atque adeo est in loco potentia.

Quo pacto partes interiores cujusvis corporis possint

Alio modo possunt, solentque dici partes interiores continui esse potentia in loco, quatenus nempe possunt dividi a toto, et quidem tali modo, ut alia contineat, et circumscribat

(1) Cfr. ea quæ superius scripta sunt de formali quantitatis effectu.

(2) *Physicor.* lib. 4, cap. 5, quæst. 2.

(3) Vide etiam Rubium (Ibid. tract. *de Natura loci*, quæst. 4), Toletum (Ibid. quæst. 7), Benedictum Pererium (*de communibus* etc. lib. 11, cap. 8), Complutenses (*Physic.* disp. 19, quæst. 6), et Masrium (*Physic.* disp. 11, quæst. 4, art. 1).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN DE BIBLIOTECAS

dici etiam esse potentia in loco.

aliam. Itaque quamvis partes continui, quamdiu sunt unitæ, non ita comparentur invicem, ut aliæ aliarum sint actu locus veri nominis, possunt tamen, divisione peracta, rationem conditionemque loci respectu aliarum assequi. Plura si cupis, apud priscos scriptores require.

ARTICULUS III.

An diversa corpora possint simul in eodem esse loco.

259. Quæstionem istam ad sola corpora restringimus, quia dubium non est, quin spiritus possint tum inter sese, tum etiam simul cum corpore naturaliter penetrari. Præsentia duorum vel plurium corporum in eodem loco vocatur *penetratio* vel *compenetratio*. Penetratio vero potest magis minusve proprie sumi, primo quidem pro ingressu corporis unius in aliud ope divisionis partium: quo pacto pugio et gladius penetrant secando corpus. Secundo penetrare dicitur sine divisione illud, quod ingreditur aliud, poros et interstitia inter partes ejus relicta occupando: sic aqua penetrat spongiam, et aër poros corporum replet. At sensu proprio penetratio obtinet cum unum corpus eumdem cum alio locum tenet, atque partes unius et alterius eidem prorsus spatio sunt præsentes; et ejusmodi penetratio dicitur *compenetratio*, differtque a prioribus penetrationibus in eo, quod in illis partes unius, quæ intra partes alterius esse dicuntur, reapse sunt solum juxta positæ ac proximæ partibus illius, nullæ tamen eumdem numerice locum vel eamdem loci partem occupant, ac proinde non sunt nisi apparentes quædam compenetrationes: quare compenetratio proprie dicta opponitur impenetrabilitati, quam diximus esse formalem effectum quantitatis. Quæstio ergo nunc proposita respicit veri nominis compenetrationem vel plurium corporum in eodem loco constitutionem. Qua de re communis est, paucis exceptis ea veterum pariter ac recentiorum persuasio, plura corpora esse in eodem loco naturaliter non posse. Difficultas ergo solum esse potest circa possibilitatem compenetrationis per virtutem divinam. Catholici communiter tenent posse divinitus plura corpora compenetrari, vel eumdem

Quid penetratio, et quotuplex.

Quid proprie compenetratio.

Status quæstionis.

locum occupare, reclamantibus Protestantibus aliisque hæreticis ac rationalistis. Ut porro res melius et accuratius declaretur, nota compenetrationem trifariam concipi posse; primo ablata quantitate saltem ab uno corpore: et hoc modo supposita possibilitate hujus ablationis, quæ omnino concedenda videtur, planum est compenetrationem minime repugnare; quandoquidem corporea substantia ex sese non habet impenetrabilitatem, sed eam a quantitate accipit. Secundo intelligi potest corporum compenetratio fieri retenta quidem quantitate, sed impedita extensione actuali saltem in uno illorum: et neque sic est ulla inter catholicos controversia, nam de facto in Sma. Eucharistia hoc modo habetur compenetratio Corporis Domini cum quantitatibus panis et vini (1). Tertio ergo concipi potest compenetratio ita, ut corpora, suam retinentia non solum quantitatem, sed etiam actualem extensionem vel modum essendi quantitativum, eumdem prorsus occupent locum. Et in hoc sensu videtur Durandus rem hanc tractasse problematice, utramque sententiam, et ajentem et negantem, probabilem existimans (2); quam Durandi doctrinam probabilem reputavit Paludanus apud Suarez (3). Eamdemque sententiam Cardin. Lugo (4) pluribus antiquis et recentioribus suppresso nomine tribuit: et ab aliis etiam Scoto (5) tribuit solet, licet Mastrius Subtilem Doctorem ab hac calumnia purgat (6). Verum communis Theologorum Philosophorumque christianorum sententia est, posse per divinam virtutem plura corpora constitui in eodem loco non solum definitive, sed etiam circumscriptive, seu non solum impedita in omnibus vel saltem in uno actuali extensione, sed etiam ita, ut omnia et singula retineant suam extensionem, et per eam locum

(1) Hos duos tamen modos non vere nomen mereri compenetrationis putat Suarezius (*de Eucharistia*, disp. 48, sect. 4, probat. 3.ª propositionis 3.ª).

(2) Vide Durandum 4.ª dist. 44, quæst. 6.

(3) *De Mysteriis Vitæ Christi* (tom. 3.º *de Incarnat.*), disp. 48, sect. 5.

(4) *De Eucharist.* disp. 5, sect. 1, num. 7.

(5) 4.ª disp. 40, quæst. 16, ad 2.um

(6) *Physic.* dist. 11, quæst. 7, num. 101.

repleant. Ita S. Thomas (1), S. Bonaventura (2), Henricus Gandavensis, Richardus, Argentinas (3), Scotus (4), Capreolus (5), Suarez (6), Lugo et Conimbricenses (7), Cardin. Bellarminus (8), Valentia (9), Rubius (10), aliique innumeri auctores, quos supervacaneum judico referre, jam enim dudum doctrina hæc communis in scholis catholicis evasit.

Quo pacto duo corpora se invicem repellant ab eodem loco.

Quæstionem porro istam plene tractare non possumus, quin dispiciamus, quomodo corpus unum excludat aliud e suo loco. Recentiores enim sat frequenter, et quidam etiam veteres (11), putant id fieri per efficientiam quamdam et activitatem, quam *vim resistendi* vocant, cujus ope corpus locum unum non sinit aliud corpus suum ingredi. Probabilior tamen est aliorum sententia, qui cum S. Thoma (12), Suarez (13), Antonio Rubio (14), Alphonso Malpartidensi (15), Rhodes (16), Hurtado (17) aliisque docent duo corpora se invicem excludere ab eodem loco, non per efficientiam aliquam vel activitatem, quam alterum in alterum exerceat, sed per quamdam formalem repugnantiam et

(1) 3 p. quæst. 54, art. 1; 4.ª dist. 44, quæst. 2, art. 2, solut. 3; opusc. *de Trinit.* super Boet., quæst 4, *de his quæ ad causam pluralitatis pertinent*, art. 3.

(2) 4.ª dist. 49, part. secund. art. 4. quæst. 1.

(3) Apud Conimbricenses (*Physic.* cap. 5, quæst. 4, art. 2), Complutens. (*Physic.* disp. 19, quæst. 7, num. 56), Joann. a S. Thom. (*Physic.* quæst. 16, art. 4).

(4) Loc. nup. cit.

(5) 4.ª dist. 44. quæst. 3, art. 3

(6) *De Mysteriis Vitæ Christi*, loc. cit.

(7) Locis citatis.

(8) *De Eucharist.* lib. 3, cap. 6.

(9) *De Incarnat.* disp. 2, quæst. 2, punct. 2; et quæst. 5, punct. 2.

(10) *Physic.* lib. 4, tract. *de natura loci*, quæst. 6.

(11) Ita v. g. Ovied us (*Physic.* Controv. 15, punct. 11).

(12) S. Thom. 4.ª disp. 44, quæst. 2, art. 2; 3 p. (Suplement.) quæst. 83, art. 2, 3; *Quodlib.* 1, art. 21.

(13) *Metaphys.* disp. 43, sect. 1, potissim. num. 9, 10.

(14) *Physic.* tract. *de natur. loci*, quæst. 6, num. 65; et *de Gener. et corrupt.* lib. 1, cap. 9, quæst. 1.

(15) *Physic.* disp. 22, sect. 9, a num. 60.

(16) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 4, quæst. 1, sect. 5; et disp. 10, quæst. 1, sect. 3.

(17) *Physic.* disp. 9, sect. 10.

incompossibilitatem: unde colligunt impenetrabilitatem corporum vel resistentiam, quam opponunt, ne alia locum suum simul teneant, exerceri non in genere causæ efficientis, sed *quasi* in genere causæ formalis. Alii demum actualem impenetrationem dicunt consistere in modo quodam corpori actualiter extenso superadditum, qui naturaliter inest illi, dum autem inest, impossibile est prorsus duo corpora eumdem tenere locum; qui tamen potest auferri per virtutem divinam, eoque ablato, possunt jam corpora compenetrari.

260. PROPOSITIO 1.ª **Actualis impenetratio nihil intrinsecum addit supra extensionem actualem corporum se repellentium ab eodem loco.**

Actualis impenetratio nihil intrinsecum addit supra extensionem.

Prob. 1.º Eo enim ipso quod corpus sit actu extensum, jam habet partes suas in diversis partibus loci constitutas. Et etiamsi nihil aliud superaddatur supra earum entitatem quantam, jam sufficienter intelligitur, sicut ipsæ sunt ex interna exigentia aliæ extra alias, ita etiam debere esse extra quaslibet alias partes cujuslibet alterius corporis.

Dices. Actualis extensio localis, qua partes ejusdem corporis sunt aliæ extra alias, est, prout nos ipsi docuimus, modus quidam distinctus a quantitate. Ergo actualis etiam impenetratio cum alio quanto, ratione cujus partes unius corporis repellunt partes alterius, in modo simili consistere dicenda est.—**Resp.** *neg.* parit. Modus enim, quem diximus addere actualem extensionem supra quantitatem, non est nisi modus ubicationum distinctarum singulis partibus ex insita quantitatis exigentia convenientium. Quantitas enim licet tribuat seipsa formaliter et essentialiter partibus *exigentiam* occupandi diversum locum, seu mutuo se repellendi; actum tamen istius exigentiæ non tribuit seipsa formaliter, sed per modum superadditum distinctarum ubicationum. At vero cum partes unius corporis jam actu sunt ubicatæ distinctis ubicationibus per actualem extensionem, non apparet ulla necessitas novi modi superadditi ad conservandum suum locum ab eoque repellendas alias cujusvis corporis partes. Quod ut amplius pateat.

Probatur præterea assertio ex eo, quod impenetratio actualis concipitur a nobis, et videtur esse quoque reipsa, pura

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

negatio penetrationis. Atqui modus nequit esse pura negatio. Id porro melius intelliges, si unum dumtaxat fingas in mundo corpus. Amove ab hoc corpore, quidquid non identificetur cum sua entitate et actuali extensione. Corpus istud profecto actu impenetratum est. Quod autem corpus istud sit actu impenetratum, non potest consistere in modo, nec in ulla re positiva.

Dices iterum. Corpus actu penetratum et corpus actu impenetratum differunt. Atqui nequeunt differre, nisi ponamus aliquem modum in corpore actu impenetrato. Ergo... Et confirmatur, quia impenetratio actualis potest separari a corpore actu extenso et impenetrabili. Ergo actualis impenetratio aliquid superaddit.—**Resp.** Corpus impenetratum et corpus penetratum necesse non est, ut intrinsece differant, sed satis diferunt in obliquo per connotionem ad aliud corpus, quod sit, vel non sit simul in eodem loco per virtutem et efficientiam divinam. Ideoque nec est necesse, ut actualis impenetratio quidpiam intrinsecum addat supra corpus extensum et impenetrabile (1).

261. PROPOSITIO 2.ª **Plura corpora naturaliter nequeunt sese compenetrare, seu simul in eodem loco, constitui.**

Duo corpora nequeunt naturaliter sese compenetrare.

Prob. 1.º Experientia ipsa. Est enim hoc factum constantissimum in natura, ut corpora omnia, quæ subjici observationi possunt, sive dura ea sint, sive mollia, sive solida, sive liquida, sive aëriformia, penetrationi resistant: videbis quidem corpora quædam, urgente alio, comprimi et in exiguum volumen contrahi, aut etiam loco cedere, at nunquam videbis duo corpora eamdem prorsus ubicationem habere, idemve occupare spatium.

Prob. 2.º Ratio, cur corpus constituitur in loco circumscriptive, est impenetrabilitas, cujus ope partes aliæ extraalias truduntur invicem, actualem extensionem efficiendo. Ergo ubicumque adest impenetrabilitas, naturaliter sequi debet actualis repulsio quarumcumque partium, etiam alieni corporis: eadem enim viget ratio, immo major, ut partes

(1) Cfr. Rhodes (Oper. cit. lib. 2, disp. 4, sect. 5, paragr. 3), Lugo (loc. cit.), Arriaga (*Physic.* disp. 14, sect. 7, num. 118, 119), etc.

alterius corporis, quam proprias, repellat; siquidem partes propriæ corporis ejusdem unam totam substantiam conflant invicem copulatæ. Atqui omnia corpora vi quantitatis habent naturaliter inpenetrabilitatem. Ergo debent se invicem a proprio loco repellere. Apposite S. Thomas: *Corpus humanum* (idem prorsus intellige de quovis alio) *probibetur esse cum alio corpore in eodem loco. Est ergo considerandum, quid sit hujusmodi probibens... Et... dicendum est, quod hoc probibens nibil est aliud, quam dimensiones, quibus substat materia corporalis: necesse est enim, ut id quod est per se, sit in unoquoque genere. Distinctio autem secundum situm primo et per se convenit quantitati dimensivæ, quæ definitur esse quantitas positionem habens: unde et partes in subjecto ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm, quod sunt subjectæ dimensioni. Et sicut est distinctio diversarum partium unius corporis secundum diversas partes unius loci per dimensiones; ita propter dimensiones diversa corpora distinguuntur secundum diversa loca* (1).

Dices: α) vas plenum cinere, potest adhuc aquam in se recipere: β) lux est in aëre simul cum ipso, et in ferro candenti ferrum ignis penitus permeat: γ) panis in aquam injectus madescit, eaque quaquaversus imbuitur: δ) similiter forma materiam, variæque qualitates totum corpus pervadunt. Atqui hæc aliaque id genus videntur compenetrationem præ se ferre.

Resp. *neg.* Minor. Nam α) primum horum solum probat inter particulas cineris aërem delitescere, quo expulso remanet in vase locus aquæ, ut simul cum cinere contineatur absque veri nominis compenetratione. Ad β) respondetur lucem non esse corpus, sed qualitatem corpoream: similiter in ferro candenti non est aliud corpus præter ipsum ferrum calore accidentaliter modificatum. Tertium quoque γ) quod objiciebatur, nullum facessit negotium; siquidem aqua re vera non compenetratur cum pane, sed partes illius intra poros hujus ac meatus excipiuntur, unde fit etiam ut panis ex aquæ contactu madefiat, et accidentaliter mutetur. Itaque in his aliisque similibus exemplis non datur nisi vulgaris et

(1) S. Thom., *Quodlib.* 1, art. 21.

Impropria compenetratio, nempe intromissio unius corporis intra meatus alterius ?) Denique quod materiam et formam attinet variasque corporum qualitates, negandum est supposito. Nam neque materia est corpus, neque forma nec qualitates, nec omnia hæc *intra idem corpus* diversa afficiuntur quantitate, sed una dumtaxat omnibus communi. Nihil ergo mirum, si sub singulis partibus integrantibus ejusdem quantitatis singulæ partes formæ singulas materiæ actuent in eodem spatio, itemque singulæ partes qualitatis singulas partes corporis. Et ratio est, quia singulæ partes integrantes corporis plenam essentiam ejusdem sortiuntur: ergo materia et forma intime unitis ac penetratis constent, oportet, pariterque specificis qualitatibus ex tali essentia manantibus. Aliter dicendum est de materia et forma qualitatibusque *diversorum corporum*; quia diversis quantitatibus afficiuntur, ab iisque invicem impenetrabiles redduntur.

262. Propositio 3.ª **Corpora non videntur se invicem repellere ab eodem loco efficienter seu per vim aut impulsum sibi invicem impressum, sed quasi in genere causæ formalis, nimirum per formalem incompossibilitatem.**

Corpora non se repellunt ab eodem loco effective, sed potius formaliter.

Probatur. Quod unum corpus non repellat aliud ab eodem loco in genere causæ efficientis, nimirum agendo in illud, ac impulsum aliquem imprimendo, videtur experientia ipsa quodammodo probari. Si quis enim manum aut aliam partem corporis admoveat parieti vel lapidi vel ligno, etc., usque ad contactum, nullum profecto impulsum ex eo provenientem experitur. Quod si in corporibus liquidis et aëriformibus dantur pressiones in omnem directionem, illæ non sunt effectus impenetrabilitatis, sed tantum naturales conatus virtutis cujusdam expansivæ. Idem quoque persuadet ratio: nam cum impenetrabilitas sit formalis effectus quantitatis, si repulsio, qua corpus unum prohibet, ne alterum ingrediatur suum locum, foret actio aliqua, ea refundenda esset in ipsam quantitatem. Atqui quantitas non est per se ipsam activa nec principium ullius efficientiæ, ut jam probatum est in *Ontologia* (1).

(1) *Ontolog.* num. 309, pag. 1149.

Hinc vero sequitur impenetrabilitatem ac repulsionem corporum ab eodem loco ad genus causalitatis formalis revocandam esse. Quamquam enim corpus quantum non se habeat proprie ad locum tamquam forma ejus, nihilominus in ordine ad impenetrationem cum alio servat analogiam quamdam cum vera propriaque forma. Sicut enim una forma, etiamsi activa non sit, non patitur secum existentiam alterius formæ contrariæ in eodem subjecto, ita etiam corpus quantum incompossibile est simul cum alio in eodem loco, ac proinde naturaliter exigit, ut in sensu composito præsentiæ suæ in eo Deus non conservet præsentiam alterius. Et ideo ipsum resistit, ne aliud accedat ad suum locum; et si nulla vis extrinsecus per aliquam efficientem causam inferatur, de facto nullum aliud corpus eodem penetrabit. Quod si, ut sæpe fit, vis inferatur impulsu aliquo extrinsecus impresso, prius recedit ipsum e suo loco, ut alterum in illum subintret. Quamobrem duplex distinguenda est cum pluribus priscis scriptoribus resistentia (1): *positiva* et *negativa*. Positiva est illa, qua retardatur actio agentis, eo quod passum producat in eo aliquid contrarium. Hujus rei exemplum manifestum habes in luctantibus contraque nitentibus: qui enim alteri vim facienti positive resistit, contrario in illum impresso impulsu actionem illius infirmat, aut etiam penitus elidit, atque enervat. Hujusmodi resistentia vera est actio, unde etiam activa appellari solet; potentiaque, unde proficiscitur, activa potentia est. Negativa resistentia est non admissio vel retardatio actionis agentis proveniens ex incompatibilitate seu repugnantia alicujus formæ cum forma, quam agens conatur introducere. Ad hujus generis resistentiam nulla requiritur actio, sed sufficit mera contrarietas et incompossibilitas formarum, ideoque vocari etiam solet *formalis*, quamquam formalis resistentia non videtur universaliter identificari cum negativa. Cum enim dentur formæ, quæ etiam activæ sunt, resistentia formalis licet non exigat, sed neque necessario

Duplex resistentia: *positiva* et *negativa* et formalis.

(1) Vide Suarez (disp. 43, *Metaphys.*, sect. 1, num. 9 et 10), Rubium (*de Generat. et corrupt.* lib. 1, cap. 9, quæst. 1), Rhodes (Op. cit., lib. 2, disp. 10, quæst. 1, sect. 3), Hurtadum (*Physic.* disp. 9, sect. 10), Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 3, cap. 5).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

excludit actionem, sicut negativa, sed potest conjuncta esse cum illa. Potest ergo corporum inpenetrabilitas optime declarari absque ulla actione, per modum formalis incompossibilitatis vel negativæ formalisve resistentiæ.

Dices. Si duæ quantitates formaliter vel negative se excluderent ab eodem loco, deberent esse contrariæ. Atqui non sunt: quia ut superius cum Aristotele docuimus, cum quantitatis proprietates explicaremus, quantitas contrarium non habet. Deinde falsum est, quantitatem habere rationem formæ respectu loci, nam occupatio loci non fit per informationem. Ergo nequit aliam in genere causæ formalis repellere.

Resp. Quantitates quidem non esse invicem contrarias, habere tamen quamdam analogiam cum contrariis; quia sicut contraria simul esse non possunt in eodem subjecto, sed se invicem repellunt, ita etiam in eodem loco duæ quantitates vel duo quanta simul esse nequeunt, prout jam probatum est. Inde etiam fatemur quidem quantitatem non habere veram rationem formæ respectu loci, ac proinde non diximus simpliciter repulsionem duorum corporum fieri proprie in genere formalis causæ; sed ad illud revocari quodammodo posse, quia fit absque actione ad eum modum, quo duæ formæ contrariæ sunt simul incompossibiles in eodem subjecto.

263. PROPOSITIO 3.a **Non repugnat plura corpora, etiam actualem extensionem retinentia, per virtutem divinam compenetrari.**

Corpora possunt per divinam virtutem compenetrari.

Compenetratio circumscriptiva, definitiva et mixta.

Agitur hic, ut vides, de compenetratione, quam vocant claritatis brevitatisque gratia *circumscriptivam*, ad differentiam compenetrationis *definitivæ* ac mixtæ ex utraque. Circumscriptiva est compenetratio duorum corporum actualiter extensorum, quibus nempe competit locatio circumscriptiva: definitiva est compenetratio corporum actualem extensionem non habentium, iis enim convenit esse definitive in loco: mixta denique est compenetratio corporum, quorum alterum caret, alterum actuali extensione præditum est. Jam possibilitas hujus compenetrationis mixtæ primo deducitur ex venerabili Sacramento altaris, in quo Tridentinum Concilium *sub unaquaque specie et sub singulis* **cujusque speciei partibus...**

Probatur compenetratio definitiva et mixta;

totum Christum contineri, definit (1). Aliunde vero certum Theologice est Christum Dominum in Eucharistia quantum esse, licet non habeat actualem extensionem. Atqui negari nequit in Sacramento permanere quantitatem panis et vini, ut abunde probatum est superius. Ergo negari nequit in Eucharistia dari mixtam compenetrationem inter Sanctissimum Domini nostri Corpus et quantitatem panis et vini. Ratio etiam idem suadet: quia id quod penetrationi plurium corporum obsistit, est actualis eorumdem extensio. Ergo si ab aliquo eorum actualis extensio per divinam virtutem auferatur, poterit jam fieri compenetratio. Ex quo etiam patet non repugnare pure definitiva compenetratio. Verum hæc validius confirmata manebunt, si probetur non repugnantia circumscriptivæ compenetrationis. Itaque

itemque circumscriptiva.

Prob. propositio 1.a Ex factis partus virginei B. M. Virginis, Christi Domini resurgentis, ac lapidem sepulcralem transgredientis, et mox conclave, in quo erant discipuli, januis clausis intrantis: quæ omnia SS. PP. ac Theologi ita interpretantur, ut insigni quodam miraculo, compenetratis corporibus actu extensis, contigisse arbitrentur. Quæ vero Durandus et hæretici ad facta ista depravanda commenti sunt, pudet me, nec vacat referre: videri possunt non minus pie, quam erudite, protrita et explosa a P. Francisco Suarez (2).

Prob. 2.a In circumscriptiva corporum compenetratione non apparet ulla repugnantia. Ergo possibilis est per divinam virtutem. Consequentia patet, quia cum Deus sit omnipotens, posse facere dicendus est, quidquid non ostenditur intrinsece repugnans; potissimum si adsint facta certa, quæ divinam operationem præter communem rerum ordinem demonstrent. Prob. anteced. α) Non minus repugnat, ut corpus, licet quantum, habeat suas partes compenetratas, seu sit definitive in loco, quam ut unum corpus actualem extensionem habens in suis partibus, secum compatiatur aliud

(1) Concil. Trident., sess. 13 *de Eucharist.*, canon. 3.

(2) Suarez *(de Mysteriis Vitæ Christi*, disp. 5, sect. 2; et disp. 48, sect. 5). Cfr. Bellarminus, Valentia, Lugo, (locis citatis), Joann. a S. Thoma *(Physic.*, quæst. 16, art. 4), etc.

corpus actu extensum intra suum locum. Atqui non repugnat per virtutem divinam corpus vere quantum definitive constitui in loco, privatum sua extensione actuali, ut probatum manet in altera propositione præcedentis articuli. Ergo nec repugnat, ut unum corpus actualem habens extensionem secum patiatur aliud corpus pariter actu extensum, videlicet ut duo vel plura corpora circumscriptive compenetrentur.

Probatur Major, nam cætera constant. Ex eodem prorsus principio nascitur repulsio vel impenetratio partium corporis cujuslibet inter se; et consequenter earum positio aliarum extra alias, ac repulsio vel impenetratio totius cujusvis corporis cum alio corpore, ac consequens inde positio eorumdem in diversis locis: nimirum utraque impenetratio oritur ex quantitate corporum. Itaque si non repugnat, ut partes ejusdem corporis etiam sub quantitate, quamvis *exigant* actualem repulsionem et constitutionem in diversis spatii partibus, impediantur tamen per divinam virtutem, ne de facto naturalem illam exigentiam expleant, ac proinde omnes eamdem ubicationem accipiant; nec pariter repugnabit, ut duo corpora, licet extensione prædita, prohibeantur per eamdem omnipotentiam divinam, ne actu se invicem repellant ab eodem loco.

Dices. Corpora ejusmodi essent penetrata simul et impenetrata: penetrata quidem, quia supponuntur in eodem loco; impenetrata vero, quia sunt actu extensa, nam actualis extensio actualem impenetrationem importat.—**Resp.** *neg.* assertum, vel si mavis, *dist.:* essent penetrata simul et impenetrata respectu ejusdem vel secundum idem, *neg.;* essent impenetrata secundum proprias cujusque partes, et penetrata cum alienis partibus, *conc.* Quænam autem est repugnantia, ut naturalis exigentia actualis impenetrationis, quæ per impenetrabilitatem significatur, respectu quidem propriarum cujusque corporis partium expleatur, dum non expletur, impediente Deo, respectu partium alterius partis? Manifestum exemplum hujus non repugnantiæ habes in igne babylonico, qui eo ipso tempore, quo parcebat tribus sanctis pueris, voravit ministros regis (1).

(1) Vide librum *Daniel.* cap. 3.

Prob. anteced. principalis argumenti β). Effectus formales quantitatis in corporea substantia hunc servant ordinem, ut primus sit exigentia extensionis actualis, secundus actualis ipsa extensio, ac tertius repulsio cujusvis alterius extensi corporis a suo proprio loco: accidens enim subjecto inhærens effectum formalem tribuere debet prius secundum absolutum et intrinsecum modum se habendi in seipso, quam secundum extrinsecum et relativum modum se habendi respectu aliorum. Ergo sicut prius est ordine actualis extensionis exigentiam habere, quam ipsam actualem extensionem, ita etiam prius est duo hæc habere, quam actu excludere alia corpora e propio loco: et sicut exigentia extensionis non dependet in suo *esse* ab actuali extensione, ita hæc independens est a repulsione aliorum corporum a loco suo. Quare nulla cernitur repugnantia in eo, quod corpus, licet actu extensum, patiatur præsentiam alterius corporis pariter extensi intra suum locum.

γ) Denique corpora circumscriptive compenetrata retinerent suam quodque distinctionem, suam quodque actualem extensionem, suam quodque etiam impenetrabilitatem, seu exigentiam naturalem impenetrationis. Ubinam ergo est contradictio et repugnantia in circunscriptiva compenetratione?

Solvuntur difficultates.

264. **Objicies. 1.°** Corpora compenetrata eodem accidenti afficerentur, nempe loco utrique communi. Atqui nequit idem accidens in duplici subjecto recipi. Ergo repugnat duo corpora compenetrari.

Resp. *dist.* Major. Eodem accidenti extrinseco, *trans.;* intrinseco, *neg.*

Et *contradist.* Minori, neg. conseq. Quemadmodum superius monuimus præter extrinsecum locum alius intrinsecus distingui potest, quem si non vis appellare locum, non rixabor de voce, dummodo concedas ubicationem rei cuivis intrinsecam in eaque receptam (1). Corpora ergo compenetrata haberent quidem unum locum et quasi accidens extrinsecum, non autem unum modum vel accidens intrinsecum

(1) Vide supra num. 248; et *Ontologiam*, num. 373.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ubicationis, sed unum quodque præsens esset eidem spatio ac loco per suum *Ubi* proprium ac distinctum. Undenam autem probas mihi, quod duplici enti non possit absolute respondere unum dumtaxat extrinsecum accidens? Nonne etiam idem numero locus et spatium respondet successive multis corporibus? Atqui non magis repugnat, ut unum idemque accidens in duplici subjecto simul, quam successive recipiatur. Ergo nihil prorsus evincit objectio.

Objic. 2.° cum Durando. Duo corpora se repellunt ab eodem loco ratione quantitatis. Ergo manentibus quantitatibus, matne repugnantia illorum, ut sint in eodem loco: quæ nullo modo potest auferri, cum sit formalis effectus quantitatis.

Resp. *dist.* consequentis primum membrum. Manentibus quantitatibus, manet prædicta repugnantia naturalis et in ordine ad causas creatas, *conc.*; essentialis et in ordine ad omnipotentiam Dei, *neg.*; nam impenetratio non implicat negationem vel destructionem corporis extensi et naturaliter impenetrabilis, sed tantum statum præternaturalem.

Objic. 3.° Cum eodem. Fieri non potest, ut partes quantitatis successivæ sint simul duratione. Ergo nec partes quantitatis continuæ permanentis in eodem loco. Quia sicut de ratione extensionis succesivæ est prius et posterius in duratione ita de ratione permanentis est constitutio in diversis locis.

Resp. *neg.* conseq. et paritatem. Succesio enim esssentialiter importat extensionem in duratione secundum prius et posterius; ideoque repugnat successio sine hac extensione secundum prius et posterius, sicut etiam repugnat in corpore actualis extensio localis sine actuali positione partium ejus extra partes. At vero actualis expulsio alterius corporis e proprio loco non est de ratione corporis extensi, sed aliquid consequens; ac bene concipitur dari posse corpus actu extensum, quin actu repellat aliud e suo loco. Brevi, ex eo quod plures partes motus sint in eadem duratione, tollitur prorsus successio; at ex eo quod corpus extensum actu non repellat aliud a suo loco, non tollitur quantitas nec actualis extensio illius.

Objic. 4.° Duo corpora compenetrata distingui non possent; ea quippe distinguuntur, quæ divisa sunt, ac diversum

situm habent. Ergo eo ipso quod compenetrarentur, desinerent esse plura.

Resp. *dist.* Anteced. In seipsis non possent distingui, neque a Deo distinguerentur, *neg.*; a nobis ope sensuum, *trans.* Et *neg.* conseq. Transmisi autem alterum membrum distinctionis, tum quia nihil refert, quod a nobis discerni non possent corpora compenetrata, cum in seipsis vere essent divisa secundum proprias entitates et secundum proprium *esse* individuale; tum quia si prædicta corpora diversam figuram vel colorem haberent, possent etiam a nobis discerni.

Objic. 5.° Repugnat eumdem locum bis impleri. Atqui bis impleretur, si corpora compenetrarentur. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Per virtutem divinam *neg.*; naturaliter, *subdist.*: ex parte ipsius præcise loci, *neg.*, secus enim ne successive quidem posset a variis corporibus repleri; ex parte corporum ipsorum, quæ naturaliter non partiuntur aliud corpus eamdem simul eidem spatio præsentiam exhibere, *conc.*

Objic. 6.° Intelligi nequit, quomodo fieri possit compenetratio. Ergo rejicienda est.

Diversi modi explicandi compenetrationem.

Resp. *neg.* antec. Jam enim diximus tripliciter hanc rem explicari a Scholasticis: alii putant corpora actu extensa egere modo positivo superaddito, per quem fiant actu impenetrabiles et impenetratæ partes unius corporis cum partibus alterius corporis: unde ablato eo modo positivo per divinam virtutem nulla est repugnantia in duobus corporibus ad eumdem locum occupandum. Alii putant repulsionem duorum corporum ab eodem loco fieri per mutuam actionem contrariam: et quoniam nulla actio creaturarum exerceri potest sine divino concursu, potest Deus pro suo arbitrio secundum sapientiæ suæ consilium, denegare concursum ad prædictam repulsionem, et sic cessante prorsus ex defectu divini concursus mutua repulsione, corpora eumdem locunt occupant. Duo isti modi, quamvis satis perspicuum rei conceptum præbeant, ut minus probabiles a nobis rejecti sunt. Itaque arbitramur impenetrabilitatem duorum corporum concipiendam esse instar formalis cujusdam repugnantiæ et incompossibilitatis, ratione cujus exigant non

conservari a Deo simul in eodem loco. Quoniam autem hæc repugnantia et incompossibilitas tanta non est, ut præsentia unius corporis extensi in loco sit formaliter negatio alterius, nec negatio quantitatis vel extensionis nec præsentiæ illius in eodem loco, quemadmodum satis patet ex superius declaratis; haud ægre intelligitur, posse operatione divina superari repugnantiam illam.

Objic. 7.° Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia, et tamen actu compenetrari. Atqui id fieret, si duo corpora extensa eumdem occuparent locum. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in actu primo, id est actu exigere repulsionem mutuam, et tamen actu compenetrari, *neg.*, sicut non implicat ignem combustivum esse in actu primo, seu exigere combustionem, et actu non comburere. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in acto secundo, et tamen actu compenetrari, *conc.*, quia impenetrabilitas in actu secundo idem valet, ac impenetratio actualis.

Objic. 8.° Nequit dari forma sine suo effectu formali. Atqui expulsio alterius corporis a proprio loco est effectus formalis quantitatis. Ergo nequit corpus quantum compenetrari.

Resp. *dist.* Major.: nequit dari forma sine suo effectu formali primario et essentiali, *conc.*; sine suo effectu formali secundario et non essentiali, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Quomodo se habeant corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.

Quæres, quomodo se haberent duo corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.

Respondeo perinde se habitura esse, quantum est de se, ac si non essent penetrata, sive in agendo in alia externa corpora, sive patiendo ab aliis. Nihilominus si corpora ipsa compenetrata contrariis prædita essent qualitatibus, activitas unius retardaretur, ac modificaretur activitate alterius. Præterea neutrum ex corporibus compenetratis fortasse posset naturaliter loco moveri, altero immoto remanente; et ratio est, quia nequit dari in talibus corporibus motus localis, quin partes cum aliis novis partibus compenetrarentur,

nempe quin novæ darentur compenetrationes partium; at nulla compenetratio est possibilis sine miraculo. Ergo nisi novum Deus miraculum patret, nullum ex corporibus compenetratis loco moveri potest, alio immoto remanente (1).

ARTICULUS IV.

Utrum idem corpus possit replicari seu simul in pluribus locis adæquatis constitui.

Quid replicatio.

265. Aggredimur ultimam controversiam earum, quæ respiciunt corpus extensum respectu loci. Replicatio vel multilocatio est simultanea unius ejusdemque entis existentia in duobus vel pluribus locis totalibus seu spatiis adæquatis. Loci autem totales et adæquati sunt illi, quorum singuli sufficerent enti, spectata sua natura et modo consentaneo ubicationis: ut si ponas te simul esse hic et Romæ. Itaque non sufficit ad replicationem positio rei in multis partialibus locis, ut evenit in corporibus extensis, quæ quamvis habeant partes suas in totidem locis partialibus constitutas, nequeunt dici replicata, quia ex omnium illorum complexu locus eorum totalis et adæquatus resultat. Simili modo anima rationalis non est replicata, quamvis sit tota in singulis partibus corporis; quia locus illius adequatus est totum corpus, quod informat. Triplex distingui solet replicatio: *circumscriptiva* seu *quantitativa*, *definitiva* et *mixta:* circumscriptiva est propria dumtaxat corporum, obtinetque, cum corpus est multis in locis circumscriptive; definitiva datur, cum res in omnibus locis est definitive; mixta demum, cum corpus in uno loco est circumscriptive et in aliis definitive. Sic Dominus noster Jesus Chistus est replicatus mixta replicatione, in cœlo videlicet circumscriptive, et in sacramento definitive vel quasi definitive seu sacramentaliter.

et quotuples.

Quid certum et commune inter catholicos;

Jam quod possibilitatem replicationis attinet, omnes tenent unanimi consensu naturaliter repugnare. Omnes pariter catholici tenent contra Protestantes possibilem esse per divinam virtutem replicationem saltem definitivam et mixtam;

(1) Cfr. inferius dicenda de corpore replicato, in respons. ad objection. 9.am

Ad primam horum quæstionem quibusdam videtur Aristoteles negative respondere (1); verum probabilus est, Aristotelem non negare re vera possibilitatem motus in vacuo, sed potius contra veterum placita, qui vacuum necessarium esse ad hoc, ut motus detur, arbitrabantur, voluisse probare vacuum ex sese magis lationi obesse, quam illius causam esse. Verum quidquid sit de mente Philosophi, communissima tenet sententia Scholasticorum, paucis reclamantibus apud P. Antonium Rubium (2), motum in vacuo possibilem naturaliter esse, ut videre licet apud eumdem Rubium et Conimbricenses (3), Complutenses (4), Toletum (5), Sotum (6), Cardin. Aguirre (7), Joannem a S. Thoma (8), et Mastrium (9), qui omnes plurimique alii hanc tuentur doctrinam cum S. Thoma (10) Scoto (11) Philopono (12). Et ita tenendum est, ut egregie probatur a prædictis auctoribus (13).

Quod vero alteram quæstionem attinet, ex iisdem auctoribus disces motum corporum in vacuo non in instanti, sed tempore peractum iri.

ARTICULUS II.

An et quomodo omnia entia sint in loco.

255. Duo entium genera distingui possunt: alia spiritu alia, ut Deus, angeli et animæ rationales a corporibus separatæ, alia corporea. Præsentia quoque localis et ubicatio potest multiplex distingui, nempe *definitiva*, *circumscriptiva*

Quotuplex præsentia localis.

(1) *Physicor.*, lib. 4, cap. 8, text. 67 seqq.
(2) Rubius, *Physic.*, lib. 4, tract. *de vacuo*, quæst. 2.
(3) *Physicor.*, lib. 4, cap. 8 et 9, quæst. 4.
(4) *Physic.*, disp. 20, quæst. 3.
(5) *Physic.*, lib. 4, quæst. 9.
(6) *Physicor.*, lib. 4, quæst. 3, art. 2.
(7) *Physic.*, disp. 27, sect. 1.
(8) *Physic.*, quæst. 17, art. 2.
(9) *Physic.*, disp. 12, quæst. 3.
(10) *Physicor.*, lib. 4, lect. 12; et 4.ª dist. 44, quæst. 2, art. 1.
(11) 2.ª dist. 2, quæst. 9, ad 4.um
(12) In lib. 4.um *Physicor.*, text. 75, et in digressione de loco.
(13) Cfr. Lossada, *Physic.*, tract. 3, disp. 3, cap. 1, num. 26.

et sacramentalis, quibus addunt aliqui *infinitam* vel *interminatam*. Illud est interminate alicubi, quod nulli adstringitur loco, sed est ubique; ac soli Deo ratione suæ immensitatis competit hujusmodi ubicatio. Præsentia definitiva et circumscriptiva in eo conveniunt, quod ut ipsæ voces satis innuunt, ambæ sint alligatæ certo spatio, extra quod res nullibi sit. In eo tamen differunt, quod res, quæ definitive est in loco aliquo vel spatio, tota sit in toto illo ac tota etiam in singulis illius partibus; circumscriptive autem dicitur esse in loco id, quod ita certum locum occupat, ut pars sit in parte ac totum in toto loco, ac proinde cœxtendatur illi (1). Sacramentalis denique præsentia convenit cum definitiva in eo, quod res, quæ sacramentaliter est in loco, tota sit intra ambitum illius, ac tota etiam in singulis partibus illius, ac propterea quidam ubicationem istam ad definitivam revocandam esse ducunt. Differt nihilominus aliquo modo a definitiva, quia res, quæ præsens est alicubi definitive, ita natura sua alligatur ad suum locum, ut extra limites illius non possit esse; id autem quod sacramentaliter est alicubi, potest alibi etiam esse illo eodem modo. Præsentiam sacramentalem, ut Fide docemur, habet Christus Dominus in Eucharistia, qui sic intra ambitum sacramentalium specierum continetur totus in toto, ac totus in singulis illarum partibus, ut non definiatur ad unam hostiam vel tabernaculum, sed possit esse pari modo, ubicumque adsit hostia consecrata. Et propterea multi distinguunt præsentiam sacramentalem a definitiva, quamvis dissensio auctorum hac in re solum possit esse de modo loquendi. Quod est interminate alicubi, nempe Deus, solum improprie dici potest esse in loco; quia esse in loco videtur ex modo communi loquendi aliquam alligationem ad certum ac determinatum spatium importare. Propriissime autem ea dicuntur esse in loco, quæ sunt circumscriptive.

Deus proprie non est in loco.

Alii quoque modi essendi in loco describuntur a S. Thoma, quos utile judico hic referre. Esse namque in loco significat aliquam determinationem ad locum. At *quod aliquid*

Alii modi essendi in loco describuntur.

(1) Præsentiam hanc duplicem, definitivam et circumscriptivam, egregie declarat S. Augustinus epist. 166 (el. 28) ad Hieronymum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

determinetur ad locum aliquem, hoc non est, nisi in quantum per aliquem modum applicatur ad locum illum, et non ad alium. Hæc autem applicatio vel intelligitur secundum situm aut contactum, vel secundum formam vel secundum operationem aliquam. **Secundum formam**, *sicut anima est in corpore; quo modo angelus in re locali esse non potest, cum non sit actus corporis.* **Secundum determinatum situm**, *sicut punctus in linea, quam determinant: quo modo angelus in loco non est, quia essentia ejus omnino a situ absoluta est.* **Secundum contactum**, *sicut in loco est corpus. Contactus autem dicitur dupliciter: proprie et metaphorice.* **Proprie tangere est habere ultima simul.** *Et patet, quod hoc angelo convenire non potest. Tactus autem metaphoricus est per actionem, sicut dicitur contristans* **tangere**; *et iste tactus angelo potest convenire* (1). Inter hos modo præsentiæ localis ex Angelico Doctore relatos præcipue notandus est ille, qui dicitur per contactum sive proprium sive metaphoricum. Contactus proprius vocatur etiam *quantitativus*, metaphoricus vero *contactus virtutis* vel *per operationem:* contactus quantitativus vel per quantitatem dimensivam consistit in eo, quod duo se tangant eo modo, quo se tangunt corpora quanta, nimirum ita ut sola extrema seu superficies sint simul, et quidem una pars cum una parte alterius superficiei et altera cum altera: hunc contactum habent cum loco ea, quæ sunt circumscriptive. Contactus virtutis in eo consistit, quod virtus unius applicetur, vel exerceatur circa aliud, id quod fit per operationem, *ita tamen*, ut rem explicat S. Thomas, *quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quæcumque unitio, quæ sua virtute se corpori unit* (loquitur de Angelo S. Doctor), **præsidendo** *vel* **continendo** *vel* **quocumque alio modo** (2). Duplicem hunc contactum sæpe meminit Aquinas (3), et egregie quoque declarat discrimen utriusque: *Differt tactus virtutis a tactu corporeo in tribus:* **Primo** *quidem quia hoc tactu* (virtutis) *id, quod est indivisibile potest tangere divisibile: quod in tactu corporeo non potest*

nempe secundum formam,

et secundum contactum, sive quantitativum sive virtualem.

Discrimen inter contactum quantitativum et virtutis.

(1) S. Thom. 1.a dist. 37, quæst. 3, art. 1.
(2) S. Thom., *Quodlib.* 1. art. 4.
(3) Vide v. g. loc. nup. cit.; et 1 p., quæst. 8, art. 2, ad 1.um et 2.um; quæst. 52, art. 1, quæst. 53, art. 1, quæst. 75, art. 1, ad 3.um, etc.

accidere, nam puncto non potest tangi nisi indivisibile aliquod; substantia autem intellectualis quamvis sit indivisibilis, potest tangere quantitatem divisibilem, in quantum agit in ipsam. Alio enim modo est indivisibile punctum et substantia intellectualis; punctum quidem est sicut quantitatis terminus, et ideo habet situm determinatum in continuo, ultra quem porrigi non potest; substantia autem intellectualis est indivisibilis quasi extra genus quantitatis existens: unde non determinatur ei indivisibile aliquid ad tangendum. **Secundo** (differt uterque contactus), *quia tactus quantitatis est solum secundum ultima; tactus autem virtutis est ad totum, quod tangitur* (i. e. circa quod virtus et operatio exercetur): *sic enim tangitur, secundum quod patitur, et movetur; hoc autem fit secundum quod est in potentia; potentia vero est secundum totum, et non secundum ultima totius: unde totum tangitur. Ex quo patet* **tertia differentia**; *quia in tactu quantitatis, qui fit secundum extrema, oportet esse tangens extrinsecum ei, quod tangitur; et non potest incedere per ipsum, sed impeditur ab eo; tactus autem virtutis, qui competit substantiis intellectualibus, cum sit ad intima, facit substantiam tangentem esse intra id, quod tangitur, et incedentem per ipsum sine impedimento* (1).

Ut vero jam ad propositam quæstionem respondeamus, sit.

256. PROPOSITIO 1.a **Substantiæ spirituales nequeunt esse in loco circunscriptive, sed tantum definitive ac per contactum virtutis; substantiæ vero corporeæ constituuntur in loco circunscriptive.**

Substantiæ spirituales non sunt in loco circumscriptive, sed tantum definitive.

Propositio, supposita terminorum explicatione, quam in antecessum præmissimus, vix eget probatione. **Primo** dicimus spirituales substantias non posse esse in loco circumscriptive. Ratio vero in promptu est. Nequit enim esse in loco extense ac per partium commensurationem, quod partibus penitus caret. Atqui omnis substantia spiritualis caret partibus. Ergo... Unde substantiæ spirituales sunt definitive. Certum enim est ejusmodi substantias ubicari posse intra certum aliquem locum, si possunt circa corpora suam excercere

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 56, paragr. *Est autem quidam.*

virtutem atque operationem, eamque restrictam ac determinatam ad limitatum aliquod spatium et locum. Atqui possunt substantiæ spirituales, ac nominatim angeli, ut supponimus ex Theologia, virtutem exercere circa corpora: eam autem non nisi ad certum spatium restrictam exercere possunt, quia ubique posse operari simul et per modum unius, est virtutis duntaxat infinitæ, qualem angeli non habent (1). Ergo substantiæ spirituales sunt per contactum virtutis ac definitive ita, ut non excurrat earum præsentia ultra certum spatium (2). Aliunde vero non sunt in spatio indivisibili, ut quidam putaverunt, *imaginationem transcendere non valentes et indivisibilitatem angeli ad modum indivisibilitatis puncti cogitantes. Sed manifeste decepti sunt: nam punctum est indivisibile habens situm, sed angelus est indivisibile extra genus quantitatis et situs existens. Unde non est necesse, quod determinetur ei unus locus indivisibilis secundum situm; sed vel divisibilis vel indivisibilis, vel major vel minor, secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus majus vel minus. Et sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus* (3). Si ergo substantiæ spirituales intra certum spatium, tamquam locum earum adæquatum, contineantur, oportet, ut totæ sint in singulis partibus, ac proinde definitive ac spirituali modo. Verum hæc quatenus respiciunt angelos, theologica sunt, solumque summatim hic tractantur ad doctrinæ complementum melioremque rei intelligentiam.

Quod vero anima rationalis sit definitive in corpore, quod informat, patet ex ejus munere ac fine. Si enim forma est corporis, ut suo loco probabitur, necesse est, ut actuet corpus ac vivificet, atque adeo debet esse ubicumque officium istud exerceat, et quidem tota in singulis partibus, quas informat, quia simplex est atque indivisibilis. Idipsum,

(1) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 52, art. 2; et quæst. 53, art. 1; 1.° dist. 37, quæst. 3, art. 2.

(2) Nolumus tamen hic definire, sed Theologis difiniendam relinquimus quæstionem illam, utrum præsentia definitiva angeli in loco immediate fundetur in operatione, an in ejus substantia.

(3) S. Thom. 1 p. quæst. 52 art. 2; 1.° dist. 37, quæst. 3, art. 2; lib. 2.° *Contr. Gent.* loc. nup. cit

quod de anima rationali diximus, dicere debent de omnibus formis ii, qui eas indivisibiles esse putant. Quamvis formas quidem corporum non viventium jam diximus non esse indivisibiles; quid autem de formis viventium seu de animabus tenendum sit, suo loco, Deo volente, dicemus.

Denique quod corpora circumscriptive sint in loco, patet primum experientia: deinde ratione, quia corpora sunt extensa, extensa vero habent partes extra partes; at quæ habent partes extra partes nequeunt omnes illas in singulis spatii aut loci partibus constituere, sed singulas singulis adaptatas commensuratasque.

corpora vero circumscriptive.

Hinc facile capies, cur a S. Thoma dicantur angeli esse in loco *æquivoce*, nempe comparatione facta cum modo, quo sunt corpora in loco. *Angelo convenit esse in loco*, inquit: *æquivoce tamen dicitur angelus esse in loco et corpus. Corpus enim est in loco, per hoc, quod applicatur loco secundum contactum dimensivæ quantitatis, quæ quidem in angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet, quod non oportet dicere, quod angelus coæmensuretur loco, vel habeat situm in continuo; hoc enim convenit corpori locato, prout est quantum quantitate dimensiva* (1).

Cur angeli dicantur esse in loco æquivoce.

Simili modo intelligitur id, quod alibi docet Angelicus, corpora quidem *contineri a loco*, secus vero substantias spirituales. *Nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream*, continet ipsam, et non continetur ab ea. *Anima enim est in corpore ut continens, et non ut contenta; et similiter angelus dicitur esse in loco corporeo, non ut contentum, sed ut continens aliquo modo* (2).

Corpora quidem continentur a loco; secus substantiæ spirituales.

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 52, art. 1. Cfr. ib. quæst. 53, art. 1.; et 1.° dist. 37, quæst. 4, art. 1.

(2) S. Thom., 1. p., quæst. 52, art. 1. Cfr. ib. quæst. 53, art. 1 et 2 fin.; et 1 p., quæst. 8, art. 1 ad 2.um etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

257. PROPOSITIO 2.ª **Quamvis ratio, cur corpora sint in loco circumscriptive, repetatur ex quantitate dimensiva; non tamen absolute ac metaphysice repugnat, ut corpora, etiam affecta quantitate, definitive constituantur in loco.**

Corpora sunt in loco circumscriptive ratione quantitatis.

Prima pars: *corpora sunt in loco circumscriptive ratione quantitatis;* non eget probatione. Etenim ratio, cur corpora constituuntur in loco circumscriptive, est actualis eorumdem extensio, qua fit ut partes integrantes ex interna exigentia aliæ sint extra alias. Atqui actualis extensio provenit a quantitate, ut jam abunde declaratum est. Itaque nec substantia corporea, nec materia prima, nec forma substantialis, nec qualitates, nec ulla corporis accidentia sunt in loco circumscriptive ratione sui, sed sola quantitas, et ratione illius reliqua omnia: quia sicut sunt extensa propter quantitatem, ita etiam propter solam illam commensurantur loco.

non repugnat tamen corpora etiam quanta esse in loco definitive.

Secunda pars: *non repugnat absolute, ut corpora, etiam quantitate affecta, constituantur in loco definitive.* Ex præcedenti parte propositionis plane sequitur corpora, si spoliarentur quantitate, non futura esse in loco circumscriptive, seu modo quantitativo. Nunc autem probare volumus, nullum absurdum secuturum esse, si corpora, adhuc retenta quantitate, privarentur modo ubicationis circumscriptivæ. Unde ulterius infertur, posse Deum per miraculum corpora definitive constituere in spatio, quamvis id per nullam causam naturalem fieri possit. Res porro facile probatur supposita certa et communi Theologorum doctrina. Nam certum est in Sma. Eucharistia Corpus Christi Domini quantum esse. Atqui non minus certum est, idem Corpus sanctissimum non esse circumscriptive in venerabili Hostia, sed totum in tota et totum pariter in singulis partibus Hostiæ, præsentia videlicet sacramentali vel definitiva. Ergo... Isto autem facto certo supposito, possumus etiam rationem rei reddere, ex formali effectu quantitatis desumptam. Nam quantitatis proprium est munus, reddere corpoream substantiam extensam. Sed in extensione duo possunt distingui: ipsa actualis positio partium extra partes, et interna exigentia ponendi partes alias extra alias: fere sicut in igne distingui potest ipsa combustio actualis et vis exigens comburere, et generatim in

omnibus proprietatibus physicis distingui potest exigentia certi actus vel muneris, et actus ipse secundus conformis tali exigentiæ. Quæ duo, plane intelligitur non repugnare, ut invicem separentur ita, ut possit actus secundus, manente primo, abesse. Et hoc pacto solent explicari multa miracula, quæ contra naturæ vires et exigentias divinitus fiunt. Ad hunc ergo modum plane concipitur, illud esse quantitatis munus penitus inseparabile, ut reddat substantiam *aptitudinaliter extensam*, seu exigentem partes habere alias extra alias, et consequenter locare illas circumscriptive, ita tamen ut etiamsi non detur actualis extensio et actuali extensioni respondens ubicatio circumscriptiva, non repugnet salvam manere essentiam ipsam realitatemque quantitatis (1).

258. PROPOSITIO 3.ª **Extrema superficies molis mundanæ non est actu in loco, sed tantum potentia.**

Variæ fuerunt hac de re veterum sententiæ, ut videre est apud Conimbricenses (2) aliosque auctores (3). Verum res breviter expediri potest.

Extrema superficies mundi non est actu in loco,

Probatur primum. Locus est ultima superficies corporis ambientis. Ergo ubi nulla est superficies aliud ambiens, actu locus esse nequit. Atqui extrema mundanæ molis superficies non habet ulteriorem superficiem, qua circundetur et contineatur. Ergo.

sed tantum potentia

Probatur alterum. Quia ultra extremam, qua nunc de facto mundus terminatur, superficiem dari possent per divinam virtutem alia corpora, quorum profecto ultimæ superficies rationem veri loci haberent respectu actualis hujusce mundi. Potest ergo hic mundus locum habere, quamvis actu non habeat; atque adeo est in loco potentia.

Quo pacto partes interiores cujusvis corporis possint

Alio modo possunt, solentque dici partes interiores continui esse potentia in loco, quatenus nempe possunt dividi a toto, et quidem tali modo, ut alia contineat, et circumscribat

(1) Cfr. ea quæ superius scripta sunt de formali quantitatis effectu.

(2) *Physicor.* lib. 4, cap. 5, quæst. 2.

(3) Vide etiam Rubium (Ibid. tract. *de Natura loci*, quæst. 4), Toletum (Ibid. quæst. 7), Benedictum Pererium (*de communibus* etc. lib. 11, cap. 8), Complutenses (*Physic.* disp. 19, quæst. 6), et Masrium (*Physic.* disp. 11, quæst. 4, art. 1).

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN DE BIBLIOTECAS

dici etiam esse potentia in loco.

aliam. Itaque quamvis partes continui, quamdiu sunt unitæ, non ita comparentur invicem, ut aliæ aliarum sint actu locus veri nominis, possunt tamen, divisione peracta, rationem conditionemque loci respectu aliarum assequi. Plura si cupis, apud priscos scriptores require.

ARTICULUS III.

An diversa corpora possint simul in eodem esse loco.

259. Quæstionem istam ad sola corpora restringimus, quia dubium non est, quin spiritus possint tum inter sese, tum etiam simul cum corpore naturaliter penetrari. Præsentia duorum vel plurium corporum in eodem loco vocatur *penetratio* vel *compenetratio*. Penetratio vero potest magis minusve proprie sumi, primo quidem pro ingressu corporis unius in aliud ope divisionis partium: quo pacto pugio et gladius penetrant secando corpus. Secundo penetrare dicitur sine divisione illud, quod ingreditur aliud, poros et interstitia inter partes ejus relicta occupando: sic aqua penetrat spongiam, et aër poros corporum replet. At sensu proprio penetratio obtinet cum unum corpus eumdem cum alio locum tenet, atque partes unius et alterius eidem prorsus spatio sunt præsentes; et ejusmodi penetratio dicitur *compenetratio*, differtque a prioribus penetrationibus in eo, quod in illis partes unius, quæ intra partes alterius esse dicuntur, reapse sunt solum juxta positæ ac proximæ partibus illius, nullæ tamen eumdem numerice locum vel eamdem loci partem occupant, ac proinde non sunt nisi apparentes quædam compenetrationes: quare compenetratio proprie dicta opponitur impenetrabilitati, quam diximus esse formalem effectum quantitatis. Quæstio ergo nunc proposita respicit veri nominis compenetrationem vel plurium corporum in eodem loco constitutionem. Qua de re communis est, paucis exceptis ea veterum pariter ac recentiorum persuasio, plura corpora esse in eodem loco naturaliter non posse. Difficultas ergo solum esse potest circa possibilitatem compenetrationis per virtutem divinam. Catholici communiter tenent posse divinitus plura corpora compenetrari, vel eumdem

Quid penetratio, et quotuplex.

Quid proprie compenetratio.

Status quæstionis.

locum occupare, reclamantibus Protestantibus aliisque hæreticis ac rationalistis. Ut porro res melius et accuratius declaretur, nota compenetrationem trifariam concipi posse; primo ablata quantitate saltem ab uno corpore: et hoc modo supposita possibilitate hujus ablationis, quæ omnino concedenda videtur, planum est compenetrationem minime repugnare; quandoquidem corporea substantia ex sese non habet impenetrabilitatem, sed eam a quantitate accipit. Secundo intelligi potest corporum compenetratio fieri retenta quidem quantitate, sed impedita extensione actuali saltem in uno illorum: et neque sic est ulla inter catholicos controversia, nam de facto in Sma. Eucharistia hoc modo habetur compenetratio Corporis Domini cum quantitatibus panis et vini (1). Tertio ergo concipi potest compenetratio ita, ut corpora, suam retinentia non solum quantitatem, sed etiam actualem extensionem vel modum essendi quantitativum, eumdem prorsus occupent locum. Et in hoc sensu videtur Durandus rem hanc tractasse problematice, utramque sententiam, et ajentem et negantem, probabilem existimans (2); quam Durandi doctrinam probabilem reputavit Paludanus apud Suarez (3). Eamdemque sententiam Cardin. Lugo (4) pluribus antiquis et recentioribus suppresso nomine tribuit: et ab aliis etiam Scoto (5) tribuit solet, licet Mastrius Subtilem Doctorem ab hac calumnia purgat (6). Verum communis Theologorum Philosophorumque christianorum sententia est, posse per divinam virtutem plura corpora constitui in eodem loco non solum definitive, sed etiam circumscriptive, seu non solum impedita in omnibus vel saltem in uno actuali extensione, sed etiam ita, ut omnia et singula retineant suam extensionem, et per eam locum

(1) Hos duos tamen modos non vere nomen mereri compenetrationis putat Suarezius (*de Eucharistia*, disp. 48, sect. 4, probat. 3.ª propositionis 3.ª).

(2) Vide Durandum 4.ª dist. 44, quæst. 6.

(3) *De Mysteriis Vitæ Christi* (tom. 3.º *de Incarnat.*), disp. 48, sect. 5.

(4) *De Eucharist.* disp. 5, sect. 1, num. 7.

(5) 4.ª disp. 40, quæst. 16, ad 2.um

(6) *Physic.* dist. 11, quæst. 7, num. 101.

repleant. Ita S. Thomas (1), S. Bonaventura (2), Henricus Gandavensis, Richardus, Argentinas (3), Scotus (4), Capreolus (5), Suarez (6), Lugo et Conimbricenses (7), Cardin. Bellarminus (8), Valentia (9), Rubius (10), aliique innumeri auctores, quos supervacaneum judico referre, jam enim dudum doctrina hæc communis in scholis catholicis evasit.

Quo pacto duo corpora se invicem repellant ab eodem loco.

Quæstionem porro istam plene tractare non possumus, quin dispiciamus, quomodo corpus unum excludat aliud e suo loco. Recentiores enim sat frequenter, et quidam etiam veteres (11), putant id fieri per efficientiam quamdam et activitatem, quam *vim resistendi* vocant, cujus ope corpus locum unum non sinit aliud corpus suum ingredi. Probabilior tamen est aliorum sententia, qui cum S. Thoma (12), Suarez (13), Antonio Rubio (14), Alphonso Malpartidensi (15), Rhodes (16), Hurtado (17) aliisque docent duo corpora se invicem excludere ab eodem loco, non per efficientiam aliquam vel activitatem, quam alterum in alterum exerceat, sed per quamdam formalem repugnantiam et

(1) 3 p. quæst. 54, art. 1; 4.ª dist. 44, quæst. 2, art. 2, solut. 3; opusc. *de Trinit.* super Boet., quæst 4, *de his quæ ad causam pluralitatis pertinent*, art. 3.

(2) 4.ª dist. 49, part. secund. art. 4. quæst. 1.

(3) Apud Conimbricenses (*Physic.* cap. 5, quæst. 4, art. 2), Complutens. (*Physic.* disp. 19, quæst. 7, num. 56), Joann. a S. Thom. (*Physic.* quæst. 16, art. 4).

(4) Loc. nup. cit.

(5) 4.ª dist. 44. quæst. 3, art. 3

(6) *De Mysteriis Vitæ Christi*, loc. cit.

(7) Locis citatis.

(8) *De Eucharist.* lib. 3, cap. 6.

(9) *De Incarnat.* disp. 2, quæst. 2, punct. 2; et quæst. 5, punct. 2.

(10) *Physic.* lib. 4, tract. *de natura loci*, quæst. 6.

(11) Ita v. g. Ovied us (*Physic.* Controv. 15, punct. 11).

(12) S. Thom. 4.ª disp. 44, quæst. 2, art. 2; 3 p. (Suplement.) quæst. 83, art. 2, 3; *Quodlib.* 1, art. 21.

(13) *Metaphys.* disp. 43, sect. 1, potissim. num. 9, 10.

(14) *Physic.* tract. *de natur. loci*, quæst. 6, num. 65; et *de Gener. et corrupt.* lib. 1, cap. 9, quæst. 1.

(15) *Physic.* disp. 22, sect. 9, a num. 60.

(16) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 4, quæst. 1, sect. 5; et disp. 10, quæst. 1, sect. 3.

(17) *Physic.* disp. 9, sect. 10.

incompossibilitatem: unde colligunt impenetrabilitatem corporum vel resistentiam, quam opponunt, ne alia locum suum simul teneant, exerceri non in genere causæ efficientis, sed *quasi* in genere causæ formalis. Alii demum actualem impenetrationem dicunt consistere in modo quodam corpori actualiter extenso superadditum, qui naturaliter inest illi, dum autem inest, impossibile est prorsus duo corpora eumdem tenere locum; qui tamen potest auferri per virtutem divinam, eoque ablato, possunt jam corpora compenetrari.

260. PROPOSITIO 1.ª **Actualis impenetratio nihil intrinsecum addit supra extensionem actualem corporum se repellentium ab eodem loco.**

Actualis impenetratio nihil intrinsecum addit supra extensionem.

Prob. 1.º Eo enim ipso quod corpus sit actu extensum, jam habet partes suas in diversis partibus loci constitutas. Et etiamsi nihil aliud superaddatur supra earum entitatem quantam, jam sufficienter intelligitur, sicut ipsæ sunt ex interna exigentia aliæ extra alias, ita etiam debere esse extra quaslibet alias partes cujuslibet alterius corporis.

Dices. Actualis extensio localis, qua partes ejusdem corporis sunt aliæ extra alias, est, prout nos ipsi docuimus, modus quidam distinctus a quantitate. Ergo actualis etiam impenetratio cum alio quanto, ratione cujus partes unius corporis repellunt partes alterius, in modo simili consistere dicenda est.—**Resp.** *neg.* parit. Modus enim, quem diximus addere actualem extensionem supra quantitatem, non est nisi modus ubicationum distinctarum singulis partibus ex insita quantitatis exigentia convenientium. Quantitas enim licet tribuat seipsa formaliter et essentialiter partibus *exigentiam* occupandi diversum locum, seu mutuo se repellendi; actum tamen istius exigentiæ non tribuit seipsa formaliter, sed per modum superadditum distinctarum ubicationum. At vero cum partes unius corporis jam actu sunt ubicatæ distinctis ubicationibus per actualem extensionem, non apparet ulla necessitas novi modi superadditi ad conservandum suum locum ab eoque repellendas alias cujusvis corporis partes. Quod ut amplius pateat.

Probatur præterea assertio ex eo, quod impenetratio actualis concipitur a nobis, et videtur esse quoque reipsa, pura

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

negatio penetrationis. Atqui modus nequit esse pura negatio. Id porro melius intelliges, si unum dumtaxat fingas in mundo corpus. Amove ab hoc corpore, quidquid non identificetur cum sua entitate et actuali extensione. Corpus istud profecto actu impenetratum est. Quod autem corpus istud sit actu impenetratum, non potest consistere in modo, nec in ulla re positiva.

Dices iterum. Corpus actu penetratum et corpus actu impenetratum differunt. Atqui nequeunt differre, nisi ponamus aliquem modum in corpore actu impenetrato. Ergo... Et confirmatur, quia impenetratio actualis potest separari a corpore actu extenso et impenetrabili. Ergo actualis impenetratio aliquid superaddit.—**Resp.** Corpus impenetratum et corpus penetratum necesse non est, ut intrinsece differant, sed satis diferunt in obliquo per connotionem ad aliud corpus, quod sit, vel non sit simul in eodem loco per virtutem et efficientiam divinam. Ideoque nec est necesse, ut actualis impenetratio quidpiam intrinsecum addat supra corpus extensum et impenetrabile (1).

261. PROPOSITIO 2.ª **Plura corpora naturaliter nequeunt sese compenetrare, seu simul in eodem loco, constitui.**

Duo corpora nequeunt naturaliter sese compenetrare.

Prob. 1.º Experientia ipsa. Est enim hoc factum constantissimum in natura, ut corpora omnia, quæ subjici observationi possunt, sive dura ea sint, sive mollia, sive solida, sive liquida, sive aëriformia, penetrationi resistant: videbis quidem corpora quædam, urgente alio, comprimi et in exiguum volumen contrahi, aut etiam loco cedere, at nunquam videbis duo corpora eamdem prorsus ubicationem habere, idemve occupare spatium.

Prob. 2.º Ratio, cur corpus constituitur in loco circumscriptive, est impenetrabilitas, cujus ope partes aliæ extraalias truduntur invicem, actualem extensionem efficiendo. Ergo ubicumque adest impenetrabilitas, naturaliter sequi debet actualis repulsio quarumcumque partium, etiam alieni corporis: eadem enim viget ratio, immo major, ut partes

(1) Cfr. Rhodes (Oper. cit. lib. 2, disp. 4, sect. 5, paragr. 3), Lugo (loc. cit.), Arriaga (*Physic.* disp. 14, sect. 7, num. 118, 119), etc.

alterius corporis, quam proprias, repellat; siquidem partes propriæ corporis ejusdem unam totam substantiam conflant invicem copulatæ. Atqui omnia corpora vi quantitatis habent naturaliter inpenetrabilitatem. Ergo debent se invicem a proprio loco repellere. Apposite S. Thomas: *Corpus humanum* (idem prorsus intellige de quovis alio) *probibetur esse cum alio corpore in eodem loco. Est ergo considerandum, quid sit hujusmodi probibens... Et... dicendum est, quod hoc probibens nibil est aliud, quam dimensiones, quibus substat materia corporalis: necesse est enim, ut id quod est per se, sit in unoquoque genere. Distinctio autem secundum situm primo et per se convenit quantitati dimensivæ, quæ definitur esse quantitas positionem habens: unde et partes in subjecto ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm, quod sunt subjectæ dimensioni. Et sicut est distinctio diversarum partium unius corporis secundum diversas partes unius loci per dimensiones; ita propter dimensiones diversa corpora distinguuntur secundum diversa loca* (1).

Dices: α) vas plenum cinere, potest adhuc aquam in se recipere: β) lux est in aëre simul cum ipso, et in ferro candenti ferrum ignis penitus permeat: γ) panis in aquam injectus madescit, eaque quaquaversus imbuitur: δ) similiter forma materiam, variæque qualitates totum corpus pervadunt. Atqui hæc aliaque id genus videntur compenetrationem præ se ferre.

Resp. *neg.* Minor. Nam α) primum horum solum probat inter particulas cineris aërem delitescere, quo expulso remanet in vase locus aquæ, ut simul cum cinere contineatur absque veri nominis compenetratione. Ad β) respondetur lucem non esse corpus, sed qualitatem corpoream: similiter in ferro candenti non est aliud corpus præter ipsum ferrum calore accidentaliter modificatum. Tertium quoque γ) quod objiciebatur, nullum facessit negotium; siquidem aqua re vera non compenetratur cum pane, sed partes illius intra poros hujus ac meatus excipiuntur, unde fit etiam ut panis ex aquæ contactu madefiat, et accidentaliter mutetur. Itaque in his aliisque similibus exemplis non datur nisi vulgaris et

(1) S. Thom., *Quodlib.* 1, art. 21.

Impropria compenetratio, nempe intromissio unius corporis intra meatus alterius ?) Denique quod materiam et formam attinet variasque corporum qualitates, negandum est supposito. Nam neque materia est corpus, neque forma nec qualitates, nec omnia hæc *intra idem corpus* diversa afficiuntur quantitate, sed una dumtaxat omnibus communi. Nihil ergo mirum, si sub singulis partibus integrantibus ejusdem quantitatis singulæ partes formæ singulas materiæ actuent in eodem spatio, itemque singulæ partes qualitatis singulas partes corporis. Et ratio est, quia singulæ partes integrantes corporis plenam essentiam ejusdem sortiuntur: ergo materia et forma intime unitis ac penetratis constent, oportet, pariterque specificis qualitatibus ex tali essentia manantibus. Aliter dicendum est de materia et forma qualitatibusque *diversorum corporum*; quia diversis quantitatibus afficiuntur, ab iisque invicem impenetrabiles redduntur.

262. Propositio 3.ª **Corpora non videntur se invicem repellere ab eodem loco efficienter seu per vim aut impulsum sibi invicem impressum, sed quasi in genere causæ formalis, nimirum per formalem incompossibilitatem.**

Corpora non se repellunt ab eodem loco effective, sed potius formaliter.

Probatur. Quod unum corpus non repellat aliud ab eodem loco in genere causæ efficientis, nimirum agendo in illud, ac impulsum aliquem imprimendo, videtur experientia ipsa quodammodo probari. Si quis enim manum aut aliam partem corporis admoveat parieti vel lapidi vel ligno, etc., usque ad contactum, nullum profecto impulsum ex eo provenientem experitur. Quod si in corporibus liquidis et aëriformibus dantur pressiones in omnem directionem, illæ non sunt effectus impenetrabilitatis, sed tantum naturales conatus virtutis cujusdam expansivæ. Idem quoque persuadet ratio: nam cum impenetrabilitas sit formalis effectus quantitatis, si repulsio, qua corpus unum prohibet, ne alterum ingrediatur suum locum, foret actio aliqua, ea refundenda esset in ipsam quantitatem. Atqui quantitas non est per se ipsam activa nec principium ullius efficientiæ, ut jam probatum est in *Ontologia* (1).

(1) *Ontolog.* num. 309, pag. 1149.

Hinc vero sequitur impenetrabilitatem ac repulsionem corporum ab eodem loco ad genus causalitatis formalis revocandam esse. Quamquam enim corpus quantum non se habeat proprie ad locum tamquam forma ejus, nihilominus in ordine ad impenetrationem cum alio servat analogiam quamdam cum vera propriaque forma. Sicut enim una forma, etiamsi activa non sit, non patitur secum existentiam alterius formæ contrariæ in eodem subjecto, ita etiam corpus quantum incompossibile est simul cum alio in eodem loco, ac proinde naturaliter exigit, ut in sensu composito præsentiæ suæ in eo Deus non conservet præsentiam alterius. Et ideo ipsum resistit, ne aliud accedat ad suum locum; et si nulla vis extrinsecus per aliquam efficientem causam inferatur, de facto nullum aliud corpus eodem penetrabit. Quod si, ut sæpe fit, vis inferatur impulsu aliquo extrinsecus impresso, prius recedit ipsum e suo loco, ut alterum in illum subintret. Quamobrem duplex distinguenda est cum pluribus priscis scriptoribus resistentia (1): *positiva* et *negativa*. Positiva est illa, qua retardatur actio agentis, eo quod passum producat in eo aliquid contrarium. Hujus rei exemplum manifestum habes in luctantibus contraque nitentibus: qui enim alteri vim facienti positive resistit, contrario in illum impresso impulsu actionem illius infirmat, aut etiam penitus elidit, atque enervat. Hujusmodi resistentia vera est actio, unde etiam activa appellari solet; potentiaque, unde proficiscitur, activa potentia est. Negativa resistentia est non admissio vel retardatio actionis agentis proveniens ex incompatibilitate seu repugnantia alicujus formæ cum forma, quam agens conatur introducere. Ad hujus generis resistentiam nulla requiritur actio, sed sufficit mera contrarietas et incompossibilitas formarum, ideoque vocari etiam solet *formalis*, quamquam formalis resistentia non videtur universaliter identificari cum negativa. Cum enim dentur formæ, quæ etiam activæ sunt, resistentia formalis licet non exigat, sed neque necessario

Duplex resistentia: *positiva* et *negativa* et formalis.

(1) Vide Suarez (disp. 43, *Metaphys.*, sect. 1, num. 9 et 10), Rubium (*de Generat. et corrupt.* lib. 1, cap. 9, quæst. 1), Rhodes (Op. cit., lib. 2, disp. 10, quæst. 1, sect. 3), Hurtadum (*Physic.* disp. 9, sect. 10), Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 3, cap. 5).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

excludit actionem, sicut negativa, sed potest conjuncta esse cum illa. Potest ergo corporum inpenetrabilitas optime declarari absque ulla actione, per modum formalis incompossibilitatis vel negativæ formalisve resistentiæ.

Dices. Si duæ quantitates formaliter vel negative se excluderent ab eodem loco, deberent esse contrariæ. Atqui non sunt: quia ut superius cum Aristotele docuimus, cum quantitatis proprietates explicaremus, quantitas contrarium non habet. Deinde falsum est, quantitatem habere rationem formæ respectu loci, nam occupatio loci non fit per informationem. Ergo nequit aliam in genere causæ formalis repellere.

Resp. Quantitates quidem non esse invicem contrarias, habere tamen quamdam analogiam cum contrariis; quia sicut contraria simul esse non possunt in eodem subjecto, sed se invicem repellunt, ita etiam in eodem loco duæ quantitates vel duo quanta simul esse nequeunt, prout jam probatum est. Inde etiam fatemur quidem quantitatem non habere veram rationem formæ respectu loci, ac proinde non diximus simpliciter repulsionem duorum corporum fieri proprie in genere formalis causæ; sed ad illud revocari quodammodo posse, quia fit absque actione ad eum modum, quo duæ formæ contrariæ sunt simul incompossibiles in eodem subjecto.

263. PROPOSITIO 3.a **Non repugnat plura corpora, etiam actualem extensionem retinentia, per virtutem divinam compenetrari.**

Corpora possunt per divinam virtutem compenetrari.

Compenetratio circumscriptiva, definitiva et mixta.

Agitur hic, ut vides, de compenetratione, quam vocant claritatis brevitatisque gratia *circumscriptivam*, ad differentiam compenetrationis *definitivæ* ac mixtæ ex utraque. Circumscriptiva est compenetratio duorum corporum actualiter extensorum, quibus nempe competit locatio circumscriptiva: definitiva est compenetratio corporum actualem extensionem non habentium, iis enim convenit esse definitive in loco: mixta denique est compenetratio corporum, quorum alterum caret, alterum actuali extensione præditum est. Jam possibilitas hujus compenetrationis mixtæ primo deducitur ex venerabili Sacramento altaris, in quo Tridentinum Concilium *sub unaquaque specie et sub singulis* **cujusque speciei partibus...**

Probatur compenetratio definitiva et mixta;

totum Christum contineri, definit (1). Aliunde vero certum Theologice est Christum Dominum in Eucharistia quantum esse, licet non habeat actualem extensionem. Atqui negari nequit in Sacramento permanere quantitatem panis et vini, ut abunde probatum est superius. Ergo negari nequit in Eucharistia dari mixtam compenetrationem inter Sanctissimum Domini nostri Corpus et quantitatem panis et vini. Ratio etiam idem suadet: quia id quod penetrationi plurium corporum obsistit, est actualis eorumdem extensio. Ergo si ab aliquo eorum actualis extensio per divinam virtutem auferatur, poterit jam fieri compenetratio. Ex quo etiam patet non repugnare pure definitiva compenetratio. Verum hæc validius confirmata manebunt, si probetur non repugnantia circumscriptivæ compenetrationis. Itaque

itemque circumscriptiva.

Prob. propositio 1.a Ex factis partus virginei B. M. Virginis, Christi Domini resurgentis, ac lapidem sepulcralem transgredientis, et mox conclave, in quo erant discipuli, januis clausis intrantis: quæ omnia SS. PP. ac Theologi ita interpretantur, ut insigni quodam miraculo, compenetratis corporibus actu extensis, contigisse arbitrentur. Quæ vero Durandus et hæretici ad facta ista depravanda commenti sunt, pudet me, nec vacat referre: videri possunt non minus pie, quam erudite, protrita et explosa a P. Francisco Suarez (2).

Prob. 2.a In circumscriptiva corporum compenetratione non apparet ulla repugnantia. Ergo possibilis est per divinam virtutem. Consequentia patet, quia cum Deus sit omnipotens, posse facere dicendus est, quidquid non ostenditur intrinsece repugnans; potissimum si adsint facta certa, quæ divinam operationem præter communem rerum ordinem demonstrent. Prob. anteced. α) Non minus repugnat, ut corpus, licet quantum, habeat suas partes compenetratas, seu sit definitive in loco, quam ut unum corpus actualem extensionem habens in suis partibus, secum compatiatur aliud

(1) Concil. Trident., sess. 13 *de Eucharist.*, canon. 3.

(2) Suarez *(de Mysteriis Vitæ Christi*, disp. 5, sect. 2; et disp. 48, sect. 5). Cfr. Bellarminus, Valentia, Lugo, (locis citatis), Joann. a S. Thoma *(Physic.*, quæst. 16, art. 4), etc.

corpus actu extensum intra suum locum. Atqui non repugnat per virtutem divinam corpus vere quantum definitive constitui in loco, privatum sua extensione actuali, ut probatum manet in altera propositione præcedentis articuli. Ergo nec repugnat, ut unum corpus actualem habens extensionem secum patiatur aliud corpus pariter actu extensum, videlicet ut duo vel plura corpora circumscriptive compenetrentur.

Probatur Major, nam cætera constant. Ex eodem prorsus principio nascitur repulsio vel impenetratio partium corporis cujuslibet inter se; et consequenter earum positio aliarum extra alias, ac repulsio vel impenetratio totius cujusvis corporis cum alio corpore, ac consequens inde positio eorumdem in diversis locis: nimirum utraque impenetratio oritur ex quantitate corporum. Itaque si non repugnat, ut partes ejusdem corporis etiam sub quantitate, quamvis *exigant* actualem repulsionem et constitutionem in diversis spatii partibus, impediantur tamen per divinam virtutem, ne de facto naturalem illam exigentiam expleant, ac proinde omnes eamdem ubicationem accipiant; nec pariter repugnabit, ut duo corpora, licet extensione prædita, prohibeantur per eamdem omnipotentiam divinam, ne actu se invicem repellant ab eodem loco.

Dices. Corpora ejusmodi essent penetrata simul et impenetrata: penetrata quidem, quia supponuntur in eodem loco; impenetrata vero, quia sunt actu extensa, nam actualis extensio actualem impenetrationem importat.—**Resp.** *neg.* assertum, vel si mavis, *dist.:* essent penetrata simul et impenetrata respectu ejusdem vel secundum idem, *neg.;* essent impenetrata secundum proprias cujusque partes, et penetrata cum alienis partibus, *conc.* Quænam autem est repugnantia, ut naturalis exigentia actualis impenetrationis, quæ per impenetrabilitatem significatur, respectu quidem propriarum cujusque corporis partium expleatur, dum non expletur, impediente Deo, respectu partium alterius partis? Manifestum exemplum hujus non repugnantiæ habes in igne babylonico, qui eo ipso tempore, quo parcebat tribus sanctis pueris, voravit ministros regis (1).

(1) Vide librum *Daniel.* cap. 3.

Prob. anteced. principalis argumenti β). Effectus formales quantitatis in corporea substantia hunc servant ordinem, ut primus sit exigentia extensionis actualis, secundus actualis ipsa extensio, ac tertius repulsio cujusvis alterius extensi corporis a suo proprio loco: accidens enim subjecto inhærens effectum formalem tribuere debet prius secundum absolutum et intrinsecum modum se habendi in seipso, quam secundum extrinsecum et relativum modum se habendi respectu aliorum. Ergo sicut prius est ordine actualis extensionis exigentiam habere, quam ipsam actualem extensionem, ita etiam prius est duo hæc habere, quam actu excludere alia corpora e propio loco: et sicut exigentia extensionis non dependet in suo *esse* ab actuali extensione, ita hæc independens est a repulsione aliorum corporum a loco suo. Quare nulla cernitur repugnantia in eo, quod corpus, licet actu extensum, patiatur præsentiam alterius corporis pariter extensi intra suum locum.

γ) Denique corpora circumscriptive compenetrata retinerent suam quodque distinctionem, suam quodque actualem extensionem, suam quodque etiam impenetrabilitatem, seu exigentiam naturalem impenetrationis. Ubinam ergo est contradictio et repugnantia in circunscriptiva compenetratione?

Solvuntur difficultates.

264. **Objicies. 1.°** Corpora compenetrata eodem accidenti afficerentur, nempe loco utrique communi. Atqui nequit idem accidens in duplici subjecto recipi. Ergo repugnat duo corpora compenetrari.

Resp. *dist.* Major. Eodem accidenti extrinseco, *trans.;* intrinseco, *neg.*

Et *contradist.* Minori, neg. conseq. Quemadmodum superius monuimus præter extrinsecum locum alius intrinsecus distingui potest, quem si non vis appellare locum, non rixabor de voce, dummodo concedas ubicationem rei cuivis intrinsecam in eaque receptam (1). Corpora ergo compenetrata haberent quidem unum locum et quasi accidens extrinsecum, non autem unum modum vel accidens intrinsecum

(1) Vide supra num. 248; et *Ontologiam*, num. 373.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ubicationis, sed unum quodque præsens esset eidem spatio ac loco per suum *Ubi* proprium ac distinctum. Undenam autem probas mihi, quod duplici enti non possit absolute respondere unum dumtaxat extrinsecum accidens? Nonne etiam idem numero locus et spatium respondet successive multis corporibus? Atqui non magis repugnat, ut unum idemque accidens in duplici subjecto simul, quam successive recipiatur. Ergo nihil prorsus evincit objectio.

Objic. 2.° cum Durando. Duo corpora se repellunt ab eodem loco ratione quantitatis. Ergo manentibus quantitatibus, matne repugnantia illorum, ut sint in eodem loco: quæ nullo modo potest auferri, cum sit formalis effectus quantitatis.

Resp. *dist.* consequentis primum membrum. Manentibus quantitatibus, manet prædicta repugnantia naturalis et in ordine ad causas creatas, *conc.*; essentialis et in ordine ad omnipotentiam Dei, *neg.*; nam impenetratio non implicat negationem vel destructionem corporis extensi et naturaliter impenetrabilis, sed tantum statum præternaturalem.

Objic. 3.° Cum eodem. Fieri non potest, ut partes quantitatis successivæ sint simul duratione. Ergo nec partes quantitatis continuæ permanentis in eodem loco. Quia sicut de ratione extensionis succesivæ est prius et posterius in duratione ita de ratione permanentis est constitutio in diversis locis.

Resp. *neg.* conseq. et paritatem. Succesio enim esssentialiter importat extensionem in duratione secundum prius et posterius; ideoque repugnat successio sine hac extensione secundum prius et posterius, sicut etiam repugnat in corpore actualis extensio localis sine actuali positione partium ejus extra partes. At vero actualis expulsio alterius corporis e proprio loco non est de ratione corporis extensi, sed aliquid consequens; ac bene concipitur dari posse corpus actu extensum, quin actu repellat aliud e suo loco. Brevi, ex eo quod plures partes motus sint in eadem duratione, tollitur prorsus successio; at ex eo quod corpus extensum actu non repellat aliud a suo loco, non tollitur quantitas nec actualis extensio illius.

Objic. 4.° Duo corpora compenetrata distingui non possent; ea quippe distinguuntur, quæ divisa sunt, ac diversum

situm habent. Ergo eo ipso quod compenetrarentur, desinerent esse plura.

Resp. *dist.* Anteced. In seipsis non possent distingui, neque a Deo distinguerentur, *neg.*; a nobis ope sensuum, *trans.* Et *neg.* conseq. Transmisi autem alterum membrum distinctionis, tum quia nihil refert, quod a nobis discerni non possent corpora compenetrata, cum in seipsis vere essent divisa secundum proprias entitates et secundum proprium *esse* individuale; tum quia si prædicta corpora diversam figuram vel colorem haberent, possent etiam a nobis discerni.

Objic. 5.° Repugnat eumdem locum bis impleri. Atqui bis impleretur, si corpora compenetrarentur. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Per virtutem divinam *neg.*; naturaliter, *subdist.*: ex parte ipsius præcise loci, *neg.*, secus enim ne successive quidem posset a variis corporibus repleri; ex parte corporum ipsorum, quæ naturaliter non partiuntur aliud corpus eamdem simul eidem spatio præsentiam exhibere, *conc.*

Objic. 6.° Intelligi nequit, quomodo fieri possit compenetratio. Ergo rejicienda est.

Diversi modi explicandi compenetrationem.

Resp. *neg.* antec. Jam enim diximus tripliciter hanc rem explicari a Scholasticis: alii putant corpora actu extensa egere modo positivo superaddito, per quem fiant actu impenetrabiles et impenetratæ partes unius corporis cum partibus alterius corporis: unde ablato eo modo positivo per divinam virtutem nulla est repugnantia in duobus corporibus ad eumdem locum occupandum. Alii putant repulsionem duorum corporum ab eodem loco fieri per mutuam actionem contrariam: et quoniam nulla actio creaturarum exerceri potest sine divino concursu, potest Deus pro suo arbitrio secundum sapientiæ suæ consilium, denegare concursum ad prædictam repulsionem, et sic cessante prorsus ex defectu divini concursus mutua repulsione, corpora eumdem locunt occupant. Duo isti modi, quamvis satis perspicuum rei conceptum præbeant, ut minus probabiles a nobis rejecti sunt. Itaque arbitramur impenetrabilitatem duorum corporum concipiendam esse instar formalis cujusdam repugnantiæ et incompossibilitatis, ratione cujus exigant non

conservari a Deo simul in eodem loco. Quoniam autem hæc repugnantia et incompossibilitas tanta non est, ut præsentia unius corporis extensi in loco sit formaliter negatio alterius, nec negatio quantitatis vel extensionis nec præsentiæ illius in eodem loco, quemadmodum satis patet ex superius declaratis; haud ægre intelligitur, posse operatione divina superari repugnantiam illam.

Objic. 7.° Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia, et tamen actu compenetrari. Atqui id fieret, si duo corpora extensa eumdem occuparent locum. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in actu primo, id est actu exigere repulsionem mutuam, et tamen actu compenetrari, *neg.*, sicut non implicat ignem combustivum esse in actu primo, seu exigere combustionem, et actu non comburere. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in acto secundo, et tamen actu compenetrari, *conc.*, quia impenetrabilitas in actu secundo idem valet, ac impenetratio actualis.

Objic. 8.° Nequit dari forma sine suo effectu formali. Atqui expulsio alterius corporis a proprio loco est effectus formalis quantitatis. Ergo nequit corpus quantum compenetrari.

Resp. *dist.* Major.: nequit dari forma sine suo effectu formali primario et essentiali, *conc.*; sine suo effectu formali secundario et non essentiali, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Quomodo se habeant corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.

Quæres, quomodo se haberent duo corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.

Respondeo perinde se habitura esse, quantum est de se, ac si non essent penetrata, sive in agendo in alia externa corpora, sive patiendo ab aliis. Nihilominus si corpora ipsa compenetrata contrariis prædita essent qualitatibus, activitas unius retardaretur, ac modificaretur activitate alterius. Præterea neutrum ex corporibus compenetratis fortasse posset naturaliter loco moveri, altero immoto remanente; et ratio est, quia nequit dari in talibus corporibus motus localis, quin partes cum aliis novis partibus compenetrarentur,

nempe quin novæ darentur compenetrationes partium; at nulla compenetratio est possibilis sine miraculo. Ergo nisi novum Deus miraculum patret, nullum ex corporibus compenetratis loco moveri potest, alio immoto remanente (1).

ARTICULUS IV.

Utrum idem corpus possit replicari seu simul in pluribus locis adæquatis constitui.

Quid replicatio.

265. Aggredimur ultimam controversiam earum, quæ respiciunt corpus extensum respectu loci. Replicatio vel multilocatio est simultanea unius ejusdemque entis existentia in duobus vel pluribus locis totalibus seu spatiis adæquatis. Loci autem totales et adæquati sunt illi, quorum singuli sufficerent enti, spectata sua natura et modo consentaneo ubicationis: ut si ponas te simul esse hic et Romæ. Itaque non sufficit ad replicationem positio rei in multis partialibus locis, ut evenit in corporibus extensis, quæ quamvis habeant partes suas in totidem locis partialibus constitutas, nequeunt dici replicata, quia ex omnium illorum complexu locus eorum totalis et adæquatus resultat. Simili modo anima rationalis non est replicata, quamvis sit tota in singulis partibus corporis; quia locus illius adequatus est totum corpus, quod informat. Triplex distingui solet replicatio: *circumscriptiva* seu *quantitativa*, *definitiva* et *mixta:* circumscriptiva est propria dumtaxat corporum, obtinetque, cum corpus est multis in locis circumscriptive; definitiva datur, cum res in omnibus locis est definitive; mixta demum, cum corpus in uno loco est circumscriptive et in aliis definitive. Sic Dominus noster Jesus Chistus est replicatus mixta replicatione, in cœlo videlicet circumscriptive, et in sacramento definitive vel quasi definitive seu sacramentaliter.

et quotuples.

Quid certum et commune inter catholicos;

Jam quod possibilitatem replicationis attinet, omnes tenent unanimi consensu naturaliter repugnare. Omnes pariter catholici tenent contra Protestantes possibilem esse per divinam virtutem replicationem saltem definitivam et mixtam;

(1) Cfr. inferius dicenda de corpore replicato, in respons. ad objection. 9.am

conservari a Deo simul in eodem loco. Quoniam autem hæc repugnantia et incompossibilitas tanta non est, ut præsentia unius corporis extensi in loco sit formaliter negatio alterius, nec negatio quantitatis vel extensionis nec præsentiæ illius in eodem loco, quemadmodum satis patet ex superius declaratis; haud ægre intelligitur, posse operatione divina superari repugnantiam illam.

Objic. 7.° Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia, et tamen actu compenetrari. Atqui id fieret, si duo corpora extensa eumdem occuparent locum. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in actu primo, id est actu exigere repulsionem mutuam, et tamen actu compenetrari, *neg.*, sicut non implicat ignem combustivum esse in actu primo, seu exigere combustionem, et actu non comburere. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in acto secundo, et tamen actu compenetrari, *conc.*, quia impenetrabilitas in actu secundo idem valet, ac impenetratio actualis.

Objic. 8.° Nequit dari forma sine suo effectu formali. Atqui expulsio alterius corporis a proprio loco est effectus formalis quantitatis. Ergo nequit corpus quantum compenetrari.

Resp. *dist.* Major.: nequit dari forma sine suo effectu formali primario et essentiali, *conc.*; sine suo effectu formali secundario et non essentiali, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Quomodo se habeant corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.

Quæres, quomodo se haberent duo corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.

Respondeo perinde se habitura esse, quantum est de se, ac si non essent penetrata, sive in agendo in alia externa corpora, sive patiendo ab aliis. Nihilominus si corpora ipsa compenetrata contrariis prædita essent qualitatibus, activitas unius retardaretur, ac modificaretur activitate alterius. Præterea neutrum ex corporibus compenetratis fortasse posset naturaliter loco moveri, altero immoto remanente; et ratio est, quia nequit dari in talibus corporibus motus localis, quin partes cum aliis novis partibus compenetrarentur,

nempe quin novæ darentur compenetrationes partium; at nulla compenetratio est possibilis sine miraculo. Ergo nisi novum Deus miraculum patret, nullum ex corporibus compenetratis loco moveri potest, alio immoto remanente (1).

ARTICULUS IV.

Utrum idem corpus possit replicari seu simul in pluribus locis adæquatis constitui.

Quid replicatio.

265. Aggredimur ultimam controversiam earum, quæ respiciunt corpus extensum respectu loci. Replicatio vel multilocatio est simultanea unius ejusdemque entis existentia in duobus vel pluribus locis totalibus seu spatiis adæquatis. Loci autem totales et adæquati sunt illi, quorum singuli sufficerent enti, spectata sua natura et modo consentaneo ubicationis: ut si ponas te simul esse hic et Romæ. Itaque non sufficit ad replicationem positio rei in multis partialibus locis, ut evenit in corporibus extensis, quæ quamvis habeant partes suas in totidem locis partialibus constitutas, nequeunt dici replicata, quia ex omnium illorum complexu locus eorum totalis et adæquatus resultat. Simili modo anima rationalis non est replicata, quamvis sit tota in singulis partibus corporis; quia locus illius adequatus est totum corpus, quod informat. Triplex distingui solet replicatio: *circumscriptiva* seu *quantitativa*, *definitiva* et *mixta:* circumscriptiva est propria dumtaxat corporum, obtinetque, cum corpus est multis in locis circumscriptive; definitiva datur, cum res in omnibus locis est definitive; mixta demum, cum corpus in uno loco est circumscriptive et in aliis definitive. Sic Dominus noster Jesus Chistus est replicatus mixta replicatione, in cœlo videlicet circumscriptive, et in sacramento definitive vel quasi definitive seu sacramentaliter.

et quotuples.

Quid certum et commune inter catholicos;

Jam quod possibilitatem replicationis attinet, omnes tenent unanimi consensu naturaliter repugnare. Omnes pariter catholici tenent contra Protestantes possibilem esse per divinam virtutem replicationem saltem definitivam et mixtam;

(1) Cfr. inferius dicenda de corpore replicato, in respons. ad objection. 9.am

quid controversum.

disputant autem, num possibilis sit circunscriptiva. Thomistæ communiter cum S. Thoma (1), S. Bonaventura (2), Aegidio, Henrico aliisque (3), quos sequuntur Joannes a S. Thoma (4), Goudin (5), Cardin Aguirre (6) et Complutenses (7), et ex nostra Societate P. Vazquez (8) et Sylvester Mauri (9), ac recentioribus temporibus clarissimi PP. Liberatore (10) et De San (11), putant replicationem circumscriptivam seu quantitativam intrinsece repugnare, ac proinde ne per divinam quidem virtutem dari posse. Alii tamen numero longe plures, auctoritate vero nominis haud impares, e converso tenent nullam cerni repugnantiam intrinsecam etiam in circumscriptiva replicatione. Ita Hugo Victorinus (12), Scotus (13), Alexand. Halensis, Richardus, Ockam, Gabriel aliique plures (14), quos sequuntur Molina (15), Fonseca (16), Card. Toletus (17), Suarez (18), Bellarminus (19), Valentia (20), Cardin. Lugo (21) Antonius Rubius (22), Conimbricenses (23),

(1) S. Thom. 4.° dist. 10, quæst. 1, art. 3, solut. 2 ad 2.um; dist. 44, quæst. 2, art. 2, solut. 3, ad 4.um; *Quodlib.* 1, art. 22 ad 1.um; *Quodlib.* 3, art. 2. Cfr. 3 p., quæst. 75, art. 1, ad 3.um et 4.um

(2) 4.° dist. 49, art. 4, quæst. 1, ad 4.um

(3) Apud Suarez, *de Eucharist.* disp. 48, sect. 4, num. 2). Conimbricens. (*Physicor.* lib. 4, cap. 5, quæst. 5, art. 1). Complutens. (*Physic.* disp. 19, quæst. 8, num. 71).

(4) *Physic.* quæst. 16, art. 5.

(5) *Physic.* prim. part. disp. 3, quæst. 4, art. 2.

(6) *Physic.* disp. 26.

(7) *Physic.* disp. 19, quæst. 8.

(8) In 3.um part., disp. 189, cap. 5, 6.

(9) *Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 28.

(10) *Cosmolog.* num. 85.

(11) *Cosmolog.* num. 388.

(12) *De Sacramentis*, part. 8, cap. 11.

(13) 4.° dist. 10, quæst. 2.

(14) Apud Suarez (loc. cit.).

(15) In 1.um part., quæst. 8, art. 1, disp. 2.

(16) *Metaphys.* lib. 5, cap. 4, quæst. 4, sect. 5.

(17) In 3.um part., quæst. 76, art. 8.

(18) Loc. nup. cit.

(19) *De Eucharist.* lib. 3, cap. 3, 4.

(20) In 3.um part., disp. 6, quæst. 3, punct. 1, paragr. 23.

(21) *De Eucharist.* disp. 5, sect. 1, num. 12.

(22) *Physicor.* lib. 4, tract. *de natur. loci*, quæst. 7.

(23) *Physicor.* loc. nup. cit.

Izquierdo (1), Francisc. Amici (2), Aegidius Conninck (3), Tirinus (4), Thomas Carleton Compton (5), Soarez lusitanus (6), Rhodes (7), Oviedo (8), Arriaga (9), Hurtado (10), Quiros (11), Franciscus Alphonsus (12), Bartholomens Amici (13), De Benedictis (14), Semery (15), Antonius Mayr (16), Ludovicus Lossada (17), et cæteri auctores nostri veteres communiter, et inter recentiores Card. Franzelin (18) P. Tongiorgi (19), cl. P. Palmieri (20), P. Pesch (21), cl. P. Mendive (22), cl. P. Lahousse (23), cl. P. Van der Aa (24). Eamdemque doctrinam communiter tuentur Scotistæ, ac nominatim Mastrius (25), Pontius (26) et Frassen (27).

266. PROPOSITIO 1.ª **Spectato naturali ordine fieri nequit, ut idem corpus in pluribus simul locis adæquatis existat.**

Replicatio corporis

Probatur experientia ipsa, quæ nobis constanter exhibet corpora uni loco addicta. Unde etiam videmus corpus alicubi

(1) *De Deo uno*, disp. 5, quæst. 12, prop. 7.

(2) *De Eucharist.* disp. 19, sect. 10.

(3) *De Eucharist.* quæst. 75, art. 4, dub. 3.

(4) Tom. 3, controv. 21.

(5) *Physic.* disp. 35, sect. 3.

(6) *Metaphys.* tract. 7, disp. 1, sect. 3, paragr. 4.

(7) Lib. 2, disp. 4, sect. 6, paragr. 2.

(8) *Physic.* controv. 15, punct. 9.

(9) *Physic.* disp. 14, sect. 8, subsect. 2.

(10) *Physic.* disp. 14, sect. 5.

(11) *Physic.* tract. 3, disp. 65, sect. 2.

(12) *Physic.* disp. 22, sect. 7.

(13) *Physic.* tract. 20, quæst. 7, dub. 1.

(14) *Physic.* lib. 3, quæst. 2, cap. 6.

(15) *Trienn. philos.* tom. 2, disp. 7, quæst. 3.

(16) *Philos. perip.*, pars 3.ª, num. 683.

(17) *Physic.* tract. 3, disp. 2, cap. 2.

(18) *De Eucharist.* thes. 11.

(19) *Cosmolog.* num. 363 seqq.

(20) *Cosmolog.* thes. 10.

(21) *Philosoph. naturalis*, num. 476.

(22) *Cosmolog.* num. 99 seqq.

(23) *Cosmolog.* num. 422.

(24) *Cosmolog.* propos. 62.

(25) *Physic.* disp. 11, quæst. 8, num. 114 et 125 seqq.

(26) *Physic.* disp. 15, quæst. 5.

(27) *Physic. de Loco*, quæst. 2, conclus. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturaliter repugnat.

constitutum, non posse alium locum acquirere, nisi motu locali, ac deserendo priorem. Ex qua perpetua experientia ea mentibus omnium inhæret insita firmiter persuasio, quæcumque in locis diversis posita cernuntur, plura distincta individua esse.

Hinc ratio a priori colligi potest ex limitatione creatorum entium, quæ sicut finitam ac mensuratam habent entitatem, ita etiam certum ac limitatum locum pro cujusque extensione assignatum habent.

267. PROPOSITIO 2.a **Non repugnat corpus in multis simul locis constitui, saltem replicatione definitiva et mixta.**

Non repugnat divinitus corpus replicari, saltem definitive.

Ita omnes catholici Doctores contra Novatores. Et P. Suarez aliique arbitrantur rem hanc certam esse de Fide.

Prob. 1.° Nam Fide divina certum est, Christum Dominum esse sacramentaliter plurimis in locis, et circumscriptive in cœlo. Ergo non repugnat, idem corpus in multis simul locis constitui replicatione saltem definitiva et mixta. Quamquam enim distinguere velis definitivam præsentiam in loco a sacramentali, nihil id refert in hac re; siquidem in sacramentali replicatione plane continetur definitiva.

Prob. 2.° Nulla ostendi potest contradictio in eo, quod corpus pluribus simul in locis replicaretur. Ergo...

Prob. antec. Contradictio eatenus ostendi posset, quatenus corpus præsens uni loco, eo ipso quod alibi poneretur, formaliter atque essentialiter desineret esse in primo, vel quatenus corpus multilocatum suam amitteret unitatem. Atqui ex neutro capite apparet repugnantia vel contradictio. **Non ex primo:** licet enim ex communi rerum ordine præsentia entis in uno loco importet negationem præsentiæ in alio, tamen præsentia in uno loco et negatio præsentiæ in alio formaliter et essentialiter non sunt identicæ: ac proinde nulla ostendi potest ex hac parte contradictio in eo, quod idem corpus sit simul in diversis locis. **Non ex secundo.** Quia aliud est entitas rei et aliud præsentia ipsius in loco. Ergo licet præsentiæ sint plures, non sequitur rem ipsam in se multiplicari, nam unitas vel multiplicitas rei non desumitur intrinsece ac formaliter ex loco nec ex præsentia locali, sed ex indivisione vel divisione rei secundum suam entitatem. Quare sicut ex

mutatione præsentiæ localis per motum non sequitur ulla mutatio secundum ipsam internam rei entitatem; ita nec ex multilocatione sequitur multilocatio ipsius rei.

268. PROPOSITIO 3.a **Nulla etiam videtur esse repugnantia in eo, quod idem corpus in pluribus simul locis circumscriptive constituatur.**

Non repugnat replicatio circumscriptiva.

Hanc sententiam vocant plures gravissimi scriptores sua ætate communem aut fere communem (1). Quidam etiam amplissimis eam verbis commendant, et severe contrariam judicant: inter quos hæc habet P. Gregorius de Valentia: Sententia negans possibilitatem circumscriptivæ replicationis «*apud nos rejici solet tamquam minus re vera congruens cum certissima fide istius magni mysterii*» (Eucharistiæ) (2); et Doctor Eximius: «Hanc sententiam tenent fere communiter reliqui moderni scriptores theologi, qui hoc tempore scripserunt præsertim contra hæreticos. Est enim hæc opinio *non solum aptior ad respondendum hæreticis et veritatem catholicam tuendam, sed etiam judicio meo tam necessario tamque evidenter consequens illam, ut mirabile semper mihi visum fuerit, contrariam sententiam gravissimis Theologis persuaderi potuisse* (3). Simile judicium protulit recentioribus temporibus doctissimus Cardin. Franzelin. Quod vero hanc doctrinam secuti fuerint ii, qui contra hæreticos sæc. XVI scripserunt, patet ex Ruardo Tappero, Cardin. Allano, Claudio de Sainctes apud Eximium Doctorem, et ex Bellarmino, Valentia aliisque.

Probatur itaque propositio 1.° Non repugnat idem corpus replicari replicatione definitiva et mixta, ut probatum manet, ac fatentur ii, qui nobis in hanc propositione adversantur. Ergo nec repugnat replicari corpus replicatione circumscriptiva.

Prob. conseq. Ubicumque potest Deus ponere corpus modo innaturali, potest etiam ponere modo naturali; plura enim miracula continet illud primum, quam hoc postremum, siquidem in circumscriptiva non est nisi solum miraculum

(1) Vide v. g. Toletum, Lugonem, Suarez.
(2) Loc. cit.
(3) Loc. cit., num. 5.

replicationis, at in definitivæ præter istud adest aliud miraculum præsentiæ definitivæ, quæ importat privationem actualis extensionis in corpore bilocato. Atqui modus existendi definitive in loco est corpori innaturalis, naturalis autem modus existendi circumscriptive. Ergo si potest Deus corpus diversis in locis constituere definitive, poterit etiam circumscriptive.

Prob. 2.° «Si repugnaret corpus aliquod esse circumscriptive in pluribus locis, vel peti deberet repugnantia ex formali ratione quantitatis, vel ex propia ratione præsentiæ circumscriptivæ. **Non implicat ex propria ratione quantitatis;** quia illa est tantum extensio localis impenetrabilis, quæ non tolletur per duplicem præsentiam circumscriptivam. **Neque repugnat ex parte circumscriptionis;** quia esse in loco circumscriptive non dicit aliud, quam habere totum in toto loco, et singulas partes in singulis partibus loci, sive in uno loco sive in pluribus: neque negat locatum esse extra illum locum, sed tantum negat locum esse capacem alterius corporis. Probatur manifeste, quia si esse in loco circumscriptive diceret ita esse in loco, ut non sit extra; sequeretur illud, quod est in uno loco circumscriptive, non posse esse definitive extra illum locum: quod enim est in uno loco circumscriptive, in alio autem definitive, est extra illum locum, ubi est circumscriptive» (1).

Confirmatur 1.° Possunt duo corpora circumscriptive penetrari, ut in articulo præcedenti probatum est, et ultro concedunt adversarii. Ergo etiam potest idem corpus circumscriptive replicari.

«Patet consequentia: tum quia utrobique militat eadem ratio commensurationis et adæquationis, tum quia non magis difficile apparet palmare corpus occupare spatium universi, quam totum universum in solo palmari spatio constitui; tum denique quia vix ulla est in bilocatione difficultas, quæ proportione servata non militet in penetratione» (2).

Confirmatur 2.° Propositio ex factis quibusdam. Christus enim Dominus, qui sedet ad dexteram Patris, apparuisse

(1) Rhodes, loc. cit., paragr. 2.
(2) Lossada, loc. cit., num. 5.

S. Paulo putatur (1): aliique sancti viri, ut S. Antonius Patavinus, S. Ignatius de Loyola, S. Franciscus Xaverius, in diversis locis se videndos præbuisse narrant gravissimi de vitis eorumdem conscripti libri. Fateor argumentum hoc certum non esse; nam ea facta possunt etiam absolute aliter explicari, dicendo vel visionem illam sanctorum virorum in altero loco fuisse phantasticam, vel si fuit realis, productam fuisse per miraculosam impressionem specierum sensibilium, vel forte non terminatam fuisse ad idem ipsum verum corpus alibi existens, sed ad aliud in ejus similitudinem opera angelorum conformatum ex aëre aliave subtiliore materia, fere sicut solent a Theologis declarari apparitiones Christi Domini, vel angelorum, qui se quandoque conspiciendos exhibent. Nihilominus communis persuasio fidelium ea semper fuit, ipsos Sanctos viros duplici loco præsentes miraculose fuisse: quæ persuasio vim suam obtinere debet, donec ostendatur repugnantia replicationis circumscriptivæ.

Confirmatur 3.° Denique ex eo, quod vix ulla fieri contra istam doctrinam difficultas potest, quæ non retorqueri possit contra definitivam ac mixtam replicationem, vel contra compenetrationem circumscriptivam, ut facile quivis potest experiri.

Solvuntur difficultates.

269. **Objic. 1.°** Implicat aliquid esse unum simul et plura. Atqui tale esset corpus replicatum. Esset videlicet unum ex suppositione; esset autem plura, quia plura sunt, quæ loco separantur. Est enim illud principium certum, et ab omnibus communiter admissum, quæ loco separantur, entitate quoque separari. Ergo replicatio corporis saltem in locis dissitis repugnat.

Resp. *conc.* Major., *neg.* Minor.

Probationem Minoris *disting.* quoad alterum membrum. Ea sunt plura, quæ loco separantur, si nullum interveniat miraculum, *conc.*; interveniente miraculo, *neg.* Corpus itaque replicatum re vera entitative ac in se indivisum est, et solum divisum est secundum locum, seu est unum ens in

(1) *Act. Apost.* cap. 9, v. 5. Cfr. 1. *Cor.* cap. 15, vers. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

multis locis invicem divisis. Unde distinctio ac diversitas vel multitudo locorum principium est non *metaphysice*, sed *physice* dumtaxat certum ad asserendam multitudinem ac diversitatem entium in iisdem locatorum.

Objic. 2.° Repugnat aliquid esse extra proprium locum: nam esse extra proprium locum importat non esse in illo. Atqui corpus replicatum reperitur extra proprium locum. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Per illam præsentiam, per quam ad suum locum res refertur, *conc.:* per aliam distinctam; *subdist.:* naturaliter, *conc.;* divina virtute, *neg.*

Dist. pariter rationem adjunctam. Formaliter atque essentialiter, *neg.;* arguitive, *subdist.;* spectato naturali ordine, *conc.;* ratione habita virtutis divinæ, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 3.° Implicat aliquid: α) separari ac distare a seipso, β) vel moveri simul motibus contrariis. Atqui corpus replicatum: α) separatur, ac distat a seipso: itemque β) posset moveri motibus localibus contrariis. Ergo...

Resp. ad α) *dist.* Major. Repugnat aliquid separari, ac distare a seipso entitative, *conc.;* localiter, id est repugnat loca, quibus eadem res præsentiam exhibet, distare inter se, *subdist.:* naturaliter, *conc.;* divina virtute, *neg.* Itaque corpus replicatum non distaret a se neque a locis, in quibus esset, sed loca distarent invicem.

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Dices. Distantia locorum fundat relationem realem inter res in illis locatas. Atqui realis distantia postulat distinctionem extremorum relatorum. Ergo res in diversis locis constitutæ, diversæ esse debent etiam entitative.

Resp. *dist.* Major. Distantia locorum fundat realem relationem inter res in illis locatas, si sunt distinctæ, *conc.:* si non sunt distinctæ, sed est una eademque res in diversis locis constituta divinitus, *neg.*

Et *concesa* Minore, *neg.* vel *dist.* ut supra conseq.

Ad β) *dist.* Major. Repugnat aliquid moveri simul motibus contrariis, secundum quod est in uno eodemque loco, *conc.*, secundum quod est in diversis locis, *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Quod enim corpus replicatum moveri possit, tandem nihil aliud importat,

nisi quod diversas successive replicationes haberet possit: id quod non magis repugnat, saltem per divinam virtutem, quam quod corpus in duobus tantum locis permanenter replicatum quiescat (1).

Objic. 4.° Si corpus replicari posset, idem locus esset, et non esset adæquatus. Esset adæquatus, ex suppositione; quia quilibet ex locis, quibus res replicata præsentiam suam exhibet, adæquatus ac sufficiens illi supponitur. Non esset adæquatus, quia nequit esse adæquatus locus, ultra quem res alium præterea locum habet: ideo enim v. g. digitus non est locus adæquatus animæ, quia anima est etiam extra digitum. Atqui repugnat eumdem locum esse simul, et non esse adæquatum. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Idem locus esset, et non esset adæquatus naturaliter, *neg.;* esset adæquatus naturaliter, et non adæquatus per divinam virtutem, *conc.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Locus enim adæquatus non est simpliciter ille, extra quem res nullo modo est, sed ille, extra quem naturaliter non est. Unde digiti exemplum non est ad rem.

Objic. 5.° Si posset corpus in duobus simul locis constitui, posset etiam esse ubique; si enim semel concedatur possibilitas replicationis, nulla afferri potest limitatio in locorum numero. Atqui aperte repugnat corpus esse ubique: eo enim ipso redderetur immensum, immensitas autem est attributum solius Dei: unde etiam renovaretur error **ubiquistarum**. Ergo non minus repugnat corpus constitui in duobus locis.

Resp. *dist.* Major.: ex natura sua, *neg.;* ex bonitate ac potentia Dei, *conc.*

Contradisting. Minor. ejusque probationem. Immensitas enim non est confundenda cum mero facto ubiquitatis. Ubiquitas est præsentia in omnibus locis; immensitas vero non est sola præsentia ejusmodi, sed interna et ineluctabilis exigentia præsentiam exhibendi omnibus prorsus locis et entibus. Quamobrem immensitas, utpote quæ ex infinita perfectione Dei efflorescit, non potest ulli enti creato communicari; potest autem ubiquitas absolute loquendo, ex

(1) Cfr. inferius dicenda numero sequenti, *Dico* 2.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bonitate potentiaque divina. Illud etiam, quod de ubiquistarum errore objicitur, non est ad rem. Nam ubiquistæ contendebant Christi Humanitatem de facto esse ubique, et quidem non ex dono gratuito Dei, sed ex jure fundato in unione hypostatica Verbi divini.

Objic. 6.° Implicat rem eamdem esse simul in diversis temporibus. Ergo et in diversis locis.—**Resp.** *neg.* parit. Nam tempus essentialiter importat successionem prioris et posterioris; ac proinde unum tempus vel pars temporis essentialiter importat negationem alterius. Secus autem dicendum est de loco, ut satis constat ex dictis.

Objic. 7.° Si corpus replicari posset circumscriptive, circumscriberetur simul loco, et non circumscriberetur. Atqui hoc contradictorium est. Ergo... Prob. Major. *Circumscriberetur*, quia est circumscriptive; *non circumscriberetur*, quia esset extra suum locum: quod autem loco circumscribitur, non est extra locum.

Resp. 1.° retorqueo argumentum in replicatione definitiva, quam adversarii amplectuntur. Si enim corpus posset definitive constitui pluribus in locis, definiretur simul loco, et non definiretur: quod non minus implicat, quam quod circumscribatur, et non circumscribatur.

Resp. 2.° *neg.* Major., quæ ludit in voce, supponitque sensum alienum a communi auctorum intelligentia. Esse enim circumscriptive in loco non significat, ita rem uni loco affigi, et adstringi, ut extra illum nullo prorsus modo, etiam divinitus, constituatur. Si hæc foret vocis istius significatio, quis sanus posset inquirere, utrum corpus possit replicari circumscriptive? Immo si talis esset vocis significatio, neque posset corpus mixta replicatione replicari, ut per se patet. Corpus ergo circumscriptive locari, secundum communem vocis significationem non est uni loco essentialiter adstringi, sed tantum in loco constitui extenso et quantitativo modo. Concedimus proinde, corpus circumscriptive locatum alicubi, ita intra illum coerceri, ut *naturaliter* nequeat simul alibi esse quocumque modo, non solum quantitative, verum ne definitive quidem nec sacramentaliter. At quod corpus circumscriptive locatum, ita loco uni circumscribatur, ut essentialiter illi soli alligetur, nec possit alibi simul esse simili

modo vel per divinam virtutem, nec potest probari ex etymo et analogia vocum *circumscriptive* et *circumscribere*, nec potest a nobis concedi absque idonea probatione: idque si verum foret, non minus repugnaret corpus alicubi circumscriptive locatum alibi definitive replicari.

Instabis 1.° Repugnat aliquid loco commensurari, et non commensurari. Atqui si circumscriptive replicaretur, commensuraretur loco, et non commensuraretur. Nam esse circumscriptive idem valet, ac commensurari loco, siquidem locus est locato æqualis. Quod vero est multis in locis circumscriptive, non commensuratur uni loco, cum sit extra illum, et pari modo locis aliis commensuretur. Ergo... **Et confirmatur**, quia effectus formalis crescere nequit, non crescente forma. Cum ergo localis extensio et circumscriptiva præsentia in loco sit formalis effectus quantitatis, non potest crescere, aut multiplicari, eadem remanente quantitate.

Resp. 1.° retorqueo argumentum in compenetratione circumscriptiva, quam tuentur nobiscum adversarii. Nam non minus corpora compenetrata dicenda sunt commensurari loco, et non commensurari: commensurantur quidem, quia singula sunt extenso modo et æqualia loco; non commensurantur autem, quia unus locus nec est mensura duorum corporum ejusdem secum dimensionis, neque æqualis utrique simul.

Resp. 2.° *dist.* Majorem. Repugnat corpus loco commensurari simul et non commensurari secundum eamdem rationem, *conc.*; secundum diversam, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Duo possunt considerari in corpore mensuranda cum loco: entitas corporis cum sua quantitate, et actualis ipsa et formalis extensio, quam probavimus a quantitate differre, et in complexu diversarum ubicationum partium consistere. Itaque corpus cum sua quantitate etiamsi replicetur, non mensuratur nisi unico loco, quia mensura illius est naturalis exigentia tantæ extensionis in longum, latum et profundum, quanta est superficies loci ambientis. Exigentia enim hujusmodi non augetur per replicationem, sicut nec e converso imminuitur per compenetrationem, sed eadem prorsus permanet. Unde corpus quantum hoc pacto entitative

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consideratum, uni tantum loco commensuratur, et non duobus. At vero mensura corporis replicati secundum actualem suam extensionem inspecti, jam non est unus dumtaxat locus, sed plures, quia tale corpus per divinam omnipotentiam habet partes non semel tantum, sed pluries ubicatas præter naturalem exigentiam.

Ad confirmationem *disting.* antec. Effectus formalis primarius, *trans.*; secundarius, qualis est actualis extensio respectu quantitatis, *subdist.*: naturaliter, *conc.*; per divinam virtutem, *neg.* Effectus enim formalis secundarius, sicut impediri penitus potest divinitus, ita etiam variari.

Instabis 2.° Effectus formalis secundarius multiplicari nequit, quin multiplicetur primarius. Ergo si extensio actualis, quæ est secundarius effectus formalis quantitatis, multiplicatur in replicatione, debet etiam quantitas ipsa corporis replicati multiplicari; aut si hæc non multiplicatur, neque illa, atque adeo non potest dari replicatio circumscriptiva.

Resp. *dist.* antec. Non multiplicato primario, non potest multiplicari secundarius effectus formaliter sumptus seu in ratione effectus secundarii, *conc.*; materialiter vel specificative sumptus, *neg.* Et *neg.* conseq. «Formalis effectus secundarius in *esse* talis connotat exigentiam formæ vel effectus primarii, cui naturaliter debetur: unde nequit in *esse* talis multiplicari, quin multiplicetur exigentia prævia, quæ in forma vel in ejus primario effectu consistit. Potest tamen multiplicari specificative, seu materialiter: id est illa entitas vel privatio, quæ de se petit existere per modum effectus secundarii, sive ad exigentiam formæ, potest divinitus multiplicari, quamvis a forma non exigatur, nec sit effectus formalis secundarius hic et nunc. Atque ita contingeret in casu quæstionis, non enim nisi unica extensio esset formaliter effectus secundarius quantitatis; altera vero produceretur a Deo præter, immo contra naturalem quantitatis exigentiam. Sic expulsio frigoris a subjecto potest esse major, quam quæ debetur unico gradui caloris introducto: nec tunc expulsio frigoris, quatenus indebita, dicetur effectus formalis secundarius caloris» (1).

(1) Lossada, loc. cit., num. 20.

Objic. 8.ª Si possibilis foret circumscriptiva replicatio, duo loca eidem corpori cōextensa penetrarentur; sicut e converso duo corpora eidem cōextensa loco penetrantur.

Resp. *neg.* sequelam, quia penetratio consistit in præsentiis vel ubicationibus duarum rerum respondentibus eidem parti spatii imaginarii. Et ejusmodi præsentiæ conveniunt duobus corporibus eidem cōextensis loco seu compenetratis: non tamen conveniunt duobus locis eidem corpori cōextensis, et propterea loci non compenetrantur. «Sic si duo corpora sacramentaliter existerent in eadem hostia, penetrarentur; et tamen duæ hostiæ seu species utriusque continentes sacramentaliter idem corpus, non penetrantur» (1).

Objic 9.° Cum P. Vazquez (2). Ponamus lapidem circumscriptive replicatum super duas trabes: lapis ille, subductis trabibus, neque naturaliter posset decidere in terram, neque naturaliter manere suspensus in aëre: quod repugnat. Ergo lapis ille non posset ita replicari; et consequenter nec aliud corpus replicari circunscriptive potest. **Non posset naturaliter decidere**, quia si naturaliter posset decidere, posset naturaliter duplicem ubicationem acquirere motu suo: quod absonum est. Aliunde vero non est ratio, quare ex uno potius, quam ex alio loco decideret: ergo nec potest dici, quod talis lapis ex uno dumtaxat loco decideret. Ergo nullo modo posset naturaliter decidere. **Non posset autem naturaliter manere suspensus in aëre**, ut per se patet ex lege gravitatis.

Resp. 1.° Difficultas petitur ex casu particulari, atque adeo nequit evincere repugnantiam replicationis circunscriptivæ in alio casu vel hypothesi diversa. **Resp. 2.°** Quidquid sit, utrum lapis ille naturaliter decideret, posset certe divinitus vel ex utroque loco cadere, vel ex neutro, vel ex uno cadere et in altero suspensus manere. **Resp. 3.°** *neg.* antec. et eligo primum disjunctionis membrum. Ad cujus probationem dico, quod si Deus vellet conservare miraculum replicationis pro sequentibus instantibus, lapis ex utroque loco caderet, vel etiam manens in uno, caderet ex altero,

(1) Lossada, loc. cit., num. 16.
(2) Loc. cit. cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prout ipsi Domino placuerit. Si autem Deus nollet miraculum protrahere, caderet lapis ex uno dumtaxat loco, ex eo videlicet, quem Deus ipse determinaret; quia in eo eventu lapis utrobique descensum exigeret, unicum tamen, quia unicus sufficit ad satisfaciendum naturali exigentiæ vel legi. Cui quia æque satisfieret, ex quocumque loco lapis descenderet, nequit ipsa natura locum descensus determinare, et propterea id spectat ad Deum; sicut ob similem rationem diximus in *Ontologia*, Deo tribuendam esse determinationem effectus hujus præ alio individui in operationibus causarum secundarum (1). Si ergo Deus decernat lapidem descendere ex loco A, illinc descendet naturaliter, amittendo præsentiam in loco B (2). Plura de his vide apud Suarez, Lossada, Mayr, ac reliquos auctores superius laudatos.

Objic. 10.° Si Deus rem aliquam replicaret, id faceret vel per actionem productivam ipsius *esse* rei, vel per actionem pure productivam ubicationis. Primum horum videtur dici non posse, quia secus res replicata iterum produceretur. Nec alterum, quia non videtur minor efficacitas requiri ad rem replicandam, quam ad esse eidem jam destructæ restituendam. Atqui ad hoc profecto actio productiva ipsius *esse* requiritur. Ergo nullo modo potest Deus corpus in pluribus simul locis constituere.

Respondeo, hanc difficultatem varie ab auctoribus solvi. P. Aegidius Connink (3) et P. Rhodes (4) existimant corpus in diversis simul locis constitui per novam et distinctam productionem illius; quare replicationem esse veram rei reproductionem, et consequenter corpus replicatum esse virtualiter multiplex. Quam doctrinam assumit P. Connink tamquam fundamentum ad probandum id, quod Suarez (5), et multi alii Doctores, aliis innixi rationibus, docent, ad conversionem eucharisticam substantiæ panis et vini in Corpus

(1) Vide *Ontolog.* num. 306 pag. 1142 seqq.
(2) Vide Lossada (loc. cit. num. 14), et Mayr (loc. cit., num. 711, 712). Cfr. Card. Lugo *(de Eucharist.* disp. 5, sect. 1, num. 23 seqq).
(3) Apud Cardin. Lugo, *de Eucharist* disp. 7, sect. 3, num. 39.
(4) Loc. cit. sect. 6, paragr. 1.
(5) *De Eucharist.*, disp. 50, sect. 4.

et Sanguinem Christi Domini, requiri actionem aliquam novam terminatam ad ipsam substantiam Corporis Christi, quæ ac io quamvis proprie productio non sit, quia Corpus Christi independenter ab illa jam existit, sed conservatio, talis tamen est ex natura sua, ut si non existeret, vi illius statim inciperet existere. Verum Cardinalis De Lugo scribit doctrinam P. Conninki relate ad replicationem esse re vera *nimis singularem* ita, ut ad eam adstruendam auctor ejus plurima Philosophiæ principia receptissima deserere coactus fuerit (1). Itaque fuse illam impugnat, ostendens vel potius supponens ad replicationem non esse necessariam actionem, quæ terminetur ad ipsum *esse* rei, sed ad novum modum præsentiæ localis vel ubicationis. Hæc sententia planior ac probabilior videtur; quia si sufficienter res declaratur per productionem novæ ubicationis, non est recurrendum ad reproductionem substantialem ejusdem entis, utpote quæ præstantior est actio; non enim sunt multiplicanda vel fingenda entia sine necessitate.

Dices 1.° doctrinam hanc supponere: α) quod replicatio importet motum vel mutationem localem: β) et quod res sit in loco præsens formaliter per modum aliquem ubicationis eidem inhærentem, cum tamen præsentia rei in loco sufficienter explicetur per hoc, quod cum loco uniatur.

Resp. ad α) *neg.* assertum, quia sicut ad replicationem necesse non est rem de novo producere, quia jam existit, ita nec movere a loco, in quo prius erat, ad alterum: quia nova præsentia, quæ motu locali acquiritur naturaliter, amissa priori, divinitus acquiritur absque motu et absque prioris amissione. Ad β) *conc.* assertum, et neg. instantiam. Quid enim sibi vult illa unio cum loco, aut in quo illa consistit? Certum enim esse videtur rem locatam nulla physica unione cum loco conjungi. Sed jam in *Ontologia* probatum manet, *Ubi* seu præsentiam localem in modali aliqua entitate sitam esse (2).

Dices 2.° «Si Deus Petrum existentem Lovanii velit ponere Romæ, tunc vel Deus producit illud *Ubi* romanum in

(1) Vide. Lugon. ib. num. 39, seqq.
(2) Vide *Ontolog.* num. 373, pag. 1066 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Petro existente Lovanii, vel in Petro existente Romæ. Si primum: ergo *Ubi* romanum poneretur Lovanii, quod repugnat. Si secundum: ergo ante productionem illius *Ubi* Petrus supponitur Romæ. Nam vel illud *Ubi* producitur Romæ, vel alibi, vel nullibi. Alibi non potest produci, quia *Ubi* romanum alligatur Romæ: nullibi non potest, quia quod nullibi est, non est. Restat ergo, ut producatur Romæ. Ergo prius supponitur Petrus existens Romæ, quia non potest Deus aliquid hic in me producere, nisi ego hic sim» (1).

«**Respondetur** facile, in aliquo sensu *Ubi* romanum produci in Petro existente Lovanii, scilicet *materialiter* et *specificative*, non vero *formaliter* et *reduplicative:* hoc est *Ubi* romanum ponitur in *Petro, qui tunc est Lovanii*, non tamen ponitur *Lovanii*, sed *Romæ*. Immo ad ejus productionem non supponitur Petrus existens Romæ vel Lovanii, sed solum existens cum indefferentia ad hoc et illud *Ubi*. Non ergo sequitur bene, quod Petrus prius supponatur Romæ ex eo, quod Deus producat Romæ *Ubi* in Petro; sicut non sequitur bene, Petrum supponi calidum, quia Deus in eo producit calorem. Possumus enim eodem modo interrogare, si Deus in Petro habente frigus ut octo producat calorem ut octo, an producat calorem in Petro frigido, an in Petro calido. Ad quod responderi debet, produci in Petro antea frigido, sed tunc calido per ipsum calorem, qui producitur; atque ideo pro priori naturæ non supponi Petrum frigidum nec calidum, sed Petrum existentem. Sic producitur *Ubi* romanum in Petro non præsupposito cum *Ubi* romano, sed incipiente esse Romæ per ipsum *Ubi:* quod clarissimum est» (2). Qua de re plura videri possunt apud laudatum Cardin. De Lugo.

Objic. 11.° Si corpus posset replicari circumscriptive, posset idem homo v. g. contrariis motibus cieri, ut Romæ sursum, hic deorsum; vel Romæ stare, hic moveri; vel Romæ calefieri, si nempe sit prope ignem, hic refrigerari, si aqua frigida abluatur; vel Romæ vivus esse vel videns, hic mortuus vel cæcus; Romæ assensum, hic dissensum præstare

(1) Ita P. Conninck apud Cardin. De Lugo, loc. cit., num. 53.

(2) Card. Lugo, (ibid. num. 55). Cfr. de hac re Mastrius (*Physic.* disp. 11, quæst. 9), et Soarez Iusitanus (loc. cit., sect. 4).

eidem objecto, etc. Atqui ex his contradictoria sequuntur, nempe quod idem homo simul moveretur et non moveretur, viveret et non viveret, videret et non videret. Ergo.

Resp. Ut huic difficultati satisfiat, sequens quæstio breviter enodanda est.

QUÆRITUR, **utrum corpus existens duplici in loco, debeat utrobique easdem affectiones ac proprietates habere.**

270. Fuse de hac re solent disputare Theologi at Philosophi in materia de corporum replicatione, ac nominatim Suarez (1) et Cardin. De Lugo (2), ex quorum doctrina, quamvis non in omnibus omnino consentiant, pauca quædam delibabimus. Et in primis prædicata vel affectiones corporis alia sunt essentialiter affixa huic determinato loco, qualis est v. g. hæc Onniensis ubicatio; alia vero non sunt affixa essentialiter loco determinato, ut v. g. vivum esse vel mortuum, sanum vel ægrotum, album vel nigrum, etc.

DICO 1.° **Accidentia essentialiter affixa loco determinato, ut sunt certa ubicatio, situs ac motus localis, communis tenet sententia, ne per divinam quidem virtutem posse cum corpore replicari.**

Accidentia loco determinato affixa ne per divinam quidem virtutem possunt replicari;

Et ratio est, quia si locus vel unum *Ubi* diversum est ab alio, plane sequitur quidquid essentialiter alligatur huic spatio, non posse alligari alteri spatio, ac proinde nec poni in illo. Quare nec ubicatio romana poni potest Salmanticæ, nec situs nec motus; si enim Roma et Salmantica essentialiter distant, quomodo præsentia romana, vel situs prout Romæ habitus, vel motus per romanas plateas peractus, possunt esse præsentia salmanticensis, vel situs respondens *Ubi* salmanticensi, vel motus peractus per plateas salmanticenses? Refragantur tamen huic doctrinæ pauci quidam, quos egregie confutatos vide apud Lugonem (3).

(1) *De Eucharist.* disp. 48, sect. 5 et 6.

(2) *De Eucharist.*, disp. 5, sect. 2 et 3.

(3) Loc. cit. sect. 3. Cfr. Lossada (loc. cit. num. 29 seqq.). Vide etiam Suarez (loc. cit. sect. 5, num. 1).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

possunt tamen ea quæ non sunt affixa determinato loco,

271. DICO 2.º **Quæ vero affectiones locum generatim respiciunt, non tamen locum aliquem peculiarem ac determinatum, possunt replicari, vel non replicari.**

Et probatur: quia nulla est repugnantia in eo, quod relationes similes vel diversæ esse possint in eodem subjecto pro similitudine ac varietate fundamenti. Hinc corpus replicatum potest secundum unum locum esse proximum, remotum autem secundum alterum respectu ejusdem rei; vel in uno sursum, in altero deorsum; vel in uno jacere, in altero stare; in uno moveri, in altero quiescere; vel e converso in utroque loco similiter se habere; quin etiam posset contrariis motibus moveri, in diverso loco, et sibi etiam occurrere. Dubitari autem potest, utrum corpus replicatum, ex utroque loco moveri *naturaliter* posset, an vero solum *naturaliter* ex loco sibi consentaneo, ex alio vero non nisi miraculose per novum miraculum a Deo patratum. Qua de re vide, si lubet, P. Andream Semery (1).

saltem de potentia absoluta.

272. DICO 3.º **Loquendo de his omnibus, quæ non dependent essentialiter ab hoc loco, non repugnat** DE POTENTIA ABSOLUTA, **ea omnia collocari utrobique cum ipso corpore.**

«Hæc est etiam communis, et probatur, quia sicut non repugnat idem corpus habere duas ubicationes in duplici loco, cur magis repugnabit colorem vel aliud accidens illius corporis habere alias duas præsentias in illo duplici loco?» (2).

(1) *Trienn. philos.* tom. 2, disp. 7, quæst. 3, art. 2, in respons. ad *Object.* 5.um Cfr. hic paulo superius dicta in resp. ad *Object.* 9.um Illud quoque subtilissimi et curiosi Scholastici scire voluerunt, utrum corpus replicatum, sibi ipsi occurrens, cum ad eumdem locum veniret, secum compenetraretur. De quo vide, si lubet, Conimbricenses (*Physic.* lib. 4, cap. 5, quæst. 5, art. 2), et Semery (loc. sup. cit., in fine responsionis). Verum satius forte est ab his aliisque quærendis abstinere.

(2) Lugo, loc. cit. sect. 2, num. 34.

Divinitus non repugnat corpus bilocatum non habere in omnibus locis eadem accidentia, dummodo hæc ad illo realiter distinguantur.

273. DICO 4.º **Non repugnat** DE POTENTIA ABSOLUTA **poni aliquod corpus in duplici loco, et tamen prædicata et accidentia, quæ habet in uno loco, non poni in alio; dummodo illa sint a tali corpore distincta et separabilia.**

Probatur 1.º Quia non repugnat, immo necesse est præsentiam localem, quam corpus habet in uno loco, non haberi in alio, licet vere sit unita cum illo. Ergo non repugnabit albedinem, quam habet in uno loco, non haberi in alio. Quæ enim in hoc est major contradictio?

Probatur 2.º Exemplo animæ rationalis, quæ quidem existit in capite et in pede; et tamen non habet in pede unionem nec aliqua accidentia (v. g. potentias sensitivas), quæ habet in capite. Ergo similiter si homo poneretur in alio loco, posset de potentia absoluta carere ibi aliquibus accidentibus, quæ hic habet.

Denique probatur 3.º «A priori, quia præsentia corporis non est præsentia albedinis v. g., nec e contra; sed sunt duæ ubicationes distinctæ (1), vel certe loquendo de possibili, possunt esse distinctæ. Ergo potest a Deo produci secunda præsentia albedinis: in hoc enim nulla apparet implicatio contradictionis» (2).

Dices. Est in hoc aperta implicatio, quia tunc Petrus v. g. haberet, et non haberet albedinem, puta si Romæ illam haberet, non autem Neapoli.—**Resp.** *neg.* assertum et rationem additam; quia falsum est Petrum non habere albedinem, etiam si eam non habeat Neapoli, dummodo habeat Romæ. Hæc enim universalis propositio: *Petrus non habet albedinem*, hunc sensum reddit: *Petrus nullibi habet albedinem*. Utrum porro hæc quarta assertio ita sit universalis, ut nullam patiatur exceptionem, vide apud Cardinalem *De Lugo* (3).

Hinc inferes corpus hic et Romæ replicatum, posse *de potentia absoluta*, «hic esse animatum, vivum etc., et Romæ

(1) Id tamen alii negant. Cfr. *Ontolog.* num 373, pag. 1068, paulo ante *Dices 1.º*

(2) Lugo (loc. cit. num. 36). Et vide Suarez fusius de his disserentem (loc. cit. sect. 5, num. 5).

(3) Loc. cit. num. 37.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non animatum, nec virum etc. Quia licet nequeat corpus absolute ac sine restrictione simul esse animatum et non animatum v. g., eo quod non animatum absolute sonet carentiam animæ in subjecto specificative sumpto, potest tamen esse animatum absolute, simulque non animatum cum addito *Romæ:* quod additum efficit, ut sola negetur animæ præsentia romana. Notum est Summulistis, quod a termino restricto ad non restrictum non valet consequentia *negative*, licet valeat *affirmative:* quare perperam sic inferas: *Petrus non est albus Romæ: ergo non est albus*. Similiter illud corpus posset tunc dici *vivum* et *non vivum* cum addito *Romæ:* at non recte diceretur *mortuum*, etiam cum tali addito; quia nomine mortui videtur excludi non solum romana præsentia unionis corporis et animæ, sed etiam existentia unionis entitative sumptæ. Si tamen eo nomine intelligere velis corpus existens Romæ, ubi non est præsens anima nec unio, loquere pro libitu» (1).

Si tamen Deus secundum rerum naturas operari velit, corpus utrobique habebit eadem accidentia, quæ non dependeant a loco.

274. DICO 5.º «SI DEUS OPERETUR CONFORMITER AD NATURAS RERUM, **in casu quo ponat corpus in duplici loco, debet etiam ponere utrobique ea omnia, quæ in primo loco habebat, exceptis, quæ dependent e loco ut dictum est.**

Conclusio comprehendit non solum proprietates naturales, sed etiam alia accidentia communia, ut calorem, albedinem, etc.: item non solum ea accidentia, quæ haberet tunc, quando poneretur in secundo loco, sed etiam ea, quæ postea denuo acciperet per alias mutationes»... (2). Probatur exemplo Eucharistiæ, in qua Christus Dominus habet ex communi Theologorum doctrina non solum passiones, sed etiam alia accidentia independentia a loco, quæ habet in cœlo: quæ quidem licet vi verborum non ponantur, ponuntur tamen per concomitantiam, seu naturalem connexionem unius cum alio; et ex Tridentino ipsa rationalis anima ponitur ibi simili modo, scilicet *vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini... inter se copulantur* (3). Quare licet

(1) Lossada, loc. cit. num. 28.
(2) Lugo, loc. cit., sect. 2, n. 37.
(3) Concil. Tridentin., sess. 13, cap. 3.

replicatio etiam formarum et proprietatum sit absolute miraculosa, tamen supposito quod corpus replicetur, connaturalior est rerumque exigentiis congruentior, ut ex verbis Tridentini colligitur. Plura dabunt Suarez et Lugo (1).

275. **Colliges hinc**, corpus hic et Romæ locatum, si hic calefiat, percutiatur, moriatur, etc., easdem quoque connaturalius subiturum esse Romæ affectiones mutationesve. Nec tamen inde sequetur, quod causa hic calefaciens, etc., agat in distans: «tum quia agere in distans est agere in subjectum non approximatum, quod tunc non contingeret; tum quia causa hic calefaciens, licet produceret calorem romanum entitative sumptum, non illum produceret Romæ, seu prout Romæ præsentem. Non enim produceret, nec exigeret ejus ubicationem romanam, quæ a solo Deo produceretur, et a sola unione caloris exigeretur ex suppositione bilocati corporis» (2). Aliter tamen sentire videtur Eximius Doctor, spectata sola virtute naturalis agentis (3); concedit tamen, supposito priori miraculo, magis congruum esse naturis rerum, ut Deus suppleat defectum causarum naturalium, præbeatque concursum sufficientem, ut mutationes corporis replicati in uno loco factæ, fiant in omnibus (4).

276. DICO 6.º **Homo replicatus non plus agere, nec pati potest in duplici loco, quam in uno.**

Homo replicatus non plus agere potest naturaliter quam in uno solo loco.

«Quia potentia tum activa tum pasiva identificatur cum entitate subjecti, quæ semper est eadem, nec per bilocationem augetur. Hinc homo bilocatus (nisi Deus confortaret potentiam) non posset duo pondera aut quatuor sustinere, si non nisi unum potest unico in loco; nec posset duas visiones aut cognitiones, *singulas suis viribus æquales*, elicere, sed ad summun duas remissas, quibus æquivaleat una intensa unico in loco producibilis» (5).

(1) Suarez (loc. cit., sect. 2, num. 6 seqq.), Lugo (loc. cit., num. 38 seqq.), qui varias hac de re solvit difficultates.
(2) Losada (loc. cit., num. 33). Cfr. Lugo (loc. cit., num. 51).
(3) Loc. cit., sect. 6, num. 3 seqq.
(4) Suarez, ibid., num. 9.
(5) Lossada (loc. cit. num. 34). Cfr. Lugo (loc. cit. num. 51 et 52).

UNIVERSIDAD ANTONIO DE NEBRIJA
DIRECCIÓN DE BIBLIOTECAS

277. **Unde inferes** 1.° Quid dicendum sit de hypothesi in qua eidem corpori Romæ ignis, hic vero applicaretur nix. «Respondeo uno verbo in hoc et similibus casibus, qui plures possunt excogitari, eodem modo se geret illud corpus in ordine ad diversa agentia in diversis locis applicata, ac si in eodem loco sibi applicarentur. Quare sicut si ignis et nix eodem loco applicaretur, partim calefieret, et partim infrigidaretur ita, ut tepidus maneret; sic ex igne et nive in diversis locis applicatis manebit utrobique tepidus. Ratio est, quia ex eo, quod ponatur corpus in duplici loco, non crescit ejus virtus activa vel passiva, et per consequens non magis potest habere simul formas contrarias, quam si esset in unico loco; repugnantia enim duarum formarum contrarium non est in ordine ad locum, sed in ordine ad subjectum, a quo præcipue se mutuo expellunt. Cum ergo utrobique sit idem subjectum, non poterit hic habere calorem intensum, et alibi frigus intensum» (1). Et hæc quidem valent, si Deus operetur connaturaliter ex suppositione miraculi replicationis. Quid dicendum esset, si Deus nollet transferre in alium locum mutationes in uno loco factas in hypothesi prædicta, in qua eidem corpori nix in uno et ignis in altero applicaretur; vide apud Cardin. De Lugo (2).

Inferes 2.° Si formæ contrariæ ita opponantur, «ut nec de potentia absoluta possint esse simul in eodem subjecto in uno loco existenti, nec etiam posse se compati in eodem subjecto in diversis locis. Quare assensus et dissensus, amor et odium ejusdem objecti... non poterunt esse etiam in diversis locis: nec fieri poterit, ut Petrus hic credat aliquid, cui alibi expresse dissentiat. Repugnantia enim horum actuum, sicut et aliorum accidentium independentium a loco, non est, ut prædixi, in ordine ad eumdem locum, sed in ordine ad idem subjectum; nam in eodem loco possunt esse assensus et dissensus ejusdem objecti in duobus angelis...» (3)

(1) Lugo. (ibid. num. 50). Cfr. Semery (loc. cit. in respons. ad *Object.* 3.um).

(2) Ibid. num. 53 seqq.

(3) Lug. (loc. cit. num. 53). Cfr. Suarez (ibid. sect. 6, num. 8). Lossada (loc. cit. num. 35). Videri potest de tota hac re fuse disserens P. Soarez lusitanus (loc. cit. disp. 1, sect. 5).

Et per hæc patet jam, quid respondendum sit ad postremam objectionem, cujus gratia quæstio hæc instituta est.

CAPUT II.

DE MOTU.

Frequentissima est apud priscos Philosopos summique momenti mentio ac tractatio motus. Motum passim meminerunt, cum de corporum operationibus loquuntur; per ordinem ad motum definiunt naturam ipsamque notionem vitæ; at conceptum motus longe latius patentem exhibent, quam recentiores multi, qui vix aliud nomine motus significant præter motum localem. Ad plenam ergo rei notitiam librorumque veterum intelligentiam, fusior de motu tractatio instituenda est (1).

ARTICULUS I.

Enucleatur conceptus motus.

Variæ motus acceptiones: prima largissima et impropria.

278. Motus multifariam accipitur: 1.° quidem largissime pro quavis operatione, sive corporea sive spirituali. Nam *quamvis motus proprie acceptus sit corporum, tamen nomen motus etiam ad spiritualia derivatur dupliciter. Uno modo secundum quod omnis operatio motus dicitur: sic enim et divina bonitas* **quodammodo** (nempe improprie) **movetur** *et procedit in res* (2), *secundum quod se eis communicat, ut Dyonisius dicit* (cap. 11 **de divin. Nominibus**, lect. 3). *Alio modo desiderium in aliud tendens quidam motus dicitur* (3). Ratio

(1) Utilitatem hujus tractationis fuse persequitur P. Benedictus Pererius (*de communibus omnium rerum naturalium principiis*, lib. 13 in procem.)

(2) Quem sensum expressit S. Augustinus (*de Gener. ad litter.* lib. 8, cap. 20 fin.) illis verbis: *Creator spiritus* **movet se** (nempe operatur), *nec per tempus nec per locum.*

(3) S. Thom. 1 p., quæst. 73, art. 2, corp. Cfr. 1 p., quæst. 18, art. 1, et art. 3, ad 1.um; quæst. 19, art. 1, ad 3.um; quæst 50, art. 1, ad 2.um; 1.ª *Contr. Gent.* cap. 13, post. 3.um argum.; *de Verit.* quæst. 24, art. 1, ad 14.um; *de Potent.* quæst. 10, art. 1; *de Anim.* lib. 2, lect. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vero, cur nomen motus minus proprie ipsis actibus intellectualibus tribuatur, hæc esse potest: Nam *quia... per sensibilia in cognitionem intelligibilium devenimus, operationes autem sensibiles sine motu non fiunt, inde est, quod etiam operationes intelligibiles quasi* motus *quidam describuntur* (1), vel *etiam ipsum intelligere et velle et amare motus quidam dicuntur* (2), nec solum apud Scholasticos, sed etiam apud optimæ latinitatis auctores (3). 2.° accipitur motus adhuc fusa acceptione, licet magis propria et frequenti pro quavis mutatione veri nominis: quo sensu motus cadere in Deum, utpote immutabilem prorsus, nequit; competit autem omni enti creato. Motus in hac acceptione declaratus a nobis est in *Ontologia*, et dividitur in *generationem, corruptionem et motum physicum*, seu motum presse sumptum (4). 3.° denique sumitur motus stricte ac propissime pro illa specie mutationis, qua ens ab uno termino *positivo* transit ad alium terminum *positivum*. Et hic est motus, quem *præcipue* in hoc articulo declarandum assumpsimus.

altera minus lata.

tertia stricta.

§ I.—DECLARATUR ARISTOTELICA MOTUS NOTIO.

Aristotelica motus definitio declaratur.

Definitur motus ab Aristotele: *actus entis seu existentis in potentia, prout in potentia* (5) Quæ definitio ut rite percipiatur, notat Angelicus (6), tria rerum genera posse considerari: etenim *aliquid est in actu tantum; aliquid vero in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam puram et actum perfectum. Quod igitur est in potentia tantum, nondum* movetur; *quod autem jam est in actu perfecto, non* movetur, *sed jam* motum est. *Illud igitur* movetur, *quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum: quod quidem partim est in potentia et partim in actu, ut patet in alteratione. Cum enim aqua est solum in potentia calida,*

(1) S. Thom. 2. 2. quæst. 180, art. 6.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 9, art. 1, ad 1.um
(3) Vide v. g. Ciceronem, *de Oratore*, lib. 1, n. 23.
(4) Cfr. *Ontolog.* num. 246, p. 700.
(5) Ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια ἡ τοιαύτου κίνησις ἐστιν. Lib. 3 *Physic.* cap. 1.
(6) In 3.um *Physicor.* lect. 2, paulo post init.

nondum movetur; cum vero jam est calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero jam participat aliquid de calore, sed imperfecte, tunc movetur *ad calorem, nam quod* calefit (se está calentando), *paulatim participat calorem magis ac magis. Ipse igitur actus imperfectus caloris in calefactibili existens, est motus; non quidem secundum id, quod actu tantum est, sed secundum quod jam in actu existens, habet ordinem in ulteriorem actum; quia si tolleretur ordo ad ulteriorem actum, ipse actus, quantumcunque imperfectus, esset terminus et non motus, sicut accidit, cum aliquid semiplene calefit. Ordo autem ad ulteriorem actum competit existenti in potentia ad ipsum. Et similiter, si actus imperfectus consideretur tantum ut in ordine ad ulteriorem actum, secundum quod habet rationem potentiæ, non habet rationem motus, sed principii motus; potest enim incipere calefactio, sicut a frigido, ita a tepido...*

Itaque motus dicitur primo *actus;* per quam vocem excluditur a ratione motus quidquid nullo modo est actus, ut materia prima. Nam *id, quo aliquid fit actu, prius existens in potentia, est actus. Sed aliquid fit actu, dum movetur, prius adhuc in potentia existens. Ergo motus est actus* (1). Idque illustratur exemplo. *Quia* ædificabile *dicit potentiam ad aliquid. Cum autem ædificabile secundum hanc potentiam, quam importat* (nimirum ad *ædificationem*) *reducitur in actum, tunc dicimus, quod* ædificatur (se está edificando), *et iste actus est ædificatio passiva. Et similiter est de omnibus aliis motibus, sicut doctrinatio, etc.* (2) Ad meliorem itaque hujus rei intelligentiam duplex distingui potest actus: alter *imperfectus* vel incompletus, alter *perfectus* vel completus. Actus perfectus ita subjectum actuat, ut illud non relinquat in via, fluxu seu tendentia in ulteriorem actum: unde actus ejusmodi in proprio subjecto sistit, ac terminatus est, quin excurrat, ac progrediatur ad formam receptam amplius perficiendam. At vero e converso actus imperfectus ita subjectum actuat, ut

Quid actus perfectus et imperfectus.

(1) S. Thom. (3.° *Physicor.* lect. 2). Vide Suarez (disp. *Metaphys.* 49, sect. 2, num. 9).
(2) S. Thom. 3.° *Physic.* lect. 2, parag. c, cum Arist. ibid. Cfr. lib. 11.° *Metaphysicor.* lect. 9, paragr. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illud constituat in fluxu progressuque ad ulteriorem termini accepti perfectionem. Motus ergo est ejusmodi actus imperfectus (1).

Dicitur secundo motus actus *existentis in potentia. Omnis enim actus ejus est proprie actus, in quo semper invenitur: sicut lumen nunquam invenitur nisi in diaphano, et propter hoc est actus diaphani. Sed motus semper invenitur in existente in potentia. Est igitur motus actus existentis in potentia* (2). Impossibile quippe est moveri illud, quod actu perfectum sit et in actu. Additur tandem in definitione, *prout in potentia vel secundum quod hujusmodi*. Quia motus non est actus perfectus, sed imperfectus, ut notavimus. Quod ut melius intelligas, revoca in mentem actui respondere potentiam, et sicut duplex esse potest actus subjectum actuans, alter imperfectus, alter perfectus, ita vicissim subjectum in duplici potentia versari posse. Nam *antequam aliquid moveatur, est in potentia ad duos actus, scilicet ad actum perfectum, qui est terminus actus, et ad actum imperfectum, qui est motus. Sicut aqua antequam incipiat* calefieri, *est in potentia ad* calefieri, *et ad* calidum esse. *Cum autem* calefit, *reducitur in actum imperfectum, qui est motus, nondum autem in actum perfectum, qui est terminus motus, sed adhuc reepectu ipsius remanet in potentia* (3). Quare motus essentialiter est ens quoddam imperfectum. Totam istam doctrinam breviter sic complexus est S. Damascenus: *Motus est actus ejus, quod est in potentia, quatenus est in potentia. Velut æs potentia statua est. Aes quippe statuæ formam potest suscipere: æris itaque quod potentia statua est, in eo actus positus est, ut dissolvatur, et formetur, et expoliatur: quæ omnia sunt motus* (4).

Probatur aristotelica definitio.

Probatur bonitas hujus definitionis. Quia *motus* est medium quiddam inter *posse moveri*, et *motum jam fuisse*, nam res pure *mobilis* nondum movetur, neque res jam perfecte *mota*, adhuc versatur in motu, seu *movetur* (se está moviendo).

(1) Cfr. Fonseca, *Metaphysic.* libr. 9, cap. 6, in expositione textus *h* et *n*.

(2) S. Th. 3.a *Physic.* lect. 2, paragr. *d*.

(3) 3.a *Physicor.* lect. 2, paragr. *c*. Cfr. ibid. lect. 2.a initio; et *Metaphys.* lib. 11, lect. 9, paragr. *e*.

(4) S. Joann. Damascen., *Dialect.* cap. 61.

Sed tunc proprie vereque *movetur*, cum incepit quidem habere actum alicujus formæ, licet nondum perfectum ac terminatum, sed inchoatum tantummodo, ac tendit ad illam magis magisque accipiendam. Atqui id exprimitur per allatam definitionem, quemadmodum satis jam explicatum manet. Ergo... Sic quid est me loco *moveri*, seu esse in motu ad templum? Non est solummodo me *posse moveri*, neque me *motum esse*, sed me tendere, esse in via ad assecutionem termini illius. Unde antequam movear, nullum habeo actum, sed solam potentiam; cum sum in termino, jam nullam habeo potentiam respectu illius, sed sum in actu perfecto. Cum vero *moveor*, partim sum in actu, partim in potentia (1).

Altera definitio motus ab eodem Philosopho tradita.

Hinc explicatur altera definitio a Philosopho tradita, qua motus dicitur *actus mobilis*, in quantum mobile (2). *Hæc enim definitio*, inquit S. Thomas, *concluditur ex præmissa, Quia enim motus est actus existentis in potentia, in quantum hujusmodi; existens autem in potentia in quantum hujusmodi, est* mobile, *non autem movens, quia movens in quantum hujusmodi, est ens in actu; sequitur, quod motus sit actus mobilis in quantum hujusmodi* (3).

Tertia Stagiritæ definitio motus.

In idem recidit tandem tertia ejusdem Philosophi definitio, qua motus dicitur *actus ejus, quod facere, et pati potest, quatenus tale est* (4) Adverte enim, sicut motus esse non potest absque mobili, *in quo* fiat ita etiam esse nequit absque movente seu motivo, *a quo* fiat. Unde motus non solum est actus mobilis, sed etiam moventis; quamquam diversimode. Est enim actus mobilis, tamquam existentis in potentia *passiva*, *in qua* suscipiatur, et est actus moventis, tamquam existentis in *potentia activa*, *a qua* fluat. Et quemadmodum non ideo aliquid *movetur* formaliter,

(1) Vide S. Th., lib. 2.a *Physic.* lect. 3 initio, et lect. 5, par. *i*. Cfr. 11.a Metaphysic. lect. 9, paragr. *k*.

(2) Κίνησις ἐντελέχεια τοῦ κινητοῦ, ἢ κινητόν. Arist. lib. 3, *Physicor.* cap. 2 in fin.

(3) S. Thom. (3.a *Physic.* lect. 4 initio). Cfr. Mauri (Commentar. in 3.um *Physicor.* cap. 3 text. 17).

(4) Ἡ (ἐντελεχεια) τοῦ δυνάμει ποιητικοῦ καὶ παθητικοῦ, ἢ τοιοῦτου. Arist., 3.a *Physic.* c. 3, in fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia *potest* actum aliquem imperfectum suscipere, nec quia perfectum actum suscepit, sed quia suscipit actum imperfectum, qui ulterius ordinatur ad actum perfectum, ita quoque *aliquid movere* formaliter non dicitur solum, quia *potest* actum exerere, aut quia jam *exeruit*, sed quia ita ponit actum, ut illum pergat ulterius ponere usque ad complementum: quando enim nondum ponit actum, non *agit* (está haciendo), sed solum *potest* agere, quando vero actum complevit, ac perfecit, similiter non *agit*, sed jam *egit*. Hæc ergo postrema definitio motum et *active* et *passive* declarat; active quidem, dum dicitur esse motus actus potentis agere, quatenus tale; passive autem dum dicitur esse actus potentis pati, quatenus tale. Itaque docet Aristoteles aliis verbis, motum esse actum, quo agens generatim formam aliquam producit in passo, et quo passum eamdem suscipit. «Hac de causa, inquit Joannes Ulloa, invaluit apud Philosophos appellare hujusmodi actiones motum. Et metaphora non est impropria: tametsi enim solus motus localis sit simpliciter motus in phrasi latina, verumtamen cum in his frequentibus operationibus per actionem agentis in passo transeat hoc a non habendo terminum illum, qui producitur, ad habendum illum, et agens quoque transeat a non producendo ad producendum illum sicut mobile transit per motum localem ab uno loco ad alium producendo præsentiam sui in alio loco, ut multi volunt; ideo non sine fundamento actiones illæ dicuntur *motus*» (1). Vide tres has definitiones egregie inter sese comparatas apud P. Benedictum Pereira (2).

Cur actioni et passioni nomen factum sit motus.

Ex præjacta declaratione sequitur, actus intentionales potentiarum intellectualium ac sensitivarum non comprehendi allata motus definitione (3). Nam motus est actus entis in potentia prout in potentia, talis nempe, qui natura sua sit fluxus, via et tendentia ad ulteriorem terminum. Atqui

Actus potentiarum intellectualium et sensitivarum cur non sint proprie motus.

(1) *Philosophia speculativa*, t. 2.º disp. 4, c. 1, n. 2.
(2) Oper. cit., lib. 13, cap. 5, n. 3.
(3) Ita Aristoteles (3.º *de Anim.*, text. 22) et S. Thomas (3.º *de Anima*, lect. 12; et 1 p., q. 18, a. 1; 1 p., q. 9, a. 1, ad 1.um aliique.

non sunt hujusmodi actus intentionales potentiarum intellectualium et sensitivarum, cum non ordinentur ad alium terminum producendum, sed sint actus ultimi in se sistentes et quiescentes, ut per se patet. Ergo... Paulo aliter probat rem hanc S. Thomas cum Aristotele ex eo, quod motus physicus est *actus existentis in potentia; quia videlicet recedens ab uno contrario, quamdiu movetur, non attingit alterum contrarium, quod est terminus motus, sed est in potentia. Et quia omne, quod est in potentia, in quantum hujusmodi, est imperfectum, ideo ille motus est actus imperfecti. Sed iste motus* (actuum intentionalium) *est actus perfecti; est enim operatio sensus jam facti in actu per suam speciem. Non enim sentire convenit sensui nisi in actu existenti; et ideo iste motus simpliciter est aliter a motu physico* (1). Discursus habet quidem speciem quamdam motus, non tamen esse motum proprie physicum vide, si lubet, apud P. Benedictum Pereira (2).

Utrum autem allata motus notio conveniat quibusvis mutationibus physicis, per quas forma aliqua in subjecto efficiatur, sive successivæ illæ sint, sive instantaneæ, controvertitur inter veteres. Negant de instantaneis Sotus (3), Pererius (4), Conimbricenses (5), aliique, eo innixi argumento, quod mutationes momento peractæ reapse non sunt actus entis in potentia prout in potentia, quia non relinquunt subjectum in potentia et via ad ulteriorem actus receptionem, quandoquidem statim terminantur ac sistunt. Verum S. Thomas (6), Toletus (7), Rubius (8), Suarez (9), Complutenses (10),

Utrum allata motus notio competere possit etiam mutationibus physicis instantaneis, disputatur;

(1) S. Thom., *(de Anim.*, lib. 3, lect. 12 initio) cum Aristotele (ibid. text. 22). Cfr. Complutens. *Physicor.*, disp. 16, quæst. 2, num. 14), Card. Aguirre *(Physic.*, disp. 19, sect. 1). Vide etiam S. Thomam (1. 2. quæst. 31, art. 2 ad 1.um; *de Verit.* quæst. 28, art. 9 ad 11.um; 4.ª dist. 17, quæst. 1, art. 5, solut 3.ª ad 1.um).
(2) *De communibus* etc., lib. 13, cap. 5, num. 6.
(3) *Physicor.*, lib. 3, quæst. 1.ª
(4) *De communibus* etc., lib 13, cap. 5, num. 9 et cap. 8.
(5) *Physicor.*, lib. 3, cap. 1 et 2, quæst. 1, art. 1 fin.
(6) 3.ª *Physic.*, lect. 2, paragr. *b* in fine; et lib. 5, lect. 2 initio; et in 3.um *Physic.*, c. 3, q. 1.
(7) In 5.um *Physic.*, quæst. 1 in prænot. ante 1.um conclus.
(8) 5.º *Physic.*, quæst. 2.
(9) *Metaphys.*, disp. 49, sect. 2, num. 10.
(10) Op. cit. ib. disp. 49, quæst. 2, n. 16 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ioannes a S. Thoma (1), Mastrius (2), Pontius (3), et alii, volunt prædictam definitionem complecti sub se mutationes omnes physicas vel naturales, sive successivas, sive etiam instantaneas. Quorum sententia probabilior videtur.

sed affirmandum videtur.

Et ratio est, quia «*motus*, ut explicat S. Doctor (4), *dicitur actus entis in potentia, ut per hoc, quod dicitur* **actus**, *designetur ordo ejus ad præcedentem potentiam:* et *per id quod dicitur* **in potentia existentis**, *designetur ordo ejus ad ulteriorem actum*. Sed totum hoc convenit generationi substantiali (quæ momento peragitur, postquam subjectum præcedentibus alterationibus ultimo disponitur ad novæ formæ perductionem) necnon et aliis mutationibus instantaneis jam dictis. Ergo et definitio motus».

«**Probatur Minor.** Quia quando generatio v. g. ignis intelligitur *in fieri*, intelligitur subjectum in actu per generationem, ut ex se patet, et in potentia respectu termini *ad quem*. Nam in illo priori non intelligitur subjectum sub forma geniti: alioqui non conciperetur generatio in illo priori solum *in fieri*, sed in *perfecto esse*, cum tamen licet simul sint ibidem *fieri* et *factum esse*, nihilominus prius debeamus intelligere *fieri*, quam *factum esse*, quia *factum esse* attingitur per ipsum *fieri*. Ergo in illo priori intelligitur subjectum esse aliquo modo in potentia ad terminum ad quem» (5). Brevi, mutatio physica, quantumvis momentanea, est actio quædam, qua terminus acquiritur subjecto: quare est via quædam ad illum. Et sic subjectum, quod mutatur, ante mutationem concipitur in potentia ad duplicem actum, ad actum nempe formalis mutationis et ad terminum ejusdem. Mutatio proinde est actus quidam imperfectus natura sua tendens ad terminum ulteriorem, tamquam via ad illum habendum (6). Ex quo etiam præoccupata manet ratio adversariorum. Et hinc est, quod Aristoteles traditam definitionem confirmat exemplis actionum, quæ non

(1) *Physic.*, quæst. 14, art. 1.
(2) *Physic.*, disp. 15, quæst. 5.
(3) *Physic.*, lib. 3, disp. 13, quæst. 1, *conclus. 1.ª*
(4) S. Thom. *Physicor.*, lect. 2 initio.
(5) Complutenses, loc. cit., num. 18. Cfr. ib. num. 18.
(6) Vide Rubium, egregie id declarantem (loc. cit. num. 18-21).

sunt motus strictissimo sensu, sed mutationes substantiales instantaneæ, qualis est generatio et corruptio (1).

Quid quies opposita motui.

Motui opponitur quies, quæ nihil est aliud, quam privatio motus vel carentia motus in subjecto apto: et privative opponitur motui in termino *a quo*. Sic calefactioni, quæ est motus ex frigore ad calorem, opponitur quies in frigore, et frigefactioni, quæ est motus a calore in frigus, opponitur quies in calore. Verum de his plura dabit Aristoteles cum suis Commentatoribus (2).

Adversus declaratam hactenus motus definitionem.

Quædam difficultates solutæ.

279. **Objic. 1.°** Motus essentialiter implicat relationem tum ad agens, tum ad passum, tum ad terminum *a quo*, tum ad terminum *ad quem;* ea vero minime exprimitur in allata definitione. Ergo rejicienda illa est.

Resp. *dist.* Minor. explicite, *trans.;* implicite, *neg.* Et ratio patet ex dictis. Nam ibi aperte satis indicatur passio; ubi vero exprimitur hæc, etiam implicite significatur actio. Et idem dicatur de terminis.

Objic. 2.° Forma quoque substantialis est actus entis in potentia, quatenus in potentia, quia est actus materiæ, quæ est potentia; et solum prout est in potentia, est subjectum aptum illi recipiendæ. Atqui tamen forma substantialis non est motus.

Resp. *dist.* Major. Forma est actus entis in potentia, ita nimirum illud actuans, ut constituat in statu viæ ac tendentiæ ad terminum, *neg.* Est actus actuans instar actus perfecti, *conc.* Quævis enim forma substantialis complet, ac terminat potentialitatem materiæ, dum e converso motus mobile non ita complet, ac terminat, sed solum actuat, reponendo illud in tendentia versus terminum.

Instabis. Dantur aliquæ formæ viales atque imperfectæ et ex sese ordinatæ ad aliarum formarum introductionem. Itemque dantur qualitates in gradu remisso, quæ subjectum relinquunt in potentia ad ulteriorem ejusdem perfectionem, puta calor modicus aquæ. Ergo saltem ejusmodi formis omnino accommodari potest exposita definitio.

(1) Plura dabunt Rubius, et Complutenses, et Cardin. Aguirre.
(2) *Physicor.* lib. 5, cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. eodem modo. Omnes enim hæ formæ qualitatesque, quantumvis sint viales atque imperfectæ, sunt veri actus perfecti in sensu, in quo nunc loquimur, cum sint entitates ita in se terminatæ, ut careant tendentia fluxuque ad ulteriorem ejusdem actus terminum et complementum. Ubi autem abest ejusmodi tendentia, deest quoque ratio motus.

Objic 3.° Saltem definitio ista videtur ad amussim quadrare in passionem. — **Respondeo** motum, actionem et passionem re unum idemque esse, quemadmodum mox probabimus. Ratione tamen aliquo modo distinguuntur; quia actio importat et exprimit processum vel fluxum *ab* efficiente vel movente, passio receptionem *in* subjecto seu mobili, motus vero ipsum actum imperfectum, qui est via ad ulteriorem perfectiorem actum. Definitio ergo prædicta motus significat quidem eamdem rem, ac passio, non tamen secundum propriam passionis formalitatem.

Motus physici ratio magis enucleatur.

280. Jam si verum est, quod cum S. Thoma tamquam probabilius adstruximus, declaratam motus definitionem posse sub se complecti non solum motum stricte ac proprie dictum, sed etiam mutationem, quæ latius illo patet, enucleanda magis est peculiaris ratio motus physici. Revoca ergo in mentem id, quod jam in *Ontologia* explicatum manet, mutationem, seu motum fusius sumptum in secunda acceptionum initio præmissarum, dividi posse ratione termini in *generationem*, *corruptionem* et *motum physicum* stricte sumptum (1). Et ratio est, quia *cum omnis mutatio sit a quodam in quoddam, ut manifestatur ex ipso mutationis nomine, quod denotat aliquid esse post aliud, et aliud esse prius, aliud posterius* (2); tot species habeat, necesse est, quot modis contingere potest per se ejusmodi transitus. Hi autem sunt tres. Vel enim mutatio fit a non *subjecto* in *subjectum*, id est a termino negativo ad positivum seu affirmatum, nam per *subjectum* intelligit hic Philosophus *omne id, quod affirmative significatur* (3); et habetur *generatio*, quæ est mutatio de non *esse* ad *esse*.

(1) *Ontolog.* num. 246 pag. 700.
(2) S. Thom., 5.° *Physicor.* lect. 2 paragr. 2.
(3) S. Thom. ibid.

Generatio simpliciter et secundum quid.

Et potest esse duplex, *simpliciter* et *secundum quid*. Illa terminatur ad substantiam, ideoque vocatur *generatio simpliciter*; quia tum dicitur aliquid simpliciter transire de non *esse* ad *esse*, quando substantia generatur. E converso cum aliqua substantia solum accidentaliter mutatur, ut si paries ex non albo fiat albus, nequit dici transire de non *esse* in *esse simpliciter*, quia jam prius erat actu, sed in *esse tale:* nimirum non fit simpliciter, sed fit tale. *Quod enim mutatur, proprie subjectum est, subjectum autem albi est aliquod ens actu* (1). Vel secundo mutatio fit a subjecto in non subjectum, id est, a termino affirmato vel positivo ad negativum; et aderit corruptio, quæ proinde est mutatio ab *esse* in non *esse:* et potest pariter esse duplex, *simpliciter* et *secundum quid*, sicut generatio. Tandem mutatio alia potest esse a subjecto in subjectum, seu ab uno termino positivo et affirmato ad alium positivum, ut v. g. mutatio ab albo in nigrum et a dulci in amarum; et vocatur *motus* stricto sensu. Divisionem porro istam adæquatam esse, probatum habes in *Ontologia*, ubi plura require (2). Aliæ quoque motus ac mutationis divisiones hic indicari possunt, ac nominatim illa in instantaneum et successivum, quam in prædicto loco *Ontologiæ* declaratam habes. Dividitur etiam motus in naturalem et violentum ac neutrum: quæ divisio desumitur ex habitudine subjecti recipientis ad formam motu receptam: nam vel naturaliter inclinatur ad illam, et habetur motus naturalis; vel potius naturaliter reluctatur, et obtinet motus violentus; vel demum neutro modo se habet, et tunc motus dicitur neuter (3): de quibus divisionibus videri potest Mastrius (4). Denique moveri aliquid potest vel *per se*, vel *per accidens*. Per accidens contingit moveri aliquid, vel quia inest ei, quod movetur, sive ut accidens sive ut locatum in loco, vel quia movetur pars ejus. Sic sanato homine, *musicus* sanari dicitur, quia homini accidit esse musicum: et mota navi vel curru, movetur per accidens homo, qui eo vehitur, et anima

corruptio simpliciter et secundum quid.

Variæ divisiones motus.

(1) S. Thom. ibid. paragr. *d*.
(2) Loc. cit., pag. 700 seqq.
(3) Cfr. quæ superius scripta sunt num. 188-191.
(4) *Physic.* disp. 15, quæst. 6, art. 2.

etiam movetur moto corpore: denique homo dicitur percuti, percussa ejus manu. Per se movetur, quod movetur ratione sui.

§ II.—Accuratior motus physici stricte sumpti explicatio.

Quale sit motus physicus stricte sumptus.

281. Motus itaque stricte sumptus, de quo solum nunc est agendum nobis, est tertia hæc mutationis species, nempe mutatio de subjecto in subjectum vel de uno termino affirmato aut positivo ad alium affirmatum vel positivum, v. g. a frigore ad calorem, vel ab uno in alium locum. Hujus motus illud est α) primum attributum, quod subjectum recipiens illum debeat esse ens actuale seu substantia completa. Etenim quod movetur jam est, quod enim non est, moveri proprie nequit: itemque quod proprie movetur, non desinit esse id, quod prius erat substantialiter. Atqui id quod jam erat ante motum, nec per motum substantialiter mutatur, est ens aliquod actuale. Ergo... Quamobrem vides jam primam differentiam inter hunc motum strictum et generationem ac corruptionem. Generatio enim terminari potest ad substantiam, nempe generatio substantialis, cujus proinde subjectum non est ens completum, sed materia prima, nam quod simpliciter generatur, nondum est, sed fit ipsa generatione; immo si jam esset, non posset simpliciter generari. Et similiter distinguitur motus a corruptione, quæ potest etiam esse substantialis(1).

subjectum ejus est ens actu et completum;

motus physicus versatur inter extrema contraria.

β) Secundo motus versatur inter extrema contraria, ut nuper observavimus. Contraria porro hic intelliguntur non modo stricte talia, quæ nimirum sub eodem genere maxime opponuntur, sed etiam media. Quia etiamsi quid moveatur ex medio versus alterutrum extremum maxime dissitum, v. g. ex medio aliquo colore ad album vel nigrum, ex sono medio ad gravem aut acutum, non desinit vere mutari de subjecto in subjectum, seu a termino positivo ad positivum (2) «Ratio, cur mutatio possit dari etiam a mediis est,

(1) Vide de his S. Thom., 5.ª *Physicor.*, lect. 2, paragr. *f.*, cum Arist. ib., et lect. 3, paragr. *b.* Vide etiam Toletum, Comment. in 5.um *Physic.* cap. 1, text. 8, et quæst. 1.

(2) Vide S. Thom., 5.ª *Physic.*, lect. 1, paragr. *m*, cum Aristotele ibid. Quin etiam notant iidem motum versari quoque posse inter

quia cum medium quodammodo sit utrumque extremum; in quantum est unum extremum, est contrarium alteri: ex. gr. vox media inter gravem et acutam, respectu gravis est acuta, respectu acutæ est gravis: color fuscus respectu nigri habet rationem albi, respectu albi, habet rationem nigri...» (1) En alterum discrimen inter motum et generationem ac corruptionem: hæ namque versantur inter terminos contradictorios. Unde in uno motu duplex adest mutatio, altera corruptiva per abjectionem positivi termini *a quo*, altera generativa per acquisitionem novi termini *ad quem*. Id quod egregie docet Angelicus: *Dicendum, quod differentia est inter motum et mutationem, nam motus unus est, quo aliquid affirmative significatum abjicitur, et aliud affirmative significatum acquiritur. Est enim motus de subjecto in subjectum, ut dicitur in 5.º Physic. Per subjectum autem intelligitur hoc aliquid affirmative monstratum, ut album, nigrum. Unde unus motus alterationis est, quo album abjicitur, et nigrum acquiritur. Sed in mutationibus, quæ sunt generatio et corruptio, aliter est; nam generatio est mutatio de non subjecto, ut de non albo in album, corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album. Et ideo in abjectione unius affirmati et adeptione alterius, oportet duas mutationes intelligi, quarum una sit generatio, et alia corruptio, vel simpliciter vel secundum quid. Sic ergo si in transitu, qui est de albedine in nigredinem, consideretur ipse motus, idem motus figuratur per ablationem unius et introductionem alterius, non autem significatur eadem mutatio, sed diversæ, tamen se invicem concomitantes, quia generatio unius non est sine corruptione alterius* (2).

In omni motu proprie dicto duplex adest mutatio.

Motus magis proprie sumptus successivus est.

γ) Præterea motus est successivus. Etenim cum sit inter extrema contraria, ideoque latitudinem aliquam atque interpositam distantiam habentia, absolvi perficique nequit, nisi transeundo per medium successive. Et sic in ipso perfectissime locum habet ratio illa *actus entis in potentia prout in*

extremum privativum et positivum, modo illud non negative, sed affirmative, significetur, v. g. *nudum*. Vide ibid. lect. 2, in fine.

(1) Mauri, Comment. in 5.um *Physic.* cap. 1, text. 6. Et vide Arist. et S. Thom. ib.

(2) S. *Thomas, de Verit.*, quæst. 28, art. 1.

potentia, per quam motus definitur; est enim actus non purus, sed potentia admixtus, actus qui non est totus simul, sed partim est, partim fuit, et partim erit. Quomodo autem successio motui conveniat, inferius dicetur articulo hujus capitis quinto. Atque hoc est tertium discrimen motum inter ac mutationem, quæ potest esse instantanea, nimirum in generatione et corruptione substantiali (1).

et continuus.

δ) Præterea motus est continuus, id est fluit absque mora et interruptione versus terminum, donec illum fuerit assecutus. Nam ubicumque abrumpitur jugis hic fluxus et progressio, adest quies et permanentia; ubi vero quies adest, cesset motus, necesse est. Dum enim sistit mobile, nequit dici *moveri*, sed *motum esse*, si forte motus aliquis præcessisset (2). Ad rem S. Thomas: *Dicendum, quod in motu proprie accepto est duo reperire, scilicet habet continuitatem, sic proprie mensuratur per locum, quia ex continuitate magnitudinis est continuitas motus, ut dicitur 4.° et 5.° Physicorum* (4.° text. 99; 5.° text. 39); *secundum autem, quod habet successionem, sic proprie mensuratur per tempus; unde tempus dicitur numerus motus secundum prius et posterius* (3). Quod porro detur in rerum natura motus vere continuus, videtur probari experientia ipsa in motu locali gravium, contra quosdam, qui posuerunt omnem motum morulis esse interruptum. Gravia enim constanti ac necessaria vi urgentur, nec intelligi potest quomodo quiescant in suo præcipiti cursu. In aliis motibus res controvertitur in utramque partem, quamvis communior sit sententia affirmans (4).

(1) Hæc porro intelliganda sunt de generatione ac corruptione formali, de ipsa nimirum inceptione et desitione substantialiter essendi. Si enim *generatio accipitur ipsa inceptio essendi cum toto motu præcedente, cujus est terminus, sic non est in instanti, sed in tempore, ita quod in toto tempore præcedenti est non ens illud, quod generatur, et in ultimo instanti est ens. Et similiter dicendum est de corruptione.* S. Thom. 6.ª *Physic.*, lect. 8, paragr. *fi*, in fine.

(2) Cfr. Conimb. (in lib. 3.us *Physic.*, cap. 2, quæst. 2, art. 1), et Benedict. Pereira (lib. 14, cap. 6).

(3) S. Thom., 1.ª dist. 8, quæst. 3, artic. 3.

(4) Vide Suarez (*Metaphys.*, disp. 46, sect. 3, a num. 6), Rubium (*de Gener. et corrup.*, lib. 1, cap. 4, tract. 3, quæst. 2), Tolctum (*de Gener. et corrup.*, lib. 1, quæst. 6), De Benedictis (*Physic.*, lib. 4, quæst. 2, cap. 1), Joann. a S. Thoma, (*Physic.*, part. 2, quæst. 3, art. 3), Complutenses (*De Gener. et corrupt.*, disp. 2, quæst. 10), Lossada (*De Gener. et corrupt.*, disp. 3, cap. 5), Mastrium (*de Gener. et corrupt.*, disp. 3, quæst. 5).

Corollaria quædam.

Jam ex successione et continuitate motus tria colliguntur: 1.um) Id quod *movetur* seu est in *fieri* motus, jam motum est, et porro movebitur: 2.um) quare nequit in ipso assignari nec primum nec ultimum sui *esse* intrinseci, sed tantum primum atque ultimum sui *non esse:* 3.um) ac proinde motus neque incipit, neque desinit intrinsece, sed tantum extrinsece: nimirum incipit per ultimum sui *non esse*, ac desinit per primum sui *non esse* (1).

Ad quod prædicamentum revocandus sit motus.

282. Motum reale quiddam esse nemo sanus diffitebitur: quærat autem forte quispiam, ad quod prædicamentum pertineat, omnis enim finita realitas ad aliquod prædicamentum revocatur, saltem aliquo modo. Verum ut jam in *Ontologia* notatum reliquimus (2), res in prædicamento constitui potest, vel directe, vel indirecte, vel etiam reductive. Et motus quidem, utpote actus imperfectus ensque incompletum, nequit speciale aliquod constituere prædicamentum, nec directe collocari sub aliquo ex decem vulgatis rerum generibus. Sed neque indirecte, cum non sit differentia ullius generis divisiva. Restat ergo, ut reductive revocetur ad prædicamentum ipsius termini *ad quem*, cujus termini motus est *via* et *fieri*. Sic motus localis revocatur ad prædicamentum *Ubi*, et motus augmentationis ad quantitatem, alterationis, ad qualitatem. Apposite S. Thomas: *Omne quod est imperfectum, sub eodem genere cadit cum perfecto: non quidem sicut species, sed per reductionem, sicut materia prima est in genere substantiæ* (3). Et hæc quidem vera sunt, si motus consideretur formaliter, prout ab actione ac passione secernitur. Quod si consideratur per respectum ad id, *a quo* procedit, et ad id, *in quo* subjectatur, quemadmodum sub hac contemplatione

(1) Verum hæc magis declarabuntur inferius, ubi de inceptione ac desitione rerum: nunc innuisse sufficiat.

(2) Vide num. 272, pag. 787.

(3) S. Thom. 3.ª *Physic.* lect. 1, paragr. *d*. Cfr. 5.ª *Physic.* lect. 3, initio; *de Potent.* quæst. 3, art. 3, ad 8.um; 3.ª p., quæst. 62, art. 4, ad 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

motus cum ipsa actione et passione identificatur, ita ad hæc quoque prædicamenta revocari debet, Angelico docente: *Secundum autem, quod motus consideratur, ut est in hoc* ab alio, *vel ab hoc* in aliud, *sic pertinet ad prædicamentum actionis et passionis* (1).

ARTICULUS II.

An et quomodo motus distinguatur a mobili ac termino?

Status quæstionis

283. Post expositam motus notionem, erit forte quispiam, qui quærat, quid tandem reipsa sit motus. In motu enim plura concurrunt, videlicet causa movens, mobile, quod movetur, terminus duplex, *a quo* et *ad quem*, ac tempus: quibus in motu locali addi debet spatium seu medium, in quo motus peragitur. Quæritur ergo, num motus sit aliquid istorum, an aliud quidpiam. Et difficultas præcipue versatur circa identitatem aut distinctionem motus a mobili ac termino *ad quem*. Motus namque certissime differt a movente, ut patet: differt etiam a termino *a quod*, illi enim repugnat, cum motus esse non possit, quin ab eo recedatur. Differt a tempore, quod est mensura durationis ejus, sicut etiam differt tandem a spatio et medio, in quo exercetur. Existimavit porro Cartesius (2) nihil aliud revera esse motum, quam corpus ipsum mobile. Eaque sententia non paucis recentioribus arrisit, docentibus motum esse modum quemdam corporis, seu modificationem ab ipso realiter indistinctam (3). Sunt vero alii, qui motum cum termino *ad quem* identificari vellent. Ajunt enim, eos non aliter discriminari, nisi tamquam duos modos ejusdem realitatis; motum enim esse ipsum terminum ac formam, quæ acquiritur, prout fluentem, et ab *esse* imperfecto ad perfectum *procedentem* (4).

(1) 5.a *Physic.*, lect. 3, initiò. Vide de tota ista quæstione Conimbricenses, Rubium, Complutenses etc., apud quos aliæ quoque controversiæ legi possunt.

(2) *De Princip.*, part. 2, num. 27.

(3) Vide cl. Palmieri, *Cosmol.*, thes. 11, part. 4.a

(4) Ita Benedict. Pererius (p. cit. lib. 13, cap. 1) et Massius, aliique apud Complut. (loc. cit. q. 3, n. 24).

Alii e converso illum esse absolutam aliquam entitatem a subjecto ac termino tamquam rem a re distinctam arbitrantur (1). Aliter tamen decernendum est cum communissima DD. sententia.

284. Propositio. **Motus tum a mobili tum a termino ad quem ex ipsa natura rei distinguitur, non tamen tamquam res a re, sed tamquam modus a re modificata.**

Motus differt a mobili

Probatur prima pars. Ea non solum ratione, sed ex ipsa rei natura distinguuntur, quæ realiter separari queunt. Atqui sic se habent motus ac mobile. Nam subjectum existit nondum existente motu, et vicissim augeri motus, minui, diversissime variari, ac cessare penitus potest, corpore prorsus in sua entitate immutato permanente. Id quod exemplis passim occurrentibus compertum omnibus esse debet.

et termino

Paobatur secunda pars 1.° eodem argumento. Potest namque terminus manere, ac porro manet, finito motu: hic enim sistit omnino, ubi mobile terminum formamque, ad quam movebatur, assecutum est. Atqui nihil potest durare, ac perseverare, pereunte aliquo, cum quo re identificabatur. Ergo. 2.° Motus est entitas successsiva, terminus autem per motum obtentus est permanens non modo in *facto esse*, sed etiam in ipso *fieri*. Atqui nihil potest esse simul realiter successivum et realiter permanens. Ergo... (2).

distinctione modali.

Tertia pars prob. 1.° Nam sufficit hæc distinctio ad ea omnia explicanda, ob quæ in duabus prioribus partibus realem motus cum mobili ac termino identitatem respuimus. 2.° Signum et character modalis distinctionis est non mutua duorum separabilitas ac tenuissima entitas alterutrius. Atqui motus tam tenuem habet realitatem, ut nequeat existere extra mobile (3).

Solvuntur difficultates.

285. **Objic 1.°** Motus est continuata successiva existentia corporis in diversis locis. Atqui motus neque quatenus

(1) Ita Aureolus et alii apud Conimbric. (3.a *Phys.*, c. 2, q. 3, a. 1).

(2) Vide Conimbric. (loc. cit. art. 2, *concl.* 1.a 2.a part.), et Rub. (*Physic.* quæst. 4).

(3) Vide Suar. disp. *Met* 49, sect. 2, num. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est existentia, neque quatenus est successivus, est res a mobili distincta.

Resp. *neg.* Major. Etenim motus localis non est existentia successiva corporis, sed adquisitio successiva præsentiæ in diversis locis. Iam præsentia localis et ubicatio, ut ostensum in *Ontologia* est (1), modus quidam est, et multo magis (2) adhuc acquisitio illa loci, quæ physica et realissima est actio, ut mox videbimus.

Instabis 1.º Posita corporis existentia diversis in locis, iam intelligitur motus. Atqui existentia corporis in diversis locis nequit re ab ipso corpore distingui.

Resp. *dist.* Major. Et hoc ipsum quod est existere vel transire corpus per diversa loca, aliquid præter existentiam corporis importat, *conc.;* secus, *neg.* Si enim corpus moveri et existere in diversis locis nihil est præter existentiam, omne corpus existens moveretur, et existeret in diversis locis. Et *neg.* etiam Minor.

Instabis 2.º Ut mobile moveri localiter censeatur, sufficit, ut diversa successive spatia connotet. Atqui hæc diversa spatia connotare potest per suammet entitatem absque ulla superaddita realitate.

Resp. *dist.* Maj. Si hæc connotatio procedat ex interna aliqua forma, quæ corpori accedat, *conc.:* secus, *neg.* Et *neg.* Minor. Corpus enim moveri est realis denominatio, quæ ipsi nec ante initium nec post finem motus convenit. Nova vero realisque denominatio advenire corpori non potest absque ulla reali mutatione, quæ in ipso contingat, aut in alia re, unde talis denominatio in ipsum derivet. Iam corpus non dicitur moveri ex ulla mutatione, quæ in spatio ipso contingat. Ergo reliquum est, ut ea mutatio in ipso corpore, dum a loco in locum movetur, fiat. Itaque ideo corpus nova spatia connotat; quia motu ipso modificatur.

Objic. 2.º Hæc realitas, in qua motus consistere dicitur, vel movetur et ipsa, vel non movetur. Si movetur, non certe

(1) Vide num. 373, pag. 1066 seqq.

(2) *Multo*, inquam, *magis*, quia sunt nonnulli, qui quamquam negent ubicationem esse modum rei intrinsecum, motum tamen localem in modo reponendum esse arbitrantur.

per aliam realitatem, ne eamus in infinitum. Ergo res moveri potest sine realitate superaddita. Si autem non movetur, ergo non mutat locum. At quomodo non mutet locum, quandoquidem movetur ipsum mobile, cui dicitur a nobis motus inhærere?

Resp. *conc.* Major. et eligo primum membrum. *Conc.* primum membrum Minoris; et *distinguo* illatum. Ergo res moveri potest sine realitate superaddita, si res illa seipsa determinata est ad motum, nec sine motu possit esse, *conc.:* si non sit ad motum per se ipsam determinata, possitque absque motu perseverare, *neg.*

Motui enim essentiale, est moveri, cum sit ipsum moveri, corpori autem non est essentiale, nec ullo modo necessarium, moveri. Nos ergo non negamus nihil esse, quod seipso moveri nequit, sed contendimus, et probavimus, corpus absque realitate superaddita minime moveri.

Objic. 3.º Aristoteles ac S. Thomas (1) docent motum non esse *præter res, id est præter genera rerum.* Atqui hæc ostendere videntur motum identificari cum ipso termino. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Angelicus enim, ut patet ex contextu, non aliud voluit, nisi hoc, nimirum motum non constituere speciale aliquod prædicamentum seu genus rerum, sed ad aliquod ex vulgatis rerum generibus esse revocandum. Si S. Thomas adversariorum sententiam tenuisset, quomodo scripsisset, motum in eodem genere esse cum suo termino, sed *non quidem ita, quod motus, qui est ad qualitatem, sit species qualitatis, sed per reductionem?* (2) Adde, quod idem S. Doctor alibi explicat, ad rationem motus requiri non solum, quod sit actus imperfectus, sed præterea ut *intelligamus ipsum quasi medium inter duo, quorum præcedens comparatur ad ipsum, sicut potentia ad actum..., consequens vero comparatur ad ipsum, sicut perfectum ad imperfectum vel actus ad potentiam* (3). Tandem cum explicat

(1) Vide S. Thom. (3.ª *Physic.* lect. 1, paragr. *4)*, et Arist. (ib. Cfr. 11 *Metaph.* lect. 9, parag. *2*).

(2) Lib. 5.º, lect. 3 initio.

(3) Ib. lib. 3, lect. 5, paragr. 1, versus fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qualisnam sit actus motus, ait ipsum non esse actum, per quem mobile actuatur, secundum quod erat in potentia ad terminum, quia *dum movetur, adhuc remanet in potentia ad terminum motus, sed solum per motum reducitur aliquid in actum de illa potentia, quæ significatur, cum dicitur aliquid esse mobile, idest potens moveri*. Unde sequitur motum esse actum quemdam medium inter mobile et terminum. (1) Fateor tamen Aquinatem hanc alibi scripsisse sententiam, quæ magis adversariis videtur favere: *Ipse actus imperfectus caloris in calefactibile existens, est motus* (2).

Objic. 4.° Motus est formaliter via ad formam et ipsum *fieri* formæ. Atqui forma *in fieri* non distinguitur ab eadem *in facto esse*, cum idipsum quod fit, deinceps in *esse* permaneat. Ergo...

Resp. *nego*. Major. Aliud enim est forma et aliud fluxus seu *fieri* formæ.

Objic. 5.° Si motus ac terminus ejus realiter distinguantur, mobile in omni motu duplicem subit mutationem, alteram ab actu termini, alteram ab actu ipsius motus, quos in se recipit. Hoc vero incredibile videtur.

Resp. *neg*. Maj. Nam licet duplicem actum recipiat mobile, unica tamen mutatione mutatur, et uterque ille actus unicam efficit formaliter mutationem, motus quidem *ut quo*, terminus autem ut *quod*. Præterquam quod mutatio solum existit, dum motus seu *moveri* perdurat, nam cum terminus adest, mobile jam non *mutatur*, sed *mutatum* est. Ergo terminus seipso nequit novam gignere distinctamque mutationem, sed solummodo terminat eam, quæ motu formaliter est inducta in mobile (3).

Objic. 6.° Si motus esset realitas aliqua a termino et subjecto distincta, deberet et ipse novo alio motu atque actione produci. Atqui id processum invehit in infinitum.

(1) Vide S. Thom. *Metaphys.* lib. 11, lect. 9, paragr. c. Cfr. *Physicor.* lib. 3, lect. 3 initio.

(2) S. Thom. *Physicor.* lib. 3, lect. 2 initio.

(3) Vide Rubium (loc. cit.), et Complutenses, et Pontium *(Integer Philos. cursus ad mentem Scoti*, pars 2.ª lib. 2, disp. 13. q. 2, *conclus.* 2.ª)

Resp. *dist*. Major. Si foret entitas aliqua substantialis aut accidentalis absoluta, *conc.*: si sit modalis dumtaxat entitas, et quidem realiter identica cum ipsa actione terminum producente, *neg*. Ut enim mox ostendemus, motus re non distinguitur ab actione et passione; actio porro non eget alia actione, a qua producatur, quia est productio formalis sui ac termini (1)

ARTICULUS III.

An et quomodo distinguantur motus, actio et passio.

286. Ex hactenus dictis forte cuipiam ea subit mentem cogitatio, motum non nisi nomine vel certe ratione sola discrepare ab actione et passione. Et certe dubitari nequit, quin magna intercedat inter hæc affinitas: primo enim motus, cum sit actus a movente procedens, arctissimo vinculo connectatur, oportet, cum actione, sine qua nihil reale fieri ac profluere a movente potest. Deinde cum motus sit actus in mobili receptus, ipsaque termini seu formæ acquisitio in subjecto, quod moveri dicitur; aut est ipsa passio aut certe aliquid cum passione copulatum. Quærimus itaque num, sicut in *Ontologia* ostendimus (2), actionem passionemque re identicas et ratione sola diversas esse, idem nunc quoque dicendum sit de motu respectu actionis et passionis. Qua de re, ut omittamus eorum sententiam, qui motum putarunt se habere instar generis superioris respectu actionis: id quod communiter rejicitur, et si verum foret, eo ipso actio et

Variæ sententiæ.

(1) Unum hic notatum velim, nonnullos priscos auctores, ut Toletum (in 3.ª *Physic.* quæst. 3) et Conimbricenses, (loc. cit.), cum negant *realem* motus distinctionem, quamquam nobis adversari, videantur, re tamen vera nostram tueri sententiam. Conimbricenses enim *formalem* admittunt distinctionem, docentque motum non ratione solum, sed *essentia* quoque a termino discriminari. Toletus vero ibidem, in argumentorum solutione, scribit motum natura præcedere terminum. Qui autem possit aliquid natura seipsum præcedere? Itaque cum hi gravissimi Philosophi motum inter ac terminum *reale* discrimen negarint, distinctionem realem majorem intellexisse censendi sunt.

(2) Vide *Ontolog.* num. 153, pag. 1031 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

passio desinerent esse summa genera seu prædicamenta (1); sunt viri graves, qui realem distinctionem inducant non solum inter actionem et passionem, sed etiam inter has easdem et motum. Ita Scotistæ, ut videri potest apud Pontium (2) et Mastrium (3). Alii contendunt admittendam esse inter hæc distinctionem modalem, quæ est sententia Thomistarum (4). Remque sic explicant, motum esse subjectum, in quo actio et passio, recipiantur immediate. Unde quotiescumque tria hæc reperiantur, actio, passio et motus; actio et passio non immediate inhærent substantiæ, quæ movetur, sed motui, et hoc mediante, substantiæ, fere sicut alia accidentia inhærent substantiæ media quantitate (5). Alii vero contendunt nullam inesse realem distinctionem, sed solum rationis ratiocinatæ. Hæc est opinio satis communis inter nostros scriptores. Quin etiam nonnulli ne distinctionem quidem rationis ratiocinatæ volunt agnoscere (6).

Status quæstionis.

Ante resolutionem unum notandum probe est, non omnem actionem esse cum motu, quemadmodum constat in creatione, quæ nec passionem habet nec motum. Itemque non omnis actio etiam passioni admixta proprie motus est: actus intentionales actiones sunt et passiones, non autem motus, nisi velimus improprie loqui. Sed e converso ubicumque adest motus, adest quoque actio et passio. Quæstio itaque agitatur circa illas actiones et passiones, quæ cum motu fiunt.

(1) Vide Complutenses (loc. cit. disp. 17, quæst. 1).

(2) *Cursus ad mentem Scoti*, t. 2, lib. 3, disp. 13, q. 2, *concl.* 3.ª, num. 20.

(3) *Physic.* disp. 15, quæst. 3, n. 21 seqq.

(4) Vide Joann. a S. Thoma *(Physic.* quæst. 14, art. 2), Complutenses (ibid. disp. 17, quæst 2), Card. Aguirre *(Physic.* disp. 19, sect. 3).

(5) Complut. (ib. quæst. 3, n. 22), Joann. a S. Thoma (loc. cit.). Cfr. apud Suarez (disp. *Metaph.* 49, sect. 2, n. 3).

(6) Vide v. g. P. Petr. Hurt. *(Physic.* disp. 11, sect. 3), Carleton Compton *(Physic.* disp 40, sect. 3). Ipse etiam Suarez (ibid. num. 4 seqq.) inclinat in eamdem sententiam, quantum respicit passionem et motum: quamquam mox (a n. 14) amplectitur tandem distinctionem rationis.

287. Propositio. **Motus aliquo modo distinguitur ab actione et passione; non tamen realiter, sed solum ratione ratiocinata.**

Motus aliquo modo distinguitur ab actione et passione;

non tamen realiter,

Prima pars non eget probatione, quia ex diversis harum rerum definitionibus nominibusque constat aliquod intercedere discrimen, sive reale illud sit sive rationis, et sive rationis ratiocinatæ sive rationis ratiocinantis.

Probatur ergo secunda pars. 1.° ex tertia definitione communiter admissa, secundum quam motus est *actus ejus, quod facere, et ejus, quod pati potest, quatenus tale est*, vel actus agentis et patientis. Atqui actus, quo agens formaliter dicitur agere est actio, et actus, quo passum formaliter pati dicitur, est passio. Ergo motus est actio et passio, a quibus proinde nequit realiter secerni.

Prob. 2.° Nulla est necessitas distinctionis realis inter motum, actionem et passionem. Ergo non est admittenda. **Antecedens patet.** Etenim eadem entitas potest esse via ad terminum, et actus ab agente manans, inque mobili receptus: tres enim hæ rationes nullam involvunt pugnam. Atqui via ad terminum est motus, actus ille ab agente profectus et ad formam aliquam terminatus actio est, passio vero idem actus prout in passo receptus.

Prob. 3.° Motus est actio et passio. Ergo hæc non distinguuntur. **Antecedens probatur quoad 1.am partem.** Nam motus est id, vi cujus movens movere dicitur. Sed movere est efficere aliquid. Ergo motus est formalitas, qua efficiens aliquid efficit; id quod significatur *actionis* nomine. Præterea si motus non est ipsa realiter actio agentis, fit alia actione, nam certe est aliquid fluens a movente. Id vero nequit admitti. Si enim movens motum immediate gignere non potest, idem dicendum erit de quavis actione. Itaque ad quamvis actionem eliciendam, alia egebit actione, et sic abibimus in infinitum. **Probatur antecedens quoad 2.am partem.** Et primo quidem, quia passio idem est realiter cum actione, ut ostensum in *Ontologia* est. Ergo et cum motu. Præterea motus recipitur in passo, et est formalis acquisitio termini seu formæ. Atqui hæc passio quædam est,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 4.° Tandem motus, actio et passio subjectantur in passo. Si ergo realiter distinguuntur, mobile in quovis motu tres actus suscipit, totidemque subjicitur mutationibus. **Antecedes**, quantum spectat ad motum, probabitur inferius: quantum vero ad actionem et passionem, probatum supponimus in *Ontologia*.

sed sola ratione.

Probatur tertia pars propositionis. Ut patet ex definitionibus ac declarationibus in *Ontologia* traditis, actio exprimit *egressum actus ab agente*, passio *receptionem ejusdem in subjecto*, motus vero rationem *viæ ad terminum* seu *fieri* formæ ab agente manantis et subjecto unitæ. Atqui hæ sunt diversæ expressiones mentales unius ejusdemque rei. Hinc est, quod licet in reipsa illa entitas, quæ actio et passio et motus est, respectum dicat tum ad agens, tum ad passum, tum ad terminum, cujus est via et *fieri;* tamen concepta formaliter ut actio, non respicit nisi causam activam, nec concepta ut passio, nisi subjectum seu passum, nec demum concepta formaliter ut motus, nisi terminum seu formam, quæ producitur. Et ita idem ipse fluxus ut est *ab*, dicitur actio, tamquam *actus hujus ab hoc;* ut vero est *in*, vocatur passio, tamquam *actus hujus in hoc;* ut demum tendit versus terminum ac formam perfectam, nominatur motus, tamquam actus nondum perfectus, ad complementum suum procedens.

Mens Aristotelis ac S. Thomæ.

Atque hæc videtur esse omnino mens Aristotelis ac S. Thomæ. Solvit (Aristoteles) *aliud inconveniens, scilicet quod idem actus esset duorum: et dicit, quod nihil prohibet unum actum esse duorum, ita quod* **non sit unus et idem motus secundum rationem, sed unus secundum rem,** *ut dictum est supra* (1): *quia eadem est distantia duorum ad unum et unius ad duo, et ejus quod est in potentia ad agens, et e contra. Sic enim* **idem actus secundum rem est duorum** *secundum diversam rationem, agentis quidem, secundum quod est* **ab eo, patientis autem, secundum quod est in ipso** (2). Et statim ait S. Doctor, hæc non esse identica *sicut ea, quorum* **ratio est una**, *ut tunica et indumentum* (quæ solum distinguuntur ratione ratiocinante), *sed sicut ea, quæ sunt idem subjecto et*

(1) Nempe *Physicor.* lib. 3. lect. 5, paragr. *f*; et lect. 4, paragr. *h*, *i*.
(2) 3.° *Physic.* lect. 5, paragr. *g*. Adde ib. lect. 4, paragr. *h*, *i*; et 11.° *Metaph.* lect. 9, paragr. *m*. seqq.; et 1. p. quæst. 45, art. 2, ad 2.um

diversa secundum rationem, ut **via a Thebis ad Athenas**, *et* **ab Athenis ad Thebas**. Et ad argumentum sibi objectum ex eo, quod actio et passio diversa constituant prædicamenta, ideoque realem videantur postulare distinctionem, ita respondet: *Sed sciendum, quod prædicamenta diversificantur* **secundum diversos modos prædicandi** *Unde* **idem**, *secundum quod* **diversimode de diversis prædicatur**, *ad diversa prædicamenta pertinet... Similiter* **motus, secundum quod prædicatur de subjecto, in quo est**, *constituit prædicamentum passionis;* **secundum autem quod prædicatur de eo, a quo est**, *constituit prædicamentum actionis* (1). Hæc adeo videntur manifesta, ut capere non possim, quomodo Complutenses elicere exinde potuerint distinctionem *formalem ex natura rei* atque independentem ab intellectus consideratione. Neque etiam componi omnino possunt cum distinctione modali, qua Joannes a S. Thoma aliique delectantur, nisi forte aliter, ac nos, modalem distinctionem intelligant (2).

Quædam difficultates dissipantur.

288. Objic. 1.° Movere formaliter est agere, moveri autem formaliter est pati. Ergo ne formalis quidem distinctio est admittenda motum inter et actionem ac passionem.

Resp. *dist.* antec. Si *movere* et *moveri* sumantur inadæquate ac præcisive, prout significant motum, *neg.:* si sumantur *adæquate*, prout *movere* significat *causam efficere motum*, et *moveri* significat *subjectum recipere motum*, *conc.*

Instabis. Motus formaliter includit conceptum *procedentis ab aliquo*, cum sit ens dependens, et etiam conceptum *recepti in aliquo*, quia est accidens. Ergo formaliter est actio et passio.

Resp. similiter *distinguendo* antecedens. Si materialiter et complete sumatur, prout est in re identificatus cum actione et passione, *conc.:* si inadæquate ac præcisive et formaliter, *nego*. Resque satis, opinor, in probationibus explicata remanet.

Objic. 2.° Subjectum vi solius actionis et passionis aliter se habere concipitur. Atqui si aliter se habet, movetur. Ergo

(1) 11.° *Metaph.* lect. 9, paragr. *p*.
(2) Cfr. quæ in *Ontologia* disputata sunt de reali actionis et passionis identitate, num. 353, pag. 1031 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vi solius actionis et passionis movetur, ac proinde motus est formaliter idem cum illis.

Resp. eadem distinctione. Non enim ideo præcise quia datur actio aliqua vel passio, movetur subjectum, sed quia talis actio ac passio circa ipsum exercetur; *talis*, inquam, quæ sit actus imperfectus et via ad terminum, qui nondum habetur in signo illius actionis ac passionis, sed habebitur, quando illa cessaverit (1).

ARTICULUS IV.

Undenam unitatem ac diversitatem sive specificam sive numericam accipiat motus?

289. Antequam divisiones præcipuæ motus physici stricte sumpti declarentur, videndum est, undenam petenda sit unitas ac diversitas motuum.

Status quæstionis aperitur.

§ I.—Unitas ac diversitas generica et especifica motus.

Quamquam motus, utpote incompletum ens non pertineat ad prædicamentum nisi reductive, ideoque proprie nec genus nec speciem habeat; nihilominus in suo ordine entis incompleti utrumque habere quodammodo dicitur, et in hoc sensu inquirimus undenam repetat suam qualemcumque unitatem genericam vel specificam. «Quatuor autem sunt, a quibus excogitari potest eam accipere: nempe agens, et passum aut mobile, terminus *a quo*, et *ad quem*. A quibus certum est non sic eam accipere, ut hæc vel aliquid horum ei sint essentialia, cum constet extrinseca esse; sed solum potest per ordinem ad illa unitatem genericam vel specificam accipere ita, ut ordo ad unum vel alterum sit ei essentialis. Certum est autem, ut D. Thomas docuit (2), cui assentiunt

(1) Videri possunt de hac quæstione Suarez (*Metaph.*, disp. 49, sect. 2), Rubius (*Physic.*, lib. 3, trac. 1 *de Motu*, quæst. 7), Benedictus Pererius oper. cit. lib. 13, cap. 7 et 8), Conimbricenses (*Physic.*, lib. 3, cap. 1, quæst. 1), Rhodes (op. cit. lib. 2, disp. 6, quæst. 1, sect. 1, paragr. 2), De Benedictis (tom. 2, lib. 3, quæst. 1, cap. 2), Suarez Lusitanus (*Physic.*, tract. 3, disp. 1, sect. 1).

(2) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 8.

omnes, motum non sumere unitatem vel distinctionem genericam aut specificam ab agente aut passo seu mobili. Cujus ratio est, quia licet motus non sit entitas realis distincta ab actione et passione; attamen secundum formalem rationem motus abstrahit ab utraque, et solum dicit viam aut tendentiam inter duos terminos, *a quo* et *ad quem*, non significando quod ab agente egrediatur, vel recipiatur in passo. Ergo unitas generica aut specifica ejus non potest per ordinem ad agens vel passum sumi. Solum ergo restant terminus *a quo* et *ad quem*. Sed de termino *ad quem*, conveniunt omnes, opinantes quod per ordinem ad eum sumatur. Et ratio est manifesta, quia terminus *ad quem* est quasi finis motus; a fine autem speciem accipere mutationes et motus, sicut etiam actiones, evidens est. Sed an a *solo* termino *ad quem* accipiatur, et non a termino *a quo*, vel ab utroque simul, in hoc posita est difficultas quæstionis (1). Itaque existimaverunt nonnulli prisci Philosophi motum diversitatem suam mutuari ab utroque termino, ita ut ubi uterlibet varietur, motus quoque essentialiter discriminetur (2). At videtur aliter omnino sentiendum cum communissima sententia.

Contra quorundam opinionem

290. Propositio 1.a **Motus speciem non sumit ex termino a quo, sed solum ex termino ad quem.**

Ita S. Thomas (3) cum Aristotele (4), Toletus (5), Conimbricenses (6), Complutenses (7), Rubius (8), Pereira (9), Dominicus Sotus (10), Joannes a S. Thoma (11), Mastrius (12), aliique.

Statuitur cum communissima doctrina motum speciem sumere a solo termino ad quem.

(1) Rubius lib. 5.° *Physicor.*, quæst. 1.

(2) Vide Albertum a Saxonia, Burlæum et alios apud Toletum Rubium et Complutenses.

(3) 1 p. quæst. 23, a. 1 ad 1.um 5.°; *Physic.* lect. 1 paragr. 6.

(4) 5.° *Physic.* cap. 1.

(5) In lib. 5.um *Physic.* quæst. 2.

(6) In lib. 5.um *Physic.* c. 4, q. 1.

(7) *Physic.* disp. 23, quæst. 1, num. 3.

(8) Lib. 5.° *Physic.* cap. 4, quæst. 1.

(9) Op. cit. lib. 13, cap. 9, quæst. 8.

(10) In lib. 5.° *Physicor.* quæst. 3.

(11) *Physic.* quæst. 19.

(12) *Physic.* disp. 15, quæst. 7, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Probatur 1.° Ab eo sumitur species ac essentia rei cujuspiam, a quo nomen ac definitionem res illa sortitur. Atqui motus nomen definitionemque suam sortitur a termino. **Minor** constat exemplis. Ideo enim *corruptio dicitur mutatio in non esse, quamvis id quod corrumpitur, mutetur ex esse. E contrario generatio est mutatio in esse, quamvis incipiat a non esse. Nomen autem generationis ad esse pertinet, corruptionis vero ad non esse* (1). Ideo *nihil... refert, quantum ad rationem dealbationis, utrum ille, qui dealbatur, fuerit niger aut pallidus, vel rubeus* (2). Ideo etiam in spiritualibus *transmutatio, qua aliquis transmutatur a statu injustitiæ ad statum justitiæ per remissionem peccati, sortitur nomen a termino ad quem, et vocatur justificatio impii* (3).

Prob. 2.° Cum motus sit recessus a termino *a quo*, et accessus viaque ad terminum *ad quem*, implicat repugnantiam quamdam cum illo et convenientiam cum hoc. Sed nihil specificatur ex eo, cui repugnat, sed potius ex eo, cum quo habet convenientiam. Ergo... (4).

non quidem materialiter, sed formaliter considerato.

Adverte porro, cum dicimus motus specificari ex termino *ad quem*, hunc intelligendum esse non materialem, sed formalem. Nam unus idemque materialiter et entitative terminus potest esse formaliter multiplex, ac proinde ad eamdem materialem entitatem termini *ad quem* terminari motus essentialiter diversi, pro diversitate nimirum formalitatum ac variarum rationum terminandi, quæ in ipsa continentur.— Et hæc generatim de omni motu.

291. Propositio 2.ª **In motu locali variatio essentialis videtur etiam posse ex diversitate medii exoriri.**

In motu locali diversitas essentialis videtur posse desumi etiam ex diversitate medii.

Nam sæpe motus localis ex sola interpositi medii variatione diversus existimatur in ipsa ratione motus, ut manifestum est in diversitate motus recti ac circularis, in ambulatione et volutatione, qua ad eumdem locum perveniatur. *Si id, in quo est motus*, inquit Angelicus (5), *est alterum*

(1) S. Thomas. 5.° *Physic.* lect. 1, paragr. *e.*
(2) S. Th. 1 p. quæst. 23, a. 1, ad 2.um.
(3) S. Thom. 1, 2, quæst. 113, art. 1.
(4) Vide S. Thom. lib. 5.°, *Physicor.*, lect. 1, paragr. *e.*
(5) *Physic.*, lect. 6, paragr. *e.*

specie, et motus est alter specie; et sic ad hoc, quod motus sit idem specie, non solum requiritur identitas termini secundum speciem, sed etiam identitas ejus, per quod transit motus. Manifestum est autem, quod linea recta et circularis sunt diversæ secundum speciem: unde motus circularis et rectus, et volutatio et ambulatio non sunt idem secundum speciem, quamvis sit circa eosdem terminos, quia via non est eadem secundum speciem. Sed si sint idem termini et eadem via secundum speciem, sunt idem motus secundum speciem (1).

Solvuntur difficultates.

292. **Objic. 1.°** Motus, ut superius explicatum est, essentialiter postulat duos terminos. Ergo ex utroque specificationem suam derivat. Prob. conseq. Ideo enim motus juxta nos specificatur ex termino *ad quem*, quia illum essentialiter respicit. Atqui non minus essentialiter respicit terminum *a quo*. Ergo...

Resp. *neg.* conseq. Ad probationem *disting.* Major. Ideo solum, quia essentialiter respicit terminum *ad quem*, *neg.*: quia certo quodam modo respicit illum, ut nimirum assequendum, *conc.* Terminus enim *a quo* respicitur ut destruendus ac deserendus, terminus vero *ad quem* ut obtinendus. Et quoniam obtineri nequit, nisi destruatur contrarium, propterea ipsa destructio termini *a quo* est propter assecutionem termini *ad quem*, eique servit; terminus autem acquirendus instar primariæ intentionis respicitur a motu. Et hinc est, quod dicitur naturam non intendere per se corruptionem, sed per accidens propter generationem novæ formæ, cui præcedens repugnat. Ideo dicendum est ad essentiam motus per accidens et materialiter se habere, ut ex hoc vel alio termino discedatur. Non enim ex omnibus, quæ intrinsece ac essentialiter respiciuntur, specificatio repetenda est, sed ex eo, quod respicitur tamquam finis naturalis ac per se intentus (2).

Cur dicatur natura non intendere per se corruptionem, sed per accidens.

Objic. 2.° Si motus specificaretur ex termino *ad quem*, identificari posset cum mutatione instantanea a termino negativo ad positivum. Sed motus a mutatione essentialiter

(1) Cfr. Rubius loc. cit., ac Toletus.
(2) Cfr. Rubius loc. cit.

distinguitur. Ergo.—**Major constat.** Ponamus enim tum motum tum mutationem ad eamdem specifice formam terminari; tunc illæ duæ mutationes non aliter possent distingui nisi ex termino *a quo*, nimirum quia motus est a termino positivo, mutatio vero a negativo. Atqui juxta nos terminus *a quo*, non est principium distinctionis specificæ. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Si motui essentialis sit successio, *neg.*; si non sit essentialis successio; *subdist;* identificari posset, id ut, non esset essentialiter et specifice diversum, *conc.*, neque esset accidentaliter diversus, *neg.* Si enim motus essentialiter postularet successionem; etiamsi mutatio instantanea terminaretur ad eumdem terminum, adhuc possent specifice distingui ex hoc principio. Utrum autem successio sit motui essentialis nunc, disputabitur inferius in articulo quinto hujus capitis (1).

Objic. 3.° Ex nostra sententia sequitur: α) ascensum ad aliquem locum esse motum ejusdem specie, ac descensum ad eumdem ex alio eminentiori loco; β) augmentationem etiam in eadem specie versari, ac diminutionem; nam et augmentatio, qua crescit aliquod corpus e bipedali in tripedalem, et diminutio, qua aliud e quadrupedali volumine in tripedale decrescit, eumdem habent terminum, nimirum magnitudinem tripedalem.

Resp. *neg.* utramque consequentiam, et probationem *distinguo*. Citati motus terminantur ad eumdem terminum materialem, *conc.*: ad eumdem formalem, *neg.* Nam idem locus diversimode attingibilis est, sive prout superior, sive prout inferior, sive prout dexter, sive prout sinister: hæ porro diversæ formalitates, sub quibus idem locus potest obtineri, illum reddunt formaliter multiplicem. Idemque dicatur de altero exemplo. Nam eadem entative moles acquiri potest sub duplici formalitate majoris aut minoris.

Objic. 4.° Motus violentus ac naturalis dicuntur etiam inter sese distingui. Atqui tamen illa distinctio non desumitur ex termino nec medio. Ergo etiam specificatio motus peti aliunde potest.

(1) Vide Conimbricenses, *Physicor.* lib. 5, cap. 4, quæst. 1, art. 3.

Resp. *dist.* Major. Distinguuntur essentialiter, *neg.*; accidentaliter, *conc.* Et concessa Minore, *dist.* conseq. Specificatio essentialis, *neg.*: accidentalis, *conc.* Ratio enim naturalis et violenti videtur esse ipsi motui accidentalis (1).

Plura de his apud laudatos autores require.

§ II.—UNITAS NUMERICA MOTUS.

Communis sententia probatur, et statuens

293. Sententia est Aristotelis (2) hac in re, ad unitatem numericam requiri, ac sufficere unitatem mobilis, termini *ad quem*, actem poris: quam sententiam communissime tuentur Scholastici cum S. Thoma (3), Card. Toleto (4), Conimbricensibus (5), Rubio (6), Complutensibus (7), aliisque, quorum hic nobis breviter probanda doctrina est. Prius autem notatum volumus, hic agi de unitate compositionis et continuitatis, non vero de unitate simplicitatis atque indivisibilitatis, ut satis per se constat, siquidem et ipse motus est realitas non simplex et indivisibilis, sed successiva et continua.

ad unitatem numericam motus requiri unitatem mobilis.

α) **Primo itaque requiritur ad numericam unitatem motus unitas mobilis.** Nam unum numerice accidens nequit inesse in diversis subjectis. Sed motus est accidens, et recipitur in mobili. Ergo unus numero motus unum numero mobile requirit.

Dices 1.° Si canis ex alto ruens vivere desineret, motus ille unus et continuus foret, mobile autem diversum foret non solum numerice, verum etiam specifice; nam corpus vivum et mortuum specie differunt.—**Resp.** Ad hanc difficultatem aliæ ab aliis aptantur responsiones, pro varietate opinionum circa subjectum accidentium corporeorum. Qui enim censent motum, sicut alia quoque accidentia, non in toto composito, sed in materia sola tamquam in subjecto adæquato inhærere, negabunt in exemplo proposito esse plura reapse mobilia, cum moriente cane, eadem numero

(1) Vide Tolet. loc. cit., *Quinta conclusio;* Rub. ib. n. 30.
(2) Aristot., *Physicor.* lib. 5, cap. 4, text. 34.
(3) 5.ª *Physic.* lect. 3.
(4) 5.ª *Physic.* quæst. 2.
(5) 5.ª *Physic.* cap. 4, quæst. 5.
(6) 5.ª *Physic.* cap. 4, quæst. 2.
(7) Ibid. disp. 23, quæst. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

remaneat ejus materia. Qui autem putant e converso motum, sicut et alia accidentia, in toto composito tamquam in adæquato subjecto recipi, negant motum illum canis esse *unum continuum*, sed duos *contiguos*. Et ratio est, quia corpus illud, quoniam in certo quodam loco mortuum est, in cæteris ubicationibus jam non existebat ut vivum, sicut in præcedentibus nondum extiterat ut cadaver. Itaque quemadmodum dum canis viveret, motus ejus non erat mortui, ita ex quo mortuus est, jam non est motus vivi: quapropter motus mortui immediate subsecutus est motum vivi, illique sunt duo motus entitative discreti (1).

Dices 2.° Sit ramus arboris partim viridis, partim aridus, qui moveatur. Motus ille manifeste unus est, et tamen non videtur mobile unum specie, nedum numero, quia duæ partes diversæ speciei, quales sunt vivens et mortua, non possunt vere continuari in eodem subjecto.

Respondeo simili modo. In sententia eorum, qui arbitrantur motum subjectari in toto composito, motus ille apparenter quidem unus est, re tamen duplex, ob duplex subjectum. Verum in altera sententia illorum, qui adæquatum motus subjectum volunt esse solam materiam primam, motus ille unus continuus est, nec vim habet difficultas.

unitatem termini seu formæ.

β) **Secundo requiritur terminus seu forma una.** Nam ea, quæ ad diversas pertinent species, non possunt unum numero continuum efficere. Ergo unus motus nequit componi ex diversis specifice motibus partialibus. Atqui motus partiales, qui ad diversos specifice terminos vel formas terminantur, specifice diversi sunt. Ergo ut unus sit numero motus, debet ad unum terminum terminari.

Dices. Terminus motus localis est *Ubi* novum, quod mobili acquiritur. Atqui in uno eodemque motu locali variantur plura *Ubi*, ut cum lapis decidit, vel homo ambulat per terram, etc. Simile argumentum fieri potest in motu intensionis, qui successive et continuo plures acquirat gradus,

(1) Vide Rubium (*Physicor.* lib. 5, cap. 4, quæst. 2, num. 15), et Joann. a S. Thoma. (*Physic.* quæst. 19, art. 4 ad 2.^um). Cfr. Pererius (op. cit. lib. 15, cap. 8), Tolet (loc. cit. quæst. 3.^a), Complutenses (disp. 22 *Physic.* quæst. 2), Mastrius (*Physic.* disp. 15, quæst. 8, art. 2, num. 84), etc.

quorum singuli possent esse termini motus, si in illis quiesceret.—«**Respondeo**, quod in illo motu locali sunt plura *Ubi* partialia et inadæquata, unum vero adæquate et simpliciter, scilicet illud, in quo ultimo sistit motus. Reliqua enim, quia in illis non sistitur, potius habent rationem continuantis partes motus et transitus de uno in aliud, quam rationem termini. Et ita semper salvatur, quod terminus est unus, scilicet ubi datur ratio ultimi. Quod si motus sistat in medio, illud *Ubi* habet rationem termini hoc ipso, quod in eo sistitur: et tunc ab ejus unitate pendet motus» (1).

et unitatem temporis.

γ) **Tertio requiritur unitas temporis.** Quia dum motus durat, tempus unum continuum est; non potest autem non cessare, vel quiescere, si tantisper interrumpatur tempus vel duratio ejus. Jam vero motus, qui præcessit quietem, et qui eamdem subsequitur, unus esse non potest. Ergo ut unus sit motus, oportet, ut uno continuo et non interrupto peragatur tempore.

Dices. Tempus ipsum unitatem suam accipit a motu, non secus ac successionem prioris et posterioris continuationemque. Nequit ergo unitas motus a temporis unitate repeti absque vitioso circulo.—**Respondeo** varie solere huic difficultati responderi. Dici satis commode potest in primis tempus, in ordine ad quem unitas motus desumitur, intelligendum videri non intrinsecum, quod nostra quidem sententia re non differt a motu, prout inferius dicetur, sed extrinsecum. Verum quidem est unum esse motum illum, cujus unum est tempus intrinsecum; sed supposita identitate utriusque, nihil reapse prodest ad cognoscendam unitatem motus unitas temporis. Unitas ergo motus desumitur ex unitate temporis extrinseci. Id tamen non eo sensu intelligas, quod unitas motus intrinsece et in se pendeat ab unitate temporis, sed extrinsece et quoad nos; ac proinde tempus dat unitatem motui per modum mensuræ, facientis nos cognoscere, quisnam sit motus unus. Ita ergo unus est motus, qui certo aliquo tempore cõextenditur, seu tamdiu durat absque ulla mora vel interruptione, quamdiu tempus illud perdurat.

(1) P. Joannes a S. Thoma (*Physic.* quæst. 19, art. 4 ad 1.^um). Aliæ solutiones apud alios videri possunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et nihil aliud præterea.

δ) **Nihil aliud præterea requiritur, sed tria prædicta sufficiunt ad numericam motus unitatem.** Nam duo alia solent a quibusdam tamquam necessaria proponi, unitas loci vel spatii et unitas moventis. Primum certe necessarium est, sed in unitate mobilis continetur; neque enim unum idemque mobile plura potest spatia occupare. Unitas autem motoris non videtur absolute requiri. Nam omnis motus est actio. Actio vero eadem procedere potest a duobus agentibus. Sic omnis actio et motus creaturæ fit simul et indivisibiliter a Deo: itemque aliæ actiones a duplici causa, principali et instrumentali, aliæ demum a pluribus causis partialibus in eumdem effectum conspirantibus, ut cum duo viri eamdem movent navim. Solum ergo dici potest requiri motorem unum non præcise unitate numerica, sed unitate causæ adæquatæ ac totalis, quæ potest resultare ex pluribus numero motoribus. Immo vero hanc eamdem unitatem causæ adæquatæ ac totalis observant Auctores requiri ad motum, non quatenus motus est, sed quatenus actio; nam ut ex dictis in *Ontologia* (1), eadem actio non potest a duplici causa totali procedere. Verum plura de his si cupis, adi veteres Auctores superius laudatos.

§ III.—QUÆNAM SINT GENERA PRÆCIPUA MOTUS.

Tria sunt genera motus stricte sumpti: augmentatio et diminutio, alteratio, et motus localis.

294. Tria communiter assignantur desumpta et distincta ex ordine ad terminum, unde docuimus specificari motum: *augmentatio et diminutio*, *alteratio*, et *latio* seu motus localis. Et ratio est, quia spectato termino *ad quem*, tot sunt genera suprema motus, quot sunt prædicamenta, ad quæ terminari motus per se ac ratione sui potest, non vero solum per accidens. Atqui motus per se terminari non potest nisi ad quantitatem, qualitatem et *Ubi;* motus vero ad quantitatem terminatus vocatur *augmentatio* vel *diminutio*, motus secundum qualitatem *alteratio*, et secundum *Ubi* vel ubicationem, motus localis. Ergo...

Minor probatur per partes: α) *Motus terminari potest ad tria prædicta prædicamenta.* Nam motus importat mutationem, qua subjectum ab uno termino positivo transit in alium.

(1) Vide num. 301, pag. 1045, 1046 seqq.

Atqui manifestum est subjectum mutari posse, seu transire ab una quantitate in aliam, sive a minori ad majorem, sive vice versa; item ab una qualitate in aliam, ut a frigore ad calorem; ac demum ab uno loco in alium. Ergo...

β) *Nullum est aliud prædicamentum, ad quod per se terminetur motus.* **Non ad substantiam**, quia mutatio secundum substantiam vel est generatio, vel corruptio substantialis, vel simpliciter dicta: hæ autem non sunt motus physicus stricte sumptus, de quo solo hic loquimur. **Neque ac relationem.** Nam relatio non fit per se, ideoque tantum per accidens potest esse terminus motus, quatenus motus terminetur ad aliquid, unde exurgat relatio. Hoc pacto cum paries dealbatur, motus per se terminatur in albedinem, et solum per accidens dici potest terminari ad relationem, ex eo quod in pariete dealbato resultet relatio similitudinis cum alio pariete albo. **Neque ad actionem et passionem.** Nam actio et passio sunt realiter motus. Ergo si ad eas daretur motus, daretur motus ad motum. Sed ad motum per se non datur motus. Si enim ad unum motum per se daretur motus, ob eamdem rationem ad illum priorem motum daretur per se alius motus, et ad hunc alium, et ita porro: nempe daretur processus infinitus per se in motibus, quod repugnat. **Nec denique ad reliqua prædicamenta:** nam, quemmadmodum scribit S. Thomas (1), *Cum* **Quando** *significet esse in tempore, tempus autem sit numerus motus; ejusdem rationis est non esse motum in genere* **Quando**, *et non esse motum in genere actionis et passionis, quæ significant aliqualiter ipsum motum* (2) **Positio** *vero* (situs) *non addit supra Ubi, nisi ordinem partium determinatum, qui nihil aliud est, quam determinata relatio partium ad invicem.* **Habitus** *etiam importat habitudinem indumenti ad indutum. Et sic ejusdem rationis videtur esse, quod non sit motus in* **situ** *et* **habere**, *et quod non sit in* **Ad aliquid** (relatione). Et ob hanc causam

Motus non datur ad substantiam,

neque ad relationem,

neque ad actionem et passionem,

nec ad *Quando*,

nec ad situm,

nec ad Habitum.

(1) S. Thom., *Metaphys.* lib. 11, lect. 12, initio.

(2) Vel si mavis, *Quando* significare generatim durationem creatam (Cfr. *Ontolog.*, num. 369, pag. 1061), plane vides non posse dari motum ad istud prædicamentum. Nam duratio vel identificatur realiter cum ipsa existentia, vel est modus ejus. Atqui ad existentiam non datur motus, nec *per se* dari potest ad modum existentiæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aristoteles cum de hac re ageret, non probavit, sed supposuit, ad tria ista prædicamenta non posse terminari motum. Addit Joannes a S. Thoma (1) aliam rationem, cur ad *Situm* et *Habitum* non detur motus: quia nempe nequit ad ea dari nisi motus localis, qui primo et per se est ad *Ubi;* inde vero sequitur applicatio ordinata partium corporis, quod locatur, quod est situs, vel adjacentia indumenti, quod est habitus.

De tota ista controversia videri possunt Aristoteles (2), S. Thomas (3) et veteres Doctores, qui omnia tractant accurate ac minutatim (4).

Sola viventium augmentatio est species motus.

295. **Jam relate ad tres istas motus species**, pauca quædam notanda veniunt. Et primo quidem non quævis augmentatio est species motus, sed solum augmentatio propria viventium, quæ nutritione peragitur. Quod ut melius intelligas observa posse augmentationem sumi proprie et improprie.

Declarantur varii modi augmentationis.

Nam quandoque, nempe latissimo sensu, augmentatio idem valet, ac fieri *quomodolibet* majus, sive penes extensionem, sive etiam penes intensionem; et ipsa augmentatio secundum extensionem latius sumitur, quando significat quamlibet molis additionem, sive continuam, sive etiam discretam. Immo vero in ipsa etiam molis additione adhuc potest improprie sumi augmentatio, ut v. g. accidit in dilatatione, quæ fit per partium, rarefactionem. Omnes istæ augmentationes impropriæ sunt, nec pertinent ad genus motus physici. Denique augmentatio sumi potest pro additione continua novarum partium, per quas rei quantitas et moles augescat: idque bifariam locum habet: primo per meram *appositionem* novarum partium, ut quando aqua fluminis augetur per guttas pluviæ decidentis vel per receptionem aquarum alterius fluminis; et secundo per intus-sumptionem alimenti, quod in propriam substantiam aliti convertatur, eique uniatur, et incorporetur: id quod in solis corporibus viventibus locum habet. Hæc

(1) *Physic.*, quæst. 19, art. 2 fin.
(2) *Physicor.*, lib. 5, cap. 2; *Metaphysicor.*, lib. 11, cap. 10.
(3) *Physicor.*, lib. 5, lect. 3 et 4; *Metaphys.*, lib. 11, lect. 12.
(4) Vide Conimbricenses *(Physicor.*, lib. 5, cap. 2, quæst. 1 per totam), Rubium (ibid. cap. 2, quæst. unic.), Benedictum Pererium (Op. cit., lib. 14, cap. 1 et 2), Complutenses *(Physic.*, disp. 22 per totam), Joannem a S. Thoma *(Physic.*, quæst. 19, art. 1, 2 et 3).

itaque postrema ratio augmentationis viventium propria, et nulla alia præterea, speciem primam motus constituit. Et ratio est, quia illa sola augmentatio numeranda est inter species vel genera motus, ad quam per se motus terminatur. Atqui ad solum augmentum quantitatis in viventibus per nutritionem datur motus per se directus. Accedit, quod reliquæ augmentationes aut non continent re vera quantitatis additionem, aut certe non continuam, sed discretam; aut si continuam, talis ea additio est, quæ mere resultet ex motu locali (1).

ei statuitur, in quonam reperiatur motus augmentationis proprie dictus.

Motus alterationis exponitur.

296. Deinde quod motum secundum qualitatem attinet, in primis *huic... generi*, inquit Angelicus, *aliudit hoc commune nomen, quod est alteratio: nam* **alterum** *solet dici, quod differt secundum qualitatem* (2). Cæterum monet ibidem S. Thomas cum Aristotele (3), alterationem proprie sumptam non esse motum secundum *quamlibet* qualitatem, sed solum secundum tertium genus qualitatis divisionis Aristotelicæ (4), nempe secundum *passionem* et *patibilem qualitatem* (5), ac proinde proprie alteratio est motus et mutatio secundum sensibiles qualitates in corporibus, prout idem S. Doctor fuse explicat alibi cum Aristotele, varios modos enumerans, quibus contingere alteratio potest (6). Improprie autem vocari solet aliquando alteratio motus secundum alia qualitatum genera. Nam *cum* **alteratio** *passiva includat in intellectu suo passionem; sicut passio duplex est, ita et duplex est alteratio. Dicitur enim communiter* (id est in sensu fusiori) **passio** *uno modo omnis*

Non quævis mutatio secundum qualitatem est proprie dicta alteratio.

Quid passio propria.

(1) Vide Cardin. Agoiere *(Physic.*, disp. 32, sect. 1.a et 2.a), apud quem et apud Benedictum Pererium (op. cit. lib. 14, cap. 2), Conimbricenses *(Physic.*, lib. 5, cap. 2, quæst. 1, art. 1 et 4), Rubium (ibid. cap. 2, quæst. unic., num. 8 et 12), Joannem a S. Thoma (ibid. quæst. 19, art. 3), et Complutenses (loc. cit. disp. 22, art. 2), quædam difficultates adversus primum istud genus motus propositæ ac solutæ legi possunt.
(2) S. Thom., *Physicor.*, lib. 5, lect. 4, paragr. *b.*
(3) *Physicor.*, lib. 5, cap. 2, text. 18. Vide S. Thom., ib. lect. 4, paragr. *b.*
(4) Quam expositam vide in *Ontologia*, num. 327, pag. 939 seqq.
(5) Vide *Ontolog.*, num. 327, pag. 941.
(6) Videm Aristotelem *(Physic.*, lib. 7, cap. 3), et S. Thom. (ibid. lect. 4, paragr. *b.)*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

receptio, secundum quo **intelligere** *pati* (nempe passio quædam) *dicitur; et sic etiam alteratio secundum istam passionem consistit in* **qualibet variatione** *circa receptionem alicujus qualitatis; et hoc modo potest esse alteratio etiam in substantiis pure intellectualibus... Alio modo dicitur* **proprie** *passio, quando abjicitur aliquid a substantia, et hoc est ex actione contrarii transmutantis: et secundum istam passionem alteratio dicta non est nisi circa sensibilia...* (1).

Variæ alterationis acceptiones.

Ex qua doctrina variæ colliguntur alterationis acceptiones. Et primo quidem nomen alterationis ab *altero* desumptum est. *Alterum* autem, quemadmodum notat Porphyrius in capite *de Differentia*, non est idem, ac *aliud*: nam *alterum* sonat differentiam accidentalem, aliud vero substantialem. Quare nomen *alterationis* communissime sumptum designat quamcumque mutationem et motum accidentalem. Sed sicut accidentalis motus secundum quantitatem vocatur augmentatio, et motus secundum locum, localis motus; ita etiam alterationis nomen reservatur in sensu magis proprio ad designandum mutationem secundum qualitatem. Verum hæc etiam acceptio alterationis adhuc non est maxime propria et stricta. Dantur enim mutationes quædam perfectivæ subjecti absque ullius præcedentis qualitatis corruptione, quales sunt v. g. non solum actus intentionales, quæ nequeunt proprie dici motus physici nec alterationes, verum etiam quædam mutationes physicæ ac sensibiles, ut *illuminatio*, quæ absque ulla prius in subjecto existentis qualitatis corruptione peragitur. Alteratio ergo in sensu pressissimo et valde proprio est, ad mentem Aristotelis, alteratio corruptiva, ea nempe, in qua corrupta priori qualitate, introducitur nova: tunc enim magis proprie res altera fieri dicitur. Ejusmodi alteratio sic describitur a Philosopho (2). *Alteratio est... quando manente subjecto sensibili, transmutatur in ejus passionibus, aut contrariis*

(1) S. Thom. 1.ª dist. 17, quæst. 2, art. 1 ad 5.um Ubi addit consequenter, propriam alterationem cadere in intellectum non posse per se, sed solum per accidens in homine *quantum ad illas qualitates, quæ in parte intellectiva ex sensibus oriuntur, sicut sunt omnes habitus acquisiti.* Cfr. idem S. Doctor (1.ª dist. 37, quæst. 4, art. 1 ad 2.um; 1. 2. quæst. 52 ad 3.um; 3.ª disp. 15, quæst. 2, art. 1, solut. 1).

(2) Aristot., *de Generat. et corrupt.* lib. 1, cap. 4, text. 23.

motibus mediis. «Ex quo aliqui sic eliciunt definitionem alterationis, *quod alteratio est motus ad qualitatem sensibilem mediam aut extremam, seu ad qualitatem habentem latitudinem contrarietatis.* Dicitur *motus* ad excludendas mutationes instantaneas, inter quas præcipua est ipsa generatio. Dicitur *ad qualitatem*, ad excludendum alias species motus, quæ versantur circa quantitatem, vel locum. Dicitur *qualitatem sensibilem*, ad excludendum motus, qui fiunt circa qualitates spirituales, ut circa habitus vel actus. Dicitur *mediam* vel *extremam*, id est, contrarietatem et latitudinem habentem, ad excludendum eas qualitates, quæ contrarietatem non habent, ut lux, figura et aliæ similes» (1). Ex his patet etiam discrimen alterationis a generatione, tum substantiali tum accidentali: a substantiali quidem differt sive ex parte termini, nam terminus generationis substantialis est substantia; sive ex parte subjecti, quia subjectum generationis ejusmodi est materia prima, alterationis autem substantia sensibilis; sive ex parte mutationis, quia generatio substantialis, secus atque alteratio, est instantanea; sive demum, ex parte termini *a quo*, quia terminus *a quo* formalis generationis est privativus, cum generatio sit a *non esse* ad *esse*, terminus autem alterationis est qualitas positiva, qua corrupta, inducitur alia nova. A generatione autem accidentali differt, quia etiam hæc formaliter est a termino negativo ad positivum, et quia latius patet, quam alteratio presse sumpta.

Definitio alterationis strictissime sumptæ.

Alterationis presse sumptæ species: simplex alteratio, intensio et remissio.

Alterationis physicæ ac sensibilis hactenus descriptæ triplex distinguitur species: prima ex defectu vocabuli genericum retinet nomen, dicturque *simplex alteratio;* secunda *intensio;* tertia, *remissio.* Simplex alteratio tendit ad acquirendam aliquam qualitatem, quæ prius non erat; secunda qualitatem jam existentem in subjecto perfectiorem reddit, ut cum corpus calidum fit calidius; tertia e converso est mutatio a perfectiori in minus perfectum gradum ejusdem qualitatis. Ratio vero hujus divisionis est, quia triplex modus latitudinis ac distantiæ considerari potest in qualitate, nimirum vel inter diversas qualitates contrarias, vel inter diversos gradus

(1) Joannes a S. Thoma *Physic.* part. secunda, quæst. 3, art. 1). Cfr. Conimbricenses (loc. cit., lib. 7, cap. 3, quæst. unic.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejusdem specificæ qualitatis. Aliæ quoque species alterationis, proponuntur, ut *mixtio*, *addensatio* et *rarefactio* etc. Verum istæ «non sunt species dividentes alterationem secundum formalitatem motus, id est secundum diversum modum latitudinis et distantiæ, sed secundum specificationem desumptam ex parte termini *ad quem;* sicut addensatio, quia producit densitatem, et rarefactio raritatem, et mixtio qualitatem temperatam, differunt inter se, sicut etiam differt calefactio et frigefactio et aliæ alterationes ex parte diversorum terminorum, a quibus specificantur: licet quia mixtio et addensatio et rarefactio communiores sunt, et specialiorem habent difficultatem», (1) ideo singillatim tractantur ab auctoribus.

Alteratio stricte sumpta solum terminatur ad tertium qualitatum genus.

Quæ cum ita sint, haud operosum erit ostendere alterationem stricte sumptam non terminari posse, nisi ad tertium qualitatum genus. Et ratio est, quia cum alteratio stricta importet mutationem de qualitate in qualitatem, duas potissimum conditiones requirit: prima est, ut alteratio versetur inter contrarias qualitates, quarum prior abjiciatur, et altera in ejus locum introducatur; secunda, ut alteratio ita terminetur ad qualitatem, ut non mediet alia qualitas vel terminus, ad quem prius illa terminetur, nam ad qualitatem, quæ solum ex consequenti resultet ex productione alterius prioris, nequit dici propie ac per se terminari alteratio. Ex quo jam illico patet alterationem proprie sumptam non posse terminari ad primum genus qualitatum, *habitum* nempe ac *dispositionem;* nam istæ, si sermo sit de operativis, non requirunt necessario in subjecto prævium qualitatem contrariam corrumpendam per alterationem: non enim necesse est, v. g. ut qui virtutem vel scientias excolit, et acquirit, prius vitio vel errore inquinatus fuerit. Aliæ vero qualitates primi generis, quæ non operationem, sed *esse* dumtaxat subjecti respiciunt, quales sunt v. g. sanitas et ægritudo et pulchritudo, non sunt terminus primo et per se intentus per alterationem, sed consequenter resultant ex proportione humorum in corpore et ex apta conformatione membrorum et coloris temperatione. Et ob eamdem hanc rationem nec figura

(1) Joann. a S Thoma (loc. nup. cit.), apud quem plura reperies.

et forma, quæ est quartum genus qualitatum, potest esse terminus alterationis, quia figura et forma resultat ex quantitate, et modificatur eo ipso, quod superficies modificetur per augmentationem vel alterationem aliarum qualitatum vel per actiones circa ipsam quantitatem immediate exercitas. Deinde nec ad secundum genus qualitatum, potentiam naturalem et impotentiam, datur primo et per se alteratio: quia potentia et impotentia naturalis nec habent contrarium nec latitudinem in subjecto ita, ut vel ab una ad aliam, vel ab uno gradu ad alium alicujus ejusmodi qualitatis transire subjectum naturaliter queat, quia sunt proprietates ingenitæ atque inseparabiles illius. Præterea ipsæ in proprio subjecto non existunt tamquam terminus alicujus motus, sed per dimanationem, prout in *Ontologia* declaratum est (1). Itaque *asperum* et *lene*, *durum* et *molle*, etc., quoties sunt veræ proprietates et qualitates secundi generis, non sunt terminus motus, quia resultant consequenter, producta rei natura. Si autem sint adventitiæ quædam affectiones in subjecto existentes præter naturalem exigentiam, non spectant ad secundum, sed ad tertium genus qualitatum secundum aristotelicam divisionem. Denique in qualitatibus tertiæ speciei datur propria et stricta alteratio, quia et contrarietatem habent ac latitudinem, et possunt esse terminus motus primo et per se intentus; non tamen in omnibus, «sicuti patet in lumine et odore, quorum illud contrarium non habet, hic etsi habeat, non id tamen in subjecto præexigit» (2). Verum plura de his vide apud veteres Auctores (3).

Motus localis

297. Demum de motu locali nulla occurrit hic difficultas, satis enim patet esse unam de speciebus motus physici (4).

Motus localis quomodo sit cæteris prior tempore ac perfectione.

Jam si tres istas species motus inter se compares, localis dicitur cæteris prior tempore ac perfectione. *Motus localis*, inquit S. Thomas, *est primus inter omnes motus et*

(1) Vide num. 320 seqq., a pag. 922.

(2) Conimbricenses, *Physic.* lib. 7, cap. 3, quæst. unic. art. 1 fin.

(3) Cfr. nominatim Card. Aguirre (*Physic.* disp. 32, sect. 3), et Joannes a S. Thomas (loc. cit. artic. 2).

(4) Vide, si lubet, quasdam difficultates solutas apud P. Benedictum Pererium (op. cit. lib. 14, cap. 2). Cfr. Cardin. Aguirre (loc. nup. cit. num. 36 seqq.).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tempore, *quia solus potest esse perpetuus, ut probatur in 8.o Physicor.* (text. comm. 54 seqq.), et **naturaliter**, *quia sine ipso non potest esse aliquis aliorum motuum. Non enim augmentatur aliquid nisi præexistente alteratione, per quam quod prius erat dissimile, convertatur, et fiat simile* (nempe per assimilationem alimenti in substantiam aliti). *Neque alteratio potest esse nisi præexistente loci mutatione: quia ad hoc, quod fiat alteratio, oportet quod alterans magis sit propinquum alterato nunc, quam prius. Est etiam* **perfectione** *prior, quia motus localis non variat rem secundum aliquid ei inhærens, sed solum secundum aliquid extrinsecum; et propter hoc est rei jam perfectæ* (1). Vide alium modum perfectionem localis motus explicandi apud eumdem S. Thomam (2). Cæterum recte monet Suarez «motum localem dici perfectiorem, quia minus transmutat mobile, unde fit, ut in perfectissimis rebus creatis etiam incorruptibilibus reperiri possit; non vero dicitur perfectior, quia semper majorem afferat perfectionem mobili, nam per alterationem fieri potest qualitas aliqua, quæ majorem perfectionem addat substantiæ vel quantitati, quam præsentia localis, quæ fit per motum» (3).

Nomen genericum motus a motu locali derivatur ad cæteros motus.

Cur corpora a substantiis

Ex eo quod *motus localis est prior omnium aliorum motuum* 1.° concludit S. Thomas, quod *secundum Philosophum (8.° Physicor.* text. 57) *nomen motus et distantiæ et omnium hujusmodi derivatum est a motu locali ad omnes alios motus* (4). Præterea 2.° rationem repetit, *cur corpora moveantur a substantiis spiritualibus motu locali immediatius, quam alis motibus.*

(1) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 82. *Amplius. primum in quolibet.* Cfr. 1. p. quæst. 110, art. 3; 2.a dist. 12 quæst. 1, art. 1 ad 5.um; 3.a *Physicor.* lect. 14 paragr. *f.* seqq.

Hic probe nota rationem ista S. Thomæ eodem modo subsistere, quamvis admittatur, quod motu locali acquiritur modus ubicationis intrinsecæ rei motæ inhærens, quia modus ejusmodi reapse non variat subjectum, sicut augmentatio et alteratio. Cfr. quæ in *Ontologia* scripsimus num. 173, pag. 1065, in respons. ad *Dices* 2.os: itemque lege et bene pondera verba S. Thomæ (2.a dist. 12 quæst. 1, art. 1 ad 5.um; et 8.a *Physicor.* lect. 14, paragr. 1, paulo ante fin. lectionis). Vide etiam Complutenses *Physic.* dip. 16, quæst. 4, num. 5.

(2) *Physicor.* lib. 8, lect. 14, paragr. *h.*

(3) Suarez, *Metaphys.* dist. 35, sect. 6, num. 16.

(4) S. Thom. 4.a dist. 49, quæst. 1, art. 4, solut. 3

Primo quidem, quia posteriora perficiuntur mediantibus prioribus: unde et alii motus a substantia spirituali causantur medio motu locali. Alio modo, quia sicut jam supra dictum est (artic. præc.) *effectus debiles possunt fieri immediate a remotiore agente. Unde minima variatio corporalis, quæ fit per motum localem, potest fieri per substantiam spiritualem, quasi per agens remotum, non autem alia major variatio, qualis est aliorum motuum* (1). *Et ideo natura corporalis nata est moveri immediate a natura spirituali secundum locum. Unde et Philosophi posuerunt, suprema corpora moveri localiter a spiritualibus substantiis: unde videmus, quod anima movet corpus primo et principaliter locali motu* (2).

spiritualibus immediatius movetur motu locali, quam aliis motibus.

ARTICULUS V.

De successione et contrarietate motus.

298. Diximus in primo articulo motum stricte sumptum successivum esse, et inter contrarios terminos versari, unde sequitur in motibus contrarietatem inesse posse. De hisce pauca nunc addenda sunt ad majorem rei declarationem. Et primo quidem de successione.

§ I.—AN ET QUOMODO SUCCESSIO CONVENIAT MOTUI.

Triplex radix successionis, quæ est in motu: gradualis latitudo termini acquirendi, resistentia subjecti, et successiva applicatio activitatis ad passum vel subjectum.

Successionem in motibus, sive augmentationis sive alterationis sive localis, experientia ipsa passim nobis demonstrat. Si quis autem causam hujusce rei quærat, radix successionis potest esse vel ex capacitate ac latitudine ipsius termini acquirendi, vel ex resistentia subjecti propter qualitatem contrariam aut dispositionem repugnantem introductioni novæ qualitatis, vel etiam ex successiva applicatione virtutis ad subjectum, ut sol successive illuminat, et calefacit diversas terræ partes. Et in motu quidem locali successio procedit ex latitudine spatii percurrendi; in augmentatione, tum ex latitudine quantitatis, tum ex successiva

(1) S. Thom. *de Malo*, quæst. 16, art. 10. Cfr. Suarez (loc. sup. cit. num. 16 seqq).

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 110, art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

introductione dispositionum in alimentum, quod in substantiam aliti convertendum est; in alteratione demum, potissimum in ea, quæ se tenet penes graduum intensionem, utraque causa intervenire potest. Et primo quidem successiva applicatio sæpe locum habet in successiva alteratione propter distantiam inter agens et passum, ob quam agens non agit in principio, quantum absolute posset, spectata sua virtute, sed solum quantum licet per distantiam, quæ si successive et continuo minuatur, successive et continuo crescat effectus alterationis, necesse est. Similiter ex resistentia passi proficiscitur sæpe successio in motu alterationis, ut experientia ipsa notum est, v. g. in ligno vel ferro, quod etiamsi maximo igni perfecte applicatum sit, non tamen subito calefit perfecte, videlicet propter resistentiam ipsius ligni vel ferri. Nam cum agens sit virtutis finitæ, non potest statim passi resistentiam superare, quæ quo major est, eo tardior est actio agentis, et vicissim (1). Hisce causis aliam addit Suarezius, nempe limitationem vel imperfectionem virtutis in agente; nam ex illa etiam provenire potest, ut non possit subito fieri totus effectus, et ideo paulatim ac per partes fiat. «Itaque hæc causa differt a præcedentibus, quia seclusa resistentia passi et ablata etiam omni distantia inter agens et passum; ex eo præcise quod agens est imperfectæ virtutis, determinatur ad talem modum agendi, ut non possit omnes gradus latitudinis formæ simul efficere, sed unum post alium» (2).

Unum motus absque successione posse esse; augmentatio citius potest absolute loquendo.

Nolim tamen, ut exinde statim inferas, omnes hosce motus non posse omnino absque successione effici. Et in primis quod augmentationem attinet, «si præcise ac per se consideremus terminum illius..., quamvis ex parte illius sit *capacitas* aut *non repugnantia*, ut successive fiat, tamen id non est *per se* ac simpliciter necessarium ex vi talis termini; nam sicut partes quantitatis omnes simul sunt, ita ex parte earum non repugnat simul acquiri.» Nec porro totum simul terminum augmentationis acquiri repugnaret, «si aut ex parte agentis esset sufficiens virtus ad adæquate agendum in

(1) Vide Lossada (*de Generat. et corrupt.*, disp. 3, cap. 5, num. 105), (*De Benedict.*, lib. 4, quæst. 2, cap. 2).

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 46, sect. 3, num. 18.

partem distantem ac in proximam, aut si ex parte passi seu alimenti esset inæqualis dispositio aut resistentia in partibus distantibus ac propinquis ita, ut ratione illius inæqualitatis, compensando nimirum majorem distantiam cum minori resistentia, possint eodem tempore æqualiter disponi. Sic enim conversio alicujus certæ partis alimenti posset in instanti consummari, et tunc aggeneratio et accretio aliqua in instanti fieret, et in ea non esset *extensio successiva*...» (1), quæ se tenerent formaliter ex parte termini, sed solum esset *extensio continua* ex parte subjecti, quia nempe augmentatio illa fieret, essetque in subjecto continuo et extenso. Quæ duo non sunt idem, nam potest terminus instantanee factus absque ulla successione habere extensionem in subjecto, ut v. g. «cum illuminatio subito fit in toto corpore vel visio in oculo, in quo habet extensionem aliquam, nam sicut lumen ipsum vel actus videndi, ut est qualitas corporea, sunt extensa in subjecto et quanta per accidens, ita actiones vel mutationes, quæ in illis qualitatibus efficiendis interveniunt, habent similem extensionem in subjecto, et sunt etiam quantæ per accidens» (2). Non ergo repugnat augmentationem fieri absque successione.

Itemque alteratio

Motus quoque alterationis non repugnat absolute, quominus careat successione. Quia non apparet repugnantia in eo, quod «tota transmutatio ab uno contrario in aliud fiat in instanti, si non desit virtus in agente, quia gradus intensionis, per quos fieri solet successio alterationis, non repugnant in eodem subjecto, neque inde oritur necessitas successionis, sed ex sola resistentia. Et ideo si hæc nulla sit, vel si a virtute agentis sine ulla proportione superetur, possunt omnes illi gradus in instanti fieri, sicut possunt simul esse» (3). Idemque dici potest de alteratione simpliciter dicta seu de prima qualitatis novæ introductione, destructa præcedenti, nam virtus potentissima agentis, cur non possit momento præcedentem qualitatem corrumpere novamque introducere?

At motus localis saltem naturaliter

Verum motus localis corporum, quidquid sit de motu substantiæ spiritualis, ita intrinsece postulat successionem,

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 40, sect. 8, num. 10.

(2) Suarez, ibid. num. 4.

(3) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 4, num. 26.

est necessario successivus

ut nequeat fieri in instanti, quia non potest eadem pars mobilis simul attingere distantem partem spatii, et pertransire propinquam. Sane repugnat saltem naturaliter corpus simul esse in duplici vel multiplici loco adæquato. Atqui si corpus moveri localiter posset absque successione ab uno in alium locum, simul esset in multiplici loco adæquato. Nam si absque successione transit ab uno in alium locum, in uno instanti, atque adeo simul, esset in duplici extremo loco et in medio. Si enim non esset simul et in eodem instanti in omnibus hisce locis, in uno esset prius, in altero posterius, ac proinde motus foret successivus. Atque ita sentiunt auctores communiter (1). **Nec dicas** posse saltem corpus in istanti transire al locum priori contiguum, non quidem ita ut in utroque simul esset, sed ita ut in uno instanti, relicto priori, novum acquireret.— **Nam in ea hypothesi** argumentum, quod de toto corpore factum est, ad partes ejus transferretur. Partes siquidem illæ omnes deberent simul in uno instanti innumeras partes spatii occupare, ut totum corpus ab uno loco in alium contiguum transferretur, quemadmodum per se patet. Solum ergo controvertitur, utrum corpus possit saltem divinitus moveri localiter in instanti ac sine ulla prorsus successione. Negant Conimbricenses (2) Rubius (3) aliique. Verum affirmant alii multi, ut Suarez (4), Hurtadus (5) Arriaga (6), Soarez lusitanus (7) et Mastrius (8): ac duobus modis id fieri posse arbitratur Doctor Eximius: «unus est transeundo vel secundum totum vel secundum partes ab extremo in extremum, *non tangendo medium* (9); alius est, si simul totum mobile existat in

utrum autem per divinam virtutem possit esse instantaneus, disputatur ab auctoribus.

(1) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 50, sect. 4, num. 27), Soarez lusitan. (*Physic.* trat. 6, disp. 1, sect. 1. paragr. 1), Rhodes (*Philos. peripat.* lib. 2. disp. 6, quæst. 2, sect. 2, paragr. 1).

(2) *Physicor.* lib. 6, cap. 6, quæst. unic.

(3) *Physicor.* lib. 6, cap. 3, quæst. unic., num. 66.

(4) Loc. nup. cit.

(5) *Physic.* disp. 11, sect. 10, num. 70.

(6) *Physic.* disp. 12, num. 14.

(7) Loc. nup. cit., paragr. 2.

(8) *Physic.* disp. 15, quæst. 6, art. 5.

(9) Hic tamen modus non ab omnibus aptus ad rem evincendam habetur. Quia alii Auctores, quamvis concedant posse unum corpus divinitus ab extremo in extremum, non transeundo per medium

termino et *in toto spatio medio et in singulis partibus ejus*». Remque fusius declarat Soarez lusitanus in hæc verba: «Successio actualis competit motui locali ratione ubicationum, quæ..., cum mobile non possit esse in spatio majori, quam exigit sua sphæra, et alioqui non possit habere plures ubicationes, necessario acquiruntur una post aliam, ac proinde successive. Atqui Deus potest dare mobili omnes ubicationes simul in eodem instanti: v. g. debebas naturaliter succesive moveri hinc usque ad Ecclesiam per totum spatium... milliarii. Potest Deus per plures ubicationes te simul in instanti collocare toto hoc spatio usque ad Ecclesiam. Hic motus suapte natura postulabat ubicationes successivas, unam post aliam; at divinitus omnes simul ei dantur in instanti. Ergo tunc dabitur motus in instanti, non quod detur successio in instanti, sed quod in instanti sine illa detur motus, qui illam exigebat suapte natura.» Vêrum plura de hac re dabunt Conimbricenses, Soarez lusitanus et Mastrius.

Utrum successio sit de essentia motus:

Cum his magnam habet conexionem quæstio illa, utrum successio sit de essentia vel ratione motus, atque adeo utrum divisio motus in instantaneum et successivum sit essentialis, an vero accidentalis, vel utrum motus successive et instantanee facti, solum per hoc essentialiter differant necne inter se. Essentialem esse motui successionem contendunt Conimbricenses (1), Toletus (2), aliique apud Soarez lusitanum (3). Alii tamen cum Eximio Doctore (4), Soarez lusitano, Mastrio (5), Cosmo Alamannio (6), negant successionem esse motui essentialem, quamvis hic ultimus exceptum velit localem motum, de cujus ratione putat esse successionem, et simili modo loquitur Rubius. Et istam secundam sententiam sequi necessario debent, quicumque motum in instanti fieri per divinam virtutem posse arbitrantur: id enim

variæ sententiæ.

transferri, negant tamen id fieri posse per motum localem. Vide v. g. Joannem a S. Thoma. (*Physic.* quæst. 19. art. 5 fin).

(1) *Physic.* lib. 3. cap. 2. quæst. 2.

(2) *Physicor.* lib. 3, quæst. 1, *conclus.* 2.ª

(3) *Physic.* tract. 3, disp. 1, num. 11.

(4) Suarez, *Metaphys.* disp. 49, sect. 4 a num. 6.

(5) *Physic.* disp. 15, quæst. 6, artic. 2.

(6) *Summ. philos.*, prima secundæ, quæst. 17, art. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

evidenter repugnaret, si successio esset de ratione motus; nam ex eo quod motui sit vel non sit essentialis successio, re vera pendet, quod non repugnet illum divinitus fieri in instanti. Controversia ista ex nuper dictis resolvi potest. Ne tamen in æquivoco laboremus, notandum est, motui esse essentialem successionem, significare motum physicum dari non posse absque successione, ita ut si terminus aliquis v. g. calor octo graduum produceretur in instanti, ea actio non esset de specie motus physici, sed esset actio alterius speciei: unde si de ratione motus est successio, mutatio instantanea in calorem octo graduum et motus succesivus ad hunc eumdem terminum specifice differrent, sicut differunt canis et leo. Si autem successio non est de ratione motus, actio, qua idem terminus in instanti, et altera, qua successive acquireretur, solum accidentaliter differrent, sicut duo canes diversi coloris, vel certe diversæ stirpis.

Successio non videtur essentialis motibus augmentationis et alterationis;

Itaque quantum attinet motum augmentationis et alterationis, videtur communissima Scholasticorum tenenda sententia, docentium successionem non esse de ratione illorum. Et ratio est, quia successio in his motibus non est intrinseca, sed extrinseca, nec procedit ex vi ac necessitate ipsius termini, sed vel ex resistentia passi vel ex limitatione agentis, quemadmodum superius declaratum est. Quamvis enim adsit in termino latitudo graduum, sive extensiva sive intensiva, tamen omnes illos gradus simul esse non repugnat, ac de facto simul permanent, terminato motu vel actione illorum productiva. Ergo quod ejusmodi termini successive fiant vel instantanee, non videtur variare ipsam rationem productionis eorum. Immo vero quandoque successio in quibusdam alterationibus videtur se habere omnino per accidens, quando nempe intensio qualitatis paulatim fit ex defectu applicationis in agente: exemplum habes in intensione lucis, quæ fiat in hoc spatio a lucerna paulatim accedente, tota quippe fieret in instanti, si lucerna hic subito appareret. Cum vero successio in motu provenit ex resistentia passi, spectato causarum naturalium ordine non potest motus in instanti fieri, quamvis non postulet essentialiter, immo nec intrinsece, successionem (1).

(1) Vide citatos auctores, et Lossada *Physic.* tract. 3, disp. 1, cap. 1, num. 7).

Quare motui physico et stricte sumpto, ei nimirum, qui importat transitum a termino positivo in alium positivum, seu a subjecto in subjectum, non est essentialis successio, saltem si localem motum excipias (1).

longe autem magis dubium est, utrum idem dicendum sit de motu locali.

Quid autem dicendum sit de motu locali, magis dubium est. Facile concedunt omnes, successionem, sin minus essentialem, intrinsecam illi certe esse tamquam veram ejus proprietatem. Quemadmodum enim jam superius declaravimus, terminus ipse motus istius, nova nempe ubicatio adæquata totius corporis singularumque partium, successionem intrinsece exigit. Utrum autem non solum intrinsece, verum etiam essentialiter postulet successionem, vel utrum successio conveniat locali motui in primo modo dicendi per se (2), id est, tamquam prædicatum essentiale, aliis definiendum relinquo. Modus tamen, secundum quem uterque Suarius, ut nuper vidimus, explicant possibilitatem instantanei motus localis, forte non caret sua probabilitate (3).

§ II.—UNDENAM PETENDA CONTRARIETAS MOTUUM.

Status quæstionis.

299. Dari motus invicem contrarios communi consensu admittitur cum Aristotele ac S. Thoma (4). Nec vero solum motui motus contrariari potest, verum etiam quies quieti, et immo etiam motui quies. Quæritur itaque primo, undenam petenda sit contrarietas mōtuum: quinque enim sunt modi, secundum quos contrarietatem motibus advenire concipi potest, ut recte enumerat Philosopus: *quorum* **primus modus** *est, ut ratio contrarietatis motuum accipiatur secundum accessum ad aliquem terminum et recessum ab eodem...: secundum quam rationem generatio et corruptio videntur esse contraria, quia generatio est* **motus ad esse,** *corruptio autem est* **motus ex esse. Secundus modus** *est, ut ratio contrarietatis motuum accipiatur secundum contrarietatem terminorum,* **a quibus** *incipit motus..., ut* (motus) *qui est ex sanitate* (contrarius est)

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 49, sect. 4 a num. 6.

(2) Vide *Logicam*, num. 237, pag. 864, 865.

(3) Plura in utramque partem, si vis, apud Rubium, Conimbricenses ac Soarium lusitanum require.

(4) Vide Aristot. *Physic.*, lib. 5, cap. 5), et S. Thom. (ibid. lect. 8), aliosque interpretes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ei, qui est ex ægritudine. **Tertius modus** *est, ut contrarietas motuum accipiatur secundum contrarietatem terminorum,* **ad quos** *terminatur motus..., ut* (motus) *qui est in sanitatem* (opponitur) *ei, qui est in ægritudinem.* **Quartus modus** *est, ut accipiatur motuum contrarietas secundum contrarietatem termini* **a quo** *ad terminum* **ad quem**..., *ut* (motus) *qui ex sanitate* (contrariatur) *ei, qui est in ægritudinem.* **Quintus modus** *est secundum contrarietatem ex parte utrorumque terminorum..., ut motus qui est ex sanitate in ægritudinem* (contrarius est) *ei, qui est ex ægritudine in sanitatem* (1).

Contrarietas motuum nequit desumi ex contrarietate termini a quo ad terminum ad quem.

300. DICO ERGO 1.° **Contrarietas motuum nequit desumi ex quarto modo seu ex contrarietate termini a quo ad terminum ad quem.**

Nam re vera motus a termino *a quo* in terminum contrarium *ad quem* efficit unum eumdemque motum, ac proinde contrarietatem non continet, cum ratio ipsa motus physici in eo consistat, quod inter duos terminos saltem aliquo modo contrarios versetur, recedendo ab uno, et accedendo ad alterum (2).

Neque ex contrarietate terminorum, a quibus.

301. DICO 2.° **Contrarietas motuum non desumitur ex sola contrarietate terminorum, a quibus duo motus incipiant.**

Et probatur, *quia duo motus, qui in idem tendunt, non sunt contrarii. Sed duo motus ex contrariis recedentes possunt in unum et idem tendere,* v. g. duo motus qui ex contrariis terminis in idem medium tenderent. *Præterea ex illo accipienda est contrarietas in motu, quod magis facit motum esse contrarium. Sed contrarietas terminorum, ad quos motus terminatur, magis videtur esse causa contrarietatis motuum, quam contrarietas terminorum, a quibus incipit motus. Quia cum dico motus incipere a contrariis terminis, dico remotionem contrarietatis; cum vero dico motus accedere ad contraria, dico acceptionem contrarietatis. Ergo non accipitur contrarietas motuum secundum*

(1) S. Thom., *Physicor.*, lib. 5, lect. 8, initio. cum Aristot. ibid. cap. 5.

(2) Cfr. S. Thom. et Aritoteles, ibid. paragr. *b*.

terminum a quo tantum (1). Tertio idem probatur, quia *ab eo, a quo aliquid recipit nomen et speciem, recipit etiam contrarietatem (cum contrarietas sit differentiâ secundum formam, ut patet ex 10.° Metaphys.),* nam unitas et diversitas et oppositio consequuntur propriam rerum specificationem. *Sed unusquisque motus magis... denominatur, et speciem recipit a termino ad quem, quam a termino a quo, sicut sanatio dicitur motus* in *sanitatem, et ægrotato motus* in *ægritudinem... Magis ergo accipienda est contrarietas motuum secundum terminum ad quem, quam secundum terminum a quo* (2).

Supersunt ergo tres modi: primus, in quo contrarietas oriebatur ex accessu et recessu ab eodem termino; tertius, in quo contrarietas desumebatur ex contrarietate solius termini ad quem; et quintus, in quo ex contrarietate utriusque termini contrarietas repetebatur.

Desumitur autem ex contrarietate utriusque termini.

302. DICO 3.° **Contrarietas propria motuum desumitur ex quinto modo seu ex contrarietate utriusque termini ita, ut illi motus proprie dicendi sint contrarii, quorum unus habeat terminum a quo contrarium termino a quo alterius, et terminum ad quem contrarium termino ad quem alterius.**

«Contrarietas enim motuum desumi debet ex propria ratione motus. Sed propria ratio motus, per quam differt a generatione et corruptione, est quod sit mutatio ex subjecto in subjectum seu ex affirmato in affirmatum. Ergo proprie contrarietas motuum consistit in hoc, ut uterque terminus affirmatus sit contrarius utrique termino affirmato: ex. gr. sanatio et ægrotatio sunt motus contrarii, quia per ipsos itur a contrario in contrarium; nam per sanationem ex ægritudine itur ad sanitatem, per ægrotationem ex sanitate acceditur ad ægritudinem» (3). Aliam probationem ex inductione petitam vide, si lubet, apud Aristotelem (4). Isti

(1) S. Thom., ibid. paragr. *c* et *d*, cum Aristot. ibid.

(2) S. Thom., ibid. paragr. *e*, cum Aristot. ibid.

(3) Ita Aristoteles, loc. cit., secundum paraphrasin P. Sylvestri Mauri (*Aristotelis Opera omnia* etc., *Physicor.* lib. 5, cap. 7, *Dicendum tertio*). Cfr. S. Thom. (ibid. paragr. *g.*)

(4) Loc. cit. Cfr. S. Thom, (ibid. paragr. *h*), et Mauri (ibid).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

porro motus si solum accipiantur, secundum quod habent contrarios terminos *ad quos*, v. g. mutatio ex non albo *in album*, et ex non nigro *in nigrum;* re vera non sumuntur ut motus proprii, sed ut mutationes. Nam motus proprius est mutatio a subjecto affirmato vel termino positivo ad subjectum affirmatum seu terminum positivum. Atqui non sunt ejusmodi mutationes a non albo *in album*, et a non nigro *in nigrum*. Ergo tales mutationes non sunt propii motus, sed puræ mutationes.

Oppositio secundum accessum et recessum ad eodem termino, non continet contrarietatem motus propii, sufficit tamen ad constituendas mutationes contrarias.

303. DICO 4.° **Primus modus oppositionis, qui est secundum accesum et recessum ab eodem termino, non continet contrarietatem** MOTUS **propii, sufficit tamen ad constituendas** MUTATIONES **contrarias.**

Primum patet, quia in illa oppositione non habentur duo termini positive. **Alterum autem probatur.** Nam mutationes illæ ita se habent, ut terminus *a quo* unius sit terminus *ad quem* alterius. Hoc modo contrariæ dicendæ sunt v. g. generatio et corruptio ignis. Nam generatio ignis est accessus *ad* formam ignis, et corruptio est recessus *a* forma ignis. Atqui acceptio formæ et ejusdem abjectio contrariæ sunt.

Motus e medio ad extremum et motus inversus sunt contrarii.

304. DICO 5.° **Cum datur medium inter contraria, motus e medio ad extremum et motus inversus habendi sunt contrarii, sicut motus ab uno in aliud extremum.**

Et ratio est, quia medium respectu extremi habet rationem contrarii: v. g. fuscum respectu albi habet rationem nigri, et rationem albi respectu nigri. Ergo motus, quo subjectum ex fusco fit album, contrarius existimandus est ei, quo ex albo fit fuscum (1).—Et hactenus de contrarietate motuum; nunc dicendum est de contrarietate quietum.

Quies est quodammodo contraria motui.

305. DICO 6.° **Quamvis motui simpliciter non contrarietur nisi motus, tamen quodammodo dicitur quoque motui contraria quies.**

Probatur, quia quies est privatio motus. Sed privatio dicitur quodammodo contraria formæ. Ergo.

(1) Vide Aristot., S. Thom., Mauri, et alios interpretes, loc. cit.

Motui ex uno termino in contrarium opponitur quies in primo

306. DICO 7.° **Motui ex uno termino in contrarium opponitur quies in primo; v. g. calefactioni, quæ est motus ex frigore ad calorum, opponitur quies in frigore.**

Probatur. Quieti in uno termino datur aliquis contrarius motus. Atqui quieti in quovis termino non contrariatur motus ad eum ipsum terminum, nec ad alium disparatum. Ergo contrariatur motus, quo ab illo termino, in quo est quies, receditur, seu motus ad terminum contrarium. **Probatur prima pars Minoris.** Nam motus in aliquem terminum est propter quietem in illo, v. g. sanatio, quæ est motus ad sanitatem, est propter quietem in sanitate, ideoque *fieri* motus est quodammodo *fieri* quietis. Ergo irrationabile est, quod motui in aliquem terminum opponatur quies in illo ipso. **Probatur altera pars Minoris.** Quia quieti v. g. in albedine non opponitur sanatio, quæ est motus ad sanitatem; præsertim cum possit simul quiescere in albedine et moveri ad sanitatem. Idemque dici potest de quiete in quovis alio termino respectu motus ad alium quemlibet terminum disparatum. Ergo quieti in aliquo termino non opponitur nisi motus, quo ab eo receditur, et acceditur ad contrarium terminum.

Quietes in terminis contrariis sunt quoque inter se contrariæ.

307. DICO 8.° **Quietes in terminis contrariis sunt etiam contrariæ inter se; v. g. quies in sanitate et quies in ægritudine.**

Alienum enim est a ratione, quod motus ad terminos contrarios sint contrarii, quietes autem in iisdem terminis contrariæ non sint.

Utrum idem mobile possit contrariis moveri motibus

Ad extremum circa motuum contrarietatem illud solet etiam in controversiam vocari, utrum idem mobile simul moveri contrariis motibus queat. Et si sermo sit de motu locali, responsio negativa communis est, loquendo de motu per se. Ratio, quia nihil potest accedere ad certum terminum, et simul ab eo recedere. Atqui id eveniret, si quid motibus contrariis secundum locum moveretur. Ergo... Accedit quod secus idem mobile esset in duplici loco adæquato. Dixi rem ita esse *loquendo de motu per se;* nam nihil vetat, quominus dum mobile per se movetur uno motu, per accidens moveatur contrario. Sic dum ambulas retrorsum, potes

manum movere prorsum; atque adeo per accidens, nempe secundum partem moveris contrario motu. Similiter dum navi veheris versus unum locum, potes ambulare in ea versus partem contrariam. Denique Christus Dominus in Eucharistiæ contrariis simul ac diversissimis motibus movetur per accidens, videlicet ratione specierum sacramentalium diversarum.

Si vero sermo sit de motu alterationis negant, multi saltem naturaliter fieri posse, ut idem subjectum secundum eamdem partem moveatur ad contrarias qualitates, ut v. g. simul calefiat, et frigefiat (1). Alii vero distinguunt inter qualitates intensas et remissas; affirmantque posse aliquid moveri simul duplici motu alterationis secundum contrarias qualitates in gradu remisso, negant in gradu intenso (2).

Plura de his require, si lubet, apud Aristotelem et S. Thomam ac reliquos interpretes (3).

ARTICULUS VI.

De distinctione moventis ac mobilis, ubi in controversiam vocatur veritas illius effati:

OMNE QUOD MOVETUR ALIO MOVEATUR.

De causis motus quædam indicantur.

308. Posset hic de causis motus disputari, quæ quatuor omnino, ut in Ontologia vidimus, solent distingui: *efficiens*, *finalis*, *materialis* et *formalis*, de quibus nunc quæstio instituti posset. Verum formalis causa motus nulla est, sed ipsa est forma quædam imperfecta, cujus hactenus declaravimus naturam. Finalis causa motus satis patet ex dictis de triplici prædicamento, ad quod terminari potest: finis quippe motus nihil est aliud, quam terminus qui motu attingitur.

(1) Ita v. g. Complutenses (*Physic.* disp. 24, quæst. 2), Cardin Aguirre (*Physic.* disp. 32, sect. 4, num. 43), Goudin (*Physic.* part. 1, disp. 3, quæst. 1, art. 5).

(2) Ita Suarez (*Metaph.* disp. 45, sect. 4, num. 10 seqq.), Conimbricens. (*de Generat. et Corrupt.* lib. 2, cap. 3, quæst. 8), Joannes a S. Thom. (*Physic.* quæst. 19, art. 5 fin.).

(3) *Physicor.* lib. 5, cap. 6; S. Thom. ibid. lect. 9.

Causa motus materialis est subjectum seu mobile, de quo id solebat apud veteres disputari utrum debeat esse divisibile ita, ut ens indivisibile in genere quantitatis, v. g. punctum, linea, superficies, nequeat *per se* moveri: quam controversiam, quia nec maximi momenti videtur esse, omittendam esse nobis, jam ad finem hujus libri properantibus, arbitramur. Communius censent auctores cum Aristotele et S. Thoma, quod si dari posset, indivisibile materiale et quantitativum, non posset moveri. Contradicunt tamen Scotistæ et alii (1). De causa efficiente motus seu motore, certum in primis est, quod motus non sit materiæ essentialis, ac proinde a motore aliquo ipsi imprimatur. Constat id ex eo, quod si motus essentialis foret materiæ, non posset hæc esse, nec concipi absque motu, cum tamen compertum sit posse materiam esse in quiete: qua de re plura dicentur inferius agendo de motu locali, de quo major esse potest difficultas. Deinde dicendum est Deum posse imprimere, ac de facto impressisse initio motum materiæ; quod vero causæ quoque creatæ possint motum efficere, partim ex demonstratis in *Ontologia* contra occassionalismum, partim ex dicendis mox de corporum activitate, in dubium revocari nequit.

Utrum omne quod movetur, ab alio moveatur.

Illud ergo solum hic disputandum est, utrum movens et mobile distingui debeant, vel utrum nihil omnino possit seipsum movere, ac proinde utrum verum sit, effatum illud: *Omne quod movetur, ab alio movetur*. Hoc unum est ex celeberrimis inter Peripateticos pronuntiatis, quo Aristoteles usus est ad probandum (2) ex consideratione sensibilis motus existentiam primi cujusdam motoris immobilis, Dei, a quo cætera cuncta moveantur. Idemque principium mox

(1) Vide Aristot. (*Physicor.* lib. 6 cap. 10), S. Thom. (ibid. lect. 12), Mauri (*Aristotelis Opera omnia... brevi paraphrasi* etc. lib. 6, cap. 12), Conimbricenses (*Physicor.* lib. 6. cap. 10 quæst unic.), Rubium (ibid. quæst. unic.), Mastrium (*Physicor.* disp. 15, quæst. 8, art. 1), Soarez lusitanum (*Physic.* tract. 6, disp. 1, sect. 2, paragr. 1), Alamanni (*Summa philos.*, prima secundæ, quæst. 24, art. 2), Rhodes (op. cit. lib. 2, disp. 6, quæst. 2, sect. 5, parogr. 1), De Benedictis (tom. 2, lib. 3, quæst. 7, cap. 6).

(2) Aristot. (*Physic.* lib. 7, cap. 1 et lib. 8. a cap. 4, text. comm. 27). Vide ibi S. Thom. (a lect. 7), et reliquos interpretes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Thomas (1) et alii Scholastici adhibuerunt ad demonstrandam Dei existentiam; et eodem perperam intellecto posset quis et libertatem hominis et veritatem ac rationem vitæ impugnare. Si enim quidquid movetur, ab alio movetur, quomodo potest aliquid *seipsum movere*, aut quomodo potest *seipsum determinare* ad aliquid agendum vel non agendum? Atqui vita in eo consistit, quod aliquid gaudeat principio seipsum movendi, libertas vero importat potentiam seipsum determinandi ad actionem vel actionis omissionem. Operæ pretium itaque est istius effati veritatem ad trutinam revocare.

Rationes contra effatum istud proponuntur.

Scotistæ (2) cum Scoto, Antonio Andrea, Gregorio, Janduno, Plaza et aliis (3), concedunt quidem sæpe movens et mobile distingui, negant tamen id semper fieri vel necessarium esse: afferuntque non paucas instantias et exceptiones. Primo enim proprietates ac potentiæ naturales, v. g. intellectus et voluntas, a natura dimanant, et in eadem recipiuntur. Ergo unum idemque est agens vel movens et passum seu mobile. Idem patet secundo in motibus corporum elasticorum. Tertio in motibus physicis, nam gravia et levia se movent, ac magis proprie adhuc viventia dicuntur, fatentibus omnibus, se movere. Quarto in motu locali cordis, qui videtur ab ipso corde procedere. Quinto denique in actionibus immanentibus cognoscendi et amandi, quas idem principium, v. g. eadem anima, elicit, ac recipit.

Communissima sententia affirmans.

Hisce tamen non obstantibus communissima tenet sententia principium illud aristotelicum posse tamquam universalissimum accipi, saltem relate ad motum physicum (4):

(1) Vide S. Thom. 1, p. quæst. 2, art. 3; *Contr. Gent.* lib. cap. 13; *Compend. Theolog.* cap. 3.

(2) Vide Mastrium (*Physic.* disp. 15, quæst. 8, art. 2), Pontium (*Physicor.* disp. 19, quæst. 1), Frassen (*Physic. de Motu*, quæst. 4).

(3) Apud Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 7, num. 5), et Mastrium (loc. cit., num. 68).

(4) Vide S. Thom. (locis citatis; et *Physicor.* lib. 7, lect. 1: lib. 8, lect. 13, paragr. *e*, *d*), Suarez *Metaphys.* disp. 18, sect. 7), Conimbricenses (*Physicor.* lib. 8, cap. 1, quæst. 1), Rubium (ibid. lib. 8, cap. 4, quæst. 1), Mauri in Comentar. Aristot. lib. 7 et 8 citat.; et *Quæstion. philos.*, *Physico-Metaphys.* quæst. 8), Fasolum (In 1.am part. quæst. 2, art. 3), Ulloa (*Prodrom.* disp. 4, cap. 8, num. 203), Alamanni (*Summ.*

quamvis alii aliter rem explicent, et quidam etiam forte in hac explicatione videantur prima semina jacere physicæ præmotionis, et in quibusdam etiam fortasse non sit controversia de re ipsa cum Scotistis.

Quædam notanda.

Ut mentem nostram clarius aperiamus, notandum 1.° est, hanc propositionem universalem: *Quidquid movetur, ab alio movetur*, intellectam videri ab Aristotele de motu physico ac proprio, ut eruitur ex toto contextu et expositione interpretum (1). Veritas ergo principii hujus præcipue in motu physico perpendenda est, quamquam explicari etiam postea potest, quomodo locum habeat in motu quoque latius accepto. 2.° Nec rei veritas exigit, neque ea fuit Aristotelis mens, ut movens et mobile vel passum debeant supposito distingui, vel esse duo supposita distincta. Quin potius Philosophus diserte contrarium docet in libris *Physicorum* (2): unde infert, idem posse movere seipsum, si distinguatur in partem per se moventem, et partem per se motam ita, ut alteram altera moveat, quo pacto animalia movent seipsa motu locali, et fere eodem modo movent se viventia motu augmentationis, quia directe agunt in alimentum, quod in se convertunt, sibique assimilant, et uniunt, et sic augescunt. Potest ergo movens et mobile esse unum supposito, dummodo una pars ejus moveat, et altera moveatur. 3.° Variis modis intelligi et fieri potest, ut in eodem supposito, seipsum movente, distinguatur motor a mobili: primo secundum diversas partes integrantes, sicut in animali pes a reliquo corpore. Deinde secundum diversas partes substantiales et essentiales, ut si per formam agat, vel moveat, ac per materiam recipiat motum: qui duo modi locum habere

philos., prim. secund. quæst. 24, art. 3), Joannes a S. Thoma (*Physic.* quæst. 22, art. 1), Goudin (*Physic.* part. 1, disp. 3, quæst. 6, art. 1), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 40, sect. 2), Rossalli (*Summ philos.* tom. 2, quæst. 23, art. 2).

(1) Vide S. Thom. (1 p., quæst. 2, art. 3, in prima ratione; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 13), Toletum (*Physicor.* lib. 7, cap. 2, text. 10), Conimbricenses (ibid. lib. 8, cap. 1, quæst. unic., art. 2.° initio), Rubium (ibid. lib. 8, cap. 4, quæst. 1, num. 47), Suarez (loc. cit. num. 11).

(2) Vide lib. 7, cap. 1; et lib. 8, cap. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

possunt solum in corporibus, non autem in substantiis spiritualibus, utpote quæ carent partibus sive integrantibus sive essentialibus. Tertio, motor a mobili ita distingui potest intra idem suppositum, ut saltem alia sit facultas agendi et alia recipiendi: quæ distinctio potest esse vel adæquata vel inadæquata, qualis versatur inter includens et inclusum. 4.° Cæterum controversia non est de distinctione rationis dumtaxat, sed de reali: sicut enim actio ipsa et passio ac motus, licet re identificatæ, ratione tamen distinguuntur, ita etiam movens et mobile saltem conceptu distingui necesse est.

309. Propositio 1.ª **Quidquid movetur, ab alio movetur, saltem si sermo sit de proprio ac physico motu.**

Si sermo sit de motu physico, verissimum est, quidquid movetur, ab alio moveri.

Prob. 1.° *Nihil idem est simul in actu et potentia respectu ejusdem. Sed omne quod movetur, in quantum hujusmodi, est in potentia, quia motus est actus existentis in potentia, secundum quod hujusmodi. Omne autem quod movet, est in actu, in quantum hujusmodi, quia nihil agit, nisi secundum quod est in actu* (1). *Ergo nihil est respectu ejusdem movens actu et motum; et sic nihil movet seipsum.* Ita S. Thomas ex Aristotele (2).

Dices cum Scotistis, nihil quidem posse esse simul in actu formali et in potentia formali, seu nihil actu possidens formam aliquam esse in potentia ad eamdem: verum nihil obstare, quominus aliquid sit in actu *virtuali* vel *eminentiali* et simul in potentia formali, nempe habere vim eminentem ad efficiendam talem formam, et capacitatem ad recipiendam formaliter illam. Sicut enim agentia æquivoca producunt effectus, quos non continent in se formaliter, quid vetat ut aliquid per motum in seipso efficiat formam aliquam, quam prius non habebat formaliter, sed solum virtutem illius effectricem? Ratio ergo adducta ex Aristotele non videtur efficax.

Respondeo *nego* prorsus assertum. Ponamus enim agens aliquod habere solummodo formam virtualem, per quam se ipsum moveat ad dandum sibi actum formalem alicujus novæ

(1) Vide *Ontolog.* num. 390, pag. 1113.

(2) S. Thom. *(Contr. Gent.,* lib. 1, cap. 13, *Tertio probat sic).* Et est ratio Aristotelis (lib. 8. *Physicor.* cap. 5, text. comm. 40).

formæ: forma hæc vel esset naturalis subjecto, vel violenta, vel indifferens ac neutra. Si naturalis, semper habebit eam, ex quo existit subjectum illud; erit enim proprietas connaturalis illius, proprietates autem naturales semper comitantur rem, saltem nisi adsit aliquod impedimentum. Jam vero proprietates rei quamvis dimanent a natura, non tamen tribuuntur ipsi naturæ saltem tamquam causæ principali, sed agenti externo, quod talem naturam produxit, quemadmodum tenet communis sententia, et fuse declaratum est in *Ontologia* (1). Ergo quamvis ad formalem existentiam proprietatum naturalium sufficiat virtus eminentior illarum effectrix, perperam exinde inferri potest posse aliquid seipsum movere, vel esse aliquid respectu ejusdem in actu simul et potentia. Quod si proprietas ejusmodi ob impedimentum aliquod externum illico non pullulet, statim ablato impedimento pullulabit, prout postulat status illius connaturalis. Si autem forma illa vel terminus motus sit violentus, non potest dari in ipso mobili vel passo virtus intrinseca eminentialis ad illum habendum, sed necessario provenit ab extrinseco, ut constat ex ipsa notione violenti superius explicata: est enim violentum, quod procedit ab extrinseco, passo non conferente vim. Denique virtus in mobili existens nequit per seipsam efficere formam vel terminum neutrum vel indifferentem, qui nec sit naturalis nec violentus. Nam virtus in mobili existens, quoniam sermo est de virtute naturali productiva motus physici proprie dicti, necessario agit, quantum potest. «Ergo vel invenit in subjecto suo dispositionem naturalem repugnantem suæ actioni, et sic ejus actio esset violenta; vel nullam invenit repugnantem dispositionem, et sic erit dimanatio naturalis, quia est ab interna et nativa qualitate et ex interna naturæ necessitate. Unde si quæ datur alteratio vel actio ad qualitatem indifferentem, ut est illuminatio in aëre, semper ac necessario est ab extrinseco agente. Et ratio est clara, quia si sit ab intrinseca forma vel immediate vel mediante aliqua qualitate connaturali eidem formæ, jam non erit indifferens, sed connaturalis illa qualitas» (2). Maneat

(1) Vide *Ontolog.* num. 321 seqq., a pag. 925.

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 18, sect. 7, num. 18, ubi fuse refutata videri potest solutio ista Scotistarum, a num. 14 ad 20.

ergo firmum argumentum Aristotelis ac S. Thomæ ad probandam distinctionem moventis ac mobilis, ex eo petitum, quod nihil potest esse simul in actu et in potentia respectu ejusdem.

Prob. 2.° Cum eodem Aristotele per inductionem. Quæcumque moveri videmus, vel moventur *per accidens* vel *per se*. Atqui ea omnia, quæ sive per accidens sive per se moventur, ab alio moventur.—**Major patet**, nam per se dicuntur moveri ea omnia, quæ non per accidens moventur. Itaque

Probatur Minor per partes: 1) *quæ moventur per accidens, non seipsa movent.* Per accidens aliquid moveri dici potest bifariam, primo quia inest ei, quod movetur, sive ut accidens ejus, sive ut locatum in loco: sicut *musicus* sanari dicitur, in quantum sanatur homo, cui accidit esse musicum; et similiter homo dicitur moveri, quia movetur navis vel currus, quo vehitur. Secundo dicitur aliquid per accidens moveri, quia movetur pars ejus: quo pacto dicimus hominem percuti, si manus ejus percutiatur. Jam manifesta inductione constat ea, quæ per accidens utrolibet modo moventur, non a seipsis, sed ab alio moveri.

2) *Quæ per se moventur, non se ipsa movent.* Nam per se dicuntur moveri, quæ non moventur per accidens, nimirum quæ non moventur ex eo, quod alteri accidunt, neque secundum partem. Porro hæc, quæ ita moventur, vel moventur præter naturam et violenter, vel secundum naturam. Atqui quæ violenter moventur, non seipsa movent, ut jam declaratum est. Quæ vero secundum naturam moventur, omissis iis omnibus, quæ non ab alio moventur, in duplici sunt genere: alia sunt viventia, quæ ex communi consensu dicuntur *se movere*, multoque magis animalia, quæ etiam localem motum habent; alia sunt gravia et levia, quæ in speciem etiam videntur se movere. Viventia quidem se movent, quia interno gaudent principio motuum vitalium: nihilominus principium motus effectivum in illis non est totum, quod movetur, sed anima, quæ per suas potentias est fons omnis vitalis operationis. Ergo quamvis viventia vere *se ipsa* moveant, non tamen in illis est unum idemque adæquate id quod movet, et id quod movetur, sed realiter inadæquate

distinguitur. Gravia autem et levia vere nequeunt dici se movere: quia vel motus illorum provenit ex extrinseco impulsu et attractione aliorum corporum, et sic ab alia moventur; vel ex insita eorumdem proprietate necessario exigente tales motus, et sic causa eorum saltem principalis agnoscenda est in eo, quod talem corporibus illis naturam proprietatemque donavit. Præterea si gravia et levia moverent seipsa, viverent, nam movere seipsum pertinet ad rationem vitæ, ac proprium est animatorum. Atqui non omnia gravia et levia vivunt, nec animata sunt, ut manifeste patet. Tertio omnia quæ novimus certo seipsa movere localiter, videlicet animalia, possunt etiam sibi esse causa quietis. Atqui gravia nequeunt quiescere in suo motu. Quarto simili modo quæcumque manifeste scimus se movere localiter, sibi determinare possunt directionem et velocitatem motus; at gravia et levia profecto nequeunt sibi motum nec ejus accidentia determinare. Ergo non se movent (1).

Prob. 3.° Etiam inductione alia. Motus physicus triplex est: augmentatio, alteratio, motus localis. Atqui in nullo horum motuum est prorsus unum idemque movens et mobile. Ergo vere asseritur, quidquid movetur, ab alio moveri.

Minor probatur per partes. *Et primo quidem de motu augmentationis.* Nam augmentatio fit, quatenus vivens agit directe in alimentum, alterando illud, et in suam substantiam convertendo: unde priores actiones, per quas augmentatio peragitur, vere transeuntes sunt, nec immanentiam assequuntur usque ad unionem substantialem novæ partis ad priores in eodem supposito vivente. Ac proinde verum quidem est idem esse in viventibus suppositum movens et motum, nihilominus motio illa exercetur ab una parte in aliam, ideoque non officit universalitati aristotelici effati. Alteratio etiam non potest fieri ab eodem in seipsum secundum eamdem

(1) Vide Aristot. (*Physicor.*, lib. 8, cap. 4), S. Thom. (ibid. lect. 7 et 8; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 13, *Secundo probat per inductionem*), et alios interpretes. Circa motum vero gravium et levium legendi sunt Suarez (loc. cit. a num. 21), Conimbricenses (*Physicor.*, lib. 8, cap. 4, quæst. unic.), Rubius (ibid. cap. 4, quæst. 2), Complutenses. (Ibid. disp. 28, quæst. 2) etc. Undenam porro procedat motus gravium, inferius dicetur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

partem: nam alteratio illa fieret vel ad acquirendam formam vel terminum connaturalem, qui a subjecti natura exigeretur, vel violentum vel neutrum. At jam vidimus in primo argumento nihil seipsum movere ad alterationem ullo ex istis modis. Denique eodem modo probatur nihil posse seipsum movere per se ad motum localem. Si quidem motus iste etiam aut est violentus aut extra principium intrinsecum propriæ naturæ, aut secundum naturam vel principium intrinsecum. At motus violentus et ille, qui caret interno principio, manifeste sunt ab extrinseco. Motus vero localis ex interno principio solum reperitur certo in animalibus, quæ profecto licet se ipsa moveant, non ita tamen, ut idem sit adæquate movens et mobile, nam per unam partem ope potentiæ loco motivæ movent alias. Si demum contendas gravia quoque se movere ex interno principio ipsis insito, motus eorum externæ causæ illorum effectrici attribuendi sunt, quemadmodum fuse declarant prisci Doctores (1): ejusmodi enim motus eo tendere videntur, ut gravia et levia suum assequantur statum connaturalem, ac proinde videntur æquiparari posse dimanationi naturalium proprietatum.

Quæ cum ita sint, facile.

Solvuntur rationes in contrarium initio propositæ.

310. **Respondetur ad primam instantiam** vel exceptionem Scotistarum petitam ex dimanatione proprietatum potentiarumque naturalium. Nam ut jam innuimus, proprietates non manant a substantia vel natura rei ut a causa principali, sed ut ab instrumento generantis, vel naturam talem producentis, cui proinde tamquam principaliori motori referenda est dimanatio illarum. Atque hæc responsio valere potest pro quarumcumque proprietatum et potentiarum etiam spiritualium atque angelicarum dimanationibus. Si autem sermo sit de corporearum substantiarum proprietatibus est alia præterea solutio: nam cum corpora componantur ex materia et forma, proprietates illorum, saltem si quantitatem

(1) Vide Suarez (loc. cit. num. 11 seqq.), apud quem videndæ sunt instantiæ, quæ fiunt contra hanc sententiam motus illius gravium et levium efficienti causæ eorumdem tribuentem, num. 23 seqq. et num. 27 seqq. Cfr. Rubius (*Physicor.* lib. 8, cap. 4, quæst. 2), Conimbricenses (ibid. lib. 8, cap. 4, quæst. unic. art. 4), Complutenses (loc. cit. disp. 28, quæst. 2), Joannes a S. Thom. (ibid. quæst. 23, art. 1).

excipias, fluunt a sola forma ut *quo*, et recipiuntur vel in sola materia, ut multi volunt, vel in toto composito ratione materiæ. Itaque non est penitus idem secundum rem principium etiam instrumentale dimanationis et subjectum recipiens.

Dices proprietatum dimanationem referendam esse in externum agens solum tamquam in causam remotam et per accidens, quæ dedit formam, a qua cætera manant. Hic autem non inquirimus hujusmodi reductionem in causam per accidens, sed in causam per se ac proximam. Secus enim simili modo possemus sustinere etiam, quidquid movetur moveri ab alio supposito distincto, quod vel proxime agat, vel remote dederit virtutem agendi. — «**Respondetur,** non esse hanc reductionem in causam per accidens, sed in causam principalem per se, primo quidem ex intentione et ordinatione naturæ; nam virtus illa data est, ut operetur tanquam instrumentum alterius, cujus vicem quodammodo gerit. Ut projecta non per accidens, sed per se dicuntur moveri a projiciente, qui impressit impetum, non solum quia dedit virtutem agendi, sed quia illam dedit cum hac habitudine, ut esset instrumentum, quod vice sui operaretur» (1).

Eadem esto responsio ad secundam instantiam de motibus corporum elasticorum, illi enim tendunt ad recuperandum statum connaturalem, quem per extrinsecum aliquod impedimentum amiserant. Itaque sicut ipsæ proprietates et connaturalis status cujusvis rei est per efficientis causæ suæ operationem, ita etiam motus, qui ad conservationem et recuperationem connaturalis status diriguntur, eidem causæ efficienti attribuendi sunt, quamvis proxime et instrumentaliter exerceantur per activitatem propriam ipsius rei. Motus ergo corporum elasticorum hoc pacto principaliter sunt ab extrinseco motore.

Ex dictis etiam constat, quid sit respondendum ad tertiam exceptionem de motibus gravium et levium. Circa efficientem causam motus dilatationis et contractionis, qui est in corde, varia perhibentur sententiæ (2). Celebriores

(1) Suarez, loc. cit. num. 10.

(2) Vide apud Conimbricenses (*Physicor.* lib. 7, cap. 1, quæst. unic. art. 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt duæ: prima motum istum, utpote qui ad statum connaturalem ac necessarium ad vitam animalis sustentandam spectat, efficientiæ naturalium proprietatum assimilat, et consequenter causam illius principalem putat esse ipsum generantem; fere sicut veteres gravium ac levium motum causæ illorum efficienti attribuebant, ut nuper notavimus. In qua sententia non tam facile est intelligere, quomodo motus cordis sit vitalis. Alii ergo motum ejusmodi existimantes esse prorsus vitalem, causam illius efficientem reponunt in anima ope potentiæ locomotricis; cum ergo subjectum receptivum ejusdem sit totum cor, facile explicant distinctionem realem, saltem inadæquatam, inter movens ac mobile. Et idem ferme dici potest de motu pulmonum in respiratione (1).

Quarta demum exceptio non respicit motum proprium ac physicum; nam actus immanentes sive cognitionis sive appetitionis exclusimus jam in ipso limine hujus tractatus a ratione motus cum communissima scriptorum sententia. Si autem scire cupis utrum etiam in hujusmodi motibus locum habeat aristotelicum effatum, de quo in quæsenti disputamus, sic breviter respondemus.

311. PROPOSITIO 2.^a **Prædictum effatum etiam ad actus immanentes sive cognitionis sive appetitionis satis probabiliter extenditur.**

Etiam in actibus cognitionis et appetitionis videtur locum habere illud effatum: *Quidquid movetur, ab alio movetur.*

Propositio non aliter probanda est, quam explicando efficientiam ejusmodi actuum. Et primo quidem actus intellectionis (idem dic de sensatione) producitur ab intellectu simul et specie intelligibili: supponimus enim modo non solum species ad intelligendum necessarias esse, verum etiam effective concurrere ad actum intelligendi. At non recipitur in specie, sed in intellectu; nam species est principium dumtaxat activum. Atqui intellectus absque specie distinguitur realiter inadæquate ab eodem intellectu simul cum specie. Ergo in motu etiam impropio intellectionis veritatem habet principium illud: *Quidquid movetur, ab alio movetur.*

(1) Plura dabunt de his Conimbricenses (loc. nup. citat.; et lib. 8, cap. 4, quæs. unic., art. 4, *Ad sextum dicendum*), et fusius Suarez (loc. cit. num. 33 seqq).

Actus vero volendi (et idem fere intelligendum est de sensitivo appetitu) efficitur a voluntate, ita tamen, ut ipsa notitia objecti appetendi ac bonitas ejus simulque ingenita inclinatio in bonum in genere, procedens ab ipso Deo, ad singulos actus particulares concurrat. Cum ergo actus volitionis non recipiatur nisi in ipsa anima et voluntate, planum est etiam hic aliud esse movens et aliud motum.

Dices forte, nec cognitionem nec bonum cognitum concurrere ad volitionem in genere causæ efficientis, nec ullum motum physicum imprimere in ipsam voluntatem ad hoc, ut actum suum eliciat.—**Id enim nihil refert.** Quamvis enim cognitio boni solum concurrat instar conditionis, ipsa tamen objectiva ratio boni relucens in cognitione exercet veram causalitatem finalem (1), movetque ad actum. Unde verissimum est, solam animam cum suis potentiis appetitivis non esse perfectam sufficientiam ad actum appetitionis eliciendum, esse autem ad eumdem recipiendum. Cæterum fatemur veluntatem ante actum suum secundum appetitionis non opus habere ulla motione physica extrinsecus sibi impressa, prout eam requirunt physicæ præmotionis ac prædeterminationis patroni. Verum de his alibi.

Utrum prædictum effatum locum habeat in angelis substantiam suam intelligentibus.

Contra hæc una restat difficultas in angelo substantiam suam intelligente. Est enim probabilis sententia multorum dicentium angelos, licet ad alia intelligenda egeant speciebus divinitus impressis, se tamen ipsos immediate intelligere **absque ulla specie.—Respondent quidam respuendo sententiam illam** (2). Si autem eam quis sectari maluerit, est enim sat probabilis et verior fortasse, quam opposita, non parum urget difficultas. Sunt qui actum, quo angelus seipsum intelligit, eo quod mere naturalis est, et ad convenientem naturæ statum a primo instanti creationis ab intrinseco necessarius, in ipsum Deum, auctorem angelicæ naturæ, tamquam in causam principalem refundant (3). Alii rem aliter expedire conantur dicentes etiam in prædicto actu reperiri aliquam

(1) Vide *Ontolog.*, num. 421, pag. 1183.

(2) Ita Conimbricenses (loc. cit., art. 2, in 3.^a conclusione).

(3) Ita v. g. Complutenses (loc. cit. quæst. 1, num. 19), qui rem colligunt ex ipso S. Thoma (1 p., quæst. 63, art. 5).

diversitatem, saltem inter principium proximum efficiendi et recipiendi: «nam cum substantia angeli ad alias intellectiones uno tantum modo concurrat, scilicet ut principium principale, ad illam concurrit duplici modo seu titulo, scilicet, ut principale principium, et ut objectum, ac veluti ultima forma sui intellectus in *esse* intelligibili. Atque ita principium proximum illius actus non est sola potentia intellectiva, sed ut constituta suo modo in actu primo per suam substantiam sibi conjunctam in ratione objecti intelligibilis actu. Potentia vero proxime receptiva, ac tota ratio recipiendi illum actum, est solus intellectus; neque sub hac ratione habet substantia majorem concursum ad illum actum, quam ad alios. Ita ergo fit, ut etiam in eo actu adæquatum principium proximum agendi et recipiendi distinguatur, ut includens et inclusum» (1).

Denique dicendum est de locali motu, quo spiritus movent seipsos, qui certe motus physicus et sensibilis non est, nec extensus ratione subjecti, nec proinde ita fieri potest, ut una pars alteram moveat. Quomodo ergo in angeli vel animæ separatæ motu locali vitare potest, ut idem prorsus seipsum moveat? Si supponamus id, quod alibi docetur, potentias operativas etiam in spiritibus creatis re distingui ab eorum substantia, nullo negotio res explicatur. Nam principium proximum *quo* effectivum motus localis est potentia accidentalis, principium autem receptivum est ipsa substantia. Ergo quamvis unum idemque sit suppositum *quod* movet, et *quod* movetur, sicut in multis aliis motibus etiam propriis contingit, tamen est realis differentia in principiis proximis; principium namque proximum *quo* efficiendi motum illum est re distinctum a subjecto, in quo recipitur (2).

Quæ cum ita sint, aristotelicum effatum eo pacto ac sensu, qui in prænotandis declaratus est, universalem veritatem videtur obtinere, multoque magis in motu physico ac proprio (3).

(1) Suarez (loc. cit., num. 48).

(2) Vide Suarez, (loc. cit., num. 41, 42), ubi plura require, ac difficultates quasdam solutas vide (ibid. num. 55).

(3) Cfr. Suarez, (loc. cit., num. 52 seqq.)

ARTICULUS VII.

De motus locali; ubi inquiritur, utrum ejus causa sit impetus mobili impressus.

Ratio dicendorum.

312. Post expositam motus generatim sumpti rationem, possent hic de triplici motus physici speciales tractationes institui. Verum de augmentatione agendum est, ubi de vita vegetativa sermo erit: quæ vero de alteratione præcipue disputari solent, ad intensionem ac remissionem qualitatum, successionem et continuitatem alterationis, ac rarefactionem dilatationemque revocantur, quarum primam in *Ontologia* tractatam reliquimus (1), de altera plura in superioribus dicta sunt, tertiam denique ad sequentem disputationem reservamus. Itaque de solo motu locali pauca quædam in præsentiarum disserere juvat.

Quid localis motus.

Motus localis est motus, qui terminatur ad *Ubi*, seu transitus de loco in locum, vel continua mutatio secundum ubicationem, ita nimirum ut mobile novam jugiter acquirat ubicationem, relicta priori: vel tandem est actus ejus, quod fertur, quatenus fertur; unde vocatur quoque *latio*, φορά (2). Unde respectum dicit et ad spatium, in quo motus peragitur, ita ut mobile continuo præsens fiat diversis ejus partibus, et ad tempus, quo duratio illius successiva mensuratur. Qualis porro realitas sit motus localis, in quonam subjecto fiat, et quomodo a mobili distinguatur, facile judicari potest ex similibus quæstionibus circa motum generatim agitatis.

et quotuplex.

Motus localis, qui est ab alio, active sumptus, prout nimirum produci a movente potest in mobili a se diverso, dividitur in *pulsionem*, *tractionem*, *vectionem* et *conversionem* seu *vertiginem*. Pulsio obtinet, *cum movens facit aliquod mobile a se distare movendo*, et dividitur in *impulsionem* et *expulsionem*. *Dicitur autem impulsio, quando movens sic pellit aliquod mobile, quod non deficit ipsi deserendo ipsum, sed simul cum eo*

(1) Vide a num. 328, pag. 946 seqq.

(2) Ἡ μεν οὖν κίνησις κατὰ τόπον, φορά. Arist., 7.° *Physic* cap. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tendit, quo ducit. Expulsio autem est, quando movens sic movet, quod tamen deficit deserendo ipsum, nec comitatur ipsum usque ad finem motus (1). Tractio e converso est ille motus, quo movens mobile facit versus se moveri. Unde movens in pulsione se *habet ad mobile ut terminus a quo est motus ejus; in tractu vero se habet ut terminus ad quem*. Conversio seu *vertigo est quidam motus compositus ex tractu et pulsu: Cum enim aliquid vertitur, ex una parte pellitur, et ex alia trahitur* (2). Tandem vectio est motus, quo aliquid movetur ad motum alterius. Quamobrem illud *quod vehitur, non movetur per se, sed per accidens, in quantum scilicet aliquid alterum movetur, in quo ipsum est, sicut cum aliquis vehitur a navi, in qua est; vel super quod est, sicut cum aliquis vehitur equo.* (3) Ut vides, vectio fieri potest per pulsionem, tractionem et vertiginem. Cum vero aliunde ipsa vertigo ex pulsione tractuque constet, sequitur omnem motum, qui est ab alio, active consideratum, ad pulsionem et tractionem tamquam ad sua primitiva elementa revocari (4). Verum hæc plana sunt. Planum quoque et ex iis, quæ in aliis scientiis traduntur, compertum omnibus est, quid sit motus *rectus, curvus, obliquus, directus, reflexus, rotatorius, translatorius, vibratorius, perpendicularis, horizontalis, circularis, ellipticus, parabolicus*, etc. Multa de motu locali disputari possent, nisi jam ad finem properandum nobis esset: verum aliis omissis, quæ partim apud veteres, partim apud mechanicæ rei scriptores videri queunt, duo tantum investiganda sunt; primum, quænam sit causa localis motus, secundum, utrum omnis corporea activitas in motu locali sit posita; quorum primum hic, alterum in sequenti disputatione, Deo favente, tractabitur.

Circa motus localis causam variæ opiniones recensentur.

313. Circa efficienem causam motus primo loco posset illorum opinio commemorari, qui motum materiæ essentialem dixerunt. In quorum numero sunt Democritus et Epicurus aliique materialistæ, qui ex atomorum intrinseco motu

(1) S. Thom. 7.° *Physicor.*, lect. 3, paragr. *e*.
(2) Ib. paragr. *h*.
(3) S. Thom. ibid. paragr. *f*.
(4) Ibid. paragr. *i*.

præditarum fortuito concursu mundum hunc extitisse somniarunt. Occasionalistæ e converso omnis motus sicut et cujuslibet alterius causalitatis, solum Deum auctorem effecerunt. Quare in hæc sententia corpora quidem *moventur*, non tamen *movere* possunt, *recipiunt* motum, minime autem illum *producunt*. Communis sententia sive veterum sive recentiorum agnoscit causas creatas motus, prout passim testatur experientia. Id tamen controvertitur jam inde ab antiquissimis temporibus, a quanam causa proxima procedat motus projectorum. Et de projectis quidem solis est controversia, quia quæ naturalibus et consentaneis motibus moventur, causas motus naturales habent, ut v. g. animalia, quibus inest potentia locomotiva, qua seipsa moveant. Quid autem dicendum sit de motu gravium, alibi definiendum erit. Cum ergo motus projectis naturalis non sit, oportet causam illius agnoscere. Et causas quidem multas videmus motum corporibus impulsu vel vi aliqua imprimentes; hinc tamen potissimum oritur difficultas. Nam motus sæpe brevissimo impulsu et instantanea vi genitus, durare solet etiam cessante actione moventis, ut accidit cum lapis funda projictur, vel exploditur tormentum bellicum: immo vero doctrina est Physicorum, motum ejusmodi, si omnis abesset resistentia medii, nullumve obstaculum occurseret, perpetuo duraturum esse, quemadmodum ex lege inertiæ innotescit. Quænam ergo potest esse causa hujusmodi motus, qui adhuc extincta omni motoris actione non extinguitur. Duæ sunt hac de re sententiæ præcipuæ: prima, quæ tribuitur Aristoteli (1), censet motum fieri per medium, aërem vel aquam, etc., quasi a tergo impellens, ita nempe ut dum lapis v. g. sursum projicitur, aër manu permotus propellat lapidem simulque aërem immediate circumstantem, a quo mox ulterius impulsu suo moveatur, donec partes aëris circumstantis, quo lapis urgetur, motum suum paulatim amittant. Et ita senserunt antiquiores Stagiritæ interpretes, ut

Causa motus projectorum

secundum Aristotelem.

(1) Apud Benedictum Pererium (*de communibus* etc. lib. 14, cap. 5). Rubium (lib. 8, *Physicor.* cap. 10, tract. 2 *de principio motus violenti*), Conimbricenses (ibid. lib. 7, cap. 2, quæst. 1, art. 8), aliosque veteres passim.

et secundum aliam longe communiorem sententiam.

Simplicius, Themistius et Averroes, ac postea Burlæus, Major et Mayronis (1), quos secutus est P. Benedictus Pereira (2): idemque diserte docuisse videtur S. Thomas in commentariis librorum *de Cælo et Mundo* (3). Longe tamen communior et probabilior est contraria sententia tenens projecta inmediate moveri impetu vel virtute ipsis a motore impressa; secundum quam doctrinam, saltem ut multis placet, causa principalis motus projectorum est motor externus, instrumentalis vero vis hujusmodi vel impetus eisdem impressus et inhærens. Ita opinantur post Albertum M., Capreolum et alios veteres (4) Dominicus Sotus (5), Vazquez (6), Suarez (7), Rubius et Conimbricenses (8), Sylvester Maurus (9), Rhodes (10), Soarez lusitanus (11), Antonius Mayr (12), Joannes a S. Thom. (13) et alii multi (14), quam etiam drctrinam tuentur graves viri recentiores, ut cl. P. Pesch (15), cl. P. De San (16) et cl. Van der Aa (17). Et idem quoque videtur docuisse S. Thomas non uno in loco, ut cum hæc scripsit; *Instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu* retinet virtutem a principali agente impressam: *unde sagitta tamdiu movetur a projiciente,*

(1) Apud Rubium et Conimbricenses.
(2) Loc. nup. cit.
(3) *De Cælo et Mundo*, lib. 3, lect. 7, paragr. *f*.
(4) Apud Rubium (ibid. num. 5).
(5) Super 8.um libr. *Physicor.* quæst. 3, ad 2.um *conclus.* 2.ª
(6) In 1.um part. disp. 91, cap. 2.
(7) *Metaphys.* disp. 35, sect. 6, num. 24.
(8) Locis nuper citatis.
(9) *Quæstiones. philos.* lib. 3, quæst. 55.
(10) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 6, quæst. 2, sect. 3.
(11) *Physic.* tract. 3, disp. 3, sect. 1.
(12) *Philos. peripat.*, pars. 3.ª num. 531. Cfr. etiam De Benedictis (tom. 1, lib. 6, quæst. 3, cap. 8), Cardin. Ptolem. (*Philos. mentis et sensuum*, *Physic. general.* dissert. 11, 12), Roselli (*Summ. philos.* tom. 2, præst. 25, art. 4).
(13) *Physic.* quæst. 23, art. 2.
(14) E quibus tamen plures facile concedebant projecta etiam juvari in suo motu a medio circumstante.
(15) *Philos. natural.*, num. 400.
(16) *Cosmolog.* num. 260, pag. 336.
(17) *Cosmolog.*, propos. 30.

quamdiu manet vis impulsus projicientis (1). Cæterum utraque sententia videtur convenire in agnoscendo impetu tanquam principio proximo localis motus; et solum discrepat relate ad subjectum, in quo impetus inmediate recipiendus sit.

Motus localis non est materiæ essentialis.

314. Ad quæstionis definitionem illud ante omnia statuendum censemus, motum non esse corporibus essentialem. Id constat 1.° ex notissima illa proprietate, quam sub *inertiæ* nomine Physici communiter materiæ adscribunt, vi cujus corpora nec motum cum quiete, nec quietem cum motu possunt suapte vi commutare, nisi externa aliqua causa pertubatrix accedat. Quæ quidem proprietas demonstrat materiam sive ad motum sive ad quietem indifferenter sese habere. Atqui nihil profecto indifferenter se habet ad id, quod sibi est essentiale. Ergo... 2.° Si materia essentialiter motum postularet, vel certam quoque motus directionem flagitaret, vel non. Primum dici nequit, nisi velimus experientiæ contradicere, secundum quam videmus corpora quaquaversus, ubi suppetit apta causa, cieri posse. Neque alterum, quia motus esse non potest absque certa directione.

Nec dicas cum recentioribus Physicis, nihil in rerum natura quiescere, sed omnia perpetio motu agitari, saltem secundum minimas corporum particulas.—**Respondebo** enim 1.° id certum minime esse, nec satis solide probari, sed tantum ut meram *hypothesin* proponi ad alias fulciendas *hypotheses*. 2.° Etiamsi id verum certumque foret, non probaret motum materiæ esse essentialem. Nam certum est, motus moleculares, etiam in eorum sententia, qui eosdem obtrudunt, posse variari, salva manente particularum essentia: quod profecto esse non posset, si motus foret essentialis materiæ.

Non est solus Deus causa motus localis.

Illud secundo loco statuimus, motum localem non soli Deo, tamquam causæ unicæ, adscribendum esse. Id namque testatur perennis ferme experientia; ac plane evincunt argumenta, quibus occasionalismus in *Ontologia* profligatus est.

(1) S. Thom. (*de Potent.* quæst. 3, art. 11, ad 5.um). Cfr. quæst. *de Anima*, art. 11, ad 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Si quis vero causas speciatim motus inquirat, facile deprehendet corpora alia ab aliis cieri; animam præterea rationalem, immo et sensitivam in animalibus, virtute pollere movendi et sua et aliena corpora: Theologi demum eamdem angelis potentiam corporum loco motricem competere demonstrant. Verum hæc plana sunt.

315. Propositio. **Projecta non moventur nisi per impetum sibi a movente vel projiciente impressum.**

Motus projectorum causa proxima et instrumentalis est impetus a projiciente impressus.

Probatur 1.o Etiamsi per medium circumstans moverentur projecta, nondum vitatur necessitas impetus vel nisus a movente impressi. Nam explicandum tunc esset, a quo et quomodo medium ipsum moveretur ad hoc, ut impellere posset projecta.—**Respondebis** medium moveri manu projicientis. **At certum est,** inquam, projecta moveri, etiam retracta manu et cessante projicientis actione. Ergo ideo moventur ex tua sententia, quia urgentur ab ipso medio. Atqui medium, reponam, urgere porro projecta nequit, cessante projicientis actione, nisi retineant illa inhærentem sibi efficacitatem ac virtutem loco motricem. Ergo et ipsi, qui ad explicandum motum projectorum confugiunt ad medium, necesse est, ut agnoscant necesitatem virtutis vel impetus projectis impressi.

Dices forte cum quibusdam veteribus, recursum istum ad virtutem impressam a motore ideo necessarium non videri, quia cum corpus projectum movetur, locus quem præcedenti momento occupabat, vacuum relinquitur: quare ad locum istum vacuum replendum, illico confluit aër, qui proinde necesse est, ut instet a tergo, et impellat mobile projectum.—**Verum respondeo.** Motus iste aëris a tergo impellentis necessario præsupponit vacuum locum; at vacuus ipse locus vicissim præsupponit corpus prævie in motu constitutum. Quomodo ergo potest aër ille causa existere motus projectorum? Cum potissimum ut projecta porro pergant, debeant viam sibi aperire devicta resistentia ejusdem aëris.

Instabis. Sæpe videmus multa per aërem ferri corpora leviora; immo vero ventus validus graviora etiam non raro pondera huc illud propellit. Simili modo etiam flumina præterlabentia in suo cursu abripiunt ligna et alia corpora.—

Respondeo ita sane se rem habere. Sed si attente consideretur, aër desinit tunc esse *simplex medium*, et convertitur in causam principalem motus.

Prob. 2.o propositio. Plura passim occurrunt certissima phænomena, quæ, si supponatur a projiciente vel motore imprimi projectis impetum vel virtutem motricem, egregie declarantur; aliter autem declarari non possunt. Ergo stat propositio.

Prob. antec. 2) Motus projectorum pergit adhuc, quamvis desinat actio causæ, a qua ille initium duxit. Sic desinentibus nautis remigare, navis adhuc porro provehitur: sic etiam turbo vel trochulus, quem puer funiculo circumagit, pergit diu in gyrum agi. Ergo oportet causam aptam hujus continuationis assignare, quæ profecto non est solum medium, ut modo explicatum est; nec aliam facile est invenire impetu, quem dicimus, aptiorem. β) Præterea notum omnibus atque compertum est, corpus in motu constitutum sisti, vel alio dirigi non posse absque vi, eaque sane potentiori, quam quæ necessaria foret ad tenendum in quiete. γ) Item tormenta bellica ingentem stragem edunt, cum celeri motu quatiunt mœnia. Et generatim longe est efficacior actio mechanica corporis projecti, quam ejusdem corporis quiescentis: item in eodem corpore tanto validior est impetus, quo major est velocitas, qua movetur. Horum omnium illico patet ratio, si causam motus proximam esse vim quamdam mobili additam dixeris; tunc enim principium adæquatum effectuum illorum non est solum corpus, quod movetur, sed corpus simul cum virtute atque impetu impresso a motore. Aliter autem non video, quomodo possint talia phænomena apte explicari; motus enim ipse formalis non est ex se activus, cum sit purus modus rei motæ, purus transitus ab uno in alium locum.

Impetus iste est accidens.

Jam si quæras, quidnam sit iste impetus vel nisus vel vis motrix, respondebo esse veram qualitatem verumque accidens a motore productum in mobili, eidemque inhærens. Non puto autem mobile per ejusmodi qualitatis receptionem proprie *alterari*, quemadmodum docent quidam recentiores: non enim omnis *mutatio secundum qualitatem* est propria et stricta alteratio, sed solum mutatio secundum qualitatem

tertii generis, passionem videlicet ac patibilem qualitatem. Potest tamen dici alteratio late sumpta. Verum hæc satis constant ex superius dictis circa alterationem.

Dices 1.° Motus violentus non procedit ab intrinseco. Sed motus projectorum est violentus. Ergo non est ab intrinseco. Atqui esset ab intrinseco, si procederet ab impetu ipsis projectis inhærente. Ergo.

Resp. *dist.* Major.: sive immediate sive saltem mediate, *conc.*: nunquam esse potest immediate ab intrinseco, *neg.* *Conc.* Minor., et pari modo *dist.* conseq.

Et *contradistincta* Minore subsumpta, *neg.* ultimum conseq. Non enim repugnat, a causa extrinseca immediate causari in subjecto qualitatem inhærentem et alienam ab eodem, quæ deinde ad motum violentum, vel certe non naturalem, illud inclinet. Sic calor aquæ ab extrinseco impressus eidemque inhærens facit illam calefacere alia corpora, quin tamen calefactio ejusmodi sit aquæ connaturalis.

Dices 2.° Explicari non potest, cur impetus ille languescat, et sic motus ipse tandem cesset; itemque definiri nequit, num detur in sola projectione, an etiam in tractione, latione ac vectione. Ergo rejiciendus est prædictus impetus.

Resp. Impetum generatim languescere atque evanescere ob resistentiam externorum corporum, quæ projecto corpori obsistunt. Si autem corpus in vacuo moveretur, nunquam impetus extingueretur, ideoque motus, nulla obsistente causa externa, perpetuo duraret secundum legem inertiæ, quemadmodum docent Physici. Quod vero alterum spectat, non una est auctorum sententia: «Negant aliqui, inquit Sylvester Maurus; ego sequor partem affirmativam. Et de tractione probatur, nam si aliquis func trahat pilam ligneam rotundam, et repente desinat trahere, pila non sistit, sed aliquo tempore motum prosequetur versus trahentem. Ergo dum trahitur, concipit impetum in illam partem, in quam trahitur. De latione probatur; quia dum aliquis currit deferens manu pilam rotundam, si sinat illam cadere, aliquandiu rotabitur in partem anteriorem. Ergo concepit impetum, dum ferebatur. De vectione demum probatur; quia cum navis fertur velocissime, si repente sistat allisa littori vel brevibus et syrtibus; qui stabant in navi, vel

cadunt, vel vehementer vergunt in illam partem, in quam navis ferebatur. Ergo conceperant impetum versus illam partem» (1). Secundum quam doctrinam, si gravitatem corporum concipias instar jugis cujusdam tractionis, quæ a terra exerceatur, facile intelliges, cur motus gravium constanter accelerare debeat.

Dices 3.° Sæpe nullus producitur impetus, ut v. g. cum quis irrito conatu connititur ingentem rupem movere.

Resp. Quid inde? Nos enim hic id unum contendimus, quotiescumque datur motus, causam illius agnoscendam esse, causam autem proximam motuum innaturalium esse impetum vel nisum mobili a motore impressum. Cæterum quamdo resistentia mobilis tanta est, ut a motore loco moveri nequeat, non est putandum conatus motoris nihil prorsus efficere, nam ut experientia ipsa docet, conatus ejusmodi pressionem et calorem producunt in movente et in mobili. Verum plura de his quære, si lubet, apud veteres auctores (2).

CAPUT III.

DE TEMPORE.

Absoluta tractatione motus, natura ipsa rerum postulat, ut de tempore instituatur disputatio: est enim maxima inter hæc duo connexio non solum in re, verum etiam in conceptibus. Et tempus quidem diximus in *Ontologia* esse generatim durationem successivam. Nunc autem accuratius ejus naturam ac divisiones definire oportet, cæterasque quæstiones pertractare, quæ circa temporis rationem institui possunt, solebantque a veteribus auctoribus diligenter disputari.

(1) Mauri, loc. cit., in responsione *Ad quartum, 3.° quæritur...*
(2) Vide præsertim Mayr et Rhodes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tertii generis, passionem videlicet ac patibilem qualitatem. Potest tamen dici alteratio late sumpta. Verum hæc satis constant ex superius dictis circa alterationem.

Dices 1.° Motus violentus non procedit ab intrinseco. Sed motus projectorum est violentus. Ergo non est ab intrinseco. Atqui esset ab intrinseco, si procederet ab impetu ipsis projectis inhærente. Ergo.

Resp. *dist.* Major.: sive immediate sive saltem mediate, *conc.*: nunquam esse potest immediate ab intrinseco, *neg.* *Conc.* Minor., et pari modo *dist.* conseq.

Et *contradistincta* Minore subsumpta, *neg.* ultimum conseq. Non enim repugnat, a causa extrinseca immediate causari in subjecto qualitatem inhærentem et alienam ab eodem, quæ deinde ad motum violentum, vel certe non naturalem, illud inclinet. Sic calor aquæ ab extrinseco impressus eidemque inhærens facit illam calefacere alia corpora, quin tamen calefactio ejusmodi sit aquæ connaturalis.

Dices 2.° Explicari non potest, cur impetus ille languescat, et sic motus ipse tandem cesset; itemque definiri nequit, num detur in sola projectione, an etiam in tractione, latione ac vectione. Ergo rejiciendus est prædictus impetus.

Resp. Impetum generatim languescere atque evanescere ob resistentiam externorum corporum, quæ projecto corpori obsistunt. Si autem corpus in vacuo moveretur, nunquam impetus extingueretur, ideoque motus, nulla obsistente causa externa, perpetuo duraret secundum legem inertiæ, quemadmodum docent Physici. Quod vero alterum spectat, non una est auctorum sententia: «Negant aliqui, inquit Sylvester Maurus; ego sequor partem affirmativam. Et de tractione probatur, nam si aliquis func trahat pilam ligneam rotundam, et repente desinat trahere, pila non sistit, sed aliquo tempore motum prosequetur versus trahentem. Ergo dum trahitur, concipit impetum in illam partem, in quam trahitur. De latione probatur; quia dum aliquis currit deferens manu pilam rotundam, si sinat illam cadere, aliquandiu rotabitur in partem anteriorem. Ergo concepit impetum, dum ferebatur. De vectione demum probatur; quia cum navis fertur velocissime, si repente sistat allisa littori vel brevibus et syrtibus; qui stabant in navi, vel

cadunt, vel vehementer vergunt in illam partem, in quam navis ferebatur. Ergo conceperant impetum versus illam partem» (1). Secundum quam doctrinam, si gravitatem corporum concipias instar jugis cujusdam tractionis, quæ a terra exerceatur, facile intelliges, cur motus gravium constanter accelerare debeat.

Dices 3.° Sæpe nullus producitur impetus, ut v. g. cum quis irrito conatu connititur ingentem rupem movere.

Resp. Quid inde? Nos enim hic id unum contendimus, quotiescumque datur motus, causam illius agnoscendam esse, causam autem proximam motuum innaturalium esse impetum vel nisum mobili a motore impressum. Cæterum quamdo resistentia mobilis tanta est, ut a motore loco moveri nequeat, non est putandum conatus motoris nihil prorsus efficere, nam ut experientia ipsa docet, conatus ejusmodi pressionem et calorem producunt in movente et in mobili. Verum plura de his quære, si lubet, apud veteres auctores (2).

CAPUT III.

DE TEMPORE.

Absoluta tractatione motus, natura ipsa rerum postulat, ut de tempore instituatur disputatio: est enim maxima inter hæc duo connexio non solum in re, verum etiam in conceptibus. Et tempus quidem diximus in *Ontologia* esse generatim durationem successivam. Nunc autem accuratius ejus naturam ac divisiones definire oportet, cæterasque quæstiones pertractare, quæ circa temporis rationem institui possunt, solebantque a veteribus auctoribus diligenter disputari.

(1) Mauri, loc. cit., in responsione *Ad quartum, 3.° quæritur...*
(2) Vide præsertim Mayr et Rhodes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS I.

Quid sit tempus.

Temporis describendi difficultas à S. Augustino exposita.

316. Pulchre S. Augustinus rei hujus exponendæ difficultatem aperit illis verbis: *Quid... est tempus? Quis hoc facile breviterque explicaverit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius et notius in loquendo commemoramus? quam tempus? Et intelligimus utique, cum id loquimur, intelligimus etiam cum, alio loquente, id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio. Fidenter tamen dico scire me quod, si nihil præteriret, non esset præteritum tempus; et si nihil adveniret, non esset futurum tempus; et si nihil essel, non esset præsens tempus.* (1). Quæ difficultas cognoscendi et explicandi temporis, ut notat S. Thomas(2), non oritur solum ex ingenii nostri tenuitate, verum etiam ex ipsa rei imperfectione, atque adeo exigua cognoscibilitate. Ut ergo melius res declaretur, videndum prius est, an tempus sit, vel an tempus sit ens reale.

§ I.—UTRUM TEMPUS SIT REALE QUIDDAM, ET DURATIO SUCCESSIVA.

Sententia negantis tempus esse reale,

Galenus et veteres quidam, quos refert Rubius ex Alberto M., putarunt tempus non esse ens reale existens in rerum natura, «sed existere in sola imaginatione vel apprehensione intellectus concipientis transitum mobilis per unam partem spatii prius, quam per aliam, et ex illo priori et posteriori, tanquam ex præterito et futuro, componere apud se unum tempus» (3). Pejus aberravit hac in re, sicut et in aliis plurimis, Emmanuel Kantius. Cum enim sicut in externa sensatione, ita etiam in interna duplex elementum distinxisset, alterum *materiale* vel *empiricum*, vel a *posteriori*, alterum *formale, independens ab experientia*, vel a *priori;* elementum materiale et a posteriori decrevit esse affectiones et actus statum internum animi constituentes, formale autem et a priori tempus. Rationem itaque temporis voluit esse formam mentis a priori, seu animo innatam ac pure subjectivam, temporisque repræsentationem *intuitionem puram:* fere sicut de spatio superius retulimus. Verum communis Scholasticorum sententia tenet tempus esse reale quiddam extra mentem existens. Solum disputatur inter eos, utrum tempus sit aliquid complete reale, an vero solum incomplete ita, ut notio ejus complementum accipiat ab intellectu: qua de re inferius aliquid delibabimus.

oppositio communis Scholasticorum doctrinæ.

Communis ergo Scholasticorum sententia probatur 1.° Ex communi hominum sensu; omnes enim, sive docti sive indocti, loquuntur de tempore, tamquam de re minime conficta vel ideali, sed in rerum natura existente. 2.° Ratio vero est, «quia omne ens realiter existens et in sua existentia permanens, habet aliquam realem durationem sibi proportionatam... Sed inter entia dantur quædam successiva, quæ ita existunt, ut necessario per aliquam moram in suo *esse* permaneant; nam hoc intrinsece annexum est successioni. Ergo est in hujusmodi rebus duratio realis illis proportionata. Sicut ergo esse rei successivæ non ita durat, ut idem omnino permaneat in tota mora suæ durationis, sed ita ut pars ejus post partem adveniat; ita duratio talis *esse* non habet permanentiam stabilem, sed fluentem, si tamen nomen permanentiæ meretur: late tamen loquendo permanet, seu durat, quamdiu fluxus ejus non cessat, aut finitur» (1). Duratio vero hujusmodi tempus apellatur. Ergo tempus est reale aliquid extra mentem existens. 3.° Atque hæc veritas conformis est etiam sacris Litteris, in quibus dicitur Deus præcepisse, ut fierent *luminaria in firmamento cœli, et dividerent* dies *et* noctes, *et essent in signa, et* tempora, *et* dies, *et* annos (2). Et alibi: *Non est vestrum nosse* tempora *vel*

quæ probatur.

(1) S. August. *Confession.* lib. 11, cap. 17. Cfr. ibid. cap. 22, 23, 25. Id quod hisce verbis S. Augustinus expressit, aptissimo symbolo significabant Ægyptii Philosophi, depicta imagine serpentis caudam suam sub guttur attractam occultantis. Per spiras enim dierum annorumque volubiles series, ut D. Cyrillus ait, designabant; per caudam vero occultam et latentem eius naturam» Conimbricens. (*Physicor.* lib. 4, cap. 14, quæst. 1 art. 2).

(2) Opusc. *de Tempore*, cap. 1 initio.

(3) *Physicor.*, lib. 4, cap. 14, tract. prior. *de Tempore*, quæst. 1, num. 16.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 8 num. 3.

(2) *Genes.* cap. 1, vers. 14.

momenta, *quæ Pater posuit in sua potestate* (1) Et iterum: *Tuus est* dies, *et tua est* nox (2). Quibus in locis tempus innuitur esse vere aliquid reale 4.° Denique etiamsi nullus animus esset, qui res durantes perciperet, illæ certissime durarent. Ergo absurdum est dicere rerum durationem non esse extra mentem, sed esse meram representationem subjectivam et a priori.

Dices. Illud reapse non existit, quod componitur ex partibus, quæ non sunt; nam entitas totius resultat ex partium entitate. Atqui tale est tempus; componitur enim ex præterito et futuro, quæ certe non sunt: siquidem præteritum fuit, et non est; futurum autem nondum est, sed erit. Nec vero respondeas, tempus existere ratione præsentis *Nunc:* nam *Nunc* pars temporis non est. Omnis enim pars aliquoties accepta mensurat, et æquat totum, aut saltem omnis pars cadit in compositione totius. Atqui *Nunc* multoties acceptum non mensurat totum tempus; nec istud componitur ex pluribus instantibus seu *Nunc;* nam instantia hujusmodi sunt indivisibilia; tempus autem, sicut nec alia continua, non componi ex indivisibilibus, superius probatum remanet (3).

Respondeo *dist.* Major. Illud non existit, quod componitur ex partibus, quæ nullo modo sunt, *conc.;* quæ non sunt simul omnes; *subdist.*, si sit ens permanens, *conc.;* si sit successivum, sicut tempus, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam ut recte scribit S. Thomas, *præteritum et futurum non sunt sic, ut simul sint. Nec hoc requiritur ad esse temporis, cum sit successivum... Habet tamen esse per aliquid indivisibile sui, quod continuat ea, scilicet per ipsum Nunc* (4). Id nempe proprium est entium successivorum, ut existant per continuum partium suarum fluxum ita, ut prior copuletur cum posteriori per indivisibile *Nunc* præsens (5). Cæterum si difficultas ista quidpiam evinceret, eodem modo probaret, nec motum, nec generatim ullam entitatem successivam, existere, nec existere posse in rerum natura.

(1) *Act. Apost.* cap. 1, v. 7.

(2) *Psalm.* 73, vers. 10.

(3) Vide apud. S. Thom., opusc. cit., *Dubitatur ergo primo.* Cfr. Benedict. Pererius, Rubius (locis citatis).

(4) S. Thom., loc. cit., *Ad rationes in oppositum.*

(5) Cfr. superius scripta num. 239, in responsionibus ad *Object.* 7.um ejusque *instantias.*

Tempus est ens successivum

317. Est ergo tempus non solum ens reale, verum etiam successivum et continuum. Certum enim est dari quædam entia successiva in rerum natura, qualis est v. g. motus. Duratio autem talium entium, quæ successiva etiam ipsa necessario est, nomen temporis apud omnes nacta est. Hinc ea est omnium hominum vox, tempus nunquam stare, sed perpetuo fluere ita, ut quod nunc est, illico transeat, et fiat præteritum, et quod nondum est, sed verissime erit, mox præsens fiat, et confestim prætereat. Quocirca scripsit S. Augustinus: *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas vel minutissimas partes dividi possit, id solum est, quod præsens dicatur. Quod tamen ita raptim a futuro in præsens transvolat, ut nulla mora extendatur* (1). Nec aliter Seneca: *Fluit tempus, et avidissimos sui deserit, nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo.* Atque hæc etiam causa est, cur mens nostra non advertat tempus præteriisse, dum non percipit transitum et successionem aliquam sive rerum externarum, sive internorum suorum actuum: et sic dormientibus et in contemplatione defixis labitur celerrime tempus, quin animum advertant.

et continuum.

Præterea tempus non solum est successivum, sed etiam continuum. Nam duratio successiva rerum jugi fluxu decurrit absque ulla mora. Si autem ponas in tempore moram aliquam, jam non est unum idemque tempus, sed duo diversa, quæ mora illa separantur. Verum hæc fusius probata manent supra, cum continui natura et compositio ad mentem Aristotelis probata est.

Tempus aut est ipsemet motus, aut certe in motu reperitur.

318. Quod si tempus est entitas quædam realis, nempe duratio successiva et continua, sequitur etiam tempus aut esse motum, aut certe in solo motu reperiri. «Et ratio est, quia duratio, ut sic, supponit, saltem ordine rationis, *esse*, cujus est duratio, et extra illud non reperitur. Sed in rerum natura, nullum est ens succesivum, quod supponi possit ad

(1) S. August., *Confession.* lib. 11, cap. 15.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

durationem successivam, nisi motus». **Major** constat. Quia duratio non potest esse nisi in re durante, nec potest esse in illa aliud, quam vel modus existentiæ illius, vel aliquid ratione solum ab existentia distinctum, prout in *Ontologia* probatum manet (1). **Minor** vero patet inductione: ac probatur etiam ratione. «Quia nihil est per se in continua successione, nisi quatenus est *in fieri*, per quod non simul, sed paulatim acquirit suum esse. Ergo continua successio primo ac per se tantum est in motu. Oportet tamen sub motu comprehendere actionem et passionem; nam hæ possunt etiam consistere in successione continua. Quia vero hæ in re non distinguuntur a motu, sed præcisione mentis, ideo sub motu merito comprehenduntur; et in tantum successionem habent, in quantum vel active vel passive pertinent ad actualem emanationem effectus a sua causa. Duratio ergo succesiva solum in motu continuo successivo reperitur» (2). Quomodo autem tempus vel durafio successiva a motu distinguatur, mox disputabitur.

Omnis motus suum intrinsecum tempus habet.

Nec vero solum tempus est in motu, sed etiam omnis motus suum proprium intrinsecum tempus habet, Id docuit aperte S. Augustinus in hæc verba: *Audivi a quodam homine docto, quod solis et lunæ ac siderum motus, ipsa sint tempora et anni. Cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? An vero si cessarent cœli lumina, et moveretur rota figuli, non esset tempus?* Et infra: *Nemo ergo mihi dicat cœlestium corporum motus esse tempora, quia et cujusdam voto cum sol stetisset, ut victor Josue prælium perageret, sol stabat, sed tempus ibat; per suum quippe spatium temporis, quod ei sufficeret, illa pugna gesta atque finita est* (3). Ratio vero manifesta est; quia «omnis res, quæ in *esse* reali durat, per durationem realem et intrinsecam durat; ergo quælibet ex his rebus durat per durationem realem sibi intrinsecam; ergo multiplicantur hæ durationes juxta multitudinem earum rerum, quæ sic durant. Atque hinc ulterius constat, juxta varietatem motuum continuorum esse varietatem in his

(1) Vide num. 362, 363, pag. 1048 seqq.
(2) Suarez, *Metaphys.* disp 50, sect. 8, num. 4.
(3) S. Auguat., *Confess.* lib. 11, cap. 23.

durationibus, nam est eadem ratio et proportio» (1). Atque hæc est sententia S. Thomæ (2).

Excluduntur sententiæ Gassendii et Clarkii circa tempus.

319. Quæ cum ita sint, facile repellitur commentum Gassendii et Clarkii: quorum primus statuit tempus esse incorporeum quiddam absolutum et a rebus durantibus abstractum, quod per se intelligatur fluere et fluxisse, antequam res ullæ crearentur, ac fluere pergeret, etiamsi Deus omnia in nihilum redigeret (3). Clarckius tempus absolutum vult esse ipsam Dei æternitatem (4). Duæ istæ sententiæ simillimæ sunt illis, quas eosdem auctores docuisse meminimus circa spatium: et simili modo refutantur. Nam 1.° Tempus est duratio quædam successiva, ac reperitur in motu. Atqui repugnat, aut in æternitate motum esse successionemve, aut successionem et motum dari sine subjecto, quod successive moveatur. „Ergo tempus nec est æternitas Dei, nec aliquid absolutum, quale Gassendus finxit. 2.° Deinde tempus illud absolutum, quod realiter existens ponitur tamquam duratio, in qua res efficiantur, vel est aliquid creatum, vel increatum. Increatum nihil est præter Deum, Deum autem tempus esse nefas est cogitare. Ergo deberet esse creatum. Quandonam ergo creatum est? An ab æterno? Atqui creatio non est æterna, sed temporanea, quemadmodum Fide divina docemur. Si autem tempus non est creatum ab æterno: ergo potuit creari prius, ac proinde sicut concipimus res creatas effici in tempore, ita ipsum tempus, quod absolutum dicitur, eodem jure concipiendum erit tamquam creatum in alia priori duratione. At quænam est hæc? Non aliud prius tempus, quia ante tempus absolutum non potest dari aliud prius; præterquam quod de illo priori tempore idem recurreret argumentum, et abiretur in infinitum. Si autem illa duratio prævia, in qua tempus absolutum crearetur, dicatur esse

(1) Suarez (*Metaphys.* disp. 50, sect. 8, num. 6 et sect. 11, num. 11). Cfr. Pereira (loc cit. cap. 4), Joannes a S. Thoma (*Physic.* quæst. 18, art. 1 et 3), Goudin (*Physic.* 1.a pars. disp. 3, quæst. 3, art. 2, *Dico secundo.....*), Cardin Aguirre (*Physic.* disp. 30, sect. 3, num. 27).
(2) S. Thom., 2.a dist. 12, quæst. 1, art. 5 ad 3.um
(3) Vide Gassendi, *Physic.* lib. 2, cap. 7.
(4) *Démonstration de l' existance de Dieu*, chap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

æternitas, frustra invehitur tamquam reale aliquid tempus absolutum ad hoc, ut reliqua entia in eo crearentur; nam rectius dicetur, ante rerum creationem non aliam durationem præcessisse præter æternitatem. Tempus ergo absolutum, quod invexit Gassendius, pure commentitium est; non enim esse potest reale aliquid, sed tantum tempus imaginarium pureque possibile, quod mox describemus. Denique, ut alia omittamus, absurdum est dari aliquid in rerum natura, quod Deus nequeat in nihilum vertere, quodque aliis omnibus a Deo destructis, superstes remanere deberet. Certum est igitur eos, qui tempori absoluto realitatem asseruerunt, umbras et lusus imaginationis verum ac solidum ens arbitrantes, in turpissimum errorem esse prolapsos.

Discrimen temporis ab æternitate, ævo et duratione rerum corruptibilium permanentium.

320. Ex his ergo jure concluditur tempus proprie dictum esse reale aliquid, nempe durationem successivam ac propriam motus. Unde etiam patet ejus descrimen ab æternitate et ævo, immo et a duratione permanenti substantiarum entitatumque naturaliter corruptibilium. Nam æternitas est increata, simplicissima, immutabilis, sive substantialiter sive accidentaliter, atque absolute indefectibilis duratio et existentia, quæ soli Deo competit; reliquæ vero omnes durationes sunt creatæ, rerumque creatarum propriæ. Et ævum quidem est duratio naturaliter incorruptibilis a parte post, simplex et indivisibilis omnemque respuens successionem quoad *esse* substantiale, et solum admittens successionem secundum actus et accidentia; talis est duratio propria substantiarum spiritualium creatarum, angelorum et animarum rationalium (1). Tempus vero proprie dictum est duratio, successionem essentialiter importans secundum suum *esse*. His accedit duratio entium corruptibilium, quæ sub nomine *instantis permanentis* ac *temporis intrinseci* designatur a quibusdam, et est quidem et ipsa substantialiter permanens verum naturaliter corruptibilis; eaque convenit corporeis substantiis (2).

(1) Vide *Ontologiam*, num. 365, ubi ostendimus nullam esse in ævo successionem quoad *esse* substantiale: quæ est *communissima* doctrina Scholasticorum cum S. Thoma, ut statim magis patebit.

(2) Præter has durationes distinguunt multi aliam, quæ *propria* sit visionis beatificæ, quam putant successionis variationisque expertem, sicut etiam dilectio et fruitio substantialis inde procedens: hanc

Sententia S. Thomæ.

Hæc est valde communis sententia Doctorum (1) cum S. Thomæ, saltem relate ad discrimen æternitatis, ævi ac temporis. *Ex his, quæ dicta sunt, inquit potest asignari differentia inter æternitatem, ævum et tempus: quia æternitas est mensura rei* **incommutabilis, non respicientis vices in operatione;** *ævum autem est mensura rei*, **cujus esse est incommutabile, quod tamen recipit vices in suis operationibus;** *tempus vero est mensura rei secundum* **omnem modum mutabilis et successivæ** (2). Alibi non semel idem S. Doctor eamdem evolvit doctrinam luculentissime: *Aevum differt a tempore et æternitate, sicut medium existens inter illa. Et horum differentiam aliqui sic assignant dicentes, quod æternitas principio et fine caret, ævum habet principium, sed non finem; tempus autem habet principium et finem. Sed hæc differentia est per accidens, sicut supra dictum est* (artic. præced.). *Quia etiamsi semper ævilerna fuissent, et semper futura essent, ut aliqui ponunt, vel etiamsi quandoque deficerent (quod Deo possibile esset), adhuc ævum distingueretur ab æternitate et tempore. Alii vero assignant differentiam inter hæc tria per hoc, quod æternitas non habet prius et posterius; tempus autem prius et posterius cum innovatione et veteratione; ævum habet prius et posterius sine innovatione et inveteratione* (3). *Sed hæc positio implicat*

durationem vocant *æternitatem participatam*, et etiam *modum æternitatis*. Vide v. g. Suarez (*Metaphys.*, disp. 50, sect. 6, num. 14, 15), Rubium (*Physic.*, lib. 4, cap. 14, tract. poster. *de Tempore*, num. 83 seqq.), Conimbricenses (ibid. quæst. 3, art. 1), Joannem a S. Thom. (*Physic.*, quæst. 18, art. 1, *Tertia difficultas*). Alii tamen durationem horum actuum supernaturalium ad ævum revocant.

(1) Vide Suarez (*Metaphys.*, disp. 50, sect. 4-9), Conimbricenses (*Physicor.*, lib. 4, cap. 14, quæst. 3, art. 1), Rubium (loc. cit. tractat. poster., num. 65, 70 seqq.), Benedictum Pererium (op. cit. lib. 12, cap. 2, 9, 12), Rhodes (op. cit. lib. 2, disp. 1, quæst. unic., sect. 2), Complutenses (*Physic.*, disp. 21, quæst. 2), Card. Aguirre (*Physic.*, disp. 30, sect. 3), Joann. a S. Thom. (*Physic.*, quæst. 18, art. 1), Mastrium (*Physic.*, disp. 13, quæst. 3, art. 1).

(2) S. Thom., opuc. cit. cap. 4.

(3) Hæc opinio, quam probabilem putarunt Henricus et Scotus apud Rubium, Complutenses et Card. Aguirre, re vera defenditur a S. Bonaventura (2.ª dist. 2, prim. part. art. 1, quæst. 3), quam tamen ab omnibus pene Scholasticis desertam esse scribit Benedictus Pererius (loc. cit. cap. 12). Eamdem postea *plurimos recentiores* suppresso

contradictoria: quod quidem manifeste apparet, si innovatio et veteratio referantur ad ipsam mensuram. Cum enim prius et posterius durationis non possit esse simul, si ævum habet prius et posterius, oportet, quod priori parte ævi recedente, posterior de novo advenial; et sic erit innovatio (et veteratio) *in ipso ævo, sicut in tempore. Si vero referatur ad mensurata adhuc sequitur inconveniens. Ex hoc enim res temporalis inveteratur tempore, quod habet esse transmutabile, et ex transmutabilitate mensurati est prius et posterius in mensura, ut patet (Physic. lib. 4, text. 110, 117). Si igitur ipsum æviternum non sit inveterabile nec innovabile, hoc erit, quia esse ejus est instransmutabile. Mensura ergo ejus non habet prius et posterius. Est ergo dicendum, quod cum æternitas sit mensura*

nomine amplexos esse scribit Card. Aguirre (*Physic.*, disp. 30, sect. 1, num. 2), qui tamen mox (ibid. sect. 3, num. 10), ait oppositam doctrinam S. Thomæ *communiter* teneri a Philosophis ac Teologis. Rubius vero prius eamdem *communem fere in Schola* et veram esse (Rub. *Physic.* lib. 4, cap. 14, tractat. poster, num 70, 8. ripserat. Sententiam S. Bonaventuræ sequitur nostris diebus cl. P. De San (*Cosmolog.* num. 505. Cfr. num. 408, 409 seqq.) cum Card. Lugo (*de Eucharit.* disp. 5, sect. 3, num. 61; et sect. 5, num. 132), Arriaga (*Physic.* disp. 15), Sylvestro Mauro (*Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 32), et quibusdam aliis. Perperam ante ejiat præclarus scriptor quosdam veteres, ac nominatim Rubium, quasi tenuerint ævum vel durationem substantiarum immaterialium esse successivam. Rubius enim diserte contrarium docet (loc. nup. cit. num. 70 seqq.). Dum itaque quæstiones accurate distinguendæ hi sunt, quas etiam distinguit cl. P. De San; prima, utrum creata duratio re distinguatur ab existentia; et altera, utrum duratio omnis creata essentialiter sit successiva. Jam vero non solum illi, qui durationem non distinguunt ab existentia sed etiam *multi*, qui censent creatam durationem realiter modaliter distingui ab existentia, ut v. g. Rubius (loc. cit., et ib. tractat. priori quæst. 4), et Conimbricenses (*Physicor.* lib. 4, cap. 14, quæst. 2, art. 2; quæst. 3, art. 1), Complutenses (*Physic.* disp. 21, quæst. 2, 2, quæst. 3), et alii plures, negant nihilominus durationem angelorum immaterialiumque substantiarum esse successivam, prout S. Bonaventura docuit; sed contendunt esse *quoad esse substantiale* totam simul, quin habeat intrinsece præteritum et futurum, ut sæpe docuit S. Thomas et communissime Scholastici. Non ergo satis accurate locutus est cl. P. De San, cum assertores doctrinæ distinguentis durationem ab existentia laudavit indiscriminatim etiam tamquam sibi amicos in hacalia doctrina, successionem essentialiter asserente omni creatæ durationi, etiam angelicæ.

esse permanentis; secundum quod aliquid recedit a permanentia essendi, secundum hoc recedit ab æternitate. Quædam autem sic recedunt a permanentia essendi, quod esse eorum est subjectum transmutationis, vel in transmutatione consistit; et hujusmodi mensurantur tempore, sicut omnis motus, et etiam esse omnium corruptibilium. Quædam vero recedunt minus a permanentia essendi, quia esse eorum nec in transmutatione consistit nec est subjectum transmutationis; tamen habent transmutationem adjunctam vel in actu, vel in potentia; sicut patet in corporibus cælestibus, quorum esse substantiale est intransmutabile; tamen esse intransmutabile habent cum transmutabilitate secundum locum: et similiter patet de Angelis, quod scilicet habent esse intransmutabile cum transmutabilitate secundum electionem, et cum transmutabilitate intelligentiarum, et affectionum, et locorum suo modo: et ideo hujusmodi mensurantur ævo, quod est medium inter æternitatem, et tempus. Esse autem, quod mensurat æternitas, nec est mutabile, nec mutabilitati adjunctum. Sic ergo tempus habet prius, et posterius; ævum autem non habet in se prius, et posterius, sed ei conjungi possunt; æternitas autem non habet prius, neque posterius, neque ea compatitur (1). Unde etiam diserte docet, in ævo et æternitate non esse *intrinsece* præteritum et futurum, sed solum *extrinsece* et æquivalenter, quatenus in sua simplicitate coëxistit tempori, quod habet intrinsece et essentialiter præteritum et futurum: *Rei æternæ vel æviternæ aliquid potest attribui dupliciter: uno modo* ratione sui ipsius; *et* sic non attribuitur ei neque fuisse neque futurum esse, sed solum esse, *quia in præterito et futuro implicatur prius et posterius, non autem in præsenti. Alio modo* ratione mensuræ adjacentis *vel subjacentis, id est* ratione temporis; *et* sic attribuitur ei fuisse per concomitantiam ad tempus præteritum, et futurum esse, per concomitantiam ad tempus futurum (2).

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 10 art. 5. Cfr. 1.° dist. 8, quæst. 2, art. 2; 2.° dist. 2, quæst. 1, art. 1, ubi rationes et exempla ipsa S. Bonaventuræ confutantur. Item *de Potent.* quæst. 3, art. 14, ad 9.um eorum, quæ in contrarium opposita sunt; *Quodlib.* 10, art. 4; opusc. *Responsi ad Fratrem Joann. Vercellens. de articulis 108*, quæst. 102.

(2) S. Thom., *Quæstib.* 10, art. 4, ad 1.um Cfr. 1 p., quæst. 10, art. 5, ad 1.um; et opusc. cit. ad *Fr. Joann. Vercellensem.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Partes temporis.

321. Jam si tempus est duratio quædam essentialiter successiva, constat necessario partibus, præterito nempe et futuro, quæ uniuntur et continuantur indivisibilibus momentis vel instantibus, quæ dicuntur *Nunc*, et respondent atque æquivalent punctis illis, quibus copulari, et continuari probavimus partes continui permanentis. Sicut enim partes omnes assignabiles extensi necessario sunt extensæ atque ulterius divisibiles, ita etiam tempus et quælibet partes ejusdem assignabiles sunt ex aliis minoribus partibus compositæ, quin possit unquam deveniri ad partes minimas simplices et ulterius indivisibiles: verbo, singulæ partes temporis sunt tempus (1). Dubitatur autem, et controvertitur, utrum tempus præsens sit, vel existat ratione sui, an vero solum ratione indivisibilis *Nunc* copulantis partes temporis. Opinio communior tenet solum indivisibilia *Nunc* ratione sui esse posse præsentia, partes vero temporis non esse præsentes ratione sui, sed tantum ratione indivisibilium, inchoantium vel terminantium illas; nam sicut punctum in continuo permanenti, ita in tempore unum idemque indivisibile, duas partes copulans, est terminus prioris et initium posterioris (2). Secundum quam sententiam partes proprie temporis non videntur esse, nisi præteritum et futurum, quia id, quod est ratione sui præsens, nempe indivisibile instans, non est pars, sed unio partium; sicut in continuo permanenti punctum non est pars proprie, sed vinculum commune partium. Ratio hujus sententiæ illa præcipua esse potest, quod cum tempus sit essentialiter in perpetuo fluxu, quin possint *simul* esse duæ partes, necessario videtur esse dicendum, quod solum indivisibile quiddam possit esse actu præsens de tempore. Atqui, nisi dicamus cum Zenonis asseclis, tempus ex solis indivisibilibus instantibus componi, nulla proprie dicta pars ejus

Utrum tempus sit præsens ratione sui, an vero solum ratione indivisibilis *Nunc* copulantis partes ejusdem.

(1) Vide superius scripta in hoc eodem libro, disp. 2, cap. 2, art. 4.

(2) Vide Cardin. Aguirre (*Physic.*, disp. 31, sect. 4 et 5, ubi fuse de hac re), Goudin (*Physic.* 1.a pars, disp. 3, quæst. 3.a artic. 2, *Dico tertio*), Complutenses (*Physic.*, disp. 21, quæst. 5), et Joann. a S. Thoma (*Physic.*, quæst. 18, art. 2). Hanc eamdem sententiam tuetur nostris diebus el. P. Pesch (*Philos. natural.* num. 491 seqq.).

assignabilis est simplex et inextensa, sed solum sunt simplicia et inextensa momenta vel instantia, seu *Nunc*, quibus partes temporis continuantur. Ergo solum ea existunt præsentia ratione sui. Alii vero putant tempus esse præsens vel existere non solum ratione indivisibilium, sed etiam secundum suas partes, quamvis non ita, ut partes sint simul actu, sed successive. Et videtur etiam ita dicendum esse; quia certum est futurum transire in præteritum. At quomodo intelligi potest futurum transire in præteritum, quin fiat etiam secundum se aliquando præsens? verum præstat legere Suarezium, qui dilucide sententiam istam exponit, ac tuetur (1).

De tempore nihil stat permanens.

Illud tamen omnino verum est, tempus ita esse in perpetuo fluxu, ut nihil de eo stet, ne ipsum quidem *Nunc* vel indivisibile momentum, quod solum dicitur in communiore sententia ratione sui præsens esse, tamquam vinculum commune partium, ac terminus priorum et initium posteriorum. Rem pulchre, ut assolet, eleganterque declarat magnus Augustinus: *Ecce loquendo dicimus:* Hoc anno. *De toto anno quid præsens tenes? Quidquid de illo præteritum est, jam non est: quidquid de illo futurum est, nondum est. Quomodo:* Hoc anno? *Et de ista hora quid tenes? Momenta ejus quædam jam transierunt, quædam futura sunt, nondum venerunt.* Hoc momento, *dic. Quo momento? Dum syllabas loquor, si duas syllabas dicam, altera non sonat, nisi cum illa transierit: ipsa denique una syllaba si duas litteras habeat, non sonat posterior littera, nisi prior abierit. Quid ergo tenemus de his annis? Anni isti mutabiles sunt, anni æterni cogitandi sunt* (2).

In tempore non est ultimum momentum vel *Nunc*, sed plura.

322. Quod si tempus partibus pluribus constat in infinitum divisibilibus, sequitur plura quoque in eo momenta vel *Nunc* distinguenda esse, contra, ac decernit post aliquot veteres auctores cl. P. Liberatore (3). Ratio vero est manifesta, quia instans vel *Nunc* in tempore perinde se habet, ac puncta copulantia in continuo permanenti: est enim unio

(1) Vide Suarez (*Metaphys.*, disp. 50, sect. 9 a num. 28). Cfr. Conimbricenses (*Physic.*, lib. 4, cap. 14, quæst. 1, art. 4), Rubius (ibid. tract. prior. *de Tempore*, quæst. 1, num. 25 26).

(2) S. August., in *Psalm.* 76.

(3) *Cosmolog.* num. 95.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

partium priorum ac posteriorum. Ergo ubi sunt plures partes, ibi plura distinguenda sunt instantia illas unientia. Ergo si plures sunt, fatentibus omnibus, partes in tempore, plura etiam sint momenta vel *Nunc*, oportet. Præterea non possunt partes fluere, quin fluat etiam unio continuans partes terminando priores et inchoando posteriores, ut per se patet. Atqui partes temporis essentialiter fluunt. Ergo et unio earum seu *Nunc*. Cum ergo in tempore semper præter præteritum et futurum detur aliquod *Nunc* præsens, necesse est, ut sint plurima instantia, quæ successive transeant simul cum partibus, quas copulant: non quidem ita, ut post unum *Nunc* immediate aliud *Nunc* succedat, secus enim tempus ex solis indivisibilibus momentis componeretur; sed ita ut post singula momenta partes aliæ temporis divisibiles, suis et ipsæ momentis vel *Nunc* continuatæ copulatæque, succedant, fere sicut de punctis et partibus continui generatim dictum est. Videlicet certum est quod *modo* est præsens in tempore, illico transire, et aliud fieri præsens. Atqui id, quod præsens est vel fit, est ipsum *Nunc* vel instans vel momentum. Ergo... (1). Lege Aristotelem et S. Thomam (2).

Dices. Hæc est sententia S. Thomæ: *Sicut est idem mobile secundum substantiam in toto motu, variatur tamen secundum esse, sicut dicitur, quod Socrates in foro est alter a seipso in domo; ita* **Nunc *est etiam* idem secundum substantiam in tota successione temporis, variatum tantum secundum esse, scilicet secundum rationem, quam accipit prioris ac posterioris** (3). Quid clarius? Quæ doctrina omnino desumpta est ex Aristotele (4).—**Respondeo**, testimonium istud haud absurde explicari posse, dicendo idem

(1) Vide Rubium (loc. cit. tract. prior., quæst. 2, num. 38, 39), Toletum (*Physic.* lib. 4, quæst. 13), Benedictum Pereira (oper. cit. libr. 12, cap. 4 vers. fin.).

(2) Vide Aristotelem (*Physicor.* lib. 4, cap. 12, text. 110; cap. 13, text. 117), S. Thom. (*Physic.* lib. 4, lec. 19, paragr. *c.*; et lec. 16 fin.; 1 p. quæst. 46, art. 3 ad 3.um; *de Potent.* quæst. 3, art. 17 ad 16.um; 1.o dist. 19, quæst. 2, art. 1.

(3) S. Thom., 1.o dist. 19, quæst. 2 art. 2. Cfr. 1. p. quæst. 10, art. 2, ad 2.um.

(4) Vide Aristot. (*Physic.* lib. 4, cap. 11, text. 103 seqq.) Cfr. S. Thom. ibid. lect. 18.

ipsum *Nunc* temporis, quod modo præsens est, fluere ac transire in præteritum, sicut priusquam esset præsens, erat futurum: et propterea in toto illo fluxu idem esse *Nunc* secundum suam entitatem, quamvis secundum rationem varietur, quia nempe diversum est secundum rationem esse præsens, ac futurum, et præteritum. Quo pacto etiam mobile quod ab uno loco in alium transit, idem quidem est entitative, sed potest secundum rationem dici quodammodo diversum. Et propterea S. Thomas momentum temporis, quantumvis simplex, distinguit a momento æternitatis; quia cum momentum vel *Nunc* æternitatis semper stet absque fluxu, idem in seipso perseverat et secundum substantiam vel entitatem et secundum rationem: ideoque est etiam *unum*, æquivalens et excedens tempus infinitum, quod cum infinita partium successione ab æterno in æternum fluere fingatur. At vero *Nunc* temporis *fluit* (1), ac transit, ideoque licet idem sit secundum substantiam, at ratione variatur. Atqui hæc minime significant in toto tempore non esse nisi unicum *Nunc*: primo quia tota hæc doctrina vera est, licet infinita successive instantia dentur, quæ alia post alia transeant in tempore; nam de *singulis illis* verum est quod dum sunt in futuro et in præsenti et in præterito, sint idem secundum entitatem, et varientur secundum rationem. Secundo, si mens S. Thomæ foret asserere unicum dumtaxat esse *Nunc* præsens in tempore, fluentibus dumtaxat variis partibus **hujus temporis**, secum pugnaret, nec posset explicare discrimen inter *Nunc* æternitatis et *Nunc* temporis; nam utrumque præsens perenniter immotum permaneret. Quoniam ergo semper est aliquod *Nunc* præsens in tempore, *Nunc* autem temporis fluit; necesse est innumera succedere perpetuo momenta vel *Nunc* in tempore.

Quæ cum ita sint, haud operosum erit præcipuas analogias ac differentias, quæ inter spatium vel locum tempusque intercedunt, agnoscere. Quemadmodum enim omne corpus *alicubi* est, ita etiam est *aliquando:* repugnat videlicet rem esse, quæ *nunquam* aut *nuspiam* sit. Et sicut etiam

Analogiæ ac differentiæ inter spatium et tempus.

(1) Vide S. Thom., *Physicor.* lib. 4, lect. 18, paragr. *c.*; 1 p., quæst. 10, art. 4., ad 2.um.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIGITALIZACIÓN GENERAL DE FONDOS

spatium imaginamur tamquam continuam et immensam capacitatem recipiendorum corporum, nullis clausam limitibus, ita etiam tempus tamquam mensuram innumerarum durationum. Differunt tamen, quia spatium est permanens, atque adeo habet partes omnes simul, sed tempus est successivum, et essentialiter importat perennem partium fluxum: deinde non omnia, quæ sunt in loco, nec eodem modo, sunt quoque in tempore, ut inferius declarabitur.

§ II.—Quotuplex sit tempus.

Divisio temporis in absolutum vel possibile vel imaginarium et reale.

323. Prima divisio temporis est in absolutum vel possibile vel imaginarium et reale. Tempus reale est duratio successiva realiter existens. Tempus absolutum est duratio quædam successiva, quæ a nobis concipitur tamquam per se existens et separata ab omni corpore, uniformis, expers determinati initii et finis, atque adeo æterna quodammodo, infinita et necessaria, omnem creatam durationem in se continens et excedens, in qua proinde res omnes durare, et extra quam durare nullam posse intelligitur. Tempus hujusmodi absolutum nullum datur a parte rei, ut constat ex probatis contra Gassendium: in eo autem sunt quædam notæ reales, quibus imaginatio adjungit alias imposibiles; et propterea ratione habita dumtaxat priorum vocatur etiam tempus possibile, prout autem complectitur alias notas, nomen accipit temporis imaginarii, estque verum ens rationis. Notæ porro reales exprimunt possibilem quamdam durationem successivam, anteriorem huic reali nostro tempori, nam istud tempus nostrum nunquam *capit possibile* esse; et quamquam non *semper fuit*, potuit, volente Deo, prius ac prius sine fine a parte ante incipere esse, et potest etiam durare in æternum cum suo perenni fluxu. Tempus ergo, quod foret antiquius et prius omni reali tempore assignabili in particulari, quodque duraret in infinitum, est tempus possibile. Si autem hujusmodi tempus ex imaginationis lusu aprehendatur tamquam per se stans extra et præter omnem aliam rem creatam, habensque actualitatem aliquam propriam necessariam et indestructibilem atque æternam, instar mensuræ ac regulæ durationis omnis successivæ, est prorsus ens commentitium, et in hoc sensu vocatur tempus

imaginarium, geritque maximan cum spatio imaginario analogiam et similitudinem.

Tempus internum vel particulare et externum vel universale.

Tempus reale dividitur in internum vel particulare et externum vel universale. Externum est tempus, quod assumitur pro mensura ad dimetiendos alios motus, et propterea dicitur etiam universale: tale est v. g. tempus solare annorum, mensium vel dierum, etc. Internum vero seu particulare non sumitur hic pro duratione permanenti rerum corruptibilium, sed pro duratione propria cujusvis motus, quam verbis illis descripsit S. Augustinus, quæ paulo superius exscripsimus (1). Motus ergo astrorum, qui respectu eorumdem sunt intrinseci, dicuntur extrinseci respectu eorum, ad quos dimetiendos adhibentur. Ratio hujus diversitatis temporis desumpta est ex vitæ humanæ necessitatibus. Quemadmodum enim ad mensurandam et cognoscendam magnitudinem extensionis corporeæ vel ponderum, usurpare consueverunt homines quantitates quasdam ratas beneque notas, puta ulnam, leucam, unciam, libram etc.; ita etiam necesse fuit, ad cognoscendam durationem motuum et actionum, tempora quædam instar normæ certæ atque infallibilis adhibere. Quoniam vero nihil certius, uniformius, æquabilius magisque sensibile reperitur siderum, ac nominatim solis, motibus, ideo apud omnes pene gentes motus potissimum solis atque etiam lunæ, pro mensura cæterorum omnium motuum ac temporum assumpti sunt: nam ipsa quoque horologia, quibus passim utimur, ad normam diurni motus terræ circa proprium axem sese vertentis affabre construuntur, ut nempe durationes durationibus motus istius diurni vel partium ejus æquales adamussim signent, atque demonstrent (2). Unde etiam factum est, ut vulgo nihil aliud fere nomine temporis significetur præter hujusmodi tempus externum. Ac propterea etiam veteres Philosophi (3) passim

(1) S. Augustin., *Confession.* lib. 11, cap. 23.

(2) Non nego id, quod Astronomi docent, motum solis et lunæ non esse uniformem in rigore mathematico: nam et *declinatio* et *ellipticum iter*, qua moventur terra et planetæ circa solem, sunt in causa, cur solare tempus non semper sit perfecte æquabile. Nihilominus ista uniformitas sufficit ad communes usus vitæ humanæ, nec desunt Astronomis industriæ ad isti defectui occurrendum.

(3) Vide v. g. S. Thom., 1 p. quæst. 10, art. 6 etc.

tempus unum dumtaxat esse decernebant, extrinsecum istud significantes, ac nominatim tempus annuum, quod ex translatitio motu terræ circa solem per eclipticam existit, quamvis illius causam prisci motum esse cælestis cujusdam sphæræ, annuis gyris tellurem circumeuntis, arbitrarentur. Licet enim sua sint aliis quoque sideribus peculiaria tempora; quia vero nullum aliud est vel manifestius vel nobis familiarius motuum solarium certissimis temporibus, et quia tota hujus nostri planetæ vita perpetuaque generationum et corruptionum series omnino ab apparenti solis motu dependet; nulla potuit ab hominibus aptior temporum suorum mensura eligi, vel excogitari.

Tempus materiale et spirituale.

Tertio dividitur tempus in materiale et spirituale. Materiale est tempus, quod in physicis et corporalibus motibus consumitur. Spirituale autem est, quod invenitur in motibus spiritualibus spiritualis substantiæ: quod non est intelligendum de motibus, quos illæ, v. g. angeli, ad extra efficere possunt in corporibus, nam durationes ejusmodi vere ad materiale tempus pertinent; neque de actibus intentionalibus intelligendi et volendi, quos prædictæ substantiæ possunt elicere; illi enim non sunt motus proprie dicti; sed de aliis motibus successionem habentibus, quales sunt v. g. motus locales illarum substantiarum, vel etiam mutationes successivæ augmenti vel intensionis spiritualis, quæ inveniri potest in actibus intellectus vel voluntatis angelicæ, quæ pro sua libertate potest intensius vel remissius operari cognoscendo vel amando, et ita etiam potest eumdem actum magis ac magis continue intendere; continue etiam adhibendo majorem conatum suarum virium per voluntatem suam (1). Hujusmodi enim actus sunt veri motus spirituales, et considerari, ac reperiri possunt sive in angelis sive in anima separata, immo et in anima conjuncta, ut ostendit Eximius Doctor (2).

continuum et discretum.

Denique tempus dividi potest in continuum et discretum. Continuum est illud, quod hactenus descripsimus, quod nempe partibus constat in sua successione continuis, nullaque mora vel quiete interruptis. Tempus discretum est illud,

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 8, num. 7.
(2) Suarez, ibid. num. 8.

quod constat successione partium discretarum, nulloque vinculo continuitatis copulatarum: tale est tempus, quod complectitur plura instantia angelica sibi succedentia, quæ in *Ontologia* (1) descripta reliquimus. Hujusmodi tempus non est unum per se ens, sicut est tempus continuum.

§ III.—Utrum tempus re differat a motu.

Utrum et quomodo tempus distinguatur a motu.

324. Diximus tempus esse in motu: nunc videndum est, quomodo se habeat respectu illius, sitne unum idemque realiter cum illo et sola ratione distinctum, an vero etiam re distinguatur. Et controversia non est, ut per se patet, de identitate extrinseci temporis, puta horologii vel motus diurni cœlorum, et motuum, qui tali extrinseco tempore mensurantur, hæc enim profecto re discriminantur; sed de tempore vel duratione intrinseca cujuslibet motus. Jam enim monuimus quemlibet motum habere suam durationem intrinsecam, qua in suo *esse* permanet, quamdiu existit: quæ duratio est intrinsecum, proprium et particulare tempus ejus. Quærimus ergo, utrum istud tempus intrinsecum cujuslibet motus re differat ab eo. Quod saltem ratione differat tempus a motu communis est omnium vox, communi omnium concipiendi modo nixa; motum enim apprehendimus præcise tamquam viam ad terminum, tempus autem tamquam moram et permanentiam in *esse*, quam talis motus vel via habeat, necesse est. Ergo saltem conceptus motus ac temporis sunt distincti. Aeriter autem controvertitur, utrum ipsa quoque utriusque realitas distinguatur. Distingui arbitrantur Henricus Gaudavensis, Richardus, Major et Argentinas (2), Capreolus (3), Complutenses (4), Cardin. Aguirre (5), aliique, quibus accedunt e nostra Societate Rubius (6),

controvertitur.

Variæ opiniones.

(1) *Ontolog.*, num. 368, pag. 1059, 1060.
(2) Apud Rubium, *Physic.* lib. 4, cap. 14, tract. prior. *de Tempore*, quæst. 4, num. 51.
(3) 2.a dist. 2, quæst. 2 in resp. ad 1.um argum. contra 2.am part. sextæ conclus.
(4) *Physic.* disp. 21, quæst. 3.
(5) *Physic.* disp. 31, sect. 2.
(6) *Physic.* loc. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Toletus (1), Sylvester Mauri (2), et nostris diebus cl. P. De San (3). Et pro eadem sententia laudari potest etiam S. Augustinus (4), nisi velis illum interpretari de sola rationis distinctione. Negant tamen tempus re distingui a motu Scotus (5), Gabriel, Gregorius, Ockam et Bassolis apud citatum Rubium, itemque Dominicus Sotus (6), Suarez (7), Vazquez (8), Benedictus Pererius (9), Conimbricenses (10), Cosmus Alamanni (11), Soarez lusitanus (12), Mastrius (13), Pontius (14), et Claudius Frassen (15). Et idem videtur quoque sentire etiam Cajetanus (16), et Joannes a S. Thoma (17). S. Thomam et Aristotelem utraque sententia suos esse contendit. Quamvis forte probabilius sit, ipsos distinxisse motum ac tempus realiter: nam data opera probant hæc distingui, nec video sufficiens indicium, ut eos de sola rationis distinctione locutos esse judicem (18). Unum tamen nota, inter eos, qui negant tempus et motum re distingui, esse quosdam, ut v. g. Conimbricenses, qui sola rationis distinctione minime contenti, formalem distintionem ex natura rei obtrudere conantur.

(1) *Physic.* lib. 4, quæst. 12, prima conclus.
(2) *Quæstion. philos.* lib. 2 quæst. 32.
(3) *Cosmologia*, num. 506.
(4) *Confession.* lib. 11, cap. 24.
(5) 2.° dist. 2, quæst. 2.
(6) Super lib. 4.^um *Physicor.* quæst. 4, conclus. 3.^a et 4.^a
(7) *Metaphys.* disp. 50, sect. 9.
(8) In 1.^am part. disp. 23, cap. 3, num. 18.
(9) *De communibus* etc. lib. 12, cap. 1, *Alii autem e contrario.*
(10) *Physic.* lib. 4, cap. 14, quæst. 2, art. 1.
(11) *Summa Philosoph.*, prima secundæ, quæst. 21, art. 3.
(12) *Physic.* tract. 3, disp. 3, sect. 2.
(13) *Physicor.* disp. 13, quæst. 4, art. 1, num. 35.
(14) *Physicor.* disp. 17, quæst. 2, conclus. 1.^a
(15) *Physic.* disp. 7, quæst. 2 *de Tempore*, conclus. 4.
(16) In 1.^am p. quæst. 10, art. 5 et 6.
(17) *Physic.* quæst. 18, art. *Ex quibus colligitur.*
(18) Vide Aristot. (*Physicor.* lib. 4, cap. 10, text. 95 et 96). S. Thom. ibid. lect. 16, paragr. *e. f.* et opusc. *de Tempore* cap. 2). Nihilominus P. Cosmus Alamanni, fidelissimus S. Thomæ interpretes et asseclæ, existimat (loc. cit.) S. Doctorem solam rationis distinctionem tenuisse. Et Chrysostomus Javellus etiam scribit Aquinatem modo in unam modo in alteram videri declinare sententiam. Vide Javel. (*Physic.* lib. 4, quæst. 20).

Hæc altera sententia negans realem temporis et motus distinctionem solamque rationes agnoscens, mihi quoque probabilior videtur. 1.° Primo propter generalem illam rationem, quod duratio re non distinguatur ab *esse* rei durantis. Ergo tempus, quod est duratio intrinseca motus, non distinguendum est ab illo. 2.° Videtur dari in motu successivo aliqua mora et permanentia in *esse* penitus essentialiter inseparabilis ab eo. Ubi enim est successio, essentialiter sunt partes priores et posteriores, quas repugnat simul esse, ideoque non possunt esse absque aliqua mora. Ergo ex hoc ipso, quod motus sit in rerum natura, etiamsi præscindamus ab illo omnem realitatem vel modum quemcumque superadditum, ita permanet in *esse*, ut moram aliquam insumat. Atqui tempus nihil est aliud, quam mora et duratio ipsius motus. Ergo tempus nihil re vel ex natura rei distinctum addit super motum. 3.° Præterea ex aristotelica definitione, mox expendenda et propugnanda, tempus est *numerus motus secundum prius et posterius*, id est ipsæ partes priores et posteriores successive numeratæ vel numerabiles. Ergo ipsæmet partes motus, prout successive fluunt, et sunt in rerum natura, constituunt tempus. Partes autem motus ita fluentes et cum successione prioris et posterioris existentes, non distinguuntur ab ipso motu.

Refellitur sententia negans realem distinctionem.

325. **Objicies** 1.° Idem motus diurnus v. g. terræ circa suum axem esset duplo velocior, si conficeretur duodecim horis, esset item duplo tardior, si conficeretur quadraginta octo horarum spatio. Atqui repugnat idem tempus esse duplo velocius vel tardius. Ergo tempus et motus re distinguuntur.

Quædam objectiones solvitur.

Resp. *neg.* Major. Quamvis enim idem numero spatium possit velocius vel tardius percurri, non tamen eodem numero motus. Id quod facile explicari potest supponendo velocitatem ac tarditatem motus non esse aliquid distinctum ab ipsa motus substantia vel entitate, quod valde probabiliter dicitur. Tunc enim velocitas et motus sunt intrinsecæ affectiones et quasi differentiæ constitutivæ motus, saltem in individuo, ita ut quilibet motus ex sua peculiari et individua entitate, quam accipit a causa efficiente, habeat talem gradum velocitatis vel tarditatis, quin possit alium gradum diversum accipere; sicut entitas quævis hac vel illa differentia,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sive specifica sive individuali, constituta, non est indifferens ad aliam differentiam diversam accipiendam. Quo supposito falsum est, motum diurnum terræ fore eumdem, qui nunc est, si dupla velocitate vel tarditate conficeretur (1).

Objic. 2.° Potest Deus eumdem numero motum reproducere, non potest autem reproducere idem numero tempus. Ergo hæc distinguuntur plus quam ratione. Major probatur: non enim major repugnantia est in iteranda eadem numero actione, quam in reproducendo eodem numero termino. Atqui idem numero terminus reproduci potest. Ergo et eadem numero actio. Cum autem non magis repugnet actionem eamdem successivam, quam instantaneam, reproduci, sequitur posse reproduci eamdem quoque numero successivam actionem seu motum (2). Minor vero patet 1.° ex vulgato illo axiomate: *Ad præteritum non datur potentia*. Tempus ergo, quod jam fuit, non potest non fuisse. Si autem non potest non fuisse, repugnat jam iterum esse; hæc enim duo simul stare nequeunt. 2.° Deus non potest facere, quin dies præteritus et præsens sint duo dies. Ergo non potest facere, ut dies heri præteritus, sit iterum hodie præsens; nam secus dies ejusmodi hesternus et hodiernus unus tantum dies esset (3).

Respondent quidam, *negando* Majorem, tum quia implicat tempus reproduci; posset autem profecto reproduci, si reproduceretur motus, supposito quod hæc idem realiter sint; tum quia, ut ex doctrina Aristotelis superius statuimus, unitas numerica motus sumitur inter alia ex unitate temporis. Hæc tamen responsio non satis solida videtur; primo quia nondum satis probatum est, quod nequeat idem numero motus reproduci. Deinde quia quod unitas numerica motus requirat unitatem temporis, non vetat, quominus motus reproducatur. Cum enim temporis unitas assignatur inter conditiones unitatis motus numericæ, id intelligi potest, de tempore extrinseco, unde mensurari solent motus, itemque respectu agentium naturalium, quæ certe non possunt

(1) Vide Suarez (loc. cit., num. 4–10), fuse de his disserentem.

(2) Vide possibilitatem ejusdem numero actionis reproductæ fusius probatam apud Suarez (loc. cit. num. 12).

(3) Apud Suarez (ibid. num. 10).

facere unum numero motum nisi uno tempore; non autem necesse est id intelligi respectu divinæ quoque potentiæ. Quod vero tempus, cujus unitas requiritur ad unitatem motus numericam, accipiendum necessario sit pro tempore intrinseco, non probabis, nisi supponendo quod tempus re distinguatur a motu, atque adeo petendo principium (1). Itaque

Respondeo, *concedendo* Major., et *negando* Minor. «Neque contra hoc obstat illud principium: *Ad præteritum non est potentia;* nam licet Deus reproducat tempus præteritum, non faciet, ut quod fuit, non fuerit: in quo sensu illud axioma profertur; sed faceret, ut quod semel fuit, iterum sit, quod non est contra illud axioma, immo hoc ipsum fit in reproductione rei permanentis. Neque etiam repugnat, quod tempus jam præteritum nunc sit præsens, eo scilicet modo, quo tempus potest esse præsens ratione instantis, idem enim instans quod præteriit, potest nunc esse præsens, et easdem partes continuare. Sed in hoc cavenda est æquivocatio et sophistica deceptio; nam tempus præteritum dicit duo, scilicet tempus ipsum, et præteritionem, quæ constituitur per negationem existentiæ rei, quæ aliquando fuit. Cum ergo dicitur tempus præteritum iterum fieri præsens, non est excogitandum, quod illud tempus quasi retrocedat, et desinat esse sub priori negatione præteriti, et fiat præsens; nam illud involvit repugnantiam, ut dictum est; sed idem tempus, quod semel fuit, et sic semper manet præteritum, iterum in rerum natura constituitur, et sic fit præsens. Quod vero dicitur, hesternum et hodiernum diem necessario esse duos dies, naturaliter quidem verum est; supernaturaliter autem dico, esse posse unum et eundem diem bis repetitum: nam, sicut quantitas pedalis naturaliter non potest loco adæquari quantitati bipedali, supernaturaliter autem potest, si bis in loco ponatur, ut alibi latius tractavi, ita idem numero motus naturaliter non potest duplam durationem explere; si autem bis repetatur in rerum natura, id fieri poterit sine repugnantia» (2).

(1) Vide Suarez, loc. cit. num. 12, 13.

(2) Suarez, loc. cit. num. 14, apud quem fusius doctrina hæc declaratur num. 15 seqq.

Objic. 3.° Tempus est: α) numerus vel mensura motus; β) diciturque esse in illo, sicut accidens in subjecto. Atqui α) mensura distinguitur a mensurato: itemque β) accidens a suo subjecto. Ergo...

Resp. ad α) *dist.* Major. Tempus extrinsecum et communne, *conc.*; tempus intrinsecum et proprium cujusque motus, *subdist.*: est mensura realiter mesurans motum; *neg.*, mensurans solum secundum rationem, *trans.* Et *contradist.* Minor, *neg.* conseq.

Ad β) *dist.* Major.: tempus est accidens physicum motus, *neg.*, logicum et spectato modo cogitandi, *conc.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Objic. 4.° Ea re distingui dicendum est, quæ diversis gaudent proprietatibus vel attributis. Atqui tempus et motus diversis proprietatibus gaudent: tempus siquidem dicitur longum vel breve, non vero motus; ac viccissim motus dicitur velox vel tardus, secus autem tempus. Ergo...

Resp. *neg.* Major. Quia sufficit rationis distinctio ad hoc, ut possint diversa prædicata et affectiones de eadem re prædicari, ut patet v. g. in animalitate et rationalitate.

Objic. 5.° Motus saltem divinitus potest existere sine tempore, si nimirum Deus absque ulla successione motum aliquem peragat, id quod, quidquid sit de locali motu, certe in augmentatione atque alteratione posse Deum facere, superius vidimus. Ergo neccesse est dicere tempus realiter a motu distingui.

Resp. *neg.* conseq. Nos enim non agimus hic de identitate cujuslibet motus, etiam instantanei, cum tempore, sed solum de identitate motus successivi; tempus enim instantaneum est chimæra.

ARTICULUS II.

Utrum tempus recte definiatur secundum Aristotelem: *Numerus motus secundum prius et posterius.*

Varie temporis definitiones expenduntur, ac reprobantur.

326. Ex disputatis in præcedenti articulo, arduum non erit veriorem temporis definitionem exponere, ac tueri. Plures veterum definitiones temporis collegit Aristoteles (1)

(1) *Physicor.* lib. 4, cap. 10.

aliique (1). «Plato, ut eum Theophrastus, Eudemus et Alexander contra Simplicium interpretantur, existimavit tempus esse *conversionem cœlestis mundi* (vel universi motum). *Sic* enim in *Timæo* scripsit: *Nox igitur et dies ad hunc modum et ob has generala sunt causas, nempe unius sapientissimæ conversionis circuitus. Mensis autem, quando luna, lustrato suo cursu, solem consecuta est; annus, ubi sol suum totum confecit, et peragravit orbem. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter se numero commetiuntur. Itaque ut sic dicam, nesciunt hos siderum errores id ipsum esse, quod dicitur tempus, multitudine quidem infinita, sed admirabili varietate præditos* (2). Alii arbitrati sunt tempus esse amplissimam sphæram totius universi, cujus opinionis Pythagoras auctor fuisse creditur, licet Architas ejus occasionem Pythagoreis dedisse existimetur, utpote qui, referente Simplicio, docuerit, tempus naturæ universi dimensionem esse. Eratosthenes autem tempus definiebat *solis iter*» (3). Alii dixere tempus *motum siderum*, alii *motum perfetuum*, alii *motum ipsum* (4). Hæ tamen omnes definitiones in eo communiter deficiunt, quod ipsam temporis formalem rationem non attingant. Tempus enim quoad rem ipsam motus est, ut nobis quidem videtur, vel certe est modus vel accidens motus, ut aliis magis placet; a motu tamen saltem ratione distinguitur: quare nequit notio ejus satis declarari, nisi aliquid addatur. Præterea definitiones istæ fere omnes eo etiam vitio laborant, quod non

(1) Vide Simplicium (in sua *Digressione de Tempore*), Plutarchum (*de Placitis Philosophor.*, lib. 1, cap. 21), Galenum (libr. de *Historia philosophic.*, cap. 34), Sextum Empir. (*Pyrrhonicar. suppositon.* lib. 3), Albertum M. (*Physicor.*, lib. 4, tract. 3, cap. 2), Mirandulanum (*de Exam. vanit.*, lib. 3, cap. 12).

(2) Vide *Platonis Opera Omnia*, volum. 2, pag. 210. Paris 1883. Alcinous tamen in suis Institutionibus de doctrina Platonis (cap. 14) mentem hujus Philosophi sic constur interpretari, ac si idem prorsus sensisset de ratione motus, ac discipulus ejus Aristoteles. Cfr. de San Alcinoum impugnans (*Cosmolog.*, num. 583 in nota 2.ª).

(3) Conimbricenses, *Physicor.*, lib. 4, cap. 14, quæst. 1, art. 2.

(4) Vide apud Roselli (*Summ. philos.*, tom. 2, quæst. 12, art. 2). Verum de his aliisque definitionibus lege Simplicium (loc. cit.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

describant tempus in suo latissimo et adæquato conceptu, sed tantum motum extrinsecum et universalem.

Definitio Leibnitzii etiam excluditur.

Leibnitzius tempus definivit ordinem seu relationem successivorum, sive existentium sive possibilium (1). At hæc definitio eodem argumento excluditur, quo similis definitio spatii ab eodem scriptore concinnata superius exclusa est. Aliud nempe est in tempore fundari relationes quasdam durationis in rebus existentes, et aliud tempus formaliter in ejusmodi relationibus consistere. Sane tempus in seipso est duratio quædam successiva. Atqui duratio successiva non est entitas relativa, sicut etiam aliæ durationes non sunt relationes. Duratio enim est vel ipsa rei existentia permanens, vel, modus ejus. At nec existentia permanens rei, nec modus ejusmodi existentiæ, est formaliter relatio. Præterea si tempus, et generatim duratio, consisteret formaliter in relatione, spectaret ad relationis prædicamentum. Atqui non pertinet ad prædicamentum relationis, sed ad prædicamentum *Quando*.

Aristotelica temporis definitio

Alia est ergo nobilissima temporis definitio ab Aristotele tradita, quam Scholastici omnes uno ore approbant; ideoque magis miror, quod eam nostris diebus respuat, et impugnet clarissimus æque ac insignis Peripateticus P. Ludovicus de Sun (2). Ex doctrina Stagiritæ tempus est *numerus motus secundum prius et posterius* (3). Quæ definitio antequam explicetur, notandum est, per eam Aristotelem potissimum intendisse describere tempus extrinsecum et universale, quemadmodum plures interpretes gravissimique Doctores arbitrantur (4). Nihilominus ita feliciter confecta est, ut aptissime

(1) Vide apud Roselli (loc. cit. num. 474). Cfr. cl. Van der Aa (*Cosmolog.* prop. 75).

(2) *Cosmolog.*, num. 586 seqq.

(3) Τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ Χρόνος, ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. Aristot., *Physicor.* lib. 4, cap. 11, text. 101.

(4) Vide S. Thom. (*Physicor.*, lib. 4, lect. 23.ª paragr. *f.*) cum Aristotele (ibid. cap. 14 a text. 132); Conimbricenses (ibid. quæst. 1, art. 2), Benedictum Pereira (oper. citat lib. 12, cap. 4), Complutens. (ibid. disp. 21, quæst. 4), Mastrium (*Physic.* disp. 13, quæst. 4, art. 2, num. 52), Joann. a S. Thom. (*Physic.*, quæst. 18, art. 1 fin.), Suarez (loc. cit., sect. 11, num. 9).

possit ad omne tempus, sive extrinsecum et universale, sive intrinsecum etiam et particulare, demonstrandum servire.

declaratur.

Dicitur ergo tempus primo *numerus motus*. Quia ut ex dictis constat, tempus est essentialiter successivum et aliquid motus, sive re sive ratione distinctum. Atqui non potest esse aliud, quam numerus motus. Nam in motu successivo necessario sunt partes aliæ et aliæ, quæ non simul sunt, siquidem id est essentiale successioni, ut nulla pars stet, vel permaneat, sed statim fluat, ac desinat esse, subsequente altera, quæ pariter perit, adveniente alia; et ita porro. Habet ergo motus successivus extensionem quamdam partium fluentium, quæ proinde est, ac durat successiva duratione. Jam tempus omnes concipimus instar magnitudinis et quantitatis, quæ est in *esse* successivo motus; nam interroganti quanta est motus existentia, proprie respondetur per tempus. Ergo tempus recte dicitur esse numerus motus secundum prius et posterius, nempe numerus partium motus, secundum quod prius et posterius fluunt; vel clarius, partes motus prout numeratæ, vel numerabiles sunt secundum fluxum alterius et alterius.

Notare enim debes numerum duplicem considerari posse: abstractum et concretum. Numerus concretus, qui etiam passivus et numeratus dicitur, est ipsæ res numeratæ, ut v. g. duo oculi, centum canes, mille partes: abstractus autem vel activus vel numerans, importat varias numeri species præscindendo a rebus ipsis numeratis, ut v. g. binarius, terminarius. Itaque in definitione aristotelica numerus intelligitur non abstractus, sed concretus, quasi diceretur: *Tempus est prius et posterius motus numeratum*. Id patet ex eodem Aristotele et communissima Philosoporum interpretatione (1). Deinde numeratio accipi potest bifariam: in actu primo, quatenus res est apta, ut numeretur; in actu secundo, quatenus de facto numeretur ab aliquo intellectu. Et in motu successivo, ex eo quod sint partes non stantes, sed fluentes, procedit quod *numerabiles* sint secundum prius et

(1) Vide Aristot. (*Physicor.*, lib. 4, cap. 11, text. 102 et cap. 12, text. 110), S. Thom. (ibid. lect. 17 fin.; et lect. 19, paragr. *c*; et opusc. *de Tempore*, cap. 2 in medio).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

posterius; et exinde mox consequitur, quod actu numerentur, quando adest, qui eas consideret. Itaque in temporis definitione numerus accipiendus esse videtur secundum aptitudinalem, non autem secundum actualem numerationem, ut ipsemet Aristoteles diserte tradidit his verbis: *Prius et posterius in motu sunt: tempus autem est hæc* (prius et posterius) *prout* **numerabilia sunt** (1). Sensus itaque definitionis est hic: *Tempus est numerus motus secundum prius et posterius*, id est, *motus prout numerabilis secundum priores ac posteriores partes*, vel ut scribit S. Thomas ex mente Aristotelis, *numerus alicujus rei numeralæ, scilicet prioris et posterioris in motu* (2), vel ipsum prius et posterius motus prout distincte numerabile a mente; vel pluralitas partium motus, prout successive numerabilium eo ordine, quo sunt, quarum aliæ labuntur prius, aliæ posterius (3). *Prius et posterius motus in quantum sunt numerabilia, sunt ipsum tempus*, inquit S. Thomas (4); et alibi: Tempus est *prius est posterius ut numerata* (nempe in actu primo) *sunt in motu* (5): et alibi: Tempus *est numerus numeratus, quia ipse numerus prioris et posterioris in motu tempus dicitur, vel etiam ipsa, quæ sunt prius et posterius, numerata* (6).

Expositio ista definitionis applicari potest, ut vides, omni tempori, sive universali sive particulari. Sed potest etiam ad significandum tempus universale, secundum quod est mensura cæterorum, contrahi; quia tempus ejusmodi est reapse numerus vel mensura prioris et posterioris in motu, quia numerando et assumendo priores et posteriores partes solaris temporis vel motus, puta dies, horas, etc., dimetimur, et cognoscimus tempus ac durationem cæterorum omnium motuum.

et probatur. Jam bonitas aristotelicæ definitionis probanda est.

(1) Aristot., *Physicor.* lib. 4, cap. 14, text. 131.
(2) S. Thom., *Physicor.* lib. 4, lect. 19, paragr. *c.*
(3) Vide S. Thom. (loc. cit., lect. 17 et 19), Toletum (ibid. in Comment. textus 101 et quæst. 12), Benedict. Pereira (lect. citt. cap. 2 et 4).
(4) Ibid. lect. 23, paragr. *e.*
(5) S. Thom., opusc. *de Tempore*, cap. 2 in medio.
(6) S. Thom., ibid. lect. 17 fin.

Probatur autem 1.° Quia *id, quo aliquid judicamus plus et minus, est numerus ejus. Motum autem judicamus plurem aut minorem tempore* (1). Ergo tempus est numerus.

Prob. 2.° Illud est tempus, quo cogitato et animad verso in motu, statim apprehenditur tempus; quo non cogitato et apprehenso, neque apprehenditur tempus. Atqui apprehenso priori et posteriori in motu, illico advertitur tempus; non autem advertitur, donec prius et posterius in motu advertatur. Ergo... Apposite S. Thomas ex Aristotele: *Propter hoc... est ostensum, quod tempus sequitur motum, quia simul cognoscimus tempus et motum: secundum illud ergo tempus sequitur motum, quo cognito in motu, cognoscitur tempus. Sed tunc cognoscimus tempus, cum distinguimus determinando prius et posterius; et tunc dicimus fieri tempus, quando accipimus sensum prioris et posterioris in motu. Relinquitur ergo, quod tempus sequitur motum secundum prius et posterius* (2).

Quædam difficultates solvuntur.

327. **Objic. 1.°** Definitio clarior esse debet definito. Atqui definitio aristotelica certe non est clarior tempore. Tempus enim omnes norunt; quid autem sit numerus motus secundum prius et posterius, profecto difficilius intelligitur, quam ipsum tempus.

Resp. *neg.* Minor. Ad probation, *dist.* Major. Tempus omnes norunt quoad existentiam, *conc.*; quoad quidditatem *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Instabis. Tempus saltem notius est motu; siquidem est mensura illius, mensura vero notior esse debet mensurato. Ergo perperam definitur per motum.—**Resp.** Tempus secundum suam naturam ignotius est motu, quia motus sensibus ipsis patet, non autem tempus. Ideoque recte tempus in genere describitur per ordinem ad motum. Cæterum hoc non vetat, quominus aliquod tempus, nempe universale, postquam bene cognoscitur, applicetur instar mensuræ ad aliorum motuum durationem relative cognoscendam.

Objic. 2.° Cum Stratone Lampsaceno. «Tempus est quantitas continua; numerus quantitas discreta. Igitur

(1) S. Thom., *Physicor.* lib. 4, lect. 17, paragr. *g.*
(2) S. Thom., ibid., paragr. *e.* Cfr. ib. paragr. *f.*; et initio ejusdem lectionis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tempus non est numerus, atque adeo nec numerus motus» (1).

Resp. *dist.* Minor. Numerus abstractus, *trans;* numerus concretus, *subdist.*: si res ipse numeratæ discretæ sint, *conc.;* si res numeratæ continuum conflent media unione aliqua vel continuatione, sicut conflant partes motus, *neg. Licet numerus, quo numeramus,* inquit Angelicus, *sit aliquid discretum; tamen tempus est aliquid continuum: sicut* decem ulnæ panni *sunt continuæ, licet numerus denarius sit aliquid discretum* (2).

Objic. 3.° cum Galeno. *Prius* et *posterius* explicantur per tempus. Ergo si per hæc tempus definitur, idem per seipsum declaratur: quæ ratio definiendi circulum continet, et inepta est.

Resp. *dist.* antec. *Prius* et *posterius* temporis explicantur per tempus, *conc.* Prius et posterius partium motus in se, *neg.* Et similiter *dist.* consequens, et *neg.* suppositum, videlicet quod Aristoteles ejusve interpretes verba illa intelligant, prout arbitratur Galenus. Etenim prius et posterius non solum est in duratione ac tempore, sed etiam in motu, sive re sive sola ratione ab eo distinguatur, et in magnitudine, nempe in omni extensione: unde prius et posterius longe latius patet, estque ordo quidam partium secundum positionem. Sic in omni continuo etiam permanente, v. g. in loco et in hac charta potes alias aliis *priores* ac *posteriores* partes assignare. Immo vero ex doctrina Aristotelis non est prius et posterius in tempore, nisi quia est in motu, nec in motu, nisi quia est in magnitudine, quæ est illius subjectum (3).

(1) Apud Conimbric., loc. cit. quæst. 1, art. 1.

(2) S. Thom., opusc. *de Tempore*, cap. 2 medio.

(3) *Ostendit* (Aristoteles), *quod idem ordo consideratur in priori et posteriori: et dicit, quod prius et posterius sunt prius in loco sive in magnitudine; et hoc ideo, quia magnitudo est quantitas positionem habens, de ratione autem positionis est prius et posterius: unde ex ipsa positione locus habet prius et posterius. Et quia in magnitudine est prius et posterius, necesse est, quod in motu sit prius et posterius proportionaliter his, quæ sunt ibi, scilicet in magnitudine et in loco: et per consequens etiam in tempore est prius et posterius, quia motus et tempus ita se habent, quod semper alterum eorum sequitur ad alterum.* S. Thom. (lib. 4 *Physicor.* text. 17, paragr. 2) cum Aristotele (ibid. cap. 11, text. 100).

Philosophus itaque prius et posterius in sua definitione temporis retulit ad partes distinctas, quæ secundum positionem sunt in ipsa entitativa extensione et magnitudine motus; ex qua prioritate ac posterioritate necessario sequitur in motu prioritas et posterioritas secundum durationem, seu tempus. Si enim motus non est ens permanens, nullæ partes ejus stant, sed perpetuò labuntur, ac fluunt, et sic existentia illarum ac duratio est successiva ita, ut aliæ post alias durent, et ita tempus constituant. Nullus ergo est circulus in aristotelica definitione (1): quandoquidem prius et posterius in ea non sumuntur, prout exprimunt durationem, sed prout componunt ipsam extensionem et magnitudinem motus.

Objic. 4.° Tempus non solum est numerus, motus, sed etiam quietis, docente Augustino. *Etsi varie corpus aliquando movetur, aliquando stat, non solum motum ejus, sed etiam statum tempore metimur, et dicimus: Tantum stetit, quantum motum est, aut duplo vel triplo stetit ad id, quod motum est* (2). Ergo ponendum fuit in definitione: *numerus motus vel quietis.*

Respondeo, «tempus esse *per se* mensuram motus, quietis autem *ex accidente* (vel per accidens), ut Aristoteles asseruit (3), quatenus videlicet quies est privatio motus. Nam ea, quæ per se habitui conveniunt, ex accidente privationi accommodantur: ut cum aspectus per se sit luminis, ex accidente est tenebrarum. Quod autem tempus solius motus per se mensura sit, ex eo convincitur, quia tempus metitur rem secundum prius et posterius, a quorum uno ad alterum est transitus: at hæc in quiete non insunt, nisi facta ad motum relatione, atque adeo ex accidente. Ob hanc igitur rationem Aristoteles non per quietem, sed per motum tempus definit, cum unumquodque per id, quod per se illi convenit, definiri oporteat» (4).

(1) Vide S. Thom., loc. nup. cit. paragr. *f.*

(2) S. August., *Confession.* lib. 11, cap. 24.

(3) Aristoteles (*Physicor.* lib. 4, cap. 12, text. 118). Vide S. Thom. (ibid. lect. 20, paragr. *g* seqq.)

(4) Conimbricens. (loc. cit. quæst. 1, art. 3, ad 6.um). Cfr. Benedictus Pererius (loc. cit. cap. 3). Et vide S. Thom., loc. nup. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 5.° «In definitione aristotelica temporis videtur contineri duplex falsitas,» inquit cl. P. De San: prima penes hanc particulam *motus*, altera penes illam particulam *numerus*. Sane «*quandocationes* intrinsecam durationem motus constituentes, quæ sunt partes per se successivæ sive partes temporis..., eædem numero invenirentur in re, quæ movetur, etiamsi ea non moveretur (1): proindeque α) tempus non subjectatur in motu, et β) tempus non neccesario conjungitur cum motu, sed invenitur in omni omnino re corruptibili.» Secunda falsitas continetur in voce *numerus*. Primo quidem, quia «per eam... significatur *quandocationibus*, suo fluxu durationem continuam constituentibus, non competere formaliter rationem temporis, nisi quatenus *operatione rationis actu distinguuntur, et numerantur*.» Quod apparet esse falsum. Secus enim dormientibus hominibus, vel non actu numerantibus quandocationes, non esset tempus. Præterea «partes temporis sunt tempora. Sed partes numeri non sunt numeri: ac proinde impossibile est dicere tempus formaliter esse numerum.» Denique «tempus juxta Aristotelem est infinitum, et juxta rei veritatem potuisset esse infinitum. Sed tempus infinitum non est numerus, quia infinitum nullo numero capitur» (2).

Resp. *neg.* assertum et probationem primæ falsitatis. Jam enim ostendimus in *Ontologia*, falsum esse principium, quod assumit R. P. De San, omnem videlicet creatam durationem esse formaliter succesivam (3). Et quantum attinet ævum seu durationem substantiarum incorruptibilium, jam superius in præcedenti articulo demonstravimus, eam ex communissima S. Thomæ aliorumque Doctorum sententia, non esse successivam, sed permanentem. Idipsum ibidem innuimus, et in sequenti articulo probabimus, dicendum esse de duratione substantialis existentiæ substantiarum corruptibilium; quamvis circa hoc non tanta sit veterum scriptorum

(1) Id se probasse monet clarus scriptor in *Cosmolog.*, num. 505 seqq., ubi statuit omnem creatam durationem esse formaliter successivam, ac realiter distingui a re creata per eam durante.

(2) Cl. P. De San, *Cosmolog.* num. 588-590.

(3) Vide *Ontolog.* num. 363, pag. 1049.

concordia. Itaque negamus eamdem numero successivam durationem fore in re, sive moveatur sive non moveatur secundum suum *esse:* et consequenter negamus tempus aut non subjectari in motu, aut non necessario conjungi cum motu, sed inveniri *in omni omnino re corruptibili;* ut magis patebit in articulo sequenti. Illud etiam noto, assertiones et consequentias istas clari scriptoris rejici etiam ab iis ipsis veteribus, qui concedunt substantiis sive corruptibilibus, sive etiam incorruptibilibus, durationes successivas. Et ratio potest esse, quia in omni duratione successiva jam adest aliquis motus. Sed de hoc videant ipsi illi auctores.

Probationes etiam alterius falsitatis non subsistunt. Prima modo præoccupata est, cum aristotelicam definitionem declararemus. Ad secundam respondeo numerum temporis esse numerum numeratum, et quidem continuum, non discretum. Partes autem continui necessario sunt numeri, nempe continent possibilem numerum, quia omnes sunt divisibiles ulterius, quin possit deveniri ad indivisibilia seu unitates. Ergo ratio objecta inanissima est. Nec magis valet postremum argumentum. Quidquid sit de mente Aristotelis circa tempus infinitum, equidem nego posse tempus actu infinitum esse, sive a parte ante ob rationes, propter quas in primo libro hujus voluminis ostendimus cum communissima sententia repugnare creationem æternam quoad entia successiva; sive a parte post, quia tempus a parte potest non potest esse nisi indefinitum, ut constat ex disputatis contra repugnantiam infinitæ actu multitudinis. Ergo ex definitione aristotelica non necessario sequitur, aut quod tempus debeat esse infinitum, aut quod admittendus sit numerus infinitus. Plura si cupis, adi veteres auctores.

Utrum temporis notio accipiat aliquod complementum ab intellectu.

328. Scholion. Nunc forte commodius resolvi breviter poterit controversia illa, quam initio præcedentis articuli diximus agitari inter auctores, qui communissime conveniunt in decernendo, tempus esse reale quiddam, non autem ens rationis. Nempe estne tempus ita reale, ut nullum complementum accipiat ab intellectus operatione? Alii affirmant, alii negant, ut superius diximus: et nescio, an ipsemet

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aquinas semper idem senserit (1). Aristoteles (2) videtur docere, tempus esse non posse sine anima vel intellectu, qui possit prius et posterius motus numerare; quamvis mentem ejus non omnes interpretes videantur eodem modo exponere (3). S. Thomas ita rem interpretatur, tempus quidem secundum omnes suas partes reale esse, prout tamen unum quiddam totum accipitur, egere mentis operatione, et sub hoc respectu complementum accipere ab anima. *Si... motus haberet esse fixum in rebus, sicut lapis vel equus, posset absolute dici, quod sicut etiam anima non existente est numerus lapidis, ita etiam anima non existente esset numerus motus, qui est tempus. Sed motus non habet esse fixum in rebus, nec aliquid actu inveniatur in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus, quod est motus divisio: sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ, comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur, et tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile. Ipsa tamen totalitas temporis accipitur per ordinationem animæ numerantis prius et posterius in motu, ut supra dictum est; et ideo signanter dicit Philosophus, quod tempus, non existente anima, est* utcumque ens, *idest imperfecte; sicut et si dicatur, quod motum contingit esse sine anima imperfecte. Et per hoc solvuntur rationes supra positæ ad ostendendum, quod tempus non sit, quia componitur ex partibus non existentibus; patet enim ex prædictis, quod non habet esse perfectum extra animam, sicut nec motus* (4). Alio modo etiam dici potest, tempus complementum accipere ab anima, nempe in ratione mensuræ durationes motuum mensurantis. Nullus enim motus est, qui

(1) Non semel scripsit S. Thomas, tempus compleri per operationem intellectus, numerantis prius et posterius (ita v. g. 1.a dist. 19, quæst. 2, art. 1; et *Physicor.* lib. 4, lect. 23, paragr. e); verum alibi (opusculo *de Tempore* cap. 1.) contrarium diserte docuit.

(2) Aristot., *Physicor.* lib. 4, cap. 14, text. 131.

(3) Vide v. g. S. Thom. (ibid. lect. 23, paragr. e), Conimbricenses (ib. in comment. capitis 14, text. 131), Tolet. (ibid. in Commentar. text. 131 et quæst. 15), Sylvest. Mauri (*Aristot. Opera omnia... paraphasi*, etc. *Physicor.* lib. 4, cap. 19, num. 3 et 4) etc.

(4) S. Thom. (*Physicor.* lib. 4, lect. 23, paragr. e). Cfr. Toletus (*Physicor.* lib. 4, quæst. 15), Benedictus Pererius (op. cit. lib. 12, cap. 3) etc.

ex sua natura sit mensura aliorum; sed ab intellectu assummuntur quidam motus ad hoc munus, ut cum tempus solare adhibetur ad dimetiendas cæteras durationes successivas (1). Ex hoc tamen modo loquendi minime sequitur tempus non esse ens reale; quia quamvis simul et secundum totalitatem suam non est extra mentem ordinantem, ac numerantem partes priores et posteriores, sed solum in intellectu, annus vel dies instar unius complete existentis, nihilominus successive et in fluxu totus est in re, totusque realiter labitur, nemine cogitante. Idque respexerunt potissimum illi, qui negarunt tempus accipere ullum complementum ab anima. Quare forte non est quoad rem magna discrepantia inter auctores utriusque sententiæ.

ARTICULUS III.

An et quomodo res sint in tempore, et quarumnam durationum sit tempus mensura.

329. Quemadmodum agentes de loco et spatio, diximus, quænam res, et quomodo sint in loco; oportet nunc simili modo inquirere, quænam sint in tempore: habent enim hæc magnam inter se analogiam et affinitatem. Primo autem animadvertendum est, quid sit *esse in tempore:* potest quippe id dici proprie et improprie. Improprie dicitur esse in tempore res quævis existens, dum certum aliquod tempus præterit. Id enim satis non est, ut res vere ac simpliciter sit in tempore; sicut ad hoc ut aliquis proprie dicatur esse in templo vel aliquo in loco, non sufficit, ut existat, quando templum vel locus existit: videlicet mera cōexistentia rei cujusvis et temporis non est ratio sufficiens, ut illa denominetur existens in tempore. Quocirca rem esse in tempore secundum vocis proprietatem importat aliquem modum essendi peculiarem naturæ ipsius temporis, ratione cujus tempori coaptari et mensurari queat: sicut ea etiam propriissime dicuntur esse in loco, quæ cōextenduntur, et commensurantur, et cōercentur illo. Unde illa omnia, quæ tempore mensurantur, eoque,

Quid sibi velit *esse in tempore*, sive proprie sive improprie.

(1) Cfr. Suarez (*Metaph.* disp. 50, sect. 10, num. 10).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prout addit Philosophus, comprehenduntur, et exceduntur, proprie dicuntur esse in tempore; secus vero ea, quæ tempore nequeunt mensurari (1).

Quid mensura et quotuplex.

Porro mensura proprie dicitur de quantitate, ac duplex distingui potest activa et passiva. Activa est ea, quæ apta est ad aliud mensurandum, et in hanc quadrat aristotelica definitio, qua mensura dicitur *id, quo primo quantitas rei cognoscitur* (2): passiva est ea, quæ apta est ab alio mensurari. Mensurare proinde est unam quantitatem ad aliam applicare, ut illius ope hujus magnitudo innotescere queat. Distinguunt etiam aliqui mensuram intrinsecam et extrinsecam. Intrinseca vel etiam formalis est, quæ rei ipsi mensuratæ inest tamquam forma ejus: quo pacto quidam quantitatem fortasse voluerunt esse mensuram intrinsecam substantiæ corporeæ (3); et simili modo tempus dicitur ab aliis mensura esse motus (4). Extrinseca est, quæ est extra mensuratum. Jam quod attinet ad respectum, qui inter mensuram propriam et mensuratum intercedit, notissimum est illud proloquium: *Mensura debet esse homogenea mensurato*. Homogenitas vero ista non postulat necessario, ut mensura et mensuratum sub eodem genere proximo contineantur: immo vero neque esse necesse, ut contineantur sub remoto genere, sed eam dumtaxat requiri convenientiam, quæ sufficiat ad debitam proportionem et comparationem inter mensuram et mensuratum necessariam, scribit Eximius Doctor (5). Cæterum quamvis tempus cujusvis motus adhiberi posset pro activa mensura, tamen de facto fere unicum tempus solaris motus adhibetur saltem tamquam primaria et principalis mensura cæterorum motuum. Hisce præstitutis,

Mensura debet esse homogenea mensurato.

(1) Vide Arist. (*Physicor.*, lib. 4, cap. 12, text. 114); et ibidem interpretes, ac nominatim S. Thomas (ib. lect. 20; et opusc. *de Tempore*, cap. 3).

(2) Aristoteles (*Metaphys.*, lib. 10, cap. 1, text. comm. 2). Vide S. Thomam (ibid. lect. 2 initio), Suarez (*Metaphys.*, disp. 40, sect. 3, num. 3 seqq.).

(3) Vide Suarez (loc. sup. cit. num. 2 et 11).

(4) Vide Toletum, *Physicor.* lib. 4, quæst. 12, *Tertia conclusio*.

(5) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 10, num. 5-7.

330. DICO 1.° **Omnes motus physici et corporales sunt in tempore, ac tempore mensurantur, vel certe mensurari possunt.**

Omnes motus physici sunt in tempore, ac tempore mensurantur.

Resque patet per se. Quia cum tempus sit numerus motus secundum prius et posterius, ea proprie sunt in tempore, quæ prius et posterius habent in suo *esse* atque entitate. Talis autem est omnis motus physicus secundum suam triplicem speciem alibi declaratam.

Tempus primo metitur durationem motuum,

Porro in hisce motibus tempus primo et per se mensurat moram et durationem eorum; quemadmodum ipsa experientia demonstrat, et etiam ratio: Quia mensura debet esse homogenea mensurato; quare metitur ipsum mensurabile, quatenus habet conditionem ejusdem generis. Secundo temtus metitur etiam velocitatem ac tarditatem motus; non tamen per se solum, sed adjuncta quantitati spatii vel subjecti ejusdem: «nam per comparationem ad utramque quantitatem velocitas cognoscitur, eo quod velocior motus sit, qui æquale spatium in minori tempore, aut majus spatium in æquali tempore pertransit. Denique consequenter etiam metitur uniformitatem aut difformitatem motus; nam hæc consurgit ex æquali vel inæquali velocitate partium motus» (1).

deinde etiam velocitatem ac tarditatem,

et uniformitatem aut difformitatem.

Illud tamen nota, tempus, ut nobis quidem videtur, proprie loquendo non esse mensuram motus illius, cujus est duratio, sed alterius distincti: idque sequitur ex identitate reali temporis ac motus superius stabilita. «Quia nulla res est mensura sui ipsius, præsertim loquendo de mensura reali. Item quia mensura sumitur ut medium ad cognoscendum id, quod mensuratur; nos autem non cognoscimus, quantum duret actio, per propriam et intrinsecam durationem ejus, sed comparando illam cum alia distincta duratione, cujus quantitas nobis notior est. Quod si actionem aliquam per suammet durationem cognosceremus ita, ut statim sine alio medio de illa judicare possemus, non uteremur illa tamquam mensura, sed immediate et per seipsam illam cognosceremus».

Tempus non est proprie mensura motus illius, cujus est duratio, sed alterius distincti.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 11, num. 2. Vide ibid. num. 3 et 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Neque obstat instantia, quam aliqui objiciunt de tempore solis, quod est mensura intrinseca ejusdem motus, utpote qui non mensuratur alia extrinseca mensura.

«**Respondetur** enim *negando* assumptum, loquendo proprie et adæquate de mensura intrinseca; sed ad summum possumus per unam partem illius motus repetitam mensurare totum, ut per horam diem, et per diem annum etc. In quo mensurandi modo jam est mensura in re aliquo modo distincta a mensurato. Ipsum tamen totum per seipsum mensurare non possumus, neque designatam partem etiam minimam, per seipsam: sed oportet illam supponere aut per seipsam notam sine mensura, aut alia extrinseca duratione uti ad sumendam certam de illa notitiam...» (1).

Deus non est proprie in tempore.

331. Dico 2.° **Deus nullatenus est proprie in tempore, nec tempore mensuratur.**

Et ratio est, quia Deus nullam patitur mensuram sui *esse*, nec potest contineri ullis limitibus durationis, sed est in sua æternitate actualissima existens absque ulla successione, excedens omne tempus, et exigens præsentem esse omni tempori, sive actuali sive possibili, in plena vitæ sua possessione.

332. Dico 3.° **Æviternæ substantiæ non sunt in tempore, nec proprie tempore mensurantur secundum esse substantiale ac proprietates connaturales; aliquæ tamen earum actiones possunt in tempore esse** (2).

Æviternæ substantiæ non sunt in tempore, nec tempore proprie mensurantur;

Prima pars patet ex dictis superius ac probatis in *Ontologia* circa naturam ævi. Si enim *esse* substantiale incorruptibilium substantiarum est omnis expers succesionis, sed est totum simul; nequit proprie esse, nec contineri, nec mensurari tempore: sicut nec ipsa earum substantia mensuratur ulla extensione, sive locali sive quantitativa (3). Et

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 10, num. 4.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 10, art. 5, ad 1.um; 2.a dist. 2, quæst. 1, art. 1us, in corp. et ad 4.um; *de Potent.*, quæst. 3, art. 13, ad 9.um eorum, quæ in contrarium objiciebantur; *Quodlib.* 10, art. 4.

(3) Cfr. Aristot. *(Physicor.*, lib. 4, cap. 13, text. 117), S. Thom. (ibid. lect. 20, paragr. *e*).

idem dicendum est de accidentibus connaturalibus harum substantiarum, quibus certe sua inest existentia et duratio propria naturaliter incorruptibilis.

Dices. Angelus non potest tantum intuendo seipsum aut alium angelum cognoscere, quantum duravit, nisi durationem suam vel alterius ad nostrum tempus comparet. Ergo tempus nostrum potest esse mensura ipsis angelis ad durationem suam cognoscendam. Et probatur antecedens; quia cum ejusmodi duratio indivisibilis in se sit, non habet ex se, quod si quanta, ac proinde nec cognosci prout talis, nisi per comparationem ad aliquam durationem quantam.

Resp. concedendo durationem indivisibilem non posse cognosci «*ad modum quanti*, nisi cum aliqua habitudine vel connotatione successionis, aut existentis aut possibilis seu imaginariæ. Unde ut angelus cognoscat, quantum ipse duraverit, ex quo creatus est usque modo; necesse est, ut cognoscat quanto tempori successivo coëxtiterit, vel coëxistere potuerit; quia alias non poterit concipere suam durationem ut quantam, quia hæc denominatio non convenit illi ab intrinseco et secundum se... Hinc tamen non fit, ut angelus utatur tempore ut mensura ad eam cognitionem; sed solum sequitur illam cognitionem ex parte objecti esse aliquo modo respectivam, et ideo non posse cognosci unum extremum, nisi ut terminatum et comparatum ad aliud» (1).

possunt tamen mensurari secundum aliquas actiones

Secunda pars asserti declaratur. Nam actus angelorum plures distingui possunt: alii sunt perennes et indefectibiles; sive naturales, ut cognitio sui; sive supernaturales, ut visio beatifica et cæteri eam consequentes. Et hi quoniam indivisibiles sunt et incorruptibiles, indefectibili duratione durant; priores quidem ævo, quia naturales sunt, posteriores vero vel eodem ævo, vel ut aliis magis placere superius significavimus, æternitate participata, quia habent *esse* supernaturale (2): qua de re decernere ad Theologos spectat. Alii vero

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 11, num. 14; ubi vide etiam quæ sequuntur usque ad finem ejusdem sectionis, et ibid. num. 7.

(2) Cfr. superius dicta de hoc, ubi de differentia temporis ab ævo et æternitate. S. Thomas tamen (in 2.° libro Distinct. 2, quæst. 1, art. 1 ad 4.um) docet operationes angelorum, quæ vicissitudine carent, quarum exemplum ponit in visione, qua res vident in Verbo, durare ævo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

actus vel sunt actus intentionales naturalis ordinis, vel locales motus sui ipsarum, vel actiones transeuntes. Et in quibusdam harum actionum dari potest vera successio et ratio motus; in aliis quidem motus physici et corporei, in aliis autem motus spiritualis. Sicut in actionibus transeuntibus, quas angeli exercent circa corpora, datur motus physicus materialis in ipsis corporibus receptus; et in motibus localibus ipsorum angelorum et in mutationibus gradualibus augmenti vel intensionis, quæ reperiri possunt pro ipsorum libertate, in actibus intellectus vel voluntatis angelicæ, ut superius innuebamus, tempus spirituale describentes, considerari potest successio et motus quidam spiritualis. Itaque hujusmodi actus incorruptibilium substantiarum dici queunt esse proprie in tempore, ac tempore, sive corporeo sive spirituali, pro earum conditione mensurari. Denique sunt alii actus simplicissimi et indivisibiles, quales sunt actus liberi et mutabiles intellectus et voluntatis prædictarum substantiarum, quæ non illico transeunt, sicut instantia temporis, sed diu perdurant; et nihilominus quamdiu durant, nullam in seipses successionem partium extensionemve continent. Quia vero non sunt æterni, labuntur tandem, pro arbitrio ipsarum, et alii aliis succedunt. Quare isti actus intrinsece non durant in se ipsis duratione temporanea, sed alia, quæ dicitur *instans angelicum;* eorum autem collectio, quia successionem quamdam discretam importat, durat *tempore discreto* (1).

333. Dico 4.° **Substantiæ corruptibiles communissime dicuntur esse in tempore. Id tamen ita intelligendum videtur, ut non sint, nec tempore mensurentur primo ac per se et secundum esse substantiale; sed solum ratione motuum suorum.**

Substantiæ corruptibiles sunt quidem in tempore;

Prima pars desumitur ex communissimo loquendi modo. Nam *sicut æternitas est propria mensura ipsius esse permanentis, ita tempus est propria mensura motus. Unde secundum quod aliquod esse recedit a permanentia essendi, et subditur*

(1) Vide S. Thom. [2.° disp. 2, quæst. 1 ad 4.um]. Cfr. superius dicta de divisionibus temporis, et in *Ontolog*, num. 368, pag. 1059, 1060. Cfr. etiam Cardin. Aguirre *(Physic.* disp. 30, sect. 3, num. 32].

transmutationi, secundum hoc recedit ab æternitate, et subditur tempori. Esse ergo rerum corruptibilium, quia est transmutabile, non mensuratur æternitate, sed tempore. Tempus enim mensurat non solum, quæ transmutantur in actu, sed etiam quæ sunt transmutabilia: unde non solum mensurat motum, sed etiam quietem, quæ est ejus, quod natum est moveri et non movetur (1). Substantiæ itaque corruptibiles habent quidem *esse* permanens, nec sunt in perpetuo fluxu, sicut motus; sed cum sint intrinsece transmutabiles, obnoxiæ sunt mutationibus, ut constat passim in generationibus et corruptionibus, mixtionibus vel combinationibus ac mixtorum dissolutionibus: in ipsis quoque viventibus adest fere continua amissio et acquisitio substantiæ per nutritionem et augmentationem. Quæ omnia inter certos temporis limites cœrcentur; et sic sollemne est hominibus, corporum in existentia durationem per tempus mensurare.

non tamen per se primo secundum esse substantiale, sed solum ratione suorum motuum.

Secunda pars non ab omnibus admittitur. Plures enim auctores, ut Albertus M., Cajetanus et Soncinas apud Antonium Rubium, et P. Petrus Fonseca (2), tenent *esse* substantiarum corruptibilium «cum continuis mutationibus et motibus subditum sit, tempore mensurari..., non solum ratione motuum, sed etiam per se immediate, et ideo immediate esse in tempore, et non solum ratione motus» (3). Alii vero, quorum doctrinam sequimur, existimant, substantias corruptibiles secundum suum *esse* substantiale non mensurari, nec esse in tempore per se primo, nec immediate ac ratione sui, sed solum ratione motuum et mutationum, quibus obnoxiæ sunt, ac proinde secundario et per accidens. Ita videntur sentire Scotus, Henricus, Hervæus ac Durandus (4), et Suarez (5), Toletus (6) ac Rubius, qui addit (utrum vere, non mihi satis constat) ita sentire *modernos*

(1) S. Thom. (1 p. quæst. 10, art. 4 ad 3.um), Vide Aristot. *(Physicor.* lib. 4, cap. 12, text. 119, 120), et S. Thom. (ibid. lect. 20 fin.).
(2) Fonseca *(Metaphys.*, lib. 5, cap. 13, quæst. 12, sect. 3). Cfr. Joanne a S. Thom. *(Physic.*, quæst. 18, art. 3, *Dico ultimo*).
(3) Rubius, *Physicor.*, lib. 4, tract. *de tempore*, quæst. 5, num. 60.
(4) Apud Fonseccam et Rubium locis citatis.
(5) *Metaphys.*, disp. 50, sect. 11, num. 11. Cfr. sect. 7, num. 3 seqq.
(6) *Physicor.*, lib. 4, quæst. 14, ad 3.um

fere omnes. Utraque sententia S. Thomam et Aristotelem pro se allegant in iis fere locis, quos in primæ partis probatione laudavimus. Ratio itaque assertionis nostræ ex eo desumitur, quod *esse* substantiale corruptibilium substantiarum, quantumvis sit transmutabile, secundum se ipsum permanet, nec durat successiva duratione, quemadmodum jam superius innuimus, magisque in *Ontologia* (1) declaratum reliquimus. Nam ejusmodi substantiæ quamdiu non transmutantur, actu stant in *esse*, idque patet non solum in inanimatis, sed etiam in animatis, quæ nutriuntur, et augescunt; nam illæ quoque simpliciter permanent in suo *esse* substantiali, et partes illæ, quas successive nutritione acquirunt, in facto *esse* permanenter durant, aliæ vero, quas successive amittunt, habuerunt suum *esse* perdurans. Quod nisi concedatur, nec physica nec moralis identitas viventis per totam suam vitam sustineri potest. Si ergo corruptibiles vere permanent aliquandiu absque successione in suo *esse* substantiali, quamdiu ita durant per se ac ratione sui non mensurantur tempore, quia tempus non est mensura homogenea durationis permanentis. Quæ res illustratur exemplo modi essendi substantiarum immaterialium in loco: nam substantiarum corruptibilium *esse*, quamvis intra certum tempus sæpissime cœrceatur, et comprehendatur, est tamen per totam illam durationem modo quodam simili, ac substantiæ immateriales sunt in loco definitive. Angelus v. g. est quidem intra finitum ac limitatum spatium, non tamen ideo commensuratur loco, sicut corpora; quia ita præsens est illi spatio, ut totus sit in toto, ac totus in singulis partibus. Ita etiam *esse* subtantiale corruptibilium substantiarum per totum temporis ambitum, quamdiu durat, ita est, ut idem *esse* permaneat in tota durationis illius extensione ac in singulis ejus partibus. Itaque tempus solum mensurat tamquam mensura propria et homogenea durationem motuum; durationem autem substantialis *esse* corruptibilium substantiarum non potest mensurare nisi per accidens et ratione alterius, nempe ratione motuum ac mutationum, quibus *esse* istud natura sua obnoxium est.

(1) *Ontolog.*, num. 367. pag. 1058.

Sententiam hanc dissertissimis verbis tradidit Aquinas in opusculo *de Tempore* (1), *Mobile considerari potest dupliciter: vel quantum ad suam substantiam, vel quantum ad suum* **esse**. *Si consideratur quantum ad suam substantiam, sic* **non mensuratur tempore**, *eo quod substantia mobilis in quolibet* **Nunc** *temporis est*, **nec habet successionem nec prius nec posterius**. *Si autem consideretur quantum ad suum* **esse**, *hoc potest esse dupliciter. Quia* **aut considerari potest quantum ad suum esse substantiale, aut quantum ad suum moveri. Si** *consideratur primo modo*, **sic non mensuratur tempore; secundo autem modo mensuratur tempore**, *moveri enim mobilis non est totum simul, sed successivum*.

Qualis generis sit duratio corruptibilium substantiarum.

Cæterum non omnes assertores hujus doctrinæ conveniunt in assignando genere durationis substantiis corruptibilibus: quæ controversia potius esse videtur de solo nomine. «Scotus existimat (*esse* substantiale corruptibilium) mensurari ævo, quia *esse*, inquit, *cujuscumque substantiæ est permanens:* Existimat enim omnem existentiam creaturæ, quæ non est successiva, sed permanens, mensurari ævo, sive ex se sit defectibilis, sive solum per potentiam in alio. Henricus Gandavensis, quia *esse* substantiæ corruptibilis ita est permanens, ut tandem deficiat, credit durationem illius, qua deficit a ratione veri ævi, vocandam esse modum ævi. Herveus et Durandus propter rationem Henrici, potius volunt illud mensurari instanti permanente, seu temporis discreti, ut operationes angelicæ immanentes» (2). Alii vero dicunt durationem istam vocari posse tempus intrinsecum, distinctum tamen a veri nominis tempore seu successiva duratione hactenus declarata. Verum quæstio ista de nomine, quo duratio ista permanens simul et intrinsece defectibilis rerum corruptibilium vocanda sit, parum refert, dummodo ea reapse distinguatur et ab æternitate et ab ævo, et a proprie dicto tempore.

(1) Cap. 3, versus finem.

(2) Fonseca (*Metaphys.* lib. 5, cap. 13, quæst. 12, sect. 3.) Cfr. Rubius (loc. cit. num. 63), Suarez (loc. sit. sect. 7, num. 5), et *Ontologia*, num. 367, pag. 1058.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISPUTATIO QUARTA.

DE QUALITATIBUS ET ACTIVITATE CORPORUM.

Duas controversias ideo sub una disputatione concludimus, tum quia et qualitates et vires corporeæ ab eadem forma substantiali promanant tamquam ornamenta et virtutes consentaneæ corporum specificæ varietati, quæ tota debetur substantiali formæ; tum etiam quia est maxima connexio inter qualitates activitatesque corporum. Quamquam enim non omnes qualitates sint activæ, at omnes virtutes et operativæ potentiæ sunt qualitates quædam, ut satis constat ex natura qualitatis in *Ontologia* enucleata; ac proinde nec qualitas sine activitate, nec activitas sine qualitate plene tractari potest. Prius autem ipsa existentia et realitas corporearum qualitatum in tuto collocanda est.

CAPUT I.

REALITAS CORPOREARUM QUALITATUM ET ACTIVITATUM VINDICATA.

Qualitas generatim difinita est in *Ontologia* (1): *accidens substantiam determinans tamquam accidentalis differentia et complementum essentialis perfectionis ejusdem, sive in ordine ad existentiam, sive in ordine ad operationem.* Quare qualitas spectari potest primo relate ad substantiam, quam accidentaliter perficit, et relate ad operationes, quarum sunt principium proximum qualitates activæ. Itaque plene demonstrari nequit realitas qualitatum corporearum, nisi ostendatur admittendas esse qualitates tum a substantia, tum ab operationibus et motibus distinctas: alterutro enim vel utroque modo reperio qualitates, sin minus nomine, re certe negatas et impugnatas.

(1) *Ontolog.* num. 326, pag. 917.

ARTICULUS 1.

Utrum qualitates et potentiæ corporeæ distinguantur ab actiobus et motibus.

334. Et primo quidem posterior controversia aggredienda est, videndumque, utrum admittendæ sint in corporibus qualitates ac vires vel potentiæ, vel utrum quæ vulgo dicuntur passim qualitates aut vires aut virtutes activæ, sint aliquid distinctum ab omni operatione ac motu corporeo. Et controversia agitatur cum multis recentioribus Physicis, qui qualitates corporeas in ipsis motibus corporeis sitas esse decernunt (1). Ubi in una assertione duo recentiorum

Sententia Physicorum.

(1) «Point de repos dans l'univers, inquit Augustus Laugel: formes et nombres se modifient sans cesse. *Ce que nous appelons qualité n'est autre chose que du mouvement: le calorique, la lumière, le son, l'électricité, le magnétisme, sont des vibrations;* nous ne pouvons imaginer une substance où tout mouvement aurait disparu; elle ne toucherait plus nos sens, n'ayant ni couleur, ni chaleur, ni propriétés d'aucune espèce. La substance ne nous est révélée que par ses manifestations, et ces manifestations ne peuvent être que des mouvements...» A. Laugel, *Les Problèmes de la Nature*, VI. *La Dynamique*, pag. 86. Paris, 1873.

Similia leges apud H. Beaunis: «A tout phénomène l'esprit humain attribue une cause, et cette croyance basée sur une multitude d'observations est fortement implantée dans l'intelligence. Tout mouvement constaté nous fait admettre quelque chose d'antérieur au mouvement et qui l'a produit. Ce quelque chose, ce moteur, quel est-il? En réalité, et *en allant au fond des choses, on trouve toujours un mouvement comme cause d'un mouvement.* «Il est absurde, dit le P. Secchi, d'admettre que le mouvement dans la matière brute puisse avoir d'autre origine que le mouvement lui-même». *(Nouveaux éléments de Physiologie Humaine, Prolégomènes de la Force et du Mouvement* pag. 5. Paris, 1876).

Neque aliter P. Angelus Secchi: Le forze, azioni e proprietà corporee sono si stimano più come *qualità occulte infuse alla materia*... L'indole loro, per gran tempo misteriosa e mal conosciuta, sembra ora svelarcisi sotto una forma novella e più semplice, *cioè quella del movimento, sia della semplice materia commune, sia d'una sostanza imponderabile, impalpabile, incoercibile, diffusa per tutto, distinta col nome di etere*, che pervade l'universo, ed entrando come principio operatore nelle azioni de corpi in modo puramente meccanico, sembra essere cagione di fenomeni senza numero». Secchi, *L'Unità delle forze fisiche*, vol. 1. pag. VI et 36.

istorum scriptorum dogmata latent: primum est, omnem actionem corporum in solo motu locali varie transformato sitam esse, qua de re mox disputabitur; alterum, de quo nunc agimus, est nullam qualitatem, vel potentiam vel virtutem admittendam esse in corporibus reipsa distinctam a motu. Sententiam istam tenent in primis illi positivismi et materialismi assertores, quibus nihil est in corporea natura præter phænomena et mera facta. Unde inferunt vires ac potentias, quas corporibus tamquam causas suorum motuum assertimus, esse meras fictiones vel suppositiones mentis nostræ, quæ ex eo quod sentimus in nobis, testante conscientia, vires quasdam activas, illico easdem in corporibus quoque inesse concludit (1). Quapropter sollemne est istis auctoribus irridere qualitates, quas vocant *occultas*, Scholasticorum;

(1) «Cette idée de force n' est, en réalité, qu' une forme d'anthropomorphisme. Nous ne faisons plus du vent un Borée, de la mer Neptune, du soleil Apollon, mais, sans nous en douter peut-être, nous faisons, en adoptant des forces physiques, un raisonnement du même ordre quoique moins grossier et moins enfantin. Nous soulevons une pierre; nous faisons pour cela un certain mouvement; ce mouvement s' accompagne d' une sensation d' effort plus ou moins considérable suivant le poids de la pierre; en outre, ce mouvement est précédé d'un acte intellectuel, il est volontaire; il y a là un fait de conscience au delà duquel d'autres états de conscience, impressions, sensations, jouent bien le rôle de prédécesseurs, voire même de causes déterminantes; mais l' acte volontaire du mouvement reste pour nous la chose essentielle, car il s' accompagne d'un certain effort. Nous nous sentons la cause du mouvement, la *force* qui le produit. *De là à l' idée de forces situées au dehors de nous et produisant tous les phénomènes qui nous entourent, il n' y avait qu' un pas et ce pas fut vite franchi.....*» «En résumé, on voit que l' idée de force a sa source en nous-mêmes et que *c'est par un vice de raisonnement et de langage que de la force que nous sentons en nous et sur laquelle nous reviendrons plus tard, nous concluons à des forces naturelles existant dans les corps bruts. Les forces physico-chimiques ne sont pas autre chose que des modes de mouvement; la corrélation des forces physiques ne consiste pas en autre chose qu' en des transformations de mouvement.*»

Ex quibus omnibus aliisque prius præmissis ita concludit scriptor materialista: «*Donc les trois choses que l' esprit humain trouve dans les phénomènes de la nature brute, mouvement, mobile et moteur, se réduisent* **a une chose unique: le mouvement**». Hactenus H. Beaunis, op. et loc. cit. pag. 6 et 7.

nam nihil aliud præter motus et externas manifestationes nobis innotescere, proinde tamquam reale agnoscendum esse, affirmant. Enimvero cum ad explicandum phenomenum v. g. caloris statuitur in corporibus virtus vel qualitas quædam, quæ sit principium calefaciendi, quænam tandem, inquiunt, rei declaratio traditur, quidve aliud fit, nisi idem per idem mutatis paululum verbis explicare? (1). Nec solum

(1) «La croyance à l'existence d'entités appelées qualités me semble n' avoir d'autre fondement qu'une tendance particulière de l'esprit très féconde en illusions, je veux dire la disposition à supposer que deux noms qui ne sont pas absolument synonymes doivent être les noms de choses différentes; tandis qu'en réalité ils peuvent être les noms d'une seule chose considérée sous deux points de vue différents, ou dans ses relations différentes avec les circonstances environnantes. De ce que les mots *qualité* et *sensation* ne peuvent pas être pris indifféremment l' un pour l'autre, on suppose qu'ils ne peuvent pas signifier la même chose, à savoir, l'impression produite sur nos sens par la présence de l' objet, quoi-qu'il n'y ait aucune absurdité à admettre que cette impression identique peut s'appeler *sensation*, prise absolument en elle-même, ou *qualité* lorsqu' on la considère comme se rapportant à quelqu' un des nombreux objets dont la présence excite en nous des sentiments ou des sensations. Et si cela peut être admis comme hypothèse, ceux qui tiennent pour une entité *per se* appelée qualité, sont obligés de prouver que leur opinion est mieux fondée, ou qu'elle est autre chose qu'un vieux reliquat de la doctrine scolastique des causes occultes, de cette même absurdité que Molière ridiculisait si heureusement, lorsqu' il fait dire à un médecin pédantesque, quel' opium fait dormir, *parce qu'il a une vertu dormitive*.

Il est clair qu'en disant que l'opium a *une vertu dormitive*, ce médecin n' expliquait nullement pourquoi il endort, et ne faisait que répéter sa première affirmation, qu'il *endort*. Pareillement, quand nous disons que la neige est blanche parce qu'elle a la qualité *Blancheur*, nous ne faisons que ré-énoncer en termes plus techniques qu'elle excite en nous la sensation de blanc. Si l' on dit que la sensation doit avoir une cause, je réponds que la *cause est la présence de l' assemblage de phénomenenes qu'on appelle l'objet. Quand on a dit que toutes les fois que l' objet est présent et que nos organes sont dans leur état normal la sensation a lieu, on a dit tout ce qu'on sait du fait. Il n' est pas besoin, après avoir assigné une cause certaine et intelligible, de supposer encore une cause occulte chargée de rendre la cause réelle capable de produire son effet*. Stuart Mill (*Systeme de Logique*, t. 1.er chap. 3, num. 9, pag. 70, 71. Paris 1880). Cfr. Naville (*La Physique Moderne*, 1.re étude, paragr. 13, pag. 7. Paris 1890).

positivistæ, sed illi quoque atomistæ mechanici, qui cum nihil aliud in natura corporea velint agnoscere præter materiam, omni activitate sibi inhærente destitutam, et motum extrinsecus impressum, ac mere passive et absque ulla interna subjecti exigentia receptum, negant in corporibus existentiam ullius qualitatis vel potentiæ vel activitatis, quæ sit ab ipsis motibus distincta (1). Denique idem videntur sentire plures saltem eorum, qui post Cartesium (2) perpetuam motus a Deo materiæ initio impressi conservationem propugnaverunt. Hi nimirum arbitrantur motum semel productum non posse extingui, sed tantummodo in alias formas motus transformari, atque ab alio in aliud mobile transire. Quod si passim motus quosdam corporum sistere videamus, ut cum, occurrente obice, corpus, quod velocissime movebatur, subito consistit et quiescit, non est existimandum,

(1) Audi v. g. Purgotti: «E' a sperarsi, che giunga il giorno in cui il gruppo di tante forze che sin qui ha regnato in fisica—e i raggi calorifici oscuri—e i settemplici luminosi—e i chimici del sole—e i fluidi elettrici positivo e negativo—e i magnetici boreale ed australe—e la coesione—e l'affinità—e la gravitazione—e le forze epipoliche—e le catalitiche—e i poteri rotatatorii e dissimetrici—e le endosmosi—e le esosmosi—ecc. ecc. vada a dileguarsi in faccia a due soli fondamentali concetti; e gli additò Galileo, e gli addottò Cartesio, e gli ha recentemente ripetuti Seguin: la *Materia* ed il *Moto*». Purgotti, *Le Forze*, pag. 63. Perugia 1867, apud el. Liverani. *(Sui Principi supremi* etc. cap. 29, num. 179).

Et alibi idem scriptor hæc habet: «Circola frazionato e diffuso il *primo impulso nell' universo*, e la somma delle energie circolanti e per le molecole e per gli atomi e per le monadi è sempre equivalente in ciascuna delle successive unità di tempo all' indistruttibile energia primitiva. In questa teoria *niuna forza è inerente ed essenziale alla materia*. Essa è *un semplice substratum privo di ogni particolare attributo*, e della quale l' unico modo di essere, a noi noto, è *l' essere atto a ricevere e trasmettere il movimento*. Tutti i fenomeni perciò che essa materia ci offre derivano *da trasmissioni di moto fatte giusta le leggi della meccanica*, in adesioni alle idee di Huygens il quale diceva che, *se vi è speranza d'intendere qualche cosa nè fenomeni fisici sta nel concetto che tutte le cause loro consistano in azioni meccaniche*». Purgotti, *Memoria sulla Combustione*, pag. 48. Milano 1875. Cfr. superius dicta in descriptione atomismi.

(2) Descartes, *Princip. Philos.*, part. II, paragr. 36 et 42; part. III, paragr. 46.

inquiunt, motum illum penitus periisse, sed tantum aliam assumpsisse formam (1). Distinguendi namque probe sunt motus translatorii, vibratorii rotatorii vorticosi, etc.: ii nimirum, quibus corpus secundum integrum suum volumen ab uno loco in alium fertur, et ii, quibus particulæ corporis in orbem aguntur, aut ultro citroque vibrant, atque diversimode agitantur. Itaque cum corpus sistere nobis videtur, motus ejus revera non evanuit, sed oculis solum nostris sese eripuit, quia nimirum motus translatorius totius corporis conversus ac transformatus est in intestinos illos particularum motus vibratorios aut rotatorios aliosve similes, in seipsos invisibiles, qui sub forma et specie caloris, pressionis, vel aliorum phænomenorum manifestantur (2): sicut e converso motus iidem intestini particularum in translatorium convertuntur, ut manifeste cernitur, inquiunt, in aqueo vapore, qui ingentes promovet machinarum moles, et naves immanibus onustas ponderibus curruumque numerosum agmen per ferream viam incredibili trahit celeritate. Quare concludunt tantumdem nunc existere in natura motum, quantum extitit ab initio, licet aliter et aliter distributum ac transformatum. Jam si causam primigenii motus quæras ab his scriptoribus, catholici quidem ad Deum rectissime confugiunt; alii vero, exclusa penitus causa prima ab ipsa materia distincta, alias magis minusve absurdas reddunt responsiones. Plane autem vides in hac doctrina, secundum quam nullus de novo re vera gignitur motus, sed tantum varie transformatur, et ab uno in aliud corpus tranfunditur, et communicatur, nullam prorsus requiri vim potentiamve materiæ insitam, quæ causa motuum existat. Recentiores Physici doctrinam istam paululum mutasse aut temperasse

(1) «Un moto esistente in un corpo, inquit Cantoni, non può annullarsi, ma si conserva communicandosi ad altri corpi o convertendosi in altra forma di moti fisici». Cantoni *(Elementi di Fisica*, pag. 27. Milano, 1872). Cfr. P. Angelus Secchi *(Unità delle Forze fisiche*, tom. 1, *Introduzione*, pag. 28 seqq.; lib. 1, cap. 14 pag. 235; et cap. 9, pag. 130, 137; vol. 2, lib. 4, cap. ult. pag. 372. Milano, 1874) etc. etc.

(2) Vide Grove *(Correlation des forces physiques*, pag. 250 et 261, Paris. 1868); P. Angel. Secchi (op. cit. lib. 1, cap. 9, pag. 139, 140.)

videntur. Fatentur enim *formalem* quidem et *actualem* motum non eumdem semper conservari in mundo, sed extingui posse; contendunt tamen actualem motum, quotiesqumque desinit *esse*, aut certe *videri*, in *virtualem* converti; ex quo sub certis adjunctis tantumdem actualis vel formalis motus denuo possit produci, quantum actu desivit: unde inferunt summam motus, non præcise actualis, sed sive actualis sive virtualis, eamdem perenniter esse in rerum natura, Ideoque in locum principii *conservationis motus*, sufficiunt principium *conservationis energiæ*, dicentes energiam quidem *actualem* vel *sensibilem* vel *cinetiam* posse variare, itemque *potentialem* vel *latentem;* et quo major est prima, eo minorem esse secundam, ac vicissim, summam tamen utriusque energiæ perpetuo eamdem conservari. Energiam porro actualem dicunt energiam actuatam vel in actum reductam in *viribus*, quas dicunt *vivas* (1); energiam vero potentialem vocant activitatem, vel efficacitatem, aut virtutem capacem producendi quemlibet actualem aut formalem (2). Doctrina sic exposita certe admittere potest, ac saltem verbis admittit, etiam virtutem et potentiam ab actuali et formali motu distinctam. Si autem virtualis ista energia tandem in seipsa nihil est aliud præter motus particularum invisibiles, qui in motus visibiles materiæ translatorios converti possit, ut multi saltem videntur existimare, nihil re vera admittitur, quod rationem habeat potentiæ activæ vel virtutis et qualitatis, corpori instar actus primis perenniter inhærentis, illique efficacitatem tribuentis ad motus et actiones sibi convenientes. Contra hos omnes virium potentiarumque naturalium osores statuenda est sequens

(1) Quid veniat *vis viva*, nomine dices ex Physicis et Mechanicis: «Le produit mv^2 de la masse d'un point materiel par le carré de sa vitesse, se nome *la force vive* de ce point» Delaunay (*Traité de mécanique rationelle*). Alii vero malunt dimidium hujus producti, nempe $^1/_2\, mv^2$, *vim vivam* appellare.

(2) Vide Ernestum Naville (*La Physique moderne*, loc. cit. pag. 15 seqq.), P. Charbonelle (*Les Confins de la Science*, III, pag. 75 seqq.), Stallo (*La matière et la Physique moderne*, chap. 6), Secchi (oper. cit. lib. 1, cap. 9, pag. 139, 140 etc.), Grove (op. et loc. cit.), Balfour Stewart (*La Conservation de l' energie*, chap. 2, num. 34-39; chap. 3, num. 64 seqq., num. 107, num. 116, 117 etc.).

335. Propositio. **Necesse est agnoscere in corporibus potentiam ac virtutem activam intrinsece iisdem inhærentem, et ab omni motu et actione distinctam, quæ sit principium operationum.**

Admittendi est potentia et virtus activa corporibus inhærens atque ab omni motu et actione distincta.

Prob. 1.° Ex communi sensu non solum vulga, sed etiam omnium sapientium veterum et etiam recentiorum plurimorum, iis exceptis, qui positivismi dogmatis plus minus imbuti, aut atomismo mechanico adhærentes, absque ullo solido fundamento communem doctrinam deseruerunt. Omnes profecto uno ore dicunt v. g. ignem habere vim vel proprietatem comburendi, et magnetem virtutem attrahendi ferrum, hoc vel illud pharmacum tales producere effectus, hæc vel illa elementa his vel aliis prædita esse affinitatibus, etc. Atqui hæ aliæque similes loquendi formulæ, tum in suo sensu philosophico et objectivo, tum in subjectivo loquentium, aperte produnt virtutem vel activam potentiam corporibus permanenter inhærentem distinctamque ab omni actione motuque, tamquam principium et causam a suo principiato et effectu. Ergo...

Prob. 2.° Aut admittendus est occasionalismus, aut necesse est corporibus asserere virtutem vel potentiam activam, ab ipsis motibus et actionibus distinctam. Atqui occasionalismus admitti nequit. Ergo necesse est admittere in corporibus activas ejusmodi virtutes. Sane motus, qui effici videntur nobis a corporibus, vel reapse efficiuntur ab iisdem, vel non. Si non efficiuntur, jam habemus occasionalismum. Si efficiuntur, ipsa vere sunt causæ talium motuum et actionum. Atqui nulla causa potest motum actionemve producere absque potentia vel virtute productiva sibi inhærente (1). Ergo nequit vitari occasionalismus, quin asseratur corporibus activa potentia suorum effectuum productrix.

Dices forte, motum unum corpori cuivis, extrinsecus impressum, esse causam et principium, ut istud corpus alios motus in aliis corporibus efficiat.—**Verum respondeo**, et confirmo simul argumentum factum: 2) quia motus ipse formaliter consideratus non est nisi transitus de uno loco

(1) Vide *Ontolog.* num. 389, pag. 1112.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in alium, nec habet alium terminum præter modum novæ ubicationis. Ergo unus motus ratione sui non potest alium motum producere. β) Motus extrinsecus acceptus nequit in corpore ipso durare, nedum alios motus novos producere, quin in ipso corpore, in quo est, causam habeat suæ perennis durationis, nempe impetum vel nisum, quemadmodum superius ostendimus; agentes de proximo principio localis motus. Ergo nisi velimus occasionalismum amplecti, necesse erit activas potentias in corporibus agnoscere. γ) Remota intrinseca virtute motuum actionumve producendarum, non potest aliter explicari activitas corporea nisi dicendo, causam primam, Deum, ab initio certam motus vim vel quantitatem materiæ indidisse, qui deinde motus integre conservetur in se, solumque ab aliis in alia corpora transfundatur et communicetur, transformeturque in mutuis eorum collisionibus et conflictibus. Atqui hoc solum non sufficit ad vitandum occasionalismum, veramque corporibus efficacitatem asserendam. Nam in ista hypotesi solus Deus est causa totius motus, qui nunc existit in mundo, siquidem primigenius ille motus idem omnino dicitur, semper conservari, mutato dumtaxat subjecto et variata etiam forma sive translationis, sive vibrationis sive rotationis. Si autem Deus solus est causa totius motus materiæ impressi et perpetuo conservandi, quænam quæso activitas reliqua manet et corporibus? An sola communicatio ac transfusio motus est veri nominis efficacitas? Tunc etiam alveus fluminis, per quem aquæ decurrunt, vera causa activa hujus decursus existet. An vero putas occasionalistas negaturos esse hujusmodi causalitatem, quæ potius est materialis, quam efficiens?

Dices iterum, corpora non communicare motum nisi in conflictu et collisione, ratione videlicet impenetrabilitatis, ex quo etiam efficitur, ut unus motus in alium transformetur. Ergo in motus communicatione, prout ab atomistis aliisque virium corporearum osoribus statuitur, non negatur veri nominis activitas corporibus, satisque vitatur occasionalismus.—**Respondeo** in primis, motum solum in aliquo existentem non posse esse causam transformationis in alium distinctum motum. Ergo ut corpora se collidentia sint vere causæ communicationis ac transformationis motus, oportet,

ut vere aliquid efficiant; nequeunt autem efficere sine aliqua vi aut virtute activa. Quod si reposueris, corpora inter se conflictantia motus suos communicare, ac transformare ratione impenetrabilitatis; quæram, num impenetrabilitas formaliter sit vis quædam resistendi. Si sit, jam ponis vim corpori inhærentem et ab actuali motu distinctam. Si non sit, explicare numquam satis probabiliter poteris, quomodo corpora sine ulla activitate vere active se habeant in communicandis transformandisque suis motibus. Explicabis autem egregie, si corpora impetu vel vi motrice sibi inhærente prædita posueris; tunc enim ea eodem fere modo se habent, quantum attinet productionem novi alicujus motus, ac manus hominis, quæ cum insita vi et activitate, quam conscientia nobis manifeste testatur, gaudeat, occurrentia corpora propellit, varios in illis gignendo motus.

Prob. 3.° propositio. Negari nequit, nec negant adversarii, esse in homine vires, quæ sint principium notuum, ab omni motu et actione distinctas (1); et si negarent, illico testimonio conscientiæ revincerentur. Ergo in aliis quoque corporibus vires ejusmodi agnoscendæ sunt. **Et prob.** consequens argumento analogiæ. Ubi enim simile phænemenum in similibus adjunctis cernitur, simile judicium ferendum est. Atqui nos non possumus alia corpora manu movere, nisi nitendo viresque exerendo: quod enim non sufficiat movere manum ad propellendum aliud corpus, facile patet experientia. Sane sæpe moves manum versus aliquod corpus gravius, illudque resistit, donec validius nitaris, majorique vi adhibita pondus illius superes, ac porro cieas. Ergo cum corpora etiam inanimata videmus in aliis motum gignere, fatendum est simili vi motrice donari, unde tamquam ex proximo principio tales motus procedant.

Prob. 4.° Idem probatur ex phænomenis elasticitatis (2) et gravitatis: nam corpora elastica cum terquentur, vel a naturali suo statu distrahuntur, etiamsi nullius motus signum edant, vim tamen magnam faciunt ad recuperandum

(1) Vide v. g. Beaunis, super cit.

(2) Elaterium vel elasticitas est proprietas illa, per quam corpora violenter compressa, inflexa, tensa vel detorta, cessante violentia, se in pristinum statum restituunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consentaneum sibi modum essendi. Corpora demum gravia, si teneantur, ne ruant in terram, urgent pondere suo. Quæ omnia et alia id genus, quæ adduci possent, satis probabiliter ostendunt, in corporibus etiam inanimatis agnoscendam esse vim inhærentem, qua impellantur ad motum.

Dicent adversarii, phænomena elasticitatis absque ulla interna vi explicari posse dicendo, cum corpora *compressionem*, vel *tractionem*, *torsionem flexionemve* subeunt, convenientem distantiam atomorum ad mutuas attractiones repulsionesque harmonice peragendas variari, atque ita, crescente distantia, crescere attractionem atomorum, imminuta vero distantia, crescere repulsionem: unde consequens fore, ut cessante causa, quæ distantiam atomorum variaverat, redeatur ad pristinum statum æquilibrii, in quo attractiones et repulsiones æqualiter attemperentur.

Verum hujusmodi attractiones et repulsiones exercenturne ope virium aliquarum perennium atomis inhærentium, vel consistunt tandem in meris motibus passive atque indifferenter receptis. Si primum dicatur, jam agnoscuntur vires a motibus localibus distinctæ. Sin alterum, non satis intelligitur, cur perturbatum illud æquilibrium motuum, in quibus attractiones hujusmodi et repulsiones reponuntur, denuo restitui debeat. Et cur non restituitur idem æquilibrium in corporibus rigidis seu non elasticis? Vel cur non corpora elastica novum statum æquilibrii in motibus suarum particularum post compressionem aut flexionem nanciscuntur, sicut corpora non elastica? Præterea corpora elastica, secus atque non elastica, si contra superficiem alterius corporis impegerint, resiliunt reflexumque motum resumunt. Motus autem hujusmodi reflexus inchoari non potuit, nisi cessante penitus motu directo, secus enim motus contrarii forent simul in eodem subjecto. Atqui nequit intelligi, quomodo cessante uno motu, alter, isque contrarius, generetur in elasticis, nullus vero in non elasticis, cum tamen externæ causæ et adjuncta paria sint in utrisque, nisi agnoscatur qualitas et vis aliqua elaterii (1). Denique motus hujusmodi elasticus ad

(1) Cfr. cl. Rubini *(Lezioni elementari di Fisica*, lez. 2, n. 14). De vi elasticitatis videri possunt ex antiquis P. De Benedictis *(Philos. peripat.* t. 3, lib. 6, quæst. 3, cap. 6 seqq.), Lossada (*Curs. Philos.* tom. 3, tract. *de Gener. et corrupt.* disp. 1, cap. 1, n. 86), Mayr. (op. cit., pars 3.a disp. 3, quæst. 4, art. 1, n. 372 seqq.).

acquirendum pristinum statum videtur certis corporibus naturalis, cum semper et ubique ac necessario reperiatur in illis. Ergo ab intrinseco proveniat necesse est, atque adeo virtutem quamdam et qualitatem ut proximum sui principium vindicat (1).

Prob. 5.° Adde, si placet, alia, ex quibus superius probavimus motum projectorum ex impetu sibi a motore impresso proxime causari. Quod porro de motibus localibus dicitur, idipsum de qualibet operatione dicendum est. Nulla enim efficiens causalitas exerceri valet absque consentanea virtute, qua præditum sit agens.

Quædam difficultates solutæ.

336. **Dices 1.°** Una ex proprietatibus, quæ communi Physicorum judicio assignatur materiæ, est inertia. Atqui inertia pugnat cum activitate. Ergo nulla est corporibus asserenda virtus vel activitas ipsis inhærens.

Resp. *dist.* Major. Ex Physicorum communi doctrina inest corporibus proprietas inertiæ, hoc sensu intellectæ, ut corpora ex sua propria et generali conditione nequeant se ad motum incitare, vel ubi semel ad motum extrinsecus propulsa sunt, nulla externa causa retardante, conquiescere, *conc.*; hoc sensu intellectæ, ut corporibus nulla insit activitas a puro motu locali distincta, *neg.* Id enim non communiter asseritur a Physicis; et etiamsi assereretur, negandum foret, quia falsum esse ostenditur.

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Itaque ex lege ac proprietate inertiæ non sequitur, nullas esse posse in corporibus proprietates, qualitatesve ac virtutes pro natura cujusque specifice diversas; sed solum, nullam esse vim perenniter instar proprietatis inhærentem, qua seipsa ad motum impellant, vel a motu cessent: virtus enim ejusmodi propria est dumtaxat viventium. Quamvis autem inertia sint corpora ex communi sua ratione, possunt extrinsecus accipere impulsum et vim sibi inhærentem, tamquam accidens commune sibique indebitum, quo moveantur, et alia quoque vicissim moveant, donec vis illa pereat ex causa aliqua vel obstaculo

(1) Cfr. Mayr, loc. cit. n. 374.

UNIVERSIDAD ANTONIO DE NEBRIJA
DIGITALIZACIÓN DE FONDOS BIBLIOGRÁFICOS

externo, sicut pereunt alia quoque accidentia corporea, quæ non sint proprietates ex illorum essentia pullulantes.

Dices 2.° Notum omnibus compertumque est, energiam et efficacitatem corporis in motu constituti proportionalem esse, ac dependere ab illius velocitate. Atqui velocitas non est nisi modus quidam motus. Ergo videtur motus posse esse activus, ac proinde necesse non esse activitates a motu distinctas agnoscere.—**Resp.** *neg.* conseq. Ratio enim vera et prima, cur efficacitas et energia corporis in motu constituti major sit vel minor pro gradu velocitatis, est impetus corpori a projiciente impressus, unde procedit et gradus velocitatis et gradus energiæ atque efficacitatis in corpore moto.

Dices. 3.° Ex nostra doctrina videtur respuenda esse perpetua motus et energiæ conservatio, quæ tamen est lex pluribus rationibus et experimentis comprobata.

Rejicitur dogma perpetuæ conservationis motus in natura.

Respondeo, ex nostra doctrina nullatenus sequi respuendam esse conservationem energiæ recte intellectam. Dogma certe conservationis motus, secundum quod motus nequeat ullo modo extingui, nec de novo gigni, sed eadem vis motus ab initio a Deo producti et materiæ communicati, constanter perseveret in seipso, mutando dumtaxat subjectum et formam, prout superius exposuimus; dogma, inquam, istud rejiciendum est, tum quia eripit veram causalitatem creatis entibus; tum quia falsissime supponit eumdem physice motum, qui est accidens, idque modale (1), ab uno in aliud subjectum transire, quod absurdum esse constat ex *Ontologia* (2); tum quia extensionem corpoream ponit discretam disgregatamque secundum minimas particulas ad hoc, ut motus intestini et invisibiles libere exerceri queant; tum quia nullo idoneo argumento nititur prædicta sententia, quæ non aliunde probat motus translatorios ac sensibiles in motus particularum insensibiles, ac vicissim, converti ac transformari, nisi quia tamquam rem certam assumit calorem, electricitatem, lucem, sonum et reliquas vires corporeas ac phænomena, quæ extincto motu translatorio cernuntur in materia, in prædictis motibus molecularibus consistere,

(1) Vide supra num. 284, pag. 1017.

(2) Vide num. 315, in *respons.* ad Object. 5.um

cum tamen id sit pura hypothesis. Mitto argumenta mechanica et physica, quibus clarissimus vir Rev. Jos. Rubbini perpetuam istam motus conservationem validissime impugnavit (1). Quare nihil mirum, si recentiores Physici, ut jam superius monuimus, non eumdem constanter motum in natura perstare et conservari doceant sed eamdem dumtaxat energiam, præscindendo ab actuali vel potentiali, ita ut summa utriusque energiæ sit semper eadem.

Quid dicendum de perpetua energiæ conservatione.

Jam quod ad principium conservationis energiæ spectat; equidem existimo si nomine potentialis energiæ intelligantur motus insensibiles molecularum, qui deinde, accedentibus aptis adjunctis, in translatorios converti queant, doctrinam istam omnino in præcedentem relabi, ac proinde iisdem argumentis respuendam penitus esse. Si autem nomine potentialis energiæ veniat vera virtus et activitas corporibus inhærens, et ab omni actione motuque formali distincta, tamquam verum principium illius; non is ego sum, qui conservationem energiæ penitus inficier, eam tamen intra certos limites coercendam esse crediderim (2). Quare

DICO 1.° **Energia potentialis vel activitas effectrix** IN NATURA INANIMATA VEL INORGANICA **videtur eadem semper reapse conservari, quamvis non semper eosdem producat effectus, neque in eodem gradu ac mensura exeratur, et extrinsecus patefiat.**

Secunda pars asserti manifesta est experientia: et ratione probatur, quia corporea activitas ad actus suos exercendos

(1) Vide Rubbini opusc. *Calore e Movimento*, paragr. III, seqq, et XI, XII). Cfr. Liverani *(Sui Principi supremi delle Scienze naturali*, cap. 27, 28).

(2) Principium istud conservationis energiæ non pendere a falsis quibusdam Physicorum opinionibus fatetur M. H. Poincaré: «Historiquement on a été amené à ce principe *par des idées preconçues, mais peut le considérer vrai, indépendamment des hypothèses anciennes*, à cause des vérifications expérimentales ultérieures; *il resterait vrai, si l' on cessait d' admettre, même comme probable, que la chaleur provient d' un mouvement moléculaire, et même si l'on n' admettait plus que les corps sont formés de molécules*». P. De Joannis, *Etudes religieuses, philosophiques, historiques et littraires ....* par des Pères de la Compagnie, Juin, 1890, pag. 238.

certas requirit conditiones et adjuncta; hæc autem non eadem semper esse possunt in perpetua vicissitudine temporum, et generationum corruptionumque perenni circulo, qualis in hoc mundo cernitur. **Primam vero** partem ex eo mihi persuadeo, quod ex omnibus corporibus, quæ Deus initio creavit, nullum est in rerum natura, quod penitus in nihilum redigatur, sed aut conservatur absque ulla cum aliis combinatione vel substantiali compositione in suo statu simplicis vel elementaris corporis; aut conservatur substantialiter mutatum, puta in statu combinationis, aut etiam, si vis, in statu aliquo allotropico. Atqui corpora, quæ conserventur omnis compositionis substantialis expertia, eamdem necessario servant activitatem et energiam, quamdiu *esse* suum substantiale non amittant. Corpora vero mixta seu substantialiter composita retinent virtualiter sua componentia ita, ut accedentibus aptis causis naturalibus, possint iterum in eadem, ex quibus coaluerunt, elementa resolvi, sive secundum quantitatem sive secundum qualitatem: ac proinde virtus et energia elementorum in combinatione nullatenus naufragium passa esse dicenda est, sed integra conservari in rerum natura. Idipsum denique sentiendum est de corporibus in statu allotropico repertis, nam allotropa corpora ita se habent, ut alia in alia convertantur per causarum naturalium operationem. Ergo videtur energia regni mineralis in mundo eadem jugiter servari quoad substantiam, quamvis varie transformata pro ratione mutationum substantialium, quæ perpetuo contingunt.

DICO 2.º **Energia vel activitas** MATERIÆ ANIMATÆ ET ORGANICÆ **non videtur eadem semper conservari.**

Assumo pro principio et fundamento hujus asserti id, quod in *Psychologia*, Deo favente, contra omnes transformistas et evolutionistas demonstrandum erit, neque regnum vegetale ex materiæ inorganicæ, neque regnum animale ex vegetalis, multoque minus hominem ex regni animalis successiva evolutione ac transformatione specierum ab imperfectissimis ad perfectiores gradatim facta prodiisse; sed primum germen in plantis et animantibus immediata vel peculiari Dei operatione indiguisse, hominem vero de limo terræ factum, animam rationalem tamquam spiraculum vitæ divinitus

accepisse: denique individua nova viventium haberi naturaliter non posse sine proprio et consentaneo parentum semine. Hinc autem sponte fluit 1.º supposita successiva rerum mundanarum creatione, quam in primo libro hujus operis docuimus, nullam energiam vitalem fuisse initio, donec fecit Deus sua virtute germinare terram. 2.º Eorum viventium, quorum species periisse dicuntur, nullam propriam et specificam energiam vitalem conservari, nec obtineri jam posse sine speciali opera et interventu Dei, quia jam nequeunt amplius illæ species, deficiente apto semine, naturaliter obtineri. 3.º Energiam vitalem specificam hominis in dies augescere pro majori hominum actu existentium numero. 4.º Denique energiam animalem loco-motricem, sive in hominibus sive in brutis existentem, variam videri pro individuorum numero; quia fons hujusmodi activitatis non est materia inorganica, sed tantum forma et anima prædictorum individuorum. Facultas enim loco-motiva est proprietas specifica animantium, quæ proinde animæ illorum tamquam principio attribuendum est.

Dices 4.º Motus α) generari nequit saltem naturaliter nisi per motum, β) nec generare nisi motum. γ) Non autem extingui, sed ab uno corpore alteri communicari, constat ex collisione corporum, in qua sæpe videmus ab uno tantumdem motus acquiri, quantum ab alio amittitur; alias vero translatorios motus in varios alios moleculares transformari, docet nos calor aliaque phænomena ex conflictu vel affrictu resultantia. δ) Ratio demum idem docet ex illo axiomate: *Nihil ex nihilo, nihil in nihilum.*

Resp. ad α) *neg.* assertum, ut abunde constat ex dictis. **Ad** β) *neg.* suppositum, motus enim nihil potest generare; sed quidquid per motum generari videtur, totum corpori mobili ac virtuti ejusdem tribui debet. **Ad** γ) Motus translatorios extingui, et quidem quin ullum appareat indicium, ex quo illos in motus vibratorios conversos esse asserere cogamur, constat in oscillationibus penduli, in motu reflexo elasticorum, et in projectis sursum corporibus, quæ tandem, urgente gravitate, deorsum ruere incipiunt. In his enim omnibus aliisque id genus exemplis manifestum est, motum novum secundum contrariam directionem inchoari non posse,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nisi extincto pristino motu projectionis (1). Quod vero adversarii reponunt, motus nempe, qui extingui videntur, re vera minime extingui, sed tantum in alios vibratorios et insensibiles transformari, aut ab uno corpore alii communicari, nullo solido argumento probatur. Neque enim motus est instar aquæ, quæ ab uno in aliud vas transfundi queat, ut jam superius monuimus (2). **Postremum** δ) denique nihil valet. Axioma enim illud in hoc solo sensu veritatem habet, *secundum vires naturæ*, sicut nihil fit absque præsupposito subjecto, *ex nihilo*, ita nihil penitus perire, seu *annihilari*. Id tamen non vetat, quominus multa de novo fiant ex materia, inducendo nempe novam formam, et multa pariter corrumpantur, pereuntibus formis et actibus prioribus, ut passim fieri videmus.

Dices. 5.° Ex ipsorum Peripateticorum doctrina corruptio unius est generatio alterius. Ergo si motus corrumpitur, ac cessat, necesse est, ut aliquid in ejus locum generetur. Atqui motu non apparet, quid aliud nisi motus gigni valeat. Ergo motu cessante in aliquo corpore, alius succedat in alio, necesse est: sic eadem semper vis vel quantitas motus remanebit in natura.

Resp. principium illud peripateticum intelligendum esse de corruptione et generatione suppositi alicujus, ideoque perperam ab adversariis in falsæ doctrinæ fulcimentum assumi (3). Non autem eo sensu accipiendum est illud principium, ut cessante quovis actu, aliquis alius in ejus locum necessario subrogandus sit. Quænam enim nova realitas fieri debet in anima hominis, cessante actu intellectus vel voluntatis? Vel quid, quæso, producitur, cum homo, qui

(1) Vide Rubbini (opusc. citat. num. 8). Liverani *(Sui Principi supremi...* cap. 28).

(2) Quam ad rem audi S. Augustinum: *Verum est ea, quæ in subjecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subjecto, in quo sint, esse non posse; sicut est in subjecto corpore color aut forma; sed afficiendo transeunt, non commigrando. Quemadmodum Aethyopes, qui nigri sunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt.* S. Augst., *Contr. Julian.* lib. 5, cap. 14.

(3) De isto principio mox accuratius disputandum erit in sequenti capite, artic. 2, post probationem *propositionis tertiæ*.

ambulat, pro libitu, sistit gradum? Itaque absolute non est necesse, ut extincto motu corporis nova aliqua entitas gignatur. Nihilominus plerumque, cessante motu corporis, potissimum per collissionem vel affrictum, solet pressio subsequi et calor, qui videtur effici ab impetu, quo corpus movebatur; formalis vero terminus motus considerati, prout actio quædam est, potest dici esse certa ubicatio vel præsentia localis.

Dices 6.° Motus invisibiles particularum admittendos omnino esse probant quædam phænomena, qualia sunt v. g. α) diffusio et vis expansiva corporum æriformium, β) evaporatio liquidorum atque ipsorum etiam solidorum, γ) ac demum repulsiones illæ ac veluti saltus, quibus liquores quidam mutuæ commixtioni reluctantes, se invicem procul retrudunt (1).

Resp. *neg.* assertum. Et duo quidem priora videntur satis explicari per vim aliquam repulsivam, qua massa corporea afficiatur, quin necesse sit ullos motus intestinos vibratorios vel oscilatorios et rotatorios admittere. Ultimum vero solum probat liquores illos se invicem repellere, unde in extrema superficie illorum motus enascuntur. Quod vero id non cernatur in omnibus liquoribus, sed solum in quibusdam, indicio nobis esse debet, non esse admittendos motus illos intestinos molecularum, qui ab abversariis obtruduntur contra omnem experientiam, donec idoneo aliquo argumento probentur (2).

ARTICULUS II.

Utrum admittendæ sint qualitates coporeæ a substantia realiter distinctæ.

337. Ex præcedenti articulo demonstratum habemus asserendas esse corporibus qualitates et activitates inhærentes, quæ distinctæ sint ab omni operatione et motu multiplici,

(1) Vide P. Angelum Secchi, *Unità delle forze fisiche*, lib. 1, cap. 7, pag. 103-109.

(2) Cfr. inferius dicenda capite sequenti, artic. 1.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quem in iisdem passim cernimus cum infinita propemodum phænomenorum varietate. Cæterum qualitatum corporearum magna celebratur diversitas. Omissis enim divisionibus qualitatis generatim sumptæ, quæ in *Ontologia* fuse expositæ sunt, et quarum aliæ solis conveniunt corporibus, aliæ communes sunt spiritualibus substantiis; qualitates corporeæ aliæ ornant, et afficiunt corpus solum in ordine ad *esse*, ut v. g. figura, sanitas, pulchritudo, aliæ in ordine ad operationem sive ad agendum in alia corpora, sive ad recipiendum actum aliorum, unde distinctio existit potentiarum in *activas* et *passivas*, quæ omnes sunt totidem qualitates.

Qualitatum corporearum variæ divisiones: aliæ in ordine ad esse, aliæ in ordine ad operationem;

Alia est divisio qualitatum in *physicas, chimicas* et *organolepticas*. Physicæ sunt generales corporum qualitates, quas scientia Physica contemplatur, ut calor, electricitas, magnetismus, lux, sonus, densitas et raritas, etc. Chimicæ sunt illæ, quæ potissimum a Chimica considerantur, propriæque sunt ac peculiares singulis corporum speciebus, et manifestantur in variis mutationibus substantialibus, mixtionibus et resolutionibus chimicis: tales sunt v. g. variæ corporum affinitates, etc. Organolepticæ demum dicuntur illæ, quæ certam actionem, sive proficuam sive nocivam, exercere valent in organismum. Dividuntur etiam qualitates in vitales, quæ propriæ sunt viventium, et non vitales, quæ indiscriminatim reperiuntur in omnibus corporibus.

qualitates physicæ, chimicæ et organolepticæ;

vitales et non vitales;

Dividi possunt etiam qualitates in *sensibiles* et *occultas*. Sensibiles sensu percipiuntur in se ipsis; occultæ vero in seipsis sentiri nequeunt, sed ex effectibus ab intellectu cognoscuntur.

sensibiles et occultæ;

Denique alia est divisio in qualitates primas et secundas, quamvis diversissimo modo explicantur a recentioribus post Lockium (1), et a priscis Philosophis. Hi enim primas dicebant, *quæ neque sunt ex aliis, neque ex alterutris, sed ex ipsis reliquæ*, id est, «quæ nullam aliam per se ac necessario præsupponunt, ipsæ vero præsupponuntur ad cæteras, quas idcirco secundas vocabant.» Quatuor numerabantur primæ

primæ et secundæ;

quæ tamen aliter explicantur a priscis,

(1) Cfr. Cardin. Gonzalez *(Historia de la Filosofia*, tom. 3, paragr. 34, pag. 154, Madrid 1879), Sanseverino *(Cosmolog.* cap. 2, art. 1, num. 117 seqq.)

hujusmodi qualitates inter se contrariæ: calor et frigus, siccitas et humiditas, quarum duæ priores activæ, posteriores passivæ credebantur (1). Probe autem nota, qualitates istas a veteribus dictas esse *primas*, non absolute et universaliter, sed relative dumtaxat, nempe primas inter tactiles et in ordine ad generationem et corruptionem corporum, quia earum ope fiunt transmutationes substantiales, et mixtiones ex elementis et resolutiones in eadem. Ideoque invicem etiam activæ ac passivæ dicebantur, quia prædictæ mutationes substantiales per mutuam elementorum actionem et passionem peraguntur (2). Divisionem istam Aristoteles ejusque nobilissimi illi asseclæ sic colligebant: Omnes qualitates tactiles, quæ in corporibus cernuntur, sunt calor et frigus, siccitas et humiditas, gravitas et levitas, durities et mollities, viscositas et ariditas, asperitas et lenitas, crassities et tenuitas. Atqui ex his gravitas et levitas non sunt activæ nec passivæ, neque enim exhibent in suo conceptu aliquid, quod actionem passionemve importet; ex reliquis vero, quæ activæ et passivæ sunt, ideoque aptæ ad transmutationes obtinendas, calor et frigus, siccitas et humiditas sunt primæ, tum quia ipsæ non sunt ex aliis simplicioribus, nec ex se invicem, quia calor non est frigus, nec siccitas nec humiditas; tum quia cæteræ ad has quatuor revocari queunt, nimirum crassum ad siccum, tenue ad humidum, itemque viscosum et molle ad humidum, aridum et durum ad siccum. Ergo solum illæ quatuor sunt primæ ac simplicissimæ qualitates, et reliquæ omnes decem superius enumeratæ, itemque calores, sapores et odores, sunt secundæ, quia ex primarum vario temperamento procedere putabantur (3). Ab hoc secundarum qualitatum numero excipiebant veteres sonum et lucem, «quæ, sicut et aliæ

(1) Vide Aristotelem *(de Generatione et corrupt.* cap. 2, text. 9); S. Thomam (ibid. lect. 2, paragr. *f.)* et alios interpretes.

(2) Vide Aristot. (*de Gener. et corrupt.* lib. 2, cap. 2, text. 7 seqq.), S. Thom. (ibid. lect. 2, paragr. *b. c.*), Toletum et Conimbricenses (in comment. et quæstionibus in eumdem locum), Rubium (ibid. lib. 2, cap. 3, tract. *de primis qualitatibus*, quæst. 1), Joannem a S. Thoma (*Physic.* secunda pars, quæst. 10, art. 1) etc.

(3) Vide de his Auctores superius citatos.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qualitates occultiores, quæ mixtis insunt, non dicuntur primæ nec secundæ, sed neutræ,» inquit P. Ludovicus Lossada (1).

Unum tantum additum volumus, quando Aristoteles ex quatuor illis primis qualitatibus docuit calorem et frigus esse

(1) Lossada, (*Curs. Philosoph.* tom. 3, *Synopsis tractatus de Mundo* etc., cap. 3, num. 25. Illud etiam ad veterum librorum intelligentiam historiæ hic referre ac notare juvat, quatuor dumtaxat a priscis Philosophis per errorem admissa esse elementa vel corpora simplicia, *ignem, aquam, aërem* ac *terram*, quorum singulis una e quatuor primis qualitatibus in gradu *summo*, altera in gradu non summo, sed in *excellenti* assignabatur. Nempe igni dicebant inesse calorem in summo, et siccitatem in excellenti; aquæ frigus in summo, et humiditatem in excellenti; aëri humiditatem in summo, et calorem in excellenti; denique terræ siccitatem in summo, et frigus in excellenti (Vide auctores citatos et alios passim). Hinc etiam distinguebant veteres elementa in *symbola* et *dissymbola*. Symbola vocabant ea, quæ communem haberent aliquam qualitatem, alteram nempe in gradu summo, alteram in excellenti: ut v. g. ignis et aër, quibus convenit calor; aër et aqua, quibus communis est humiditas; aqua et terra, quæ participant frigiditatem; terra et ignis, quibus inest siccitas. Dissymbola vero vocabant illa, quæ nullas haberent communes qualitates, ut ignis et aqua, etc. (Vide Lossada loc. cit. num. 29). Quare singula elementa dicebantur habere unum symbolum et unum dissymbolum. Et secundum hæc ipsæ quoque communes qualitates symbolis elementis communes, symbolæ vocabantur, quales sunt calor ignis et calor aëris, humiditas aëris et humiditas aquæ. Atque hæc omnia isto schemate significabantur:



activa, passivas vero siccitatem et humiditatem, non sic ex mente Peripateticorum rem esse intelligendam, «quasi ipsa siccitas et humiditas, inquit Joannes a S. Thoma, *absolute* et *secundum* se non sint activæ, agunt enim ad invicem et producunt sibi similia; humiditas enim humectat, siccitas exsicat, et expellunt se tamquam contraria. Intelligitur ergo, quod *comparative ad mixtum et in ordine ad constituendum illud*, siccum et humidum magis materialiter se habent et passive, quam calidum et frigidum. Unde ea, in quibus humidum prædominatur, sunt bene passiva; quia facilius terminantur terminis alienis, quod pertinet ad humidum; vel retinent proprios, quod pertinet ad siccum. Quæ autem sunt vehementiora in agendo, magis participant de calore et frigore; quia pertinet ad calidum et frigidum congregare vel disgregare (addensare ac dilatare), quod importat actionem» (1). Quæ omnia fusius enucleata reperies apud Conimbricenses (2). Secundum hanc doctrinam non erit difficile, habita præ oculis accuratiore qualitatum corporearum, sive physicarum sive chimicarum, cognitione, quænam vocandæ nunc essent primæ ad mentem antiquorum Doctorum, determinare.

Verum longe aliter recentiores Philosophi inde a Lockio primas et secundas qualitates declarant. Primas dicunt esse absolutas, seu quæ realiter in materia sunt eo modo, quo cognoscuntur, ac proinde subsistunt independenter a subjecto illas sentiente: et in exemplum producunt impenetrabilitatem et extensionem. Sed si vera sunt, quæ superius disputata fuerunt, nihil hisce exemplis ineptius afferi potuit; quia extensio et impenetrabilitas non sunt omnino qualitates, nec primæ nec secundæ, sed formalis effectus quantitatis. Secundas vocant iidem auctores qualitates quasdam relativas et apparentes, seu quæ quamvis habeant in re fundamentum aliquod, non tamen sunt in materia eo modo, quo sentiuntur, ac proinde dependent a subjecto, et *subjectivæ* quodammodo dicendæ sunt: tales sunt calor, sonus, colores, sapores,

et aliter * recentioribus.

(1) Joann. a S. Thom., *Physic.* 2.ª part. quæst. 10, art. 1, *Sed inquires.*

(2) *De Gener. et corrupt.* lib. 2, cap. 3, quæst. 3, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

odores. Hæc tamen explicatio supponit falsam doctrinam, in sequentibus articulis repellendam, circa realitatem qualitatum sensibilium.

Qualitates formales et virtuales.

Prisci Philosophi præter *formales* qualitates, eas nempe quæ secundum propriam qualitatis rationem possidentur, distinguebant in mixtis alias *virtuales*, quarum nomine intelligebant efficacitates quasdam vel virtutes productivas certarum qualitatum formalium. Sic in vino et pipere v. g., quæ formaliter calida non sunt, adest virtus caloris productiva (1).

Unum qualitates corporeæ sint accidentia realiter a substantia distincta:

338. Illud jam in controversiam adducitur, an qualitates istæ, quarum varia genera descripsimus, quasque in præcedenti articulo distinctas esse ab operationibus corporeis earumque principia proxima ostendimus, sint etiam ab ipsa substantia corporis realiter distinctæ ita, ut dicendæ sint entitates quædam accidentales mediæ inter substantiam et operationes substantiæ. Negant generatim omnes cartesianis doctrinis traditionibusque plus minus addicti, qui accidentia omnia puros *modos* seu modificationes esse substantiæ decernunt, modos autem hujusmodi cum substantia penitus quoad rem ipsam confundi, soloque conceptu distingui posse. E contrario Scholastici communiter tum accidentium generatim, tum etiam qualitatis in specie a substantia realem distinctionem tamquam unum ex præcipuis Philosophiæ pronuntiatis habent. Eamdemque manifeste doctrinam videtur profiteri S. Augustinus (2). Et controversia potissimum respicit qualitates et activitates corporum proprias et specificas, quæ perenniter substantiam comitantur, et ab ejus essentia profluunt. Certum namque omnibus esse debet ex iis, quæ in *Ontologia* (3) docuimus, re distingui qualitates contingentes et adventitias, quæ nempe modo adveniunt, modo recedunt, incorrupta manente substantia. Ita v. g. calor re distinguitur procul dubio a re calefacta, quæ prius frigebat, et modo per ignis aut solis actionem calorem concepit. Distinguitur pariter mobile natura sua iners a virtute motiva, quam per

negant cartesiani,

affirmant communiter Scholastici

cum S. Augustino.

(1) Vide Conimbricenses *(de Gener. et corrupt.*, lib. 2, cap. 3, quæst. 2, art. 2, *At enim)*, Joann. a S. Thom. *(Physic.*, secunda pars, quæst. 10, art. 1, *Quod si dicas...)* etc.

(2) *De Trinit.*, lib. 6, cap. 6.

(3) Vide *Ontolog.*, num. 314, pag. 900 seqq.

impetum moventis accepit. Moveri enim nequit sine impetu ac virtute motiva; eam vero mobile, si sermo sit de corpore inanimato, ex sese non habet, et postquam accepit, amittere etiam potest sine ulla corruptione perfectionis suæ substantialis. Atque idem dic de aliis similibus qualitatibus. Controversia ergo præcipue agitanda est solummodo de qualitatibus propriis, ac potissimum de potentiis ac virtutibus naturalibus, quæ jugiter corpus afficiunt, et ex quibus ipsa corporis natura specifica innotescit.

339. PROPOSITIO. **Qualitates corporeæ, ac nominatim virtutes seu potentiæ operativæ, realiter distinguuntur a substantia.**

Qualitates corporeæ ac virtutes seu potentiæ operativæ realiter distinguuntur a substantia.

Prob. 1.° Ex mysterio Eucharistiæ. Ostendimus enim superius in venerabili Sacramento remanere quantitatem cum qualitatibus panis et vini. Et re quidem vera, nisi experientiam constantem absque ulla ratione contemnamus, et arbitrarias phænomenorum explicationes ex præjudicatis opinionibus amplectamur, fatendum est adesse ibi proprietates sive physicas sive chimicas panis et vini, quin tamen post verba consecrationis horum substantia remaneat. Atqui realis separatio duorum realem distinctionem importat. Ergo qualitates atque activitates panis et vini, atque adeo etiam cujuslibet alterius corporeæ substantiæ, realiter ab eadem distinguuntur.

Prob. 2.° Ea realiter distingui oportet, quæ prædicata contradictoria independenter ab omni mentis consideratione suscipiunt. Atqui tales sunt corporea substantia et qualitates. Nam videmus qualitates sæpe intendi ac remitti, quamvis substantiæ, utpote quæ in indivisibili sitæ, neque intensionem pati neque remissionem valeant, ut probatum manet in *Ontologia* (1). Præterea potentiæ operativæ specificantur ab operatione seu actu; substantia vero non specificatur ab operatione, quæ accidens est. Nam substantia ante omne accidens, et independenter ab omni accidente, debet esse plene constituta et specificata.

(1) *Ontolog.*, num. 280, pag. 816.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 3.° Actus et potentia sunt in eodem genere, ut fuse declaratum est in *Ontologia* (1). Atqui operatio est actus, et quidem accidentalis, ad quem per se primo ordinatur potentia activa, siquidem et ab illo specificatur (2). Ergo potentiæ operativæ sunt accidentales, ac proinde realiter distintæ a substantia corporea.

Prob. 4.° Substantia nequit esse per se ordinata ad aliquid accidentale; nam substantia non est propter accidens, sed e converso accidens propter substantiam. Atqui potentiæ operativæ per se ordinantur ad operationem, quæ est accidens quoddam; siquidem advenit subjecto jam plene constituto in suo *esse*, ac potest abesse absque ulla ejusdem corruptione. Ergo substantia non est potentia operativa.

Prob. 5.° Potentiæ operativæ animæ sunt ab eadem realiter distinctæ, ut fuse probandum erit in *Psychologia*. Ergo a fortiori idem dicendum est de qualitatibus corporeis materiæ inanimatæ, quæ imperfectior est; nam agere per seipsum absque præsidio potentiarum accidentalium, majoris perfectionis est.

Duo genera qualitatum accidentalium asserenda corporibus: alia quæ communium accidentium, alia quæ proprietatum rationem habeant.

Duo ergo genera qualitatum accidentalium agnoscendæ sunt in corporibus: aliæ substantiam afficiunt contingenter, ideoque possunt inesse vel abesse absque substantiali mutatione: aliæ veram proprietatis physicæ rationem habent, quæ a natura rei dimanant, nec possunt naturaliter abesse salva substantia; unde præsentia eorum argumentum physice certum suppeditat præsentiæ substantiæ.

Solvuntur difficultates.

340. **Objic. 1.°** Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui nulla neccesitas est distinguendi potentias a substantia. Cum potissimum eadem ratio, propter quam substantia dicitur non posse ipsa per se esse potentia immediate et proxime operans, urgere videatur etiam, ne sit principium radicale et remotum operationis.

Resp. *neg.* Minorem, ut patet ex allatis rationibus. Unum modo observatum velim, non eamdem in rebus omnibus

(1) *Ontolog.*, num. 228, pag. 626 seqq.
(2) Vide *Ontolog.*, num. 224, pag. 623.

evidentiam demonstrationis esse requirendam: rationes autem a nobis factæ, quantum res obscurissima patitur, maximam pariunt probabilitatem (1). Et ad confirmationem negatur allata ratio. Disparitas enim est inter immediatum seu proximum principium operationis et radicale. Proximum siquidem natura sua ordinatur ad actum accidentalem et ab eo specificatur. Secus vero radicale: esse quippe principium remotum et radicale nihil aliud importat, nisi esse substantiam in se plene constitutam, cui debeantur naturaliter potentiæ operativæ tamquam sibi convenientia instrumenta, quibus operetur: in quo nulla cernitur naturalis ordinatio substantiæ ad accidens tamquam ad finem suum, sed e converso accidentis ad substantiam.

Objic. 2.° Potest ipsa sibi substantia proprietatum ac potentiarum naturalium accidentalium proximum esse principium, fatentibus nobis. Ergo poterit etiam simili modo esse proximum et immediatum principium operationum (2).

Resp. *dist.* antec. Per dimanationem instar naturalis resultantiæ, cujus proinde efficientia principaliter refundatur in ipsam causam efficientem substantiæ, *conc.*; aliter, *neg.*

Et *neg.* conseq. Quomodo proprietates dimanent a natura, jam satis explicatum est in *Ontologia* (3). Quamvis autem active concurrat substantia ad suarum proprietatum dimanationem, non tamen sequitur exinde posse illam absque potentiis naturalibus actus et effectus consentaneos immediate producere. Nulla enim est repugnantia in eo, quod natura per se ipsa concurrat ad dimanationem potentiarum et proprietatum, et non possit nisi mediis potentiis operationes ad extra elicere. Simile quiddam videmus etiam in artibus. Sic artifices possunt facere instrumenta ad certas operationes, quas tamen immediate sine talibus instrumentis efficere nequeunt: potest v. g. aliquis efficere calamum, quo scribat; sed quomodo poterit scribere sine calamo? Cum ergo ex allatis rationibus sufficienter probetur necessitas

(1) Cfr. Suarez, *Metaph.* disp. 18, sect. 3, num. 22; de *Anim.*, lib. 2, cap. 1, num. 5), Soto, (*Logic. de Prædicabil.*, cap. 4, de *Proprio*, quæst. 2, ad 1.um argument.)
(2) Cfr. apud Suarez, disp. *Metaph.* 18, sect. 3, num. 1 et 22.
(3) Vide *Ontolog.* num. 320, pag. 922 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

agnoscendi potentias ac virtutes realiter distinctas, dicendum est, ita se rem habere, ut licet substantia sit principium suarum proprietatum et potentiarum, non possit tamen esse principium proximum et immediatum operationum ipsarum sine interventu talium instrumentorum.

Instabis. Substantia perfectior est potentiis accidentalibus. Ergo si hæ possunt seipsis absque aliis novis potentis agere, cur non possit substantia absque ullis omnino potentiis operari?—**Respondeo,** *neg.* conseq., primo quia non semper id, quod potest minus perfectar erum species, potest alia perfectior: sic formicam potest formica producere, non tamen homo, neque angelus. Deinde ratio disparitatis est præcise in majori perfectione substantiæ, quia ut in probationibus dicebamus, actus et potentia debent esse in eodem genere, operationes autem sunt quidem in eodem genere cum accidentalibus potentiis et qualitatibus, non vero cum substantia (1).

Objic 3.° Potest una forma substantialis eminenter continere gradum perfectionis alterius. Cur ergo etiam forma substantialis eminenter non contineat gradum perfectionis et virtutis accidentalis? et sic poterit substantia per seipsam operari sine accidentalium potentiarium necessitate.—**Resp.** *neg.* conseq. Quia unam formam continere alterius minus perfectæ gradum perfectionis, probatur evidenter in Philosophia; formam vero substantialem ita continere virtutem accidentalem, ut sine potentiis realiter distinctis ac sibi superadditis operari possit, non solum non probatur, sed repugnare ostenditur ex allatis rationibus.

Objic. 4.° Si qualitas realiter distingueretur a substantia, posset etiam separari ab eadem. Atqui hoc impossibile est. Nam *tolle ipsa corpora qualitatibus corporum*, inquit Augustinus; *non erit, ubi sint, et ideo necesse est, ut non sint* (2). **Resp.** *trans.* Maj., *neg.* Minor.: nec aliud voluit S. Augustinus, nisi quod naturaliter qualitates separari nequeant.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 22.

(2) S. August. (epist. 57 ad Dardan.). Cfr. *Ontolog.* (num. 115, *Objic.* 7.ª, et num. 322, *Secunda pars*), ubi resolvitur, utrum possit substantia divinitus spoliari suis proprietatibus.

Objic. 5.° Si qualitates distinguerentur a substantia realiter, idem dicendum foret de omnibus proprietatibus; eadem quippe est ratio pro omnibus. Atqui sunt multæ proprietates, quæ non re distinguuntur a substantia. Sic v. g. immortalitas animæ, unitas, veritas et bonitas respectu cujusvis entis, et respectu quantitatis esse fundamentum æqualitatis et inæqualitatis, etc.—**Resp.** *dist.* Major. Idem dicendum foret de omnibus proprietatibus *physicis*, *conc.*: de metaphysicis, de illis nempe rationibus, quæ instar proprietatum a nobis concipiuntur, *neg.* Et simili modo *dist.* ration. additam.

Tum *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 6.° Cum operatio sequatur esse, per eam formam substantia dicenda est agere, per quam est actu, et subsistit. Atqui per formam substantialem est actu corporea substantia. Ergo.—**Resp.** *dist.* Major. Per eam formam dicenda est agere substantia tamquam per principium primum et radicale, per quam est actu, *conc.*: tamquam per principium proximum, *neg.* Plura de his dicentur in *Psychologia*, cum de distinctione potentiarum vitalium ab anima agendum erit.

ARTICULUS III.

Quodnam sit subjectum qualitatum cæt erorumque accidentium corporeorum.

Status quæstionis.

341. Quoniam probatum jam est, dari in corpore accidentia, non solum communia, sed etiam propria, realiter a substantia distincta; quæritur in quonam recipiantur subjecto, utrum in toto composito substantiali, an vero solum in materia prima. Et controversia quidem modo solum restringitur ad accidentia materialia, tum quia de his solum spectat ad *Cosmologiam* agere, tum etiam, quia constat accidentia spiritualia, utpote quæ non dependent in *esse* a materia, non posse inesse nisi in anima. Nec in ipsis accidentibus materialibus intendimus includere operationes vitales, sive vegetandi sive sentiendi, quarum indoles peculiaris in *Psychologia* declaranda erit, et in quibus major est ratio, cur in ipsa quoque anima tamquam subjecto recipi debeant, ob eam videlicet causam, quod proprium sit immanentium operationum, ab eo tamquam subjecto dependere in essendo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

agnoscendi potentias ac virtutes realiter distinctas, dicendum est, ita se rem habere, ut licet substantia sit principium suarum proprietatum et potentiarum, non possit tamen esse principium proximum et immediatum operationum ipsarum sine interventu talium instrumentorum.

Instabis. Substantia perfectior est potentiis accidentalibus. Ergo si hæ possunt seipsis absque aliis novis potentis agere, cur non possit substantia absque ullis omnino potentiis operari?—**Respondeo,** *neg.* conseq., primo quia non semper id, quod potest minus perfectar erum species, potest alia perfectior: sic formicam potest formica producere, non tamen homo, neque angelus. Deinde ratio disparitatis est præcise in majori perfectione substantiæ, quia ut in probationibus dicebamus, actus et potentia debent esse in eodem genere, operationes autem sunt quidem in eodem genere cum accidentalibus potentiis et qualitatibus, non vero cum substantia (1).

Objic 3.° Potest una forma substantialis eminenter continere gradum perfectionis alterius. Cur ergo etiam forma substantialis eminenter non contineat gradum perfectionis et virtutis accidentalis? et sic poterit substantia per seipsam operari sine accidentalium potentiarium necessitate.—**Resp.** *neg.* conseq. Quia unam formam continere alterius minus perfectæ gradum perfectionis, probatur evidenter in Philosophia; formam vero substantialem ita continere virtutem accidentalem, ut sine potentiis realiter distinctis ac sibi superadditis operari possit, non solum non probatur, sed repugnare ostenditur ex allatis rationibus.

Objic. 4.° Si qualitas realiter distingueretur a substantia, posset etiam separari ab eadem. Atqui hoc impossibile est. Nam *tolle ipsa corpora qualitatibus corporum*, inquit Augustinus; *non erit, ubi sint, et ideo necesse est, ut non sint* (2). **Resp.** *trans.* Maj., *neg.* Minor.: nec aliud voluit S. Augustinus, nisi quod naturaliter qualitates separari nequeant.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 22.

(2) S. August. (epist. 57 ad Dardan.). Cfr. *Ontolog.* (num. 115, *Objic.* 7.ª, et num. 322, *Secunda pars*), ubi resolvitur, utrum possit substantia divinitus spoliari suis proprietatibus.

Objic. 5.° Si qualitates distinguerentur a substantia realiter, idem dicendum foret de omnibus proprietatibus; eadem quippe est ratio pro omnibus. Atqui sunt multæ proprietates, quæ non re distinguuntur a substantia. Sic v. g. immortalitas animæ, unitas, veritas et bonitas respectu cujusvis entis, et respectu quantitatis esse fundamentum æqualitatis et inæqualitatis, etc.—**Resp.** *dist.* Major. Idem dicendum foret de omnibus proprietatibus *physicis*, *conc.*: de metaphysicis, de illis nempe rationibus, quæ instar proprietatum a nobis concipiuntur, *neg.* Et simili modo *dist.* ration. additam.

Tum *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 6.° Cum operatio sequatur esse, per eam formam substantia dicenda est agere, per quam est actu, et subsistit. Atqui per formam substantialem est actu corporea substantia. Ergo.—**Resp.** *dist.* Major. Per eam formam dicenda est agere substantia tamquam per principium primum et radicale, per quam est actu, *conc.*: tamquam per principium proximum, *neg.* Plura de his dicentur in *Psychologia*, cum de distinctione potentiarum vitalium ab anima agendum erit.

ARTICULUS III.

Quodnam sit subjectum qualitatum cæt erorumque accidentium corporeorum.

Status quæstionis.

341. Quoniam probatum jam est, dari in corpore accidentia, non solum communia, sed etiam propria, realiter a substantia distincta; quæritur in quonam recipiantur subjecto, utrum in toto composito substantiali, an vero solum in materia prima. Et controversia quidem modo solum restringitur ad accidentia materialia, tum quia de his solum spectat ad *Cosmologiam* agere, tum etiam, quia constat accidentia spiritualia, utpote quæ non dependent in *esse* a materia, non posse inesse nisi in anima. Nec in ipsis accidentibus materialibus intendimus includere operationes vitales, sive vegetandi sive sentiendi, quarum indoles peculiaris in *Psychologia* declaranda erit, et in quibus major est ratio, cur in ipsa quoque anima tamquam subjecto recipi debeant, ob eam videlicet causam, quod proprium sit immanentium operationum, ab eo tamquam subjecto dependere in essendo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

a quo tamquam principio efficiente dimanant. Denique neque etiam est quæstio de illis accidentibus modalibus; si quæ sunt, quæ ad alterutram partem compositi materialis peculiariter pertineant, cujusmodi est *ubicatio* in sententia illorum, qui distinctas tribuunt materiæ ac formæ locales præsentias (1). Ad plenam porro controversiæ tractationem, duo investiganda sunt: primum, utrum compositum, an vero sola materia sit subjectum accidentium; secundum, utrum materiæ inhæreant immediate omnia accidentia, an vero media quantitate.

§ I.—Utrum omnia accidentia materiæ inhæreant tamquam subjecto sustentationis.

Sermo non est de subjecto puræ denominationis, sed de subjecto inhæsionis.

Quod primam quæstionem attinet, illud ante omnia notandum venit sermonem non esse de subjecto denominationis, sed de subjecto inhæsionis aut sustentationis. Subjectum denominationis est procul dubio totum compositum corporeum, illius enim dicuntur esse omnia accidentia, seu illud est, quod ab omnibus illis denominatur, quamvis non eodem modo, ut ex Angelici doctrina colligitur, ab aliis nempe simpliciter, ab aliis secundum quid. Quando enim forma denominans non necessario reperitur in parte, sed indiscriminatim reperiri potest sive in toto sive in parte, si solum reperiatur in parte, non denominant totum simpliciter; sed ut denominet simpliciter, debet reperiri in toto: quare Æthiops nequit dici simpliciter albus, sed tantum secundum quid et cum restrictione, ex eo quod dentes albos habeat. Quando vero forma denominans nata est esse non in toto, sed in parte, poterit absolute ac simpliciter denominare totum; sicut homo dicitur simpliciter crispus, vel claudus vel videns, licet non conveniant ei hæc prædicata secundum totum compositum (2). Subjectum inhæsionis et sustentationis, ut ex alibi declaratis constat, est illud, quod exercet munus causæ materialis, vel illud, a quo forma sustentatur immediate, ac dependet in *esse*. Ac de hujusmodi subjecto instituitur præsens controversia. In qua communis est

(1) Cfr. *Ontolog.*, num. 373, pag. 1068 not. 2.ª
(2) Cfr. S. Thom., 3 p., quæst. 16, art. 8.

Sententia Thomistarum et Scotistarum tenet subjectum accidentium esse totum compositum.

sententia Thomistarum (1) et Scotistarum (2), quibus adstipulantur e Nostratibus PP. Rubio (3), Cosmus Alamanni (4) et Sylvester Maurus (5), docentium subjectum inhæsionis accidentium esse totum compositum substantiale ex materia et forma: ita tamen, ut materia sit id, *quo* subjectum redditur potens *recipere* accidentia, forma vero id, *quo* idem subjectum redditur capax *sustentandi*. Subjectum enim inhæsionis habet duplex munus, recipiendi et sustentandi formam; et ad primum requiritur potentialitas passiva, sine qua nihil recipi potest, ad alterum vero actualitas, quod enim actu non est, non potest quidquam sustentare. Itaque totum quidem compositum est subjectum accidentium; sed principium *quo* receptionis est materia, principium autem *quo* sustentationis forma (6). At vero materiam primam, non vero totum compositum, esse subjectum inhæsionis tenent, post Averroem (7), aliosque

Nostrates vero communissime post multos

(1) Ita S. Thomas (1 p., quæst. 76, art. 6; quæst. 77, art. 6; opusc. *de Ente et essent.*, cap. 7), quamvis non desint qui de mente S. Doctoris dubitent ob loca quædam opposita (Vide Lossada loco mox citando, num. 80). Durandus (1.° dist. 8, 2.ª part., quæst. 4). Capreolus (2.° dist. 13, quæst. 1, art. 3). Flandria (*Metaphys.*, lib. 5, quæst. 16, art. 17), Soncinas (*Metaphys.*, lib. 8, quæst. 7, 15, 17, 18), Cajetan. (In cap. 7 *cuo de Ente et Essent.*, quæst. 16), Bañez (*de Generat.*, lib. 1, cap. 4, quæst. 9), Ferrariensis (In lib. 4 *Contr. Gent.*, cap. 81), Cardin. Aguirre (*Physic.*, disp. 50, sect. 1), Complutenses (*de Gener. et corrupt.*, disp. 2, quæst. 4 seqq.), Joannes a S. Thoma (*Physic.*, secund. part. quæst. 9, art. 1) etc.

(2) Vide Mastrium (*Physic.*, disp. 3, quæst. 1), et Pontium (*Physic.*, disp. 6, quæst. 4).

(3) *De Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, tract. 2, quæst. 4.

(4) *Summ. philos.*, secunda secundæ, quæst. 13, art. 6.

(5) *Quæstion. philos.*, lib. 3, quæst. 15.

(6) Cfr. Joannes a S. Thom., loc. cit.

Quid sint dimensiones interminatæ.

(7) Celebris est sententia Averrois de *dimensionibus interminatis*, quam tradidit in libro *de substantia orbis*; et 1.° *Physicorum*, comment. 63; et in epitome *Metaphys.*, tract. 2, cap. ultimo: quibus in locis docet Commentator esse in materia dimensiones interminatas illi coævas et in reipsa ingenerabiles et incorruptibiles, solumque accidentaliter mutabiles. Per *dimensiones* autem *interminatas* nihil aliud intelligit, quam ipsam quantitatem, quæ quantum est ex parte materiæ nec certam aliquam densitatem, nec raritatem, nec definitum terminum magnitudinis vel parvitatis, nec peculiarem aliquam figuram postulat. Et ideo sicut materia de se informis dicitur, ita quantitas, ut illi coæva, dicitur interminata, quamquam reipsa semper

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

veteres Scholasticos materiam primam dicunt esse subjectum accidentium.

Aristotelis vetustos Commentatores, Gregorius Ariminensis, Aureolus, Marsilius, Ægidius, aliique (1), quos communissime sequuntur nostri (2). Quamvis enim fateantur isti auctores materiam non posse sustinere accidentia saltem naturaliter, quin informetur a forma, id tamen ajunt esse, non quia ipsa forma constituens compositum debeat concurrere in ratione subjecti, sed quia est necessaria ad ipsum *esse* materiæ. Nempe quia materia naturaliter esse nequit sine forma, neque potest sine illa esse subjectum, quia quod non est, neque subjectum esse potest; ex quo tamen non necessario sequitur debere formam partem aliquam suscipere in munere subjecti, sicut e converso, ut anima rationalis creetur, et primo existat, naturaliter necessaria est materia, et tamen non recipiuntur in ea potentiæ spirituales, sed in sola anima.

habeat aliquem terminum juxta exigentiam formæ vel actionem agentis; et juxta hanc varietatem terminorum, figurruam vel dispositionum accidentaliter mutatur, quamvis in entitate sua eadem semper perseveret». Suarez (*Metaphys.*, disp. 14, sect. 3, num. 10). Hanc doctrinam, quantum ad inhærentiam quantitatis in materia, tenuerunt etiam alii Aristotelis commentatores, ut Simplicius, Philophonus et Ammonius (apud Suarez ibid.), et ipsemet S. Thomas refert, et adhibet ad aliam veritatem declarandam non uno in loco (Vide 4.º *Sententiarum* dist. 12, quæst. 1, art. 2, solunt. 4; ibid. dist. 11, quæst. 1, art. 1, solut. 3 ad 4.um, *de Verit.*, quæst. 5, art. 9 ad 6), quamvis in opusculo *de Natura materiæ et dimensionibus interminatis* (cap. 4 eamdem fuse reprobat.

(1) Apud Suarez (*Metaphys.*, disp. 14, sect. 3, num. 10). Rubium (loc. cit.) et Conimbricenses (*de Generat. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, quæst. 4).

(2) Ita v. g. Suarez (*Metaphys.* disp. 14, sect. 3), Toletus (*de Gener. et corrup.* lib. 1, quæst. 7), Conimbricens. (*de Gener. et corrupt.* lib. 1, cap. 4, quæst. 4). Benedictus Pereira (*de communibus*, lib. 5, cap. 18), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2. disp. 11, quæst. 1, sect. 3, *Dico 2.º*), Fonseca (*Metaphys.* lib. 8, cap. 1, quæst. 2, sect. 4), Hurtadus (*Physic.* disp. 6, sect. 6), Oviedus (*de Gener. et corrupt.* controv. 1, punct. 1), Quiros (tract. 5, *de Gener. et corrupt.*, disp. 70 sect. 3, num. 29), Arriaga (*Physic.* disp. 5, sect. 2, subsect. 2), Suarez lusitan. (*Physic.* tract. 2, disp. 2, sect. 2), De Benedictis (*Physic.* lib. 4. quæst. 1, cap. 6. paragr. 2), Semery (*Triennium philos.* tom. 3, *de Gener. et corrupt.* disp. 1, quæst. 3, art. 1), Mayr (*Philos. perip.* pars. 2.ª, num. 1445 seqq.), Lossada (*de Gener. et corrupt.* disp. 2, cap. 5).

Et declarari quoque res potest in genere causæ efficientis exemplo cujuslibet animæ materialis, quia quamvis illa nequit esse naturaliter nisi in materia et in composito tamquam actus ejus; non tamen inde sequitur, quod potentiæ vitales compositi viventis fluant effective etiam a materia, sed a sola forma vel anima. Inter has duas sententias quamvis prima multum valeat auctoritate, secunda tamen cum gravi fulcitur auctoritatis pondere, tum forte firmiori pollet rationis fundamento.

342. PROPOSITIO. **Probabilius asserendum videtur solam materiam esse subjectum inhæsionis accidentium.**

Sola materia est subjectum inhæsionis accidentium.

Probatur 1.º in primis de quantitate. Quantitatis nullum aliud subjectum inhæsionis aptum assignari potest præter materiam. Ergo.—**Prob. antec.** In perpetuo fluxu mutationum substantialium, qui in natura cernitur, quantitas semper præsupponenda est in materia; neque enim exerceri a naturalibus causis actio ulla potest nisi circa materiam extensam, nec introduci ulla nova forma, sive substantialis sive accidentalis, nisi in materiam, quæ sit quanta; est enim hæc prima dispositio materiæ, ad eductionem cujuslibet formæ necessaria. Atqui quantitas non potest dependere in *esse*, vel esse tamquam in subjecto sustentationis et inhæsionis in eo, quod ipsa præcedit. Ergo quantitas cujuslibet compositi, quod de novo generatur per transmutationem sustantialem alicujus prioris corporis, neque dependet in *esse* ab illo priori composito, nam adhuc existit nunc eo corrupto; nec a novo quod generatum est, quia prius existebat in altero. Ac proinde quantitas solum dependet tamquam a causa materiali vel subjecto sustentationis a materia prima, quæ eadem est numero in utroque composito, et corrupto et generato. Apposite S. Thomas: *Formæ et speciei non debetur locus nisi ratione materiæ, in qua fundatur*, **quæ est proprie subjectum quantitatis dimensivæ** (1).

Instantiæ contra rationem primam.

Bifariam potest vis hujus argumenti refringi: α) dicendo quantitatem corporis corrupti non esse numero eamdem cum quantitate corporis de novo generati: β) admittendo

(1) S. Thom. *de Gener. et corrupt.*, lib. 1, lect. 15, paragr. *d*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mutuam causalitatem et prioritatem inter quantitatem, quæ præsupponenda est ad generationem novi compositi, et inter ipsum novum compositum, ita ut hoc ab illa dependeat tamquam a dispositione necessaria, illa vero ab hoc tamquam a subjecto.—**Verum prima** solutio excluditur ex dicendis inferius, ubi probabitur in corruptione corporis non fieri, ut ajunt, resolutionem usque ad materiam primam, sed manere in corpore de novo generato quantitatem et quædam alia accidentia. Secunda vero solutio continet doctrinam mutuæ causalitatis, quæ explosa jam est in *Ontologia* (1).

dissolvantur.

Prob. 2.° Quantitas hominis non recipitur in anima rationali tamquam subjecto sustentationis. Ergo recipitur in sola materia. **Prob. antec.** Quantitas nequit naturaliter recipi in subjecto, cui nequit suum effectum formalem communicare; hæc est enim lex universalis formarum omnium, sive substantialium sive accidentalium, ut formalem suum effectum subjectis conferant. Atqui quantitas nequit animæ rationali suum effectum formalem conferre; nam effectus formalis quantitatis est reddere subjectum *quantum*, nempe partes habens extensas et impenetrabiles, prout superius declaratum est. Impossibile autem est animam quantam reddi, vel impenetrabilem et extensam, sive per se sive per accidens.

Instantiæ contra secundam rationem.

Dices 1.° Animam quidem rationalem seorsim consideratam non posse recipere quantitatem, posse tamen quatenus materiam informans facit compositum humanum ita, ut sit recipiens quantitatem, non ut *quod*, sed ut *quo*.

Respondeo. Voces istæ *quatenus informans materiam*, et *recipiens ut quo*, vel indicant entitatem animæ immediate affici a quantitate, ac receptionem ejus terminare in seipsa, vel non. Si primum dicas; ergo entitas animæ rationalis, dum est unita corpori, proprie quanta erit, sicut quanta est ipsa entitas materiæ, quam patiter Thomistæ docent non recipere quantitatem nisi ut *quod*, et quatenus per formam actuatur. Si vero neges quantitate immediate affici entitatem animæ: ergo materia est subjectum immediate affectum quantitate, illiusque receptionem terminans. Et nihil aliud intendimus,

(1) Vide *Ontolog.*, num. 431, pag. 1202.

cum solam materiam dicimus subjectum inhæsionis ac sustentionis quantitatis (1).

Dices 2.° Totus homo, prout includens animam, dicitur *quantus*. Ergo bene potest anima rationalis esse subjectum quantitatis ut *quo*.—**Resp.** Totus quidem homo dicitur quantus ut *quod*, seu per modum totius: quo sensu denominatio *quanti* solum significat *habens quantitatem* vel *habens partes extensas*, quæ profecto denominatio convenit homini solum ratione materiæ. Sicut e converso totus homo denominatur *discurrens* et *volens*, quin tamen inde sequatur materiam esse subjectum vel volitionis etiam ut *quo*.

Prob. 3.° propositio simili modo de aliis accidentibus. Quædam sunt accidentia in corpore genito, quæ præsupponendæ sunt in materia in signo priori ad formam illius substantialem tamquam dispositiones necesariæ ad hoc, ut ea educi ex potentia materiæ queat. Ergo impossibile est, ut saltem ejusmodi accidentia dependeant ab illo corpore genito tamquam a subjecto inhæsionis. Si autem illa non dependent, idem de aliis quibusvis dicendum est, iis solis exceptis, quæ ex titulo vel ratione aliqua peculiari vindicarent inhærentiam in forma simul et materia, qualia sunt accidentia vitalia. **Antecedens patet**, quia accidentia illa non aliter disponunt materiam ad introductionem novæ formæ, nisi informando illam in signo priori ad talem introductionem; nec possunt materiam informare, quin sint productæ et existentes. Ergo accidentia illa in signo priori ad formam novam jam existunt. **Consequentia vero probatur**, quia si accidentia prædicta existunt in signo priori ad illam formam, jam in eodem signo sunt extra omnes causas, atque adeo extra causam materialem. Atqui non possunt existere extra causam, quæ nondum est. Ergo nec forma novi compositi nec ipsum novum compositum est causa, a qua dependeant talia accidentia in existendo.

Prob. 4.° Excludendo rationem præcipuam, cur Thomistæ reformident tribuere materiæ adæquatam causalitatem materialem respectu accidentium. Dicunt enim, ut superius innuebamus, ideo materiam solam non posse esse subjectum

(1) Vide Lossada, loc. cit. num. 75, 76.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adæquatum sustentationis, quia cum sit pura potentia, non habet ex se formaliter actualitatem sufficientem, ut alia sustinere in *esse* valeat, quin eam a forma substantiali recipiat. Atqui hæc ratio videtur non satis efficax esse. Nam de facto eadem materia, non obstante sua pura potentialitate, sustentat in *esse* tamquam subjectum adæquatum omnes formas substantiales materiales. Quid ergo vetare potest, quominus etiam possit esse subjectum adæquatum sustentationis formarum accidentalium? An dices plus actualitatis requiri ad sustentandum accidentales, quam substantiales formas? Cum potissimum munus subjecti aliud sustentantis in *esse* non sit proprie virtus et perfectio, sed potius mera passivitas et perfectibilitas.

De mente Aristotelis, quem utraque sententia pro se laudat, videri potest Suarez (1), apud quem et alios priscos auctores plura de hac re videri possunt. (2).

343. **Objic. 1.°** Materia est pura potentia, nec habet existentiam pro priori ad formam. Ergo donec formam accipiat, qua reddatur existens, nequit recipire accidentia.

---

(1) *Metaphys.* disp. 14, sect. 3, num. 6, 11, 52 seqq.

(2) Cæterum concedunt plures, nullum esse incommodum in eo, quod quantitas immediate uniatur materiali formæ tamquam *subjecto informationis* vel *puræ receptionis* (Cfr. *Ontolog.* num. 275, pag. 708, 709), dummodo simul recipiatur in materia tamquam in unico subjecto inhæsionis. Ratio est, quia subjectum meræ informationis nec exercet causalitatem materialem, nec importat naturæ prioritatem respectu formæ; nec aliunde forma sic a tali subjecto dependet, ut sine illa etiam naturaliter esse non possit, ut patet in anima rationali. Quamvis ergo quantitas eo modo uniatur materiali formæ, nec ideo habebit causam materialem plusquam adæquatam, nec dabitur mutua prioritas inter quantitatem et formam, nec quantitas in homine violenta erit; licet ibi non afficiat animam, sed solam materiam. Aliunde in forma materiali nulla improportio apparet, ut immediate afficiatur a quantitate, unde etiam fit quanta et extensa per accidens, secus ac forma immaterialis: quamobrem non est, ratio, cur affectio vel unio ista negetur. Idipsum puta de qualitatibus: quæ licet soli materiæ media quantitate inhærean, ut mox dicemus, poterunt simul uniri materiali formæ tamquam subjecto informationis, ut scilicet forma ista vere afficiatur, ac perficiatur a proprietatibus suis. (Lossada, loc. cit. num. 78). Cfr. P. Quiros (loc. cit. num. 30), De Benedictis (loc. cit., *Dico* 3.ª).

Confirmatur: α) quia materia prius debet compleri in linea substantiali, ad quam pertinet, quam in accidentali, quæ sibi extranea est. β) Forma substantialis est actus primus, secundus vero forma accidentalis. Atqui actus primus secundum præire debet. γ) In eo differunt actus accidentalis et substantialis, quod iste incompleto enti, ille completo seu toti composito adveniat. δ) Materia non patitur seu recipit accidentia prius, quam sit subsistens, nam passiones non minus, quam actiones, sunt suppositorum; non est autem subsistens, donec suscipiat formam. ε) Accidentia in eo subjecto recipiuntur, cui præcipue tribuunt suos effectus formales seu denominationes. Atqui accidentia præcipue denominant compositum. Ergo...

Resp. 1.° Hæc omnia nullatenus evincere, quod accidentia sint in toto composito, tamquam in subjecto sustentationis, vel quod a forma quoque partialiter saltem sint sustentanda, sed tantum quod accidentia non possint in materia nuda et solitaria recipi, sed præsupponant materiam aliqua forma actuatam. Id quod ultro concedunt plures sententiæ nostræ assertores. Nimirum inter eos, qui doctrinam nostram tuentur quidam putant materiam secundum se et independenter a forma, recipere accidentia; alii vero putant materiam quidem esse adæquatum subjectum quantitatis et cæterorum accidentium, requirere tamen formam substantialem, qua actuetur, sive tanquam conditionem præviam, sive, ut aliis magis placet cum Conimbricensibus, tamquam causam, quæ compleat materiam et ab inertia et potentialitate evocet ad id munus obeundum, siquidem illud exequi non potest, nisi existat sub actu perfecto, neque existere hoc pacto absque ea formæ causalitate. Quia tamen neque id probant omnino efficaciter allata argumenta, indicabo etiam aliam responsionem, ut eligat prudens lector, quæ magis sibi arriserit (1). Itaque

Resp. 2.° Ad argumentum principale, *neg.* antec.; quia ut ex superius probatis constat, materia non est ita pura potentia, ut non habeat suam aliqualem essentiam et existentiam partialem cum illa identificatam. Deinde adhuc hoc

---

(1) Vide Suarez (loc. cit. num. 60), Conimbric. (loc. cit, art. 1 fin).

permisso, *negatur* consequens. Quia si ex ipsa Thomistarum sententia, materia quamvis ex se nullam habeat existentiam, potest nihilominus recipere ac sustentare formam, ac terminare actionem creativam Dei, quid, quæso, vetat, quominus recipiat accidentia, iisque uniri queat? Dices vetare, quod omne ens prius in sua, quam in aliena perfectionis linea compleri debeat: quæ est primæ Confirmationis ratio. Sed

Ad Confirmationem 2) respondeo id, quod in ea objicitur, verum quidem esse, quando perfectiones in linea extranea non sunt dispositiones ad assequendum complementum in linea propria necessariæ. At quantitas et quædam alia accidentia sunt, ut jam prænonuimus in probationibus, dispositiones necessariæ ad introductionem novæ formæ, atque adeo ad generandum novum compositum. Unde ad β) *disting.*: forma substantialis est actus primus in ordine intentionis et excellentiæ, *conc.*; in ordine executionis, *neg.* Quod vero accidentia sint in *aliquo sensu* actus primus, etiam fateri debent adversarii, secundum quos quædam accidentia formam substantialem præcedunt prioritate naturæ in aliquo genere causæ. Ad γ) dico, quamvis verum sit, quidquid advenit enti completo seu enti in actu, esse accidentale, non tamen vicissim asserendum esse, donec probetur, quidquid enti imcompleto advenit primo, esse debere substantiale. Quare distinctio inter actum substantialem et accidentalem non videtur præcise atque universaliter in eo reponendum, quod ille prius, hic postea, quam in suo *esse* specifico compleatur, adveniat, sed in eo quod subtantialis re vera ad *esse* specificum suppositi alicujus constituendum pertineat, accidentalis vero non. Quædam ergo accidentia adveniunt enti complete constituto, qualia sunt v. g. proprietates totius compositi et alia, quæ contingenter ipsi conveniunt, illudque vel perficiunt, et ornant, vel etiam ad corruptionem disponunt; quæ autem ad novum compositum generandum requiruntur tamquam dispositiones necessariæ, respectu quidem præcedentis corporis adveniunt enti completo, secus vero si comparentur novo corpori generando. Iterum porro monemus etiam ea, quæ completo enti adveniunt, non debere recipi in toto tamquam in subjecto inhæsionis ac sustentationis. Ad δ) respondeo, in sententia

eorum, qui materiæ primæ suam partialem asserunt subsistentiam (1), nullam esse difficultatem, quia tunc materiæ pro priori ad formam sua competeret subsistentia. Verum adhuc admissa contraria doctrina, negatur subsistentiam compositi alicujus debere præcedere quascumque passiones, etiam ad ipsam formæ novæ introductionem præparantes, ut patet in ipsa passione, qua materia formam substantialem recipit, quæ profecto præcedit materiæ subsistentiam, supposito quod hæc formam subaudiat, vel ab eadem procedat. Denique ad ε) respondendum est, instantiam manifestam esse in denominationibus *volentis*, *judicantis*, *sancti*, *prudentis*, etc., quæ pariter præcipue ac proprie tribuuntur toti homini, et nihilominus proveniunt a formis in sola anima rationali receptis. Omnibus ergo æque fatendum est ad hoc, ut totum ab accidenti aliquo denominetur ut *quod* ac per modum subjecti principalis, necesse non esse, ut illud in toto recipiatur (2).

Objic. 2.° Accidentia sunt proprietates compositi, ab ejus forma dimanantes efficienter. Ergo nequeunt in materia recipi ante formam.

Resp. *dist.* antec.: aliqua, *conc.*; omnia, *neg.*, nam multa solent esse in composito accidentia communia, quæ non pullulant ab essentia, sed vel a causis externis inducuntur, vel etiam ex præcedenti composito relicta sunt.

Transeat consequens, et *nego* iterum, quod exinde sequatur accidentia, etiam ea quæ proprietatis rationem habent, debere in forma, unde dimanant, atque adeo in toto composito, recipi tamquam in subjecto sustentationis. Nam ex eo solum quod forma sit principium, vel si vis etiam causa efficiens, unde fluunt proprietates, ut summum colligitur ex superius concessis, eam esse subjectum informationis, non autem eam necessario esse debere etiam veri nominis causam materialem, seu subjectum sustentationis. Nec repugnat accidentia manare efficienter a forma, et materialiter conservari a sola materia; sicut ipsa forma substantialis, quæ ab externo agente educitur effective de

(1) De quo vide *Ontolog.*, num. 301, *Quæritur quinto*, pag. 881.
(2) Lossada, loc. cit. num. 81-85.

potentia materiæ, ab ipsa materia conservatur in genere materialis causæ.

Objic. 3.° Si quantitas in sola materia reciperetur, esset incorruptibilis; si quidem nec perire posset ex defectu subjecti, materia enim incorruptibilis et ipsa est, nec ex oppugnatione contrarii, nam quantitas contrarium non habet, ut superius dictum est agendo de ejusdem proprietatibus.

Resp. *conc.* sequelam, ut jam innui etiam in *Ontologia* (1), et recte probat Eximius Doctor (2); et sequitur ex eo, quod quantitas sit proprietas materiæ vel compositi ratione materiæ, quemadmodum communissime loquuntur Philosophi, et egregie declarat prædictus Franciscus Suarez: hinc enim convenientissime dicendum videtur, quantitatem esse materiæ coævam, ab ea inseparabilem et incorruptibilem quoad suam entitatem, licet quoad varios terminos possit incipere et desinere esse per divisionem et conjunctionem partium, et hoc pacto sit corruptibilis integraliter seu quoad uniones integrales, sicut ipsa quoque materia eo modo potest dici corruptibilis. Ex quo etiam intelligitur, cur motus ad quantitatem non sit productio novæ quantitatis, sed *accretio*, id est adjunctio unius quantitatis ad aliam, quia per ejusmodi motum non incipit esse simpliciter nova pars quantitatis in rerum natura, sed una quantitas adjungitur alteri, ut quæ erat aliena, fiat illius propria per specialem actionem assimilationis, ad hoc natura sua tendentem.

Dices 1.° Quantitas est proprietas compositi secundum gradum corporis. Sed hic gradus provenit a forma, sicut gradus viventis, animalis etc., provenit a forma certæ speciei. Ergo quantitas est proprietas compositi ratione formæ.

Resp. 1.° Necesse non est, ut «peculiaris aliqua species accidentis correspondeat composito secundum gradum corporis; cum enim hic gradus sit genericus, solum exigit proprietatem genericam, quæ potest esse qualitas materialis, ut sic. **Resp. 2.°** *dist.* conseq.: quantitas est proprietas compositi ratione formæ, tamquam finis aut tamquam radicis pure exigentis, *conc.*; tamquam radicis efficientis per emanationem,

(1) Num. 399, pag. 1149.
(2) *Metaphys.* disp. 14, sect. 3, num. 59. Cfr. num. 57. 58.

neg. Itaque sicut materia ordinatur ad formam ut ad finem, et a forma exigitur, ideoque dici potest debita composito ratione formæ; ita etiam quantitas, sine qua nequit materia esse subjectum idoneum formæ nec operationum ejus. Cæterum sicut non ideo materia dimanat efficienter a forma, sed ad eam præsupponitur; ita de quantitate censendum. Ut autem quantitas absolute dicatur proprietas compositi, satis superque est, quod a materia dimanet, et a forma exigatur ad connaturaliter existendum et operandum, quamvis dici nequeat proprietas formæ seorsum spectatæ, ex defectu dimanationis et inhæsionis. Hæc intellige de quantitate interminata; nam prout certis dimensionibus aut terminationibus affecta, potius est effectus formæ vel generantis, quam materiæ» (1). Quantitas quippe dicitur interminata, quatenus præscindit a certa figura et mensura, nullam enim determinatam postulat ex se materia, sed determinatio illius provenit in certis corporibus ex exigentia formæ, vel etiam ex causarum efficientium operatione: id patet præsertim in viventibus, in quibus formæ substantiali tribuendum est, quod certam figuram præ se ferant, vel certam molem habeant, aut saltem non excedant.

Dices 2.° Quantitas nequit esse vere proprietas materiæ, nisi ab ea dimanet active. Atqui nequit a materia quidpiam dimanere, quandoquidem nulla pollet activitate, sed est pura potentia. Ergo...—**Resp.** *neg.* Majorem et Minorem. Duobus enim modis intelligi potest naturalis conjunctio inter materiam et quantitatem, propter quam hæc illius proprietas dicatur: «primo solum ratione potentiæ passivæ intrinsece natura sua postulantis talem affectionem. Neque enim necesse est, ut omnis innata proprietas sit debita ratione principii activi, sed interdum sufficit passivum: quo modo multi existimant... intellectui angelico esse naturales species intelligibiles secundum potentiam receptivam, non activam. Secundo modo potest intelligi per intrinsecam dimanationem activam. Et licet prior modus sufficiat, hic posterior nullum habet inconveniens, quia, licet materia sit potentia ad formam substantialem, in se tamen habet veram essentiam

Quomodo possit quantitas a materia dimanare.

(1) Lossada, loc. cit., num. 87.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

actualem et entitativam; quid ergo mirum, quod ab illa manet aliqua proprietas ipsi proportionata? Quod enim materia non sit activa per propriam actionem, ideo est, quia, cum sit pura potentia, nec potest agere rem sibi similem, quia deberet creare illam; nec potest agere in similem potentiam, quia non habet ex se actum proportionatum, nisi in potentia tantum receptiva. Sæpe autem contingit, ut res, quæ non potest agere propria actione in aliud, habeat intrinsecam dimanationem in se; ut substantia angeli non habet vim activam similis substantiæ; habet tamen vim, a qua in ipsa dimanent potentiæ sibi proportionatæ; et forma substantialis juxta receptam doctrinam non est immediate activa formæ accidentalis, et tamen per intrinsecam dimanationem manat intellectus ab anima» (1).

§ II.—UTRUM QUANTITAS SIT PROXIMUM SUBJECTUM CORPOREARUM QUALITATUM.

Sententiæ Auctorum.

344. Negant inter alios paucos Hurtado, Arriaga et De Benedictis (2) cum quibusdam Nominalibus ac veteribus auctoribus, quos laudatos habes apud eosdem Hurtadum, De Benedictis, et Conimbricenses (3), et Suarez (4). Affirmant tamen communissime reliqui auctores, quantumvis dissidentes in præcedenti quæstione (5). Quæ videtur etiam esse S. Thomæ doctrina (6), quidquid reclamet P. De Benedictis.

(1) Suarez (*Metaphys.*, disp. 14, sect. 3, num. 58), apud quem hæc controversia per totam illam sectionem sapientissime discussa legi potest. Cfr. auctores alii superius citati.

(2) Vide Hurtad. (loc. cit. subsect. 2), Arriaga (loc. cit. subsect. 5.ª), De Benedictis (loc. cit. paragr. 4).

(3) Loc. cit. art. 2.

(4) *Metaphys.*, disp. 14, sect. 4, num. 4.

(5) Ita cum pluribus priscis Scholasticis Conimbricenses (loc. cit. art. 2), Suarez (loc. cit. sect. 4, num. 5 seqq.), Bellarminus (*de Eucharist.*, lib. 3, cap. 24), Lugo (*de Eucharist.*, disp. 10, sect. 1, num. 7), Joannes a S. Thoma (loc. cit.), Rhodes (loc. cit.), Soarez lusitanus (loc. cit. paragr. 4, num. 106), Oviedo (loc. cit.), Semery (loc. cit., *Dubitatur autem*), Lossada (loc. cit. cap. 6), Antonius Mayr (loc. cit. num. 1447), etc.

(6) Vide loca citata in *Ontolog.*, num. 281, pag. 822, ac nominatim 1. 2. quæs. 7, art. 1, ad 3.um; 4.ª dist. 12, qhæst. 1, art. 1, solut. 3 fin.; opusc. *de Natur. accidentis*, cap. 1; *de Virtut.*, quæst. 1, art. 3.

Nimirum communissimum est inter Philosophos asserere, quod non omnia accidentia sint immediate in suo subjecto (sive illud sit sola materia prima sive totum compositum), sed aliquod immediate, et alia mediate, nempe medio priori ac supposito illo. Quamquam mox discrepant inter se in statuenda conditione ac ratione hujus medii, quod sit quodammodo subjectum reliquorum accidentium, aliis contendentibus illud esse subjectum dumtaxat *quo*, aliis vero subjectum *quod* proximum, qua de re sufficiant, quæ dicta sunt in Ontologia (1). Porro subjectum ejusmodi (sive *quod*, sive *quo*) cæterorum accidentium frequentissima tenet opinio esse quantitatem, prætermisso et excluso commento Pauli Soncinatis et Chrysostomi Javelli (2), qui principium illud aristotelicum: *Actus et potentia sunt in eodem genere* (3), perperam interpretantes, arbitrati sunt, ut accidentia recipi queant in substantia, prærequiri in ea potentiam aliquam, quæ nec sit materia nec forma, sed accidentalis quædam entitas, *reductive pertinens ad idem prædicamentum, in quo est ipsum accidens recipibile*. Hisce pro quæstionis declaratione præmissis, sit

345. PROPOSITIO. **Cætera accidentia, de quibus in toto hoc articulo disputatur, probabilius videntur in quantitate immediate recipi, eaque media in materia.**

Cætera accidentia in quantitate immediate recipiuntur.

Prob. Accidentia probabilius in quantitate proxime recipi dicenda sunt, si id experientia quodammodo confirmari videtur, nec repugnet generali conditioni accidentis, ut aliis accidentibus substet. Atqui ita se res habet. **Probatur prima pars Minoris.** Nam colores communiter dicuntur esse in superficie, et calor cum diffunditur per corpus, per ejus quantitatem extenditur. Item affectiones quantitatis sunt raritas et densitas, non solum formalis sive in actu secundo, quæ in extensione actuali consistit, verum etiam radicalis sive in actu primo, quæ ut inferius probabitur, in qualitate quadam

(1) Num. 281, pag. 820, *Altera vero difficilior est quæstio.*

(2) Vide Soncinatem (*Metaphys.*, lib. 12, quæst. 27), et Javel. (*Metaphys.*, lib. 12, quæst. 8).

(3) De quo vide *Ontolog.*, num. 228, pag. 626 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consistit. Profecto si raritas et densitas sint immediate in materia, eidem immediatius, quam quantitati, præstabunt formales effectus *raræ* ac *densæ*, cum materia non sit incapax eorum. Hoc autem est contra sensum omnium, qui hosce effectus a quantitate derivant in materiam, non e converso. Figura etiam est immediate in quantitate. Idipsum denique cernitur in sanctissimo Eucharistiæ miraculo, ubi adsunt omnia panis et vini accidentia, nec aliud habent subjectum præter quantitatem. Quod si contendas cum quibusdam apud Cardinalem de Lugo (1), qualitates corporeas in Eucharistiæ sacramento nullatenus inhærere quantitati, sed immediate a Deo sustentari, in primis dicendum tibi erit consequenter, α) Hostiam sacram non posse naturaliter calefieri, nec impelli, nec aliter pati ab agentibus naturalibus, utpote quæ nihil agere possunt nisi in rem quantam et media quantitate: β) omnia ibi accidentia erunt dissoluta et inconnexa, nec poterunt proinde sine novo miraculo Dei ad motum quantitatis moveri: γ) nullam pugnam ibi esse cum accidentibus corruptivis et naturalibus agentibus, nam omnis ejusmodi pugna circa commune aliquod subjectum exercenda est, unde nec dari poterit naturaliter corruptio specierum. δ) Ex quibus omnibus sequitur multiplicanda esse miracula sine cogente necessitate, ne videlicet admittatur id, quod ipsa sensuum experientia testari videtur.

Dices forte, in Eucharistia quidem, operante Deo, cætera accidentia inhærere quantitati; inde tamen non sequi, quod etiam inhæreant in connaturali statu, quia tunc habent aliud subjectum, materiam ipsam primam, a qua sustententur, ac dependeant in *esse*.—**Respondeo**. Fateor equidem id non ineluctabili necessitate sequi; sequitur tamen, opinor, satis probabiliter. Quia si nulla est improportio in quantitate ad sustentanda alia accidentia, supposito quod ipsum prius sustentetur vel a materia naturaliter, vel a Deo miraculose, qualis certe improportio nulla datur; convenientius dicitur accidentia illa, prout inhærent in quantitate post miraculum, simili modo inhæsisse ante patratum miraculum. Quare donec urgens ratio aliqua in contrarium adducatur, superflue fingitur

(1) Loc. cit. sect. 1, num. 5.

nova et miraculosa inhæsio in illis accidentibus, quæ sic ab uno subjecto in aliud transmigrarent, nempe a materia ad quantitatem; dicendumque potius cum Aquinate conferri *dimensionibus; quæ fuerunt panis, ut sine subjecto subsistant in hoc sacramento, quod est prima proprietas substantiæ;* et per consequens datur eis, ut sustineant alia accidentia, sicut et sustinebant, quando substantia eis suberat (1).

Probatur secunda pars Minoris. Quod non repugnet generalis accidentis conditioni, ut aliis substare possit, patet in variis exemplis. Nam imprimis habitus operativi immediate inhærent potentiis, ad quas juvandas ordinantur, quæ proinde illis substant; habitus enim non juvant potentias, nisi facilitatem præbendo ad actus, præbent autem hanc facilitatem, non agendo aliquid in illis, sed informando eas. Unde Theologi docent fidem divinam esse in intellectu, et charitatem in voluntate. Similiter species impressæ recipiendæ sunt in potentia cognoscitiva iisdem proportionata: et actus vitales generatim loquendo, cum sint essentialiter immanentes, debent in proximo principio, unde procedunt, immediate recipi, videlicet in potentiis, quas nunc supponimus esse accidentia realiter ab animæ substantia distincta (2).

Dices 1.° Testante Aristotele (3), accidens non inhæret accidenti.—**Resp.** Philosophum recte posse ita explicari, ut solum voluerit nullum accidens posse esse primum subjectum *quod*, et fundamentum alterius. Cui doctrinæ nullatenus repugnat, quod accidens a substantia prius sustentatum, possit vicissim alia sustentare (4).

Dices 2.° Forma nequit esse principium patiendi aut recipiendi: alioqui confunditur munus formæ cum officio materiæ. Atqui omne accidens est vera forma accidentalis. Ergo non potest esse principium alterius accidentis receptivum.—**Resp.** *dist.* Major. Forma quatenus est forma, vel quatenus informat, et actuat aliud, *conc.*; quatenus et ipsa perfectibilis est, *neg.* Et *neg.* conseq. Quod enim est forma

(1) S. Thom., 4.° dist. 12, quæst. 1, art. 1, solut. 3 fin.
(2) Lege de his P. Lossada loc. cit.
(3) *Metaphys.* lib. 4, text. 13 et 14.
(4) Cfr. S. Thomas. *(Metaphys.* lib. 4, lect. 7, paragr. ultimo), et Suarez (loc. cit. sect. 4, num. 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

respectu unius, potest esse potentia respectu alterius, ut constat in anima rationali, quæ est actus ac forma materiæ, et simul subjectum suarum potentiarum spiritualium.

Dices 3.° Qualitates materiam disponunt ad formam substantialem. Ergo materiæ inhærent.—**Respondeo**, sufficere, quod inhæreant mediate. Qualitates enim eatenus disponunt materiam, quatenus et expellunt accidentia contraria novæ formæ, et indifferentiam materiæ determinant. Utrumque autem præstare possunt absque immediata inhæsione in materia: primum quidem, quia contraria accidentia pariter inhærebant qualitati; secundum, quia indifferentia materiæ determinatur eo ipso, quod quantitatem recipiat talibus qualitatibus affectam. Si enim indifferentia, quam agens æquivocum habet ad plures effectus, v. g. sol ad siccandum lutum, ad emolliendam ceram, ad varias functiones vegetales exercendas in plantis etc., ad unum præ aliis adstringitur a dispositionibus, in passo existentibus, haud ægre poterit quoque indifferentia materiæ limitari ac determinari a dispositionibus in propria quantitate receptis (1).

Dices 4.° Munus quantitatis proprium est extendere subjectum et penetrationem corporum impedire. Ergo frustra obtruditur novum istud munus recipiendi alia accidentia. Cum potissimum nullo ex capite videatur materia improportionata ad recipiendas immediate qualitates, sicut immediate recipit quantitatem.—**Resp.** Illud quidem esse primarium quantitatis munus; undenam autem probatur esse unicum? Quod autem materia non sit proportionata ad recipiendas immediate qualitates, sicut recipit quantitatem, satis colligitur ex allatis rationibus et indiciis valde probabilibus. Et hactenus de his. Plura dabunt Suarez et alii veteres Auctores.

(1) Lossada, loc. cit. num. 93.

CAPUT II.

DE VARIA CORPORUM ACTIVITATE.

Stabilita realitate qualitatum activitatumque ac virium corporearum, necesse est, ut ad earum varietatem inquirendam gradum faciamus: non enim pauciores hostes habet nostris diebus inter naturalium scientiarium peritos multiplicitas, quam ipsa corporearum virium realitas. Plures sane passim omnium sermone perhibentur vires et activitates corporum; quæ tamen dicuntur esse nonnisi diversæ manifestationes unius ejusdemque realitatis, quæ varias respectu sensuum nostrorum induat formarum species. Cum ergo hactenus generatim probata sit contra recentiores existentia alicujus activitatis, corporibus inhærentis atque ab omni motu et actione distinctæ, videndum est, utrum una dumtaxat, an vero specifice multiplex admittenda sit in corporibus activitas.

ARTICULUS I.

Utrum omnis corporum activitas ad purum motum localem, vel certe ad vim loco motricem revocetur.

Opinio communis Physicorum.

346. Unanimis est ferme vox recentiorum Physicorum, omnia corporea phænomena, quæ nostris sensibus objiciuntur sub nomine caloris, lucis, electricitatis, magnetismi, gravitatis, elasticitatis, cohæsionis, affinitatis chimicæ, aliud re vera in seipsis nihil esse præter localem motum (1). Unde

(1) «Les phénomènes physiques considérés en eux-mêmes, et abstraction faite de leurs rapports avec les êtres capables de sentir et de percevoir, se réduisent à des mouvements. Le son, séparé des perceptions de l'ouïe, la lumière et la chaleur, séparées des sensations qu'elles font éprouver, l'électricité, le magnétisme, séparés des effets divers qu'ils peuvent produire sur des êtres sensibles, ne sont que des mouvements. Les mouvements physiques, recontrant les organes

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

respectu unius, potest esse potentia respectu alterius, ut constat in anima rationali, quæ est actus ac forma materiæ, et simul subjectum suarum potentiarum spiritualium.

Dices 3.° Qualitates materiam disponunt ad formam substantialem. Ergo materiæ inhærent.—**Respondeo**, sufficere, quod inhæreant mediate. Qualitates enim eatenus disponunt materiam, quatenus et expellunt accidentia contraria novæ formæ, et indifferentiam materiæ determinant. Utrumque autem præstare possunt absque immediata inhæsione in materia: primum quidem, quia contraria accidentia pariter inhærebant qualitati; secundum, quia indifferentia materiæ determinatur eo ipso, quod quantitatem recipiat talibus qualitatibus affectam. Si enim indifferentia, quam agens æquivocum habet ad plures effectus, v. g. sol ad siccandum lutum, ad emolliendam ceram, ad varias functiones vegetales exercendas in plantis etc., ad unum præ aliis adstringitur a dispositionibus, in passo existentibus, haud ægre poterit quoque indifferentia materiæ limitari ac determinari a dispositionibus in propria quantitate receptis (1).

Dices 4.° Munus quantitatis proprium est extendere subjectum et penetrationem corporum impedire. Ergo frustra obtruditur novum istud munus recipiendi alia accidentia. Cum potissimum nullo ex capite videatur materia improportionata ad recipiendas immediate qualitates, sicut immediate recipit quantitatem.—**Resp.** Illud quidem esse primarium quantitatis munus; undenam autem probatur esse unicum? Quod autem materia non sit proportionata ad recipiendas immediate qualitates, sicut recipit quantitatem, satis colligitur ex allatis rationibus et indiciis valde probabilibus. Et hactenus de his. Plura dabunt Suarez et alii veteres Auctores.

(1) Lossada, loc. cit. num. 93.

CAPUT II.

DE VARIA CORPORUM ACTIVITATE.

Stabilita realitate qualitatum activitatumque ac virium corporearum, necesse est, ut ad earum varietatem inquirendam gradum faciamus: non enim pauciores hostes habet nostris diebus inter naturalium scientiarium peritos multiplicitas, quam ipsa corporearum virium realitas. Plures sane passim omnium sermone perhibentur vires et activitates corporum; quæ tamen dicuntur esse nonnisi diversæ manifestationes unius ejusdemque realitatis, quæ varias respectu sensuum nostrorum induat formarum species. Cum ergo hactenus generatim probata sit contra recentiores existentia alicujus activitatis, corporibus inhærentis atque ab omni motu et actione distinctæ, videndum est, utrum una dumtaxat, an vero specifice multiplex admittenda sit in corporibus activitas.

ARTICULUS I.

Utrum omnis corporum activitas ad purum motum localem, vel certe ad vim loco motricem revocetur.

Opinio communis Physicorum.

346. Unanimis est ferme vox recentiorum Physicorum, omnia corporea phænomena, quæ nostris sensibus objiciuntur sub nomine caloris, lucis, electricitatis, magnetismi, gravitatis, elasticitatis, cohæsionis, affinitatis chimicæ, aliud re vera in seipsis nihil esse præter localem motum (1). Unde

(1) «Les phénomènes physiques considérés en eux-mêmes, et abstraction faite de leurs rapports avec les êtres capables de sentir et de percevoir, se réduisent à des mouvements. Le son, séparé des perceptions de l'ouïe, la lumière et la chaleur, séparées des sensations qu'elles font éprouver, l'électricité, le magnétisme, séparés des effets divers qu'ils peuvent produire sur des êtres sensibles, ne sont que des mouvements. Les mouvements physiques, recontrant les organes

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consequenter negant etiam esse in natura ullam vim aut activitatem vel energiam, quæ in seipsa non sit loco motiva; alii vero vim ipsam volunt esse modum quemdam motus

des corps vivants, déterminent des mouvements physiologiques. Ces mouvements sont transmis par les nerfs au centre cérébral. On peut dire que le mouvement physiologique n'est que le mouvement physique transformé pars les organes des sens de même à peu près que les vibrations de l'air dans un orgue sont diversement modifiées par la forme et la grandeur des tuyaux dans lesquels elles pénètrent Au mouvement physiologique du centre cérébral correspondent les phénomènes de la sensation et de la perception, faits psychiques harmonisés avec le mouvement de la matière, mais d'un ordre différent, et qui deviennent le point de départ de tout un monde de pensées et de sentiments.» Naville (*La Physique moderne*, 1.re étude pag. 3, 6). «Affirmer que tout phénomène physique en soi n'est que le mouvement, tel est le premier charactère de la physique moderne. Il est convenablement exprimé par ces ternes: *Nature mecánique des phénomènes.*» Id. (ibid. pag. 7).

«Outre les lois generales de la dynamique et leur application aux actions réciproques des corps solides, liquides et gazeux, la physique embrasse la théorie de ces agents qu'on nommait récemment encore imponderables—la lumière, la chaleur, l'électricité, le magnétisme, etc. *Touts ces agents sont traités aujourd'hui comme des formes de mouvement, comme des manifestations différentes de la même énergie fondamentale*, et comme soumis a des lois qui ne sont que des corollaires de la loi de sa conservation.» Stallo (*La Matiere et la Physique moderne*, chap. 2, pag. 11).

«Avant qu'on eût bien compris le caractère d'universalité de la *force*, telle etait l'idée qu'on se faissait des forces particulières; on parlait du fluide électrique, du calorique, de la gravité, comme d'essences réelles, surajoutées en quelque sorte à la matière. Iusqu'à Rumford, on a cru que la chaleur était une matière entrant dans les interstices des corps comme l'eau dans les canaux d'une éponge. Le langage de la physique n'est pas encore débarrassé de ces locutions vicieuses. fluide électrique positif, fluide électrique négatif. On a pour jamais renoncé pourtant aux théories qui considéraient l'électricité, la lumière, la chaleur, etc., comme des fluides circulant dans l'univers. Nous avons été conduits à regarder *tous les phénomènes physiques comme de simples mouvements des corps ou de l'éther*.» A. Laugel (*Les Problèmes de la nature, La Dynamique*, pag. 91. Paris 1873).

«Dalle sottili indagini ultimamente practicate sull'universo sensibile appare ormai chiaro che egli «è costituito da una sostanza unica, sempre in preda a movimenti vorticosi e vibratori. Il moto vorticoso di cotale sostanza genera, senza più l'atomo ponderabile; e questo, col modificare la pressione sull'etere circonstante, dà luogo

localis. Quod si auctoribus istis alterationes et augmentationes mutationesque varias a locali motu distinctas objicias, quæ quidem passim videre in natura videmur, sive cum nova generantur corpora, sive cum vetera corrumpuntur, et ab una forma in aliam diversam convertuntur; ad quas operationes peragendas virtutes quoque activæ a viribus loco motivis penitus distinctæ admittendæ videntur esse: recentiores quidem Philosophi illi, quibus Physicorum placita parumque firmæ hypotheses plus æquo videntur arridere, non negant dari in corporibus *augmentationes diminutionesque* et varias *alterationes;* nolunt tamen in iis aliam actionem a motu locali reapse diversam videre; nempe «docent quamcumque actionem agentis physici et passionem subjecti, quibus terminus ille uterque (augmentationis vel alterationis) tandem obtinetur, esse formaliter motum localem vel unius corporis in aliud, vel intestinum motum partium corporis» (1). Quare corpus aliquod alterari non est aliud, quam ejus particulas interne sic aut aliter moveri motu pure locali: nec corpus augeri aliud est, quam particulas materiæ aliunde adductas prope ipsum collocari. Ideo corpora incorruptibilia sunt prorsus secundum suam entitatem, non solum substantialiter, verum etiam accidentaliter, utpote quæ nullam aliam realem mutationem subire possunt præter meram variationem secundum locum; omnis enim activitas

quomodo hi exponent augmentationes et alterationes corporum

alle gravitazioni universale e particolare. Oscillando poi con le proprie particelle, produce le mirabili azioni luminose e calorifiche, mentre divorziando il suo moto rotatorie e, per conseguenza, la pressione e densità sua, viene a suscitare i fenomeni dell'electricità. In fine, con solo orientarsi parallelamente ne' suoi assi di rotazione, desta le azioni del magnetismo.» Felix Marco apud cl. Vincentium Liverani (*Sui principi supremi*, etc., cap. 29, pag. 275).

Vide etiam Balfour Stewart in suo opere, *La Conservation de l'energie*, passim, ac nominatim num. 49 seqq., ubi conaturprobare, calorem esse speciem quamdam motus (*La chaleur est une une variété de mouvement*), et num. 56, 57, ubi statuit cujus generis motus sit calor (*La chaleur est un mouvement d'avant en arrière et d'arrière en avant*). Vide denique, ut alios omittam, P. Angelum Secchi in suo celeberrimo opere, *L'unità delle forze fisiche*, in quo probare contendit omnia phænomena, atque adeo vires omnes naturæ, ad localem motum, quamvis aliud esse videantur, esse revocanda.

(1) Palmieri, *Cosmol.* thes. 18.

corporea motu locali aut ciendo aut transformando absolvitur, et comprehenditur. Hoc modo ipsæ combinationes chimicæ, generationesque substantiales novorum corporum uni varietati ac mutationi atomorum secundum localem motum debentur (1).

quomodo phænomena caloris.

Nominatim vero calorem in motu particularum formaliter repositum voluere, aliis tamen repugnantibus, Baco, Cartesius, Newton, Leibnitzius et alii, ac postea Benjaminus Thompson, Davy, Bernouilli, Lavoisier, et Laplace, et recentioribus temporibus Herapath, Joule, Rankine, Clausius, Maxwell, et alii (2), quorum multi conantur huic asserto aliquod præsidium ex Thermodynamica exquirere. Similemque opinionem circa lucis et electricitatis naturam plurimi habent apud Zanon. Adversus istas opinationes fuerunt non pauci, qui ad explicanda phænomena caloris, lucis et electricitatis substantiam quamdam vel fluidum imponderabile excogitarent, quod e corporibus emissum phænomena ista produceret. Hæc tamen doctrina, quæ ex perperam intellectis qualitatibus corporeis enasci potuit, communiter jam

lucis et electricitatis.

(1) Vide Palmieri (loc. cit.). Cfr. Secchi (*Unità delle forze fisiche* passim, et potissimum, t. 2, lib. 4, et t. 1, lib. 1), Provenzali (Disserta. *Sopra la natura dell' azione chimica*).

(2) Vide cl. Zanon *(Analisi delle ipotesi fisiche*, pag. 48 seqq., pag. 84, 103, 106, seqq., Venezia 1885). In ratione autem motus, in quo calor reponendus sit non parum variant auctores. P. Secchi constituit calorem in motibus translatoriis et rotationis (*Forze fisiche* lib. 1, cap. 6); Clausius in motibus particularum translatoriis et vibratoriis cum aliqua etiam rotatione (apud Rubbini, *Calore e Movimento*, num. 15); Rankine in motibus vorticosis molecularum; supponit namque tum singulas atomos tum plurium atomorum turmas et conglobationes athmosphæra quadam ætheris circumdari, motuque rotatorio agitari, unde in moleculis gignantur vortices, in quibus calor consistit (apud Rubbini, ibid. num. 35); Tyndall vero fatetur incertum adhuc esse genus motus, in quo natura caloris sita sit. (Apud Rubbini, ibid. num. 37). Circa lucem similis est varietas opinandi, ut videre est apud cl. Zanon (loc. cit. cap. 1, part. 2): alii enim eam constituunt in vibrationibus particularum ipsius corporis luminosi, alii in vibrationibus ætheris corpus permeantis, ac particulas ejus singulas circumdantis. De electricitate autem et magnetismo res est adhuc magis dubia, ut videre est apud eumdem Zanon (oper. cit. part. 2, cap. 3 et 4).

deserta est, quamquam nostris diebus iterum e cineribus excitata videatur ab Hirnio. Jam si nullum est in natura phænomenum, quod a motu locali distinguatur, logice concludendum erit, nullam aliam activitatem esse in corporibus præter vim loco-motricem, etiam in eorum sententia, qui vires et activitates corporeas ab ipsis localibus motibus distinctas nullas vellent admittere (1): quam doctrinam superius confutavimus. Solum ii, qui liberaliores hac in re videri volunt, præter vim loco motricem largiuntur *vim resistendi*, et etiam *vim quamdam constrictivam*, si cui necessaria videatur ad hoc, ut diversas particulas corporis mutuo vinciat, adhærentesque constanter teneat (2). Hinc etiam satis communiter definiunt naturalium scientiarum cultores corpoream vim per ordinem dumtaxat ad motum localem (3).

Communis Scholasticorum sententia.

Nos vero cum communi Scholasticorum sententia multiplices corporibus vires et qualitatis pro varietate actionum

(1) Audi unam ex propositionibus atomismi mechanici: «Toute energie dite potentielle est *en realité motrice*. Le mot *énergie* dans le langage de la Physique moderne designe *la cause du mouvement*. Un mouvement ne peut venir que d' un mouvement, ni se convertir qu'en un mouvement». Stallo (oper. cit. chap. 2 fin, pag. 12). Quam ad rem etiam scripserat Helmholtz: «L' objet des sciences naturelles est de trouver les mouvements sur lequels tous les autres mouvements sont basés, et les forces motrices correspondentes». Apud Stallo (ibid. pag. 3, 4).

(2) Vide cl. Palmieri, *Cosmolog.*, thes. 3, part. 2, pag. 33. Roma 1875; thes. 17 sub. fin., thes. 18.

(3) Haud parum solicite quærunt quidam auctores neoterici virium definitionem: et quamvis alii aliter conentur rem exponere, communissime tamen conveniunt in excludenda ab ejus conceptu ratione principii quorumlibet aliorum effectuum præter localem motum. Secundum Poisson: La force «e' est la cause quelconque qui met un corps en mouvement, ou seulement qui tend à le mouvoir, lorsque son effet est suspendu ou empêché par une autre cause». Poisson (*Traité de Mécanique* tom. 1, pag. 2). Moleschott definivit vim «una *proprietà della materia per cui viene reso possibile un suo movimento.*» Vide opus ejus *La circolazione della vita*, pag. 261. Purgottio (*La Combustione*, pag. 65) vis est «quella causa che agisce sui corpi per modificarne lo stato di riposo o di movimento». S.t Robert definit vim «*la pression ou la tension qui agit sur un corps pour en modifier l' etat de repos ou de mouvement.*» S.t Robert. in opusc. *Qu' est-ce que la force*, (quod Balfour edidit ad calcem sui operis *La conservation de l'energie*, pag. 179).

Quid sit vis

specifice diversarum asserendas et propugnandas pro virili esse arbitramur; nomine autem *vis* intelligimus quamcumque virtutem vel potentiam vel principium proximum agendi, sive immanenter sive transeunter, sive ad motum localem de novo gignendum, sive ad sistendum sive ad transformandum alium prævie existentem, sive demum ad quemcumque alium producendum effectum aut operationem. Ut autem melius multiplicitatem virium specificam evincamus, ostendendum prius erit perperam a Physicis phænomena omnia naturæ ad purum motum localem revocari.

347. Propositio 1.ª **Omnis actio corporum cum locali motu conjuncta est.**

Omnis actio corporum cum motu locali conjuncta est.

Probatur 1.º *Nullum corpus agit nisi, moveatur, eo quod oporteat agens et patiens esse simul, vel faciens et factum. Simul autem sunt, quæ in eodem loco sunt, locum autem non acquirit corpus, nisi per motum* (1).

Prob. 2.º Ex innumeris Physicorum experimentis, veritatem hanc apprime confirmantibus; ex quibus habetur id, quod dudum docuerat Aquinas: *Nullum corpus agit, nisi tangendo et movendo.* Atque hæc causa fuit, cur plurimi naturalium scientiarum cultores, eo quod in omnis activitatis corporeæ exercitio certam semper motus mensuram deprehenderent, aliud quidpiam fieri negarent, nimis sane præcipiti judicio, ut jam videbimus. Aliud videlicet est actionem omnem corpoream comitari motum, et aliud eam in solo motu consistere. Quid enim vetat motum localem esse instar vehiculi, quo medio multiplex corporum efficacitas exerceatur?

Prob. 3.º Omnis actio corporum præter motum localem revocatur vel ad augmentationem vel ad alterationem. Atqui neque augmentatio neque alteratio de novo esse potest in natura sine locali mutatione. Rem egregie probat Angelicus ex Aristotele: *Augmentum... esse non potest, nisi alteratio præcedat; quia illud, quo aliquid augmentatur, est quodammodo dissimile, et quodammodo simile. Quod enim sit dissimile,*

(1) S. Thom. lib. *2 Contr. Gent.*, c. 20. Cfr. 1 p., quæst. 45, art. 5; 7.º *Physicor.*, lect. 3; et 8 *Physic.*, lect. 14, paragr. 6; cum Aristot. ibid.; opusc. *de Natura materiæ*, cap. 1.

patet: quia illud, quo aliquid augmentatur, est alimentum: quod est in principio contrarium ei, quod nutritur, propter diversitatem dispositionis; sed quando jam additur, ut augmentum faciat, necesse est, quod sit simile. De dissimilitudine autem non transitur ad similitudinem, nisi per alterationem: necesse est ergo, quod ante augmentum præcedat alteratio, per quam alimentum de una contraria dispositione mutetur in aliam. Secundo vero ostendit, quod ante omnem alterationem præcedat motus localis: quia, si aliquid alteratur, necesse est, quod sit aliquid alterans, quod potentia calidum facit esset actu calidum. Si autem hoc alterans semper esset eodem modo propinquum in eadem distantia ad alterum, non magis faceret calidum nunc, quam prius. Manifestum est ergo, quod movens in alteratione non similiter distat ab eo, quod alteratur; sed aliquando est propinquius, aliquando remotius: quod non potest contingere sine loci mutatione (1).

348. Propositio 2.ª **Phænomena diversissima naturæ, quæ perpetuo nobis ante oculos obversantur, nequeunt ad purum motum localem omnia revocari; sed necessario asserendæ corporibus sunt actiones a motu locali specifice distinctæ.**

Nequeunt omnia phænomena corporum ad purum motum localem revocari.

Prob. 1.º Standum est constanti atque universali sensuum relationi, nec quidquam est adversus illam decernendum, nisi solidissima ratio in contrarium suffragetur. Atqui sententia, phænomena omnia corporeæ naturæ in mero motu locali reponens, cum constanti et universali sensuum relatione reluctatur, neque ullo nititur solido fundamento. Ergo.

Major constat ex veracitate sensuum in *Logica* declarata. Sane latissima via sternitur ad idealismum atque scepticismum, si cuilibet liceat facultatibus cognoscivitis fidem abnegare, ac systemata pro lubito fabricare contra perpetuam experientiam.

Minor probatur quoad priorem partem: *contraria doctrina experientiæ contradicit.* Nam cuivis homini, qui nondum fuerit præconceptis opinionibus imbutus, duo genera

(1) S. Thom., *Physicor.* lib. 8, paragr. *b.* Cfr. superius dicta, cum probatum est, motum localem esse priorem cæteris motibus, num. 207.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

factorum sensus evidentissime demonstrant: aliud eorum, quæ meram loci mutationem continent absque ulla sensibilium qualitatum alteratione, ut cum moveo manum ad scribendum; aliud vero eorum, quæ præter loci mutationem diversissimas animo exhibent ræpresentationes cum magna sensibilium qualitatum variatione, ut cum corpus aliquod comburitur, atque in cineres convertitur. Similia sunt phænomena peculiaria caloris, lucis, electricitatis, etc., in quibus aliquid nobis contuendum objicitur, a motu pure locali manifestissime distinctum.

Minor quod alteram partem abunde patebit inferius ex solutione difficultatum.

Prob. 2.° Dantur procul dubio in corporibus passim innumeræ proprietatum mutationes, quæ actione aliqua fiunt. Atqui solo motu locali fieri nequeunt. Nam α) motus pure localis alium terminum non habet præter novam rei ubicationem. Quis porro sibi persuadeat, per solam loci atque ubicationis variationem novas comparari proprietates? β) Circa motus localis efficacitatem eodem modo discurrendum est, cum agitur de magnis corporum molibus, ac de minimis eorumdem particulis, par enim est utrobique ratio. Atqui motus solus localis certe non variat, sed intactas relinquit, ut experientia notum est, magnarum ac visibilium molium proprietates. Ergo frustra persuadere conantur adversarii ex sola variatione molecularium vel atomicorum motuum novas existere in corpore posse proprietates.

Video posse a Physicis negari hujus argumenti suppositum, dicendo nullas reapse dari proprietates a motibus distinctas; quare cum proprietates in motibus consistant, quamcumque motuum differentiam revera differentiam proprietatum importare.—**Verum id tantopere repugnat** experientiæ communique hominum sensui, ut admitti non possit, donec *evidenter ostendatur* posse puros motus locales, quatumvis modificatos, nobis apparere tamquam aliquid, quod nihil commune cum motu, nullamve prorsus motus speciem ac similitudinem habere deprehenditur.

Prob. 3.° Hinc vero et aliud sequitur. Si enim nullæ sint actiones in natura præter formalem motum, concludendum necessario est sensationes nostras mere subjectivas esse,

minimeque ordini objectivo conformes. Atqui hoc aperte ducit in idealismum et in subjectivismum ac formalismum Kantii. Ergo... Nam si nihil aliud est in corporeis phænomenis præter motum; cum motus nobis aut nullus manifestetur, aut certe non solus, sed simul cum aliis phænomenis; fatendum est aliud a nobis percipi, et aliud esse parte rei: nimirum id, quod purus motus est, nobis aliud a motu cœlo toto diversum, aut certe non purum motum apparere. Cum præsertim ipse motus localis, qui sæpe simul cum aliis phænomenis percipitur, nonnisi eorumdem ope percipiatur. Ecce vides fulgur, vel aliud quodvis coloratum, moveri; tactu sentit cæcus vermem per manum tuam serpere: motum fulguris non *vides* profecto nisi ratione coloris, et si cæcus fores, nullo modo sentires; et simili modo vermis illius motum cæcus non percipit, nisi quatenus est quiddam resistens. Ratio autem horum omnium est, quia motus non est *sensibile proprium*, sed *sensibile commune*, quod proinde nequit percipi *per se primo*, sed ex consequenti dumtaxat (1). Si ergo neque colores neque ulla alia sensibilia phænomena sunt reapse nisi purus motus localis; quomodo, quæso, fieri potest, ut non appareant tamquam motus (immo vero ut nunquam motus per se primo sentiri, et cognosci queat), sed tantum medio alio sensibili, tamquam subjecto et vehiculo ac medio perceptionis? Dicendum ergo est, si qualitates sensibiles in puro motu formaliter consistant, sensus nostros perpetuo falli. Nam docente Aquinate, *dicitur esse veritas vel falsitas in sensu, sicut est in intellectu, in quantum* **judicat, scilicet esse quod est, vel non esse quod non est** (2). Unde *veritas... est in sensu...* **in quantum veram apprehensionem habet de sensibilibus... quod quidem contingit ex hoc, quod apprehendit res, ut sunt** (3). Si ergo nihil est aliud ibi præter motum, sensus certissime falluntur perpetuo.

(1) Audi Angelicum Doctorem: *Sensibilia communia non movent sensum per se primo et per se, sed ratione sensibilis qualitatis, ut superficies ratione coloris.* S. Thom. (1 p., quæst. 78, art. 3 ad 2.um). *Cfr. Logic. Major* (num. 108, pag. 508).

(2) S. Thom., *de Verit.*, quæst. 1, art. 11.

(3) S. Thom., 1 p., quæst. 17, art. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dices eam esse naturam facultatum nostrarum cognoscitivarum, ut motus varii sub forma et quasi veste sensibilium qualitatum repræsententur.—**Videlicet**, inquam, hæc est natura facultatum nostrarum, ut res aliter, ac in seipsis sint, percipiant, ac proinde sint fallaces natura sua.

Repones, motus intestinos particularum materiæ ideo non posse nostris sensibus percipi, prout in seipsis sunt, quia sunt minutissimi, ac proinde improportionati, ut videri possint.—**Concedo**, sed cur tunc videntur sub aliena forma et specie? Si enim nihil est præter motum, et motus ipse ob suam tenuitatem attingi sensu non potest, nihil prorsus deberet sentiri. Atqui tamen motus quidem nullus sæpe sentitur, at alia diversissima phænomena sentiuntur. Si ergo vera est advesariorum doctrina, logice vitari non potest idealismus. Nam certum est corporum notitiam haberi a nobis in hac vita non posse nisi ope qualitatum, quas vocant, sensibilium. Certum pariter est a nobis qualitates percipi tamquam aliquid a motu diversissimum. Si ergo perceptio qualitatum est pure phænomenica meraque illusio sensuum, propterea quod illæ non sunt id, quod apparet nobis, sed purus motus; quis fidat sensibus? quove jure revincendus erit idealista vel formalista Kantianus asserens, neque motum ipsum neque corpora ulla esse in rerum natura, sed solum phænomena et spectra corporum, aut certe id a nobis sciri vel affirmari non posse, ac proinde formam cognitionum nostrarum esse subjectivam, nec circa corporeum mundum aliud decerni a nobis posse, nisi *quale* aut *quomodo* nobis *appareat*, non autem *quid* vel *quomodo* sit?

Respondebis periculum idealismi satis effugi ex eo, quod ratio persuadeat repræsentationes sensiles corrigendas ita esse, ut phænomena omnia naturæ, quantumvis aliud appareant, in puro motu locali sita esse statuamus.—**Verum in primis** exinde sequitur, sensus nostros *in omnibus suis operationibus*, sola excepta repræsentatione localis motus, decipi. Ergo fatentibus adversariis, sensus plerumque aut fere semper falluntur; id autem maximum est præjudicium contra veracitatem facultatum cognoscitivarum. Præterea si repræsentationes sensibilium qualitatum, quibus nihil est evidentius in omnibus nostris cognitionibus, fallaces re vera sunt, neque

exhibent objectum, prout est in se; videant Physici, quid respondere possent ei, qui negaret objectivam realitatem perceptionis motus localis. Denique ratio certissime non persuadet phænomena omnia naturæ in motu reponenda esse. Argumenta omnia, quibus id evincere Physici contendunt, certa nullatenus sunt; sed ut mox videbimus, partim incertis hypothesibus nituntur, partim falsissima supponunt principia, partim solum probant phænomena illa motum comitem habere, vel eum proxime antecedere vel subsequi, ex quo nullatenus licet, si leges recte ratiocinandi servare velimus, illico identitatem concludere; partim denique ex absurdo puerilique horrore proficiscuntur, quo multi naturalium scientiarum cultores, sensismi, materialismi et positivismi turpissimo luto infixi, quidquid sensilem perceptionem paululum transcendit, quidquid subtilioris abstrusiorisve naturæ aut entitatis sapit, cane pejus et angue refugiunt (1).

Prob. 4.° Præterea sententia phænomena omnia ad purum motum localem revocans, multa vel gratuita vel etiam falsa supponit. Nam si calor, lux, electricitas et magnetismus, cohæsio, affinitates chimicæ, colores, soni, odores, sapores, cæteræque hujusmodi manifestationes non sint nisi varietates quædam localis motus: ergo quoniam phænomena ejus generis plura simul in eodem corpore dari queunt, inesse dicendi sunt simul in eodem subjecto plures ac diversi motus locales. Deinde plures et implicatissimi motus fingendi sunt, ac porro finguntur intra corpoream compagem, alii vibratorii, alii rotationis, alii translationis, alii vorticosi, etc. Atqui hæc omnia et sunt contra experientiam, et gratis obtruduntur. Præterea ista doctrina tria generatim gratis supponit: α) supponit in corporea mole non dari extensionem vere unam et continuam, sed ex atomis discretis invicem coalescentem: β) gratis supponit motum nullum extingui unquam posse, sed tantum varie transformari. Nemo autem adhuc satis explicare potuit, cur motus tam varii tamque varie invicem conserti post innumeros atomorum inter se

(1) Hæc nunc sufficiant de objectiva qualitatum sensibilium realitate. Plura, si necesse sit, addentur in *Psychologia*, ubi sermo erit de objectis sensuum; video enim jam volumem hoc ultra modum excrescere.

concursiones et affrictus non extinguantur (1); nam ad explicandam phænomenorum perseverantiam et energiæ conservationem, si omnia in motu consistant, necesse est cum adversariis dicere motum extingui non posse. Quamobrem alii alias invehunt ad perennem istam motus conservationem tuendam hypotheses, ut ipsa sua inanitate labantem doctrinam fulcire utcumque nitantur (2). γ) Denique supponit a corpore, quod est in motu, nihil nisi motum gigni posse. Cum enim experientia notum sit ex motu calorem, ac vicissim ex calore motum sæpe consequi, itemque calorem, electricitatem, magnetismum et lucem, alia in alia commutari per *circulationem*, quam dicunt, vel *correlationem virium;* illo innixi principio, *Motu nihil nisi motum gigni posse*, illico realem identitatem horum omnium phænomenorum cum locali motu concluserunt. Atqui principium istud primo perperam enuntiatur; quia motus non recte ac proprie dicitur gigni ab alio motu, sed a motore. Deinde vero undenam probant adversarii a corpore, sive quiescente sive etiam in motu constituto, nihil nisi motum localem produci posse? Donec autem id probent, aliud revera non obtinebunt suis clamoribus, nisi levitatem suæ assertionis prodere. Denique falsum est motum motu gigni posse; non enim datur motus ad motum, sed ut probatum manet, motus generatim sumptus solum ad quantitatem, vel ad qualitatem, vel ad locum dari potest, unde triplex existit motus: augmentatio, alteratio et motus localis. Terminus ergo hujus postremi motus, quem solum norunt adversarii nostri, alius esse non potest nisi locus vel ubicatio nova, non autem alius motus, sive transformatus sive non transformatus.

Quæ cum ita sint, necesse non est, doctrinam Physicorum seorsim in singulis phænomenis refutare. Quamvis quæ colores, sonos et cætera sensuum objecta respiciunt, satis nuper exclusa manent ex periculo idealismi: cohæsionem etiam et affinitatem explicari non posse per purum motum

(1) Vide Rev. Joseph. Rubbini (in opuse. *Calore e movimento*, num. 14 seqq.; num. 24 seqq.). Cfr. Stallo *(La Matière et la Physique moderne*, chap. 4).

(2) Vide fuse de his disserentem clarissimum Zanon *(Analisi delle ipotesi fisiche*, Venezia 1885).

localem, jam alias probatum fuit, cum atomistica sententia circa essentialem corporum constitutionem reprobaretur (1). De calore, luce et electricitate idem dicendum est, saltem secundum specificam ac propriam eorum rationem, secundum quam sensibus contuenda esse objiciunt, sunt enim et ipsa procul dubio sensuum objecta. Quare si in ejusmodi peculiaribus phænomenis reapse deprehenditur motus aliquis particularum materiæ, quemadmodum asserunt Physici, quamvis in re declaranda mirifice varient eorum sententiæ (2); semper tamen negandum est, id quod iidem parum logice concludunt, videlicet nihil esse in talibus phænomenis præter motum. Quod vero attinet alia phænomena caloris, lucis et electricitatis, quæ chimicas potissimum actiones respiciunt, distinguenda etiam sunt a motu locali, ut abunde constat ex dictis in prima hujus libri disputatione, ubi mutationes corporum substantiales ad mentem Peripateticorum propugnavimus (3). Cæterum quod phænomena potissimum caloris non consistant in solo motu, testantur etiam clarissima scientiarum physicorum lumina, et nominatim Mayer (4) et Hirn (5), gravissimi *Thermodynamicæ* auctores. Hic postremus

(1) Vide supra num. 141, *Prob.* 3.ª *pars*, arg. 6 et 8.

(2) Vide cl. Zanon, *Analisi delle ipotesi fisiche*, part. 2.ª, cap. 1, pag. 277 seqq.

(3) Vide supra num. 131.

(4) «Du rapport continu qui existe entre la gravitation et les mouvements qu' elle produit nous ne saurions toutefois conclure que l' essence de la gravité est un mouvement, et cette conclusion s' étendrait tout aussi peu à la chaleur. *Bien loin de là, nous sommes amenés à formuler l'idée toute contraire, et à dire que, pour devenir chaleur, il faut que le mouvement, qu' il soit d' ailleurs continu ou vibratoire, cesse d' être mouvement*». Mayer apud Hirn, *Théorie mécanique de la Chaleur*... tom. 1.er, chap. 142. Paris 1875.

(5) «L' hypothèse, quoique *gratuite, car il n' est pas possible d' employer une autre épithète*, l' hypothèse, généralement, universellement admise aujourd'hui, c' est que la chaleur, la lumière, l'électricité ne sont que des modes de mouvement de la matière. J'ai examiné cette interprétation ailleurs, avec tous les soins possibles, sans quitter un seul instant le terrain des faits purs et simples, *et j'en ai montré l' insuffisance*». Hirn, *Nouvelle réfutation des théories cinétiques*, pag. 10. Oper. cit. tom. 2, pag. 427. Cfr. *Analyse élémentaire de l' Univers*, pag. 277.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scriptor non semel etiam docet principia *Thermodynamicæ* nullatenus pendere ex sententia calorem in motu reponente, vel ex quavis alia doctrina circa naturam caloris (1). Alibi vero carpit eos, qui phænomena imponderabilium, caloris nempe, lucis, electricitatis, magnetismi, ad motum localem reducunt (2). Qua de re videndi sunt etiam

(1) «Mais je dois relever encore un autre genre d' erreur où est tombé le public scientifique en presque totalité. Non seulement on a cru que la Thermodynamique repose sur une hypothèse métaphysique relative à la nature du calorique, mais, lorsqu' une fois on se fut convaincu de la solidité de la nouvelle science, on a fini par admettre que cette hypothèse prétendue unique se trouve justifiée désormais par les faits. *On a admis, en quelque sorte sans discussion, que la force en général n' est absolument qu' un mode de mouvement de la matière et que cette assertion est la seule qui satisfasse aux données expérimentales et incontestables de la Thermodynamique, qu' elle est la seule même qui ait été posée par les fondateurs de cette doctrine.* A ce tout dernier point de vue, je commence par rappeler un fait frappant auquel, faute de remonter aux sources historiques, notre public savant n' a prêté nulle attention. *Les trois hommes éminents, qui à peu près à une même époque ont formulé les principes nouveaux, sont partis chacun d' une idée différente, non seulement quant à la chaleur, mais quant à la nature de la force en général*». Hirn, op. cit. tom. 1, pag. 142. Cfr. ib. pag. 141, 272 et 275.

(2) «Dans mon *Analyse élémentaire des principes constituants de l' Univers*, j'ai examiné avec toute l' attention possible les interprétations en général dans lesquelles on *explique les phénomènes des impondérables par de simples mouvements de la matière pondérable; j'ai fait ressortir ce qu' elles ont de séduisant, de spécieux, mais aussi de faible et de vulnérable.* Pour le moment, et pour les besoins actuels de la Thermodynamique, elles suffisent à un ensemble étendu de faits, comme d'ailleurs n'importe quelle autre, qui, sous une forme quelconque, renferme implicitement le principe de la conservation du travail mécanique; *leur forme figurative des plus faciles à saisir par l' imagination, les rend accessibles à la majorité des intelligences, et c'est là ce qui explique pourquoi elles se sont acquis tant d'adhérents.*» Hirn, ibid. pag. 143.

«Deux des plus grands analystes de notre temps (Rankine et Clausius) ont cherché, d' une manière spéciale chacun, à représenter les phénomènes de la chaleur par des mouvements des atomes matériels. *Si élégantes, si spécieuses que soient ces deux interprétations, rien au monde n'autorise à affirmer cependant que l' une ou l'autre soit plus qu' une simple image; mais ces tentatives d'explication figuratives, qui ont réussi, du moins en un sens, quant à la chaleur, ont complètement échoué quant à l'électricité, quant au magnétisme. La doctrine qui prétend tout expliquer par des mouvements de la matière n'a jusqu'ici rien su produire qui ait seulement l'ombre de la raison, en ce qui concerne les phénomènes d'attraction et de répulsion magnétiques ou électriques; bien plus, elle n'a pas même su définir nettement en quoi le prétendu mouvement de la matière, qui constituerait la chaleur, différerait dans la forme de celui qui constituerait l'électricité statique ou dynamique. Lorsqu' on parle de* **transformation** *on soude de faite une interprétation hypothétique à une autre qui n'a pas même encore une valeur nominale.*» Hirn, ibid. pag. 22. Cfr. ibid., *Préface* pag. XXV et XXVI.

«*Elle est une solution partielle et de plus essentiellement systématique: elle résout certaines faces du problème général, mais néglige à dessein d'autres faces tout aussi importantes... Une discussion un peu approfondie des phénomènes nous révèle la fausseté radicale de toute hypothèse qui prétendra attribuer la totalité des phénomènes d'attraction, de répulsion, de chaleur, de lumière, d'électricité, à de simples mouvements de la matière ou de l'éther.*» «*Il est facile, de signaler les difficultés inextricables, disons les impossibilités contre lesquelles se brise l'interprétation cinétique dans l'explication du plus minime phénomène du monde physique.*» Hirn, *Analyse élémentaire*, pag. 281.

(1) In opusc. *Calore e movimento;* et in alio opusc. *La Termodinamica e la teoria che il calore non sia che puro movimento della materia;* et *Lezioni elementari di Fisica* t. 1, lez. 6, num. 7, 9, 10.

(2) Oper. cit. part. 2, cap. 1, 2, 3, 4.

Rev. Josephus Rubbini (1), et cl. Zanon (2), qui fuse doctrinas recentiorum expendit et refutat.

349. PROPOSITIO. 3.^a **Falsum est activitatem omnem corpoream in vi loco-motrici sitam esse; sed admittendæ sunt in corporibus aliæ veri nominis virtutes et qualitates operativæ.**

Admittendæ sunt in corporibus virtutes operativæ a vi loco-motrice distinctæ.

Prob. 1.° Dantur in corporibus actiones a motu locali distinctæ, ut nuper ostensum est. Ergo et vires ac virtutes ad eas peragendas adsint, necesse est; nisi velimus aut eas actiones a solo Deo produci, aut sine sufficienti causa fieri, quorum alterum occasionalismum inducit, alterum causalitatis principium evertit. Itaque si corpora vere agunt, virtutem habere debent agendi: et si non solum localiter movent, sed alias quoque exercent actiones, alias pariter habeant, oportet, vires a virtute loco motiva diversas, siquidem neque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vis localiter movendi, neque purus motus localis potentiam ad alias actiones conferre corporibus potest.

Prob. 2.° Dantur corpora specifica distincta. Ergo asserendæ illis sunt convenientes activitates pro specifica substantiarum varietate. Atqui nullæ sunt activitates corporum specificæ, si præter resistendi potentiam vimque constrictivam omnis alia activitas in sola virtute motiva vel in solo motu locali reponatur, eoque extrinsecus impresso. Ergo...

Consequentia prima patet. Quia virtus operativa est velut complementum quoddam essentiæ atque instrumentum, per quod agat consentanee ad suam perfectionem specificam. Id quod patet etiam completa inductione corporum omnium, quæ diversis pro cujusque specifica varietate operationibus phænomenisque constanter manifestantur, dum in sua permaneant specie.

Minor vero subsumpta non est minus perspicua. Quia potentia resistendi, præter quam quod non est veri nominis vis, ut alibi vidimus, communis est omnibus corporibus. Vis etiam constrictiva omnibus corporibus inest, utpote quæ compagem et unionem partium integralium peragit. Motus denique passive receptus extrinsecus absque ulla interna exigentia corporeæ naturæ totus pendet ex determinatione causarum externarum, nec valet proinde in ullo vero sensu nomen activitatis specificæ sortiri, nisi vocabulis abutamur; sicut non est activitas specifica motus sagittæ in scopum aliquem directæ, nec motus rotarum alicujus machinæ.

Prob. 4.° Ex analogia viventium corporum. Hæc enim suas procul dubio habent potentias, ac vires activas a motu locali distinctas, nisi velimus materialistarum deliria sectari. Ergo idem quoque dicendum est de reliquis corporibus. Nam simili modo se habent corpora non viventia erga suas actiones, ac viventia erga vitales operationes. Ergo quemadmodum hæ eliciuntur per virtutes ac potentias ipsis corporibus animatis inhærentes, ita etiam actiones inanimatorum propriæ fieri dicendæ sunt.

Prob. 5.° Admissa sententia adversariorum, plura consequuntur absurda, quæ communi omnium sensui repugnant. Et re quidem vera sequitur: α) nullius corporis a nobis cognosci, vel cognosci posse naturam. Cum enim

essentias corporum immediate perspicere nequeamus, in tantum illas cognoscimus, in quantum ope phænomenorum, per quæ se nobis manifestant, in notitiam devenimus proprietatum, quibus illæ ornantur. Hoc modo, et non aliter, cognoscimus ignem, ferrum, sulphur, etc. Jam vero si in corporibus nihil est præter materiam, resistentiam vimque constrictivam, quæ communes omnibus sunt, nisi motus pure extrinseci, ad quos ipsa materia penitus est indifferens; nulla a nobis cognoscitur corporum proprietas specifica, siquidem proprietas rei cujusvis semper et ubique ac necessario rem illam consequitur (1). β) Hinc autem infertur alterius nullam esse specificam corporum discrepantiam, quia quidquid extrinsecus et indifferenter advenit alicui, indifferenter ac passive se habenti, absque ulla physica ejus immutatione, nequit specifice illud variare. Atqui omne corpus convenit in eo, quod sit materia resistentia et vi constrictiva prædita, nec secundum adversarios aliam in diversis individuis varietatem suscipit nisi in eo, quod diversis motibus pure localibus et extrinsecus impressis afficiatur sine ulla interna exigentia individuorum illorum, et sine ulla physica eorumdem immutatione. Unde etiam nullæ erunt in corporibus proprietates vel affectiones *naturales*, saltem si solam resistentiam et vim constrictivam excipias. Nam naturale nihil est in veritate, nisi quod positive conforme est alicui, aut ab ejus essentia exigitur; et per hoc ab omnibus secernitur naturale tum a violento, tum a contingenti. Unde nec ullus erit color, nec sapor, nec sonus, nec calor *naturalis* in ullo corpore. γ) Sequitur amplius ex atomistarum doctrina,

(1) Præclare rem demonstrat Angelicus Doctor: *Si effectus non producuntur ex actione rerum creatarum, sed solum ex actione Dei, impossibile est, quod per effectum manifestetur virtus alicujus causæ creatæ: non enim effectus ostendit virtutem causæ nisi ratione actionis, quæ a virtute procedens ad effectum terminatur; natura autem causæ non cognoscitur per effectum, nisi in quantum per ipsum cognoscitur virtus ejus, quæ naturam consequitur. Si igitur res creatæ non habent actiones ad producendum effectus, sequitur quod nunquam natura alicujus rei creatæ poterit cognosci per effectum; et sic subtrahitur nobis omnis cognitio scientiæ naturalis, in qua præcipue demonstrationes per effectum sumuntur.* S. Thom., lib. 3 *Contr. Gent.*, cap. 69. *Amplius, si effectus.*

nullam revera *dari* naturam. Nam omnes hactenus Philosophi, atomistis ipsis minime exceptis, naturam definierunt ipsam rei substantiam, quatenus est principium internum operationum. Atqui secundum adversarios nulla est alia in corporibus operatio nisi purus motus localis; nullum autem corpus ex seipso gignere motum valet, sed ab alio mere passive recipere receptumque aliis communicare. Dic mihi, amabo, sagitta in scopum directa, vel rota machinæ vi vaporis vel alio modo permota, et alias deinceps rotas movens et impellens, suntne naturæ?—Suntne *internum principium* motus illius, quem aliunde recipiunt? Quis sanus talia comminiscatur? δ) Illud præterea habetur ex his, deesse nempe in universo mundo internam omnem finalitatem, solamque adesse externam, qualis reperitur in iis, quæ ab alio diriguntur extrinsecus ad finem, ad quem per seipsam forent pure indifferentia, quo modo sagitta tendit in scopum mere extrinseca finalitate. ε) Ex iis vero illud ulterius necessario resultat, totam naturam corpoream non esse nisi meram machinam, nec opera naturæ discriminari ab operibus artis, quandoquidem nullum est corpus, quod habeat in se internum principium ullius operationis; omnino sicut machinæ arte factæ, quæ movere nequeunt, nisi externo motore impellente.

Solvuntur difficultates.

350. **Objicies. 1.°** «Motus vel est conditio tantum vel modus, quo activitas exercetur, vel est ipsa formalis ratio activitatis. Atqui nec primum nec secundum. Ergo tertium». Minor probatur. Nam «activitas, cujus exercitii motus sit necessaria conditio vel necessarius modus, nequit esse nisi activitas movens. Atqui activitas movens nequit esse nisi ipsum corpus in motu; activitas enim movens nequit competere corpori ea ratione, ut ipsum se determinet ad movendum, sed ab alio determinari ejus motus debet. Restat proinde, ut activitas movens sit ipsum corpus in motu, sive ratio formalis suæ activitatis sit motus. Ergo...» (1).

(1) Palmieri, *Cosmolog.* thes. 18, p. 123. Rom. 1875.

Resp. *neg.* Minor. Ad probation., *dist.* Major. Activitas etc. nequit esse nisi activitas movens, id est, edens solum motum localem, *nego;* activitas, quæ dum est in motu, alios quoque parere possit effectus præter motum localem, *conc.*

Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq. Mirum est, quista objiciunt, ne unam quidem rationem attulisse, qua probarent corpora, dum moventur aliisque corporibus applicantur, non posse nisi motum localem in illis gignere. Jam vero id est, quod venit in quæstionem, idque probare ante omnia oporteret. Cæterum cum motus localis requiritur a Nostratibus instar conditionis ad exercendam activitatem, planum est illos nolle asserere corporibus sic in motu constitutis solum exercitium activitatis loco motivæ, secus enim secum ipsis pugnarent, sed evincere conantur exercitium multiplicis activitatis, quam in corporibus agnoscunt, ad producendos diversos alios effectus præter localem motum. Adversarii ergo sub specie probationis, nihil probant, sed dumtaxat petunt principium.

Instabis. Si motus non esset formalis ratio activitatis, posset corpus non motum agere. Atqui corpus non motum seu quiescens nequit agere in aliud. Secus enim semetipsum ad actionem determinaret: id quod inertiæ corporum repugnat.—**Resp. 1.°** Etiamsi corpus non posset agere, nisi in motu constitutum, non sequeretur motum localem esse formalem rationem omnis activitatis. Sicut enim homo dum movetur, potest loqui et cogitare, quid vetat alia etiam corpora in motu constituta alias simul actiones exercere? Undenam id probant adversarii? **Respond. 2.°** Corpus quiescens posse agere, quin obstet lex inertiæ. Hæc enim, ut jam superius innuimus, solum respicit localem motum, respectu cujus corpora sunt indifferentia. Respectu autem aliarum activitatum corpora nequeunt dici inertia, nisi ab atomistis mechanicis, adversariis nostris, qui omnem activitatem corporum in mero locali motu passive recepto concludunt. Sed jam ostendimus agnoscendas esse in corporibus activitates proprias et specificas naturæ singulorum convenientes, quæ quantum est de se, semper sunt ad agendum determinatæ ac porro agunt, si passum sufficienter applicatum habeant,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cæteræque conditiones ad actionem requisitæ adsint, de quibus in *Ontologia* disputatum est.

Objic. 2.° Si quæ esset activitas præter localem motum vimque resistendi et constrictivam, ea probaretur vel a priori vel a posteriori. Atqui neutro modo. Non a priori, sive ex conceptu generico substantiæ corporeæ, qui satis salvatur per vim resistendi: sive ex conceptu specifico, qui nisi divinare velimus, ex effectibus ac phænomenis, id est, a posteriori informandus animo est. Sed neque a posteriori. Quia nulla est activitas, effectus aut phænomenum corporum, quod nequeat rite explicari per solum motum.—**Resp.** *conc.* Major., *et neg.* Minor. Nam imprimis supposita specifica corporum distinctione, quam communis hominum sensus experientia ductus admittit, satis probabiliter concluditur a priori diversas illis competere operationes. Nisi enim occasionalistæ velimus esse, fateri debemus Deum corporibus non solum communicasse suam similitudinem secundum *esse*, verum etiam secundum operationem ac virtutes entitativæ perfectioni consentaneas. Jam si et vis resistentiæ visque constrictiva et motus localis communes sunt omnibus corporibus, quærenda varietas est in aliis activitatibus atque operationibus, per quas diversificentur. Sed sive probari a priori sufficienter possit, sive non, certe a posteriori demonstratur cumulatissime.

Objic. 3.° Si quæ vires et qualitates essent agnoscendæ in corporibus, potissimum forent illæ, quæ *sensibiles qualitates* dicuntur, quæ nempe vulgo existimantur a Scholasticis agendo in organa nostra determinare sensationes. Atqui qualitates ejusmodi non sunt nisi motus mechanici ac pure locales. Nam ut omittam nunc qualitates tactiles;

Colores certe consistunt in motibus quibusdam vibratoriis, qui actione lucis in æthere corpus coloratum undique pervadente generati, usque ad retinam per medium interfusum propagantur, ibique similes alios motus vibratorios producunt. **Soni** pariter aliud non sunt, quam tremitus quidam particularum, qui a corpore sonante ad aures pervehuntur. Atque idem dicendum de **odoribus** et **saporibus**, qui pariter sunt, entitative considerati, motus tenuissimarum partium, qui ad os naresve perducti, varie titillant vel papillas linguæ vel organum odoratus.

Resp. *conc.* Major., et *neg.* Minor. ob rationes superius adductas. Quamvis ergo in coloribus et sonis dentur motus, negandum est nihil aliud esse præter motum, aut eos in motu formaliter consistere. Neque id hactenus probarunt Physici, ex quorum experimentis non amplius colligere logice licet, nisi quod in phænomenis ac perceptione lucis, coloris, et soni, adsit motus aliquis. Atqui aliud est esse in aliquo phænomeno motum, et aliud non esse nisi motum, vel illud esse formaliter motum. Id patet vel ex ipsa adversariorum doctrina, secundum quos motus ac tremitus similes illis, qui ponuntur in corporibus, adsunt in ipso organo sentiente. Et nihilominus omnes quicumque non sint materialistæ, negant sensationem in ejusmodi motibus formaliter consistere, sed eam reponunt in alia distincta actione sui generis, quæ simul exerceatur. Idem ergo dicendum est de iis, quæ vulgo dicuntur sensibiles qualitates, ea licet habere possint motus comites, non tamen in motibus consistere. In coloribus ergo præter motus admittenda est qualitas, quæ objectum est visionis. Et similiter in sonis supponenda est realis qualitas, quæ innotescit ipsa indole vocis, tono, acumine vel gravitate cæterisque accidentibus, adamussim respondetibus numero et amplitudini vibrationum et sonorarum undulationum. De odoribus etiam idem fortasse dici potest, sive actio corporum odoriferorum transmittatur per medium, sive ipsæmet particulæ minutissimæ ex illo decisæ immediate determinent organum ad sentiendum. Utrovis enim modo contingat sensatio olfactus, dicendum est, donec contrarium demonstretur, non motum, sed realem qualitatem corpori inhærentem, quæ odoris nomine designatur, olfactu percipi. Sapor denique simili modo est realis qualitas, quæ gustu percipitur per immediatum sapidi corporis cum organo contactum.

Instabis 1.° Certum est colores, ac lucem, et sonos, si quid habeant realitatis a motu distincti, extra organum sentiens reperiri. Ergo nisi admittamus actionem in distans, intelligi nequit, quomodo ad organum deferantur, ut percipi queant. Quod si dicamus, quæ vulgo dicuntur sensibiles qualitates, non esse nisi certi generis motus locales, nullo negotio intelligitur, eos quaquaversus diffusos, ad organum

quoque appellere, ibique sensationem peculiarem determinare.—**Resp.** *neg.* conseq. Res enim, absque ulla actione in distans egregie declaratur in Scholasticorum sententia per *species sensibiles*, qua de re in *Psychologia* fusius est agendum. Pone enim adesse in corporibus veri nominis qualitates, quæ agant, et specificam suam actionem ope localis motus transmittant per medium ad organum: et jam habes potentiam sensitivam sufficienter determinatam ad repræsentandas qualitates illas, in corporibus tamquam vera accidentia inhærentes. Verum hæc longiorem accurationemque disputationem postulant, alibi opportunius instituendam.

Instabis 2.° Experientia notum est qualitates sensibiles augeri, minui et mutari, auctis, imminutis et mutatis motibus particularum.—**Resp.** *trans.* antec., *neg.* conseq. Deinde quæro ab adversariis catholicis, quid responderent Physiologo materialistæ sic argumentanti: Aucto, minuto vel mutato motu particularum corporearum, augetur, minuitur vel mutatur subjectiva sensatio corporis. Ergo sensatio nihil est præter motus mechanicos fibrillarum organi, in quo ipsa peragitur.

Dices sensationem esse actionem toto cœlo diversam a locali motu.—**Equidem** id totum concedo, sed repono etiam repræsentationem objectivam, qua sensibiles qualitates, *color*, *sonus*, etc., menti exhibentur toto cœlo distare a motu ejusve objectiva repræsentatione.

Instabis 3.° Phænomena lucis, caloris, electricitatis ac magnetismi explicari nequeunt, nisi supponatur has vires esse motus quosdam vibratorios varie modificatos; hac vero posita hypothesi egregie declarantur. Ergo probabilissima est hypohesis, omnia hæc per motum physicum explicans.

Respond. *dist.* simili modo 1.am partem anteced. Phænomena illa explicari nequeunt, nisi supponatur hæc agentia in seipsis formaliter esse motus, *neg.*; nisi supponatur agentia hæc efficacitatem virtutemque suam medio motu exercere ac manifestare, *trans.* vel *conc.* Et *contradist.* altera parte antecedentis, *neg.* conseq. Etenim hisce phænomenis id unum probatur, imponderabilia motus quosdam gignere, mediisque motibus eorumdem actionem propagari ab uno in

aliud corpus vel locum; minime vero probatur agentia prædicta non posse esse vires quasdam et qualitates corporibus inhærentes, quæ causæ sint variorum effectuum, qui mediis hisce motibus peraguntur. Enimvero quid vetat dicere lucem, colorem, electricitatem esse qualitates quasdam, quæ corpora, quibus insunt, dum diversimode vibrare faciant, in seipsis varie alterent ita, ut similes alterationes una cum aliis similibus particularum vibrationibus ab uno in alio corpore vicissim gigni possint et propagari? Hoc pacto corpus in se calefactum calefacere alia valebit, et corpus lucidum alia illuminare, et electrizatum alia electrizare secundum illos processus ac leges, quas post accurata experimenta et inductiones stabilire proprium est scientiarum physicarum (1). Simili quodam modo pictor cum pingit non tantum movet manum, sed medio motu scite applicat penicillum, ac transfert colores ad tabulam, pulcherrimasque exprimit imagines. Quamquam non est perfecta paritas in exemplo: pictor enim eosdem numero colores quibus imbutum est penicillum tabulæ appingit; at non eadem numero imponderabilia, v. g. calor, ab uno in aliud corpus migrant, sed tantum corpus calore vel alia hujusmodi qualitate affectum, aliam similem in alio corpore producit.

Instabis 4.° Lux non est nisi vibratio quædam vel ætheris corpus lucidum permeantis, ut plures docent, vel ut aliis placet, est vibratio ipsarum particularum ponderabilium corporis luminosi (2). Nec aliter propagatur, ac diffunditur quaquaversus, quam per ætheris undulationes: qua in re eo usque accuratissimis observationibus perventum est, ut numerus talium undulationum, et directio, et amplitudo, ac velocitas, qua transvehuntur, investigari potuerit. Atqui colores vicissim aliud non videntur esse nisi lucis modificationes. Ergo et lux et colores tandem nihil aliud sunt præter motus quosdam particularum corporearum.—**Respond.** *neg.* Major., nam lux quidem vibrationem importat in particulis corporis

(1) Cfr. Zanon (oper. cit. num. 108, pag. 281). Liverani (Op. cit. num. 217, pag. 346).

(2) Vide apud Zanon, oper. cit. part. 2.ª, cap. 1.

luminosi et illuminati; nondum tamen ostensum est eam in motu solo formaliter sitam esse. Id quod forte vel ex ipsa organi visionis conformatione satis probabiliter videtur evinci. Motus enim pure mechanicus ætheris recipi potest, ac porro recipitur, in omnibus aliis organis atque adeo in toto corpore videntis. Peculiaris ergo structura oculi ideo videtur a natura requiri, quia lux debet specialem ac proprium aliquem influxum in eo exercere, ut visiva potentia ad actum determinetur.

Objic. 4.° Negari nequit phænomenum experientia ipsa comprobatum, quod *circulationem, correlationem* aut etiam *virium conversionem* vocant, secundum quam mutua quædam inest inter motum et calorem habitudo, ut certa motus quantitas certam pariat vim caloris, ac vicissim. Calor vero, lux, electricitas, magnetismus in certis ac definitis proportionibus inter se invicem commutantur. Atqui id apertissimum videtur argumentum entitativæ identitatis harum omnium virium cum motu mechanico. Ergo.—**Resp.** *neg.* Minor. Facta enim id tantum probant, adesse constantem ordinem ac relationem inter motum cæterasque illas vires, atque alia ab aliis generari. Exinde autem inferri ulterius nequit identitas omnium illorum phænomenorum viriumve, nisi hoc falsum et gratuitum assumatur principium, motum nec generari posse nisi motu, nec generare nisi motum. Ostendant ergo hoc principium adversarii, ostendant etiam corpus dum est in motu, vel cum motus ejus visibilis, occurrente obstaculo, cessat, nihil aliud præter motum efficere posse: tum demum victas dabimus manus. Dum autem id non ostendant manifestis et ineluctabilibus argumentis, petunt principium atque oleum et operam perdunt (1).

Objic. 5.° Saltem negari nequit calorem in motu consistere: id enim innumeris argumentis evincitur. α) Et primo quidem calor dilatat corpora, facitque variare volumen: id quod absque locali motu fieri nequit. Atqui aliunde motus gignit calorem. Ergo idem re sunt motus et calor β) Principium hoc est certum in *Thermodynamica:* quotiescumque

(1) Cfr. Rubbini, *Lezioni di Fisica*, vol. 1, lez. 29, num. 10.

labor aliquis mechanicus exercetur, deperit aliqua caloris quantitas labori vel operæ factæ proportionalis. Et e converso quotiescumque labor mechanicus circa corpus aliquod exercetur, illud premendo, quatiendo, inpellendo, fricando, etc., calorem illius adauget pro portione ipsius laboris exerciti. Jam principium istud egregie simplicissimeque explicatur supposita identitate motus et caloris. Tunc enim in illa operæ mechanicæ calorisque conversione nihil aliud eveniret, nisi mera motuum molecularium rapidissimorum et insensibilium in translatorios ac sensibiles, et vicissim, transformatio. γ) Communiter admittunt Physici calore duplicem operam exerceri: alteram, qua motus vel pressio similisve effectus in aliis corporibus gignatur, altera interna, qua in ipso corpore calido variæ alterationes contingunt, sive in mutatione status, sive in structura moleculari, sive in ipsa temperie molis. Atqui horum omnium ratio reddi nequit, nisi admissa hypothesi calorem in motu reponente. δ) Calor cum corpora facit ab uno in alium statum transire, aliquid profecto efficit; nec vero solum mutat temperiem, sed internum quoque laborem exercet, in quem calor impenditur, ideoque *latens* dici consuevit, quia nempe nec senturi, nec ope thermometricorum indicum deprehendi valet. Atqui intelligi nequit, in quanam alia re labor ille caloris impendatur, nisi in commutando intestino molecularum motu. Videlicet hac admissa hypothesi, dici potest motus vibratorios certæ cujusdam directionis, qui corporibus in statu solido convenit, permutari in translatorium illum per curvas et polygona clausa, qualis proprius est liquidorum; et hunc in translatorios seu projectionis per curvas indefinitas, cum corpus statum assumit aëriformem (1).

Resp. *neg.* assert. et probation. **Ad α)** *neg.* conseq. Supposita enim ea sententia, quam mox propugnabimus, rarefactionem et condensationem fieri per realis voluminis mutationem, dici valde congruenter potest, calorem esse qualitatem quamdam, cujus unus ex effectibus sit augere reale volumen corporis calefacti. Quod si verum est, illico

(1) Vide de his Rev. Rubbini, opusc. *La Termodinamica* etc.; et opusc. *Calore e Movimento.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vides, cur calor dilatet corpora, motumque aliquem gignat in ejus particulis; nam dilatatio per augmentum realis voluminis im partibus corporis, haberi nequit sine motu vel nisu ad motum.

Ad β) respondeo in primis, probandum esse adversariis, solido aliquo argumento, quemlibet motum transformari posse, ac porro transformari in eos præcise motus, in quibus quisque pro libitu constituit calorem. Novimus profecto experientia motibus translatoriis, quibus percutitur corpus sonorum, v. g. campana, succedere vibrationes proprias soni, quæ ipso tactu manifeste percipiuntur. Hi tamen motus vibratorii diversissimi sunt ab illis aliis, in quibus sita esse natura caloris dicitur: qua in re ipsa sententiarum varietas manifesto indicio est, carere istam hypothesin idoneo fundamento. Deinde dici posset, ex eo solum, quod principii illius *Thermodynamicæ* ratio apta reddatur per hypothesin, calorem in motu reponentem, non posse illico veritatem hypothesis concludi, tum quia Mayer et Hirn, viri certe clarissimi ac de *Thermodynamica* optime meriti, rem rejecta ista hypothesi declarant, negantque, ut vidimus, veritatem principii ullo modo pendere ab hujusmodi hypothesi; tum quia hypothesis, ut admitti absque ullo absurdi timore possit, non debet sanioribus principiis philosophicis repugnare. Denique addo, propositionem illam *Thermodynamicæ* haud absurde posse ex scholastica doctrina declarari. Dic videlicet laborem mechanicum excitare et augere qualitatem caloris in corpore, eamdemque sic auctam vicissim validiorem esse ad novam operam mechanicam peragendam. Quod enim calor non sit motus, sed qualitas activa corpus actuans instar formæ accidentalis, profecto nequit obstare illi phænomeno, quod propositio illa thermodynamica exprimit. Sic etiam corpus velociter motum, et in aliud corpus impingens, quod tardius movebatur, potest qualitatem impetus in eo augere, unde mox velocius moveatur. Simili modo pondus premens corpus elasticum, vim ejus elasticam ita excitat, ut reagens possit operam exercere æquivalentem operæ ponderis, quo compressum et a suo connaturali statu distractum fuerat.

Ad γ) respondeo, *neg.* Minor. Phænomena quidem in majori propositione relata ultro amplectimur, utpote quæ

experientiæ testimonio comprobantur. Verum nec experientia nec idonea ratione adhuc probatum est, temperiem et calorem sensibilem corporis præcise dependere, ac formaliter consistere in illis minutissimis motibus, sive rotatoriis, sive vorticosis, sive alius generis, qui ab adversariis assignantur, ac necessario supponunt massam corpoream penitus discretam. Hæc itaque, donec probentur, non possumus admittere, sed horum loco mutationes realis voluminis particularum, et inde consequentes motus moleculares, quæ continuitatem extensionis non abrumpant, sicut illam non abrumpunt vibrationes sonoræ. Id porro facile concipitur, si admittatur cum Scholasticis calorem esse qualitatem activam, quæ mutationes et alterationes in corporibus peragere queat (1).

Ad δ) respondeo *neg.* Minor. Quæcumque enim dicuntur in objectione, fere sunt hypotheses gratuitæ. Quid autem vetat laborem illum caloris impendi et consumi in generanda qualitate constituente statum liquidum vel aëriformem in corporibus? (2).

Instabis. Atqui hoc modo res potius obscurantur inductis *qualitatibus* quibusdam occultis, quas nemo concipere valeat: cum tamen motus, quibus Physici phænomena conantur explicare, et nullo negotio mente comprehendantur, et lucidissimam rerum omnium redeant rationem.—**Respondeo,** qualitates non ideo rejiciendas esse, quia nequeant imaginatione tam facile repræsentari. Quis non videt, indignum id Philosopho, indignum homine rationali esse? Sapit enim materialismum et positivismum, ac supponit res ac veritates omnes ejus esse naturæ, quæ corporeis imaginibus vestiri phantasia queant. Quod si verum foret, negandus esset verus conceptus Dei, angelorum, animæ rationalis aliarumque sexcentarum formarum atque entitatum, quæ imaginationis aciem effugiunt, et excedunt. Quare absurdum est qualitates, quarum existentia satis demonstratur, eo solo nomine, quod *occultæ* sint, aut minus in seipsis manifestæ, aspernari. Quamquam qualitates corporeæ non adeo sunt abstrusæ, aut ab humani ingenii comprehensione remotæ,

(1) Cfr. Rubbini, *Lezioni di Fisica*, lez. 21, num. 2.
(2) Vide Rubbini, *Lezioni di Fisica*, lez. 25, num. 2 in not.

ut non possint facile intelligi, sicut intellectæ sunt ab omnibus sapientibus, donec isti novi magistri scientiarum advenirent, novisque systematis totam pene Philosophiam evertere, aut certe perturbare conarentur.

Objic. 6.° Saltem calor, qui *radians* dicitur, explicatur optime, si ponamus calorem in motu situm esse, aliter autem explicari non potest. Nimirum si constituatur, calorem corporis irradiantis in certis quibusdam particularum vibrationibus consistere, plane intelligitur motus hujusmodi communicari posse per ætheris circumstantis undulationes sphæricas eo fere modo, quo lapis in aquas decidens undarum generat circulos (1).

Respondeo, non posse rem apte hoc modo exponi, qui et extensionem penitus discretam supponit, et ætherem atomos corporis quaquaversus circumdantem. Potest autem haud inepte caloris radiantis phænomenum declarari, si dicamus calorem esse qualitatem, quæ ab uno in aliud corpus diffunditur active, ita nimirum ut calor unius particulæ vel corporis gignat calorem in alia particula vel corpore. Et hoc pacto calor unius corporis per medium interjectum potest etiam in distanti corpore calorem producere.

Instabis. Atqui in hoc præcise sita est difficultas. Quia si actio calefactiva per medium transfunditur, quomodo fit, ut calor gignatur a corpore calido in aliud corpus distans, quin tamen medium ipsum interjectum calefiat? Hoc enim est discrimen inter calorem *conductibilem* et calorem *irradiantem*.—Respondeo in primis phænomenum istud non esse proprium solius caloris, sed alia quoque dari agentia, quæ simili modo agant in corpus distans, quin tamen efficacitas eorum manifestetur in corporibus mediis. Sic magnes attrahit ferrum, non vero aërem interjectum: et lux effectus chimicos in quibusdam corporibus procul positis exercet, quin eosdem exerceat in medio. Itaque phænomenum istud generale potest explicari, dicendo actionem quidem reapse transmitti, ac diffundi per medium; sed quia medium non est subjectum capax illius effectus, qui in distanti corpore

(1) Ita fere Tyndall, *La chaleur mode de Mouvement*, apud Rubbini, opusc. *Calore e Movimento*, num. 49.

producitur, ideo non simili modo alterari. Certum est enim eamdem subjective efficacitatem pro varia subjecti actionem recipientis dispositione varios parere effectus, prout experientia ipsa notum est, et notissimum illud Peripateticorum axioma enuntiat: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. Hoc ergo pacto, quia medium interjectum inter corpus calefaciens et calefactum per irradiationem, non bene *conducit*, ut ajunt, calorem, transmittit actionem calefactivam, quin in se suscipiat qualitatem vel effectus caloris, propterea quod non est satis dispositus ad eos recipiendos saltem in his adjunctis. Totam istam doctrinam dudum tradiderat S. Thomas. Postquam enim docuerat cum Aristotele, sicut movens et motum localiter sunt simul, ita etiam inter alterans et alteratum nihil debere esse medium; hanc sibi proponit, ac solvit difficultatem. *Videtur autem hoc habere instantiam in quibusdam alterationibus. Sicut cum sol calefacit aërem sine hoc, quod calefaciat orbes medios planetarum, et piscis quidam in rete detentus stupefacit manus trahentis rete, absque hoc quod stupefaciat rete. Sed dicendum est, quod passiva recipiunt actionem activorum secundum proprium modum; et ideo media, quæ sunt inter primum alterans et ultimum alteratum, aliquid patiuntur a primo alterante, sed forte non eodem modo sicut ultimum alteratum. Aliquid igitur patitur recte a pisce stupefaciente, sed non stupefactionem, quia ejus non est capax. Et orbes medii planetarum aliquid recipiunt a sole, scilicet lumen, non autem calorem* (1).

Objic. 7.° Splendet in natura maxima lex unitatis. Atqui ea multo melius servatur, si omnium phænomenorum unam causam et radicem, motum localem, agnoscamus.—Respondeo. In natura non solum splendet lex unitatis, sed etiam lex pulcherrimæ varietatis. Et unitatem quidem principii primi ac finis ultimi, unitatem etiam similitudinis ac logicam, quæ sub uno genere plures species, sub una specie innumera comprehendit individua, nemo est qui non miretur in natura. Lex autem hæc unitatis exaggeranda non est, ut absque ullo idoneo fundamento realem identitatem

(1) S. Thom., (*Physicor.*, lib. 7, lect. 4 initio). Cfr. Suarez (disp. 18 *Metaphys.*, sect. 8, num. 36).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ibi fingamus, ubi et sensus et ratio distinctionem ac multiplicitatem deprehendit. Plura de his videri possunt apud Rev. Rubbini et cl. Zanon in superius laudatis operibus.

ARTICULUS II.

An et quomodo corpora producere possint non solum accidentia, sed etiam substantias corporeas.

Variæ activitates in corporibus existentes.

351. Ex probatis in præcedenti articulo concludendum est dari multiplicem activitatem in corporibus, quæ non solum locales motus, verum etiam alias multas actiones peragere queat secundum eam phenomenorum varietatem, quam sensus referunt in natura. Activitates istæ aliæ sunt naturales, quæ ab essentia rei profluunt tamquam proprietates, ut v. g. calor ignis; aliæ contingenter adveniunt, ut impetus extrinsecus impressus corporibus, illaque ad motum urgens, et idem calor existens in aqua calefacta. Aliæ sunt mechanicæ, aliæ physicæ, prout nempe vel solum motum localem, vel alios quoque effectus producere valent. Verum hæc et alia virium et activitatum genera, quæ et ex observatione naturæ et ex superius dictis circa qualitatis divisiones facile colligi possunt, singillatim persequi necesse non est. Illud vero nunc occurrit dubium, quanta sit, vel quousque protendatur corporum activitas? Possuntne corpora etiam novas gignere corporeas substantias, an solum alterare ac mutare accidentaliter existentes?

Negant communiter atomistæ corporibus activitatem novas substantias corporeas gignendi.

Negant communiter Physici, quibus tota corporum activitas solo motu locali absolvitur, ideoque productio substantialis a corporibus peracta magnam admirationem affert, et instar creationis, atque adeo instar miraculi cujusdam, habetur. Quod si atomistæ aliquando loquuntur de novis substantiis, quæ ex activitate corporum enascantur, negant tamen agentia naturalia ullam novam simpliciter substantiam producere, sed tantum secundum quid; quia nempe vel materiam varie densando, vel atomos diversimode ordinando et coagmentando, variisve motibus aut motuum velocitate donando, atque adeo mutationes mere accidentales

inducendo, prout alibi fuse declaratum est (1), diversarum substantiarum syntheses atque analyses perficiunt, in quibus nulla veri nominis mutatio substantialis locum habeat, sed tantum simplicium corporum in suo actu permanentium congeries vel conglobatio, vel hujusmodi conglobationum dissolutio (2). Verum communis pariter doctrina Scholasticorum affirmat corpoream efficacitatem ad novorum corporum productionem pertingere. Modus porro, secundum quem corpora novas generant substantias ille est, quem ipsa experientia demonstrat, ut prius agendo in alia corpora alterent illa in suis qualitatibus, et sic materiam disponant ad novæ formæ introductionem, in qua sita est novi corporis generatio. Unde hanc novi coporis generationem comitatur destructio et corruptio alterius. Non parum autem controvertitur inter Scholasticos, utrum alteratio a generatione re distinguatur, ut jam videbimus.

asserunt communi pariter consensu Scholastici.

352. PROPOSITIO 1.a **Asserenda est corporibus activitas, qua novas substantias per generationem simpliciter dictam producere valeant.**

quorum sententia probatur.

Probatur. Ut in prima hujus libri disputatione demonstratum est, dantur in natura veræ mutationes substantiales, novæque passim generantur substantiæ corporeæ. Atqui mutationum istarum generationumque substantialium ipsa corpora sunt efficientes causæ. Ergo...

Minor probatur. Nam ipsa experientia compertum est, ex quorumdam corporum actione consequi nova diversæ speciei corpora, ut cum ignis comburit lignum, et oxygenium et hydrogenium pariunt aquam, etc. In his certe aliisque id genus exemplis, nisi velimus occasionalismum amplecti, necesse est corporibus in generatione novæ substantiæ causalitatem aliquam efficientem tribuere. Quod vero non qualiscumque efficientia tribuenda sit, sed efficientia, quæ ipsam entitatem novæ substantiæ attingat, ex eo persuadetur, quod in ejusmodi generationibus solas causas

(1) Vide supra num. 130.

(2) Vide v. g. P. Tongiorgium, *Cosmolog.* num. 41, 3.a 66 seqq. et 197.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturales intervenire sentiamus, nec sit ulla ratio ad altiores causas confugiendi. Sane effectiones novarum substantiarum, prout passim fieri videmus, non sunt creationes, nam fiunt ex præsupposito subjecto et per actiones exercitas circa materiam: deinde terminus earum est finitus ac limitatus, nempe substantia composita. Ergo effectiones illæ neque ex parte termini neque ex parte modi, quo peraguntur, quidpiam continent, quod cum corporea activitate proportionem non servet, vel eam superet, atque adeo causalitatem vel superiorum aliarum causarum, vel Dei solius, obtrudendam adigat (1). Ergo ipsa corpora, suis naturalibus viribus adjuta (2), dicenda sunt novas substantias gignere.

Rem egregie, ut solet, illustrat S. Thomas: *Apparet per inductionem in omnibus, quod simile agat suum simile. Id autem quod generatur in rebus inferioribus, non est forma tantum, sed compositum ex materia et forma. Nam omnis generatio ex aliquo est, scilicet ex materia, et ad aliquid, scilicet ad formam. Oportet ergo, quod generans non sit forma tantum, sed compositum ex materia et forma. Non igitur species rerum separatarum, ut Platonici posuerunt, neque intelligentia agens, ut posuit Avicenna, est causa formarum, quæ sunt in materiis, sed magis hoc compositum ex materia et forma* (3).

Cæterum corpora novas substantias gignunt versando materiam, ex ejusque potentia educendo novam formam substantialem. Quare id, quod proprie ac per se fit, non est ipsa forma, sed compositum, quemadmodum jam alias

(1) Quare rejiciendæ sunt obsoletæ quædam veterum doctrinæ circa novarum substantiarum generationem, quas S. Thomas refert (*de Potent., quæst.* 3, art. 8, et *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 69); Plato nempe posuit formas substantiales effici ab agente quodam supernaturali, quod *datorem formarum* esse finxit; Avicenna vero posuit istud agens esse *ultimam inter substantias separatas* vel angelos; alii Deum ipsum; Avicebrom denique in suo libro *Fontis vitæ* putavit corpora nihil agere, sed virtutem substantiæ spiritualis per corpora pertranseuntem efficere actiones, quæ per corpora fieri videntur. (Vide S. Thom. locis citatis).

(2) Qua de re possunt recoli superius scripta num. 137, *Objic.* 1.ª, *Inst.* 2.ª, 3.ª et 4.ª, pag. 485.

(3) S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 69, paragr. *Item apparet*, et *Item, si agere*.

dictum est (1). Unde in generatione novæ substantiæ tria occurrunt: eductio formæ substantialis de materiæ potentia, si sermo sit de forma materiali, ejusdem unio cum materia, et productio novi compositi; quæ tria, supposita sententia negante eductionem formæ ab ejus unione cum materia distingui, quam probabiliorem esse superius significavimus (2), unum idemque sunt re, ac solum ratione distinguuntur. Cum enim compositum naturale non distinguatur a partibus unitis, eo ipso quod forma uniatur materiæ, adest jam nova substantia; forma vero unitur eo ipso, quod educitur de potentia materiæ. Distinguuntur autem ratione, quia generatio respicit totum compositum, eductio formam prout dependentem a materia, unio denique et materiam et formam secundum mutuum vinculum. Et hæc quidem valent de generatione omnium compositorum præter hominem. Nam in generatione hominis forma, quæ immaterialis est, creatur a Deo, ut probabitur in *Psychologia*, ideoque deest eductio formæ, nec potest generatio pertingere nisi ad unionem illius cum materia, atque adeo ad naturam humanam (3).

Definitio generationis id. universum.

Itaque definiri potest hujusmodi generatio in universum: *productio substantiæ ex præsupposito subjecto*, ac differt tum a creatione, quæ caret subjecto, tum ab illa generatione strictius sumpta propriaque viventium, quæ in *Psychologia* describenda erit (4).

Quædam difficultates solvuntur.

353. Dices 1.° Natura corporea, ut patet experientia, aliud revera nequit agere, nisi materiam varie immutare, ac modificare. Atqui ejusmodi modificatio ad summum continet formæ alicujus accidentalis productionem. Ergo.

(1) Vide supra num. 156, 4.° pag. 597. Non tamen convenit inter AA., utrum terminus *qui* primarius et immediatus sit compositum præcise ex materia et forma, ut vult Rubius (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, tract. 1.°, num. 41), an vero potius compositum ex natura et supposito, ut contendunt Complutenses (*de Gener. et Corrupt.* disp. 2, quæst. 3).

(2) Vide supra num. 173.

(3) Cfr. Rubius, *de Gener. et Corrupt.* lib. 1, cap. 3 et 4, tract. 1, quæst. 3, num. 34.

(4) Vide apud Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 1, cap. 1) aliosque veteres Auctores alias generationis definitiones sapienter expensas.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. *dist.* Major. Immutatione sive accidentali sive substantiali, *conc.;* sola immutatione accidentali, *neg.* Vide S. Thomam in quæstione 3.ª *de Potentia* (1); et recole quæ in primo capite circa mutationes substantiales scripsimus.

Dices 2.º Corpora in mutationibus naturalibus non agunt nisi per calorem, electricitatem cæterasque vires, quæ substantiales non sunt, sed accidentales. Atqui virtutes accidentales substantiale quidquam producere nequeunt. Ergo nulla forma substantialis potest a causis naturalibus venire in existentiam.

Resp. *dist.* Major. Ita ut calor et reliquæ vires sint tantummodo instrumenta formæ substantialis, quæ est causa principaliter operans, *conc.;* aliter, *neg.* Nihil ergo mirum, si accidentia prout sunt instrumenta substantiæ principaliter operantis possint etiam ad substantialem productionem concurrere (2). Utrum autem ipsa substantia per se ipsam immediate aliquid opereretur instar virtutis et activitatis a viribus accidentalibus distinctæ, controvertitur, ut inferius dicemus.

Dices 3.º Omne agens agit sibi simile. Atqui inter formas elementorum, quæ ex mixti corruptione resultant, formamque mixti, quæ intereuntibus elementorum formis succedit, et causas naturales in ejusmodi effectus influentes nulla datur similitudo. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Omne agens univocum, *conc.;* æquivocum vel analogum, *neg.,* vel *subdist.:* agit sibi simile formaliter, *neg.* virtualiter, *conc.*

Contradist. Minor. Nulla est similitudo saltem virtualis inter illas causas et effectus, neg.: *formalis*, subdist.; quia non sunt causæ univocæ, *conc.;* secus, *neg.* Si objectum principium esset intelligendum de formali et adæquata similitudine, Deus nihil posset efficere, cum nullum possit habere univocum effectum. Sed jam in *Ontologia* declaratum manet, quo pacto agens agat sibi simile (3). Corpora itaque quædam producunt effectus ejusdem speciei, ut viventia,

(1) Art. 11., ad 9.um

(2) Vide Suarez, disp. *Met.* 18, sect. 2.

(3) Vide *Ontolog.* num. 390, *Axioma* 4.um, pag. 1114.

quædam vero habent effectus non specifice, sed generice, similes, prout experientia testatur.

Dices 4.º Angeli longe majorem entibus inferioribus habent perfectionem et virtutem activam. Atqui tamen substantias producere nequeunt. Ergo multo minus aliæ causæ naturales.

Resp. *Concessa* prima parte Majoris, alteram *distinguo.* Angeli majorem habent virtutem activam, quantum attinet vim corpora movendi localiter, *conc.;* quantum attinet vim productivam aliarum substantiarum, *neg. Transmitto* Minor., et *neg.* conseq. Communis Theologorum sententia, quam nos hic supponimus, est angelorum virtutem usque ad substantiarum productionem nutu suo paragendam minime assurgere. Diximus *nutu suo,* quia concedunt Auctores spiritibus potestatem movendi corpora loco, et sic activa passivis applicandi, ut exinde transmutationes substantiales consequantur. *Id quod potest virtus inferior,* inquit Angelicus, *potest superior, non eodem, sed excellentiori modo; sicut intellectus cognoscit sensibilia excellentiori modo, quam sensus. Et sic angelus excellentiori modo transmutat materiam corporalem, quam agentia corporalia, scilicet movendo ipsa agentia corporalia tamquam causa superior* (1). Neque vero putes ex majori angelorum entitativa perfectione necessario sequi, tribuendam ipsis esse virtutem atque activitatem immediate efficiendi, quidquid causæ inferiores ex viribus natura sibi insitis præstare possunt. Hæc enim collectio, quemadmodum argumentatur Suarezius (2), necessario supponit universale illud principium, videlicet omne ens inferioris perfectionis in alio perfectiori eminenter contineri, a quo possit etiam per se atque immediate educi e potentia materiæ. Quod principium

(1) 1 p., quæst. 110, art. 2 ad 2.um Cfr. 1 p., quæst. 65, art. 4.

Adi etiam Eximium Doctorem, disp. *Metaph.* 35, sect. 6, n. 17. «At vero *mediante motu locali habere possunt* intelligentiæ aliquam causalitatem in res corporeas... secundo, *applicando activa passivis;* seclusa enim virtute ad *per se alterandum vel generandum corpora, hoc tantum modo possunt rerum generationes et coruptiones procurare aut etiam impedire...*»

(2) Suar. de *Angelis*, lib. 4, c. 25, n.º 6. Cf. eumdem doctissimum scriptorem, disp. *Met.* 18, sect. 1, n. 16, et disp. 35, tota sect. 6.

manifestæ contradicit experientiæ, nos quotidie docenti innumeros existere effectus a causis naturalibus immediate et per se fluentes, quos homo, licet longe excellentiori donatus natura, aut nullo modo possit obtinere, aut nonnisi arte et mediante applicatione illarummet causarum.

354. Propositio 2.a **Generationem, qua corpus novam producit substantiam, præcedit alteratio, realiter a generatione distincta, per quam materia disponitur ad novam formam suscipiendam.**

Generationem novæ substantiæ præcedit alteratio.

Prima pars, quæ respicit existentiam alterationis in generationibus novarum substantiarum, patet experientia; quæ passim demonstrat in substantialibus mutationibus, quarum terminus est nova forma substantialis, atque adeo novum corpus, prius intervenire alterationes, quibus qualitates corporis veteris mutantur, donec nova existat substantia. Hinc autem facile reddi potest ratio hujusce rei. Cum enim quævis forma suas proprias dispositiones requirat in materia, nequit agens novam formam in materiam alia forma actuatam inducere, quin prius ad illam recipiendam convenienter disponat. Atqui novæ formæ inducendæ consentaneæ dispositiones induci nequeunt nisi ope alterationis. Ergo alteratio generationem novæ substantiæ præcedat, oportet.

quæ realiter ab illa distinguitur. Variæ de hac re sententiæ.

Secunda pars propositionis continet controversiam inter Scholasticos agitatam circa distinctionem alterationis a generatione. Plures namque Thomistæ putant «generationem substantialem non esse actionem realiter distinctam a tota præcenti alteratione, sed terminum ejus:» hoc enim ipso quod per alterationem inducuntur in materia dispositiones ad novam formam, *absque ulla nova vel distincta actione per naturalem resultantiam* subsequi formam ex vi præcise illius actionis alterativæ. Ita rem explicant Complutenses (1); quare, ut addit Goudin (2), generatio est terminus et consummatio alterationis. Actio enim si in solis accidentalibus

(1) Complutenses (*Physicor.* disp. 10 quæst. 6, num. 68, 69, et *de Gener.* et *Corrupt.* disp. 2 quæst. 2.). Cfr. Conimbricenses (*de Gener. et Corrupt.* cap. 4, qnæst. 12, art. 1).

(2) *De Gener. et Corrupt.* disp. unic. quæst. 1, art. 1.

mutationibus sistat, vocatur alteratio; eadem autem actio alterativa cum ad terminum usque substantialem pertingit, nomen sortitur generationis, quin tamen in generatione substantiali distingui re vera debeat duplex actio, altera quæ ad qualitates, altera quæ ad formam substantialem terminetur. Pro hac sententia laudant Complutenses Cajetanum (1) Fonsecam (2), et quosdam alios, eamque communem esse scribunt inter juniores Thomistas. Multum autem dubito, utrum id vere dici possit. Nam Dominicus Sotus (3), quem pro se laudant Complutenses, potius oppositum videtur docere. Goudinus vero fateri cogitur contrarium a *plerisque Thomistis* doceri; demum Joannes a S. Thoma (4) et Card. Aguirre (5), oppositam sententiam recise tuentur. Est ergo secunda opinio longe communior in omni Schola, substantialem generationem ab alteratione realiter distinguens. Eam docuerunt ex antiquioribus Alexander Halensis, Henricus Gaudavensis, Scotus et Capreolus, post Simplicium, Averroem aliosque Aristotelis interpretes (6), quos postea secuti sunt Scotistæ (7), multique Thomistæ, ac nominatim laudati Joannes a S. Thoma et Cardin. Aguirre; e nostra vero Societate præter Conimbricenses Suarez (8), Rubius (9), Cardin. Toletus (10), Oviedus (11), Hurtadus (12), De Benedictis (13), Lossada (14) aliique, quos referre nominatim necesse non est. S. Thomam utraque sententia suum omnino vult

(1) In 1.um part. quæst. 54, art. 3.
(2) *Metaphys.* lib. 5, cap. 2, quæst. 6, sect. 3 et 4.
(3) *Super lib. 3.um Physicor.* quæst. 1., conclus. 3.a fin.
(4) *De Generat. et Corrupt.* quæst. 1, art. 3.
(5) *Disputation. in univers. Physiolog.* disp. 48, sect. 1 et 2.
(6) Apud Conimbricenses loc. nup. cit. quæst. 12, art. 2).
(7) Vide v. g. Pontium (*de Gener. et Corrupt*, disp. 1, quæst. 4), Mastrium (ibid. disp. 3, quæs. 1, num. 3 et disp. 5, quæst. 1, art. 2, num. 23).
(8) *Metaphys.* disp. 14, sect. 3, num. 27 seqq.; disp. 18, sect. 2, num. 15 seqq.
(9) *De Gener et Corrupt.* cap. 4, quæst. 5.
(10) *De Gener. et Corrupt.* lib 1, quæst. 5.
(11) *Physic., de Generat. et Corrupt.* controv. 2, punct. 2.
(12) *De Generat. et Corrupt.* disp. 1, sect. 6.
(13) *Physic.* lib. 4, quæst. 1, cap. 3.
(14) *De Gener. et Corrupt.* disp. 1, cap 1, num. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verior eligitur. esse. Hanc sententiam nos quoque propugnamus in hac altera parte propositionis, quæ jam

et probatur. **Prob. 1.°** Separabilitas realis est signum evidens distinctionis. Atqui alteratio a generatione separari potest. Non enim repugnat, saltem divinitus, dari ultimam dispositionem, quin sequatur generatio formæ, itemque formam substantialem educi, quin præcesserit alteratio. Ergo... 2.° Termini essentialiter distincti, specificant actiones essentialiter, atque adeo re distinctas. Atqui alterationis terminus est qualitas, generationis vero substantia. Ergo... 3.° probatur ad hominem. Nam alteratio, quæ dicitur identificari cum generatione, vel est alteratio, quæ præcedit instans generationis, in quo adest nova forma, vel alteratio ac productio accidentium in eodem instanti posita. «Si primum dicas, alteratio illa non cõexistit formæ substantiali, siquidem juxta Thomistas,» ut mox videbimus, «in instanti novæ generationis pereunt omnia accidentia tempore prævia. Si secundum, accidentia in instanti generationis posita dimanat efficaciter a nova forma juxta Thomistas. Ergo forma est causa eorum. Sed non est causa efficiens productionis sui ipsius. Ergo productio formæ et productio talium accidentium non est eadem actio... Accedit, quod subjectum alterationis apud Thomistas est totum compositum; subjectum autem generationis est materia; tum quia sic docet Aristoteles (1), tum quia sequeretur alioquin totum compositum præsupponi ad generationem sui» (2). Plura dabunt Suarez et alii AA.

Atque hæc videtur etiam fuisse mens Angelici Doctoris: *Si... formæ accidentales*, inquit, *quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem.* **Non est autem ejusmodi actio disponere materiam, quia hoc fit per alterationem,** *ad quam sufficiunt formæ accidentales. Igitur forma substantialis generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum* (3).

(1) *De Gener. et Corrupt.* lib. 1, text. 24.
(2) Lossada (loc. cit. num. 8).
(3) S. Thom. lib. 3.° *Contr. Gent.* cap. 69. *Item, si agere.*

Dices 1.° S. Thomas non semel docet generationem esse terminum alterationis (1).—**Resp.** *dist.:* terminum inmediatum et intrinsecum, *neg.*, mediatum et extrinsecum, *conc.* Unde potius hæc difficultas probat assertionem nostram circa mentem Angelici. Primo quia ipsemet S. Doctor explicat in aliis locis, quo sensu generatio est terminus alterationis: *Sicut per alterationem materia disponitur ad formam, et per motum localem corpus luminosum accedit ad situm, in quo illuminat. Et secundum hoc dicitur, quod generatio et corruptio sunt termini alterationis et illuminatio motus localis* (2). Atqui certe illuminatio non est terminus intrinsecus et immediatus motus localis. Ergo nec generatio alterationis. Præterea alibi sæpe duplicem assignat terminum alterationi, alterum ejusdem generis, nempe qualitatem, alterum diversi generis, formam substantialem: *Alteratio habet duos terminos: unum sui generis, scilicet ultimam dispositionem, quæ est necessitas* (necessitans?) *ad formam, quia* **alteratio est motus in qualitate;** *et alium alterius generis, scilicet formam substantialem* (3). Denique alibi S. Doctor simili modo loquendi aperte videtur alterationem a generatione distinguere: *In eodem... instanti, quo primo est dispositio necessitans in materia, forma substantialis inducitur.* **Cum enim generatio sit terminus alterationis,** *oportet in eodem instanti* **alterationem** *terminari* **ad dispositionem,** *quæ est necessitans, et* **generationem ad formam substantialem.** *Sed quia alteratio est motus continuus; ideo principium alterationis, et medium, quo materia disponitur ad formam substantialem, tempore præcedunt* **introductionem formæ substantialis.** Ubi quamvis generatio dicatur terminus alterationis, aperte utraque distinguitur per suos terminos intrinsecos.

Dices 2.° Hæc quoque S. Thomæ sententia est: *Quia... agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam, quod quidem fit secundum quod materia primo disponitur ad formam, et tandem consequitur formam, secundum*

(1) Ita v. g. in opusc. *de Natura materiæ*, cap. 1 et 2; et quæst. *de Anima*, art. 12.
(2) *Quodlibet.* 11, art. 4. Idem illustrat S. Doctor eodem exemplo in *Quodlib.* 7, art. 9.
(3) S. Thom., *Quodlib.* 7, art. 9. Cfr. *de Verit.*, quæst. 9. art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod generatio est terminus alterationis; necesse est quod ex parte agentis id, quod immediate agit, sit forma accidentalis correspondens dispositioni materiæ. Sed oportet, ut forma accidentalis agat in virtute formæ substantialis quasi instrumentum ejus; alias non induceret agendo formam substantialem. Et propter hoc in elementis non apparent aliqua principia actionum, nisi qualitates activæ et passivæ, quæ tamen agunt in virtute formarum substantialium; et propter hoc earum actio terminatur non solum ad dispositiones accidentales, sed etiam ad formas substantiales... Si vero est aliquod agens, quod directe et immediate sua actione producat substantiam, sicut nos dicimus de Deo..., hujusmodi agens agit per suam essentiam; et sic non erit in eo aliud activa potentia et ejus essentia (1).—**Resp.** ex hoc testimonio, ex quo Complutenses (2) rationem fundamentalem desumunt, nihil extundi posse ad ostendendam identitatem alterationis et generationis, ut ratiocinatio S. Doctoris manifeste probat, et brevitatis causa nolo fusius evolvere (3).

Vide plura apud laudatos Auctores, ac nominatim apud Eximium Franciscum Suarez, qui etiam ostendit (4) sententiam nostram traditam esse ab Aristotele.

Notantur differentiæ inter generationem substantialem et alterationem præcedentem.

Distinguitur ergo realiter generatio simpliciter vel generatio substantialis ab alteratione: et quidem plures differentiæ utriusque notari ex Toleto possunt. Primo enim differunt ex parte terminorum *ad quos;* nam generatio est secundum formam substantialem, alteratio secundum qualitatem. Secundo ex parte terminorum *a quibus;* alteratio enim est a subjecto seu termino positivo, v. g. ab albo in nigrum, generatio autem formaliter est a non subjecto, vel a non *esse*, ut jam diximus etiam agendo de triplici specie motus vel mutationis. Tertio differunt ex parte subjecti, quia subjectum, quod alteratione mutari dicitur est, totum compositum ex materia et forma, subjectum autem, quod generatione mutatur, est sola materia. Quarto ex parte successionis; nam

(1) S. Thom., quæst. *de Anima*, art. 12.

(2) *De Gener. et Corrupt.*, disp. 2, quæst. 2, num. 16.

(3) Simili modo nihil omnino probant ad rem evincendam alia loca, quæ adducunt Complutenses ex S. Thoma, 1 p., quæst. 118, art. 2 ad 4.um; 1. 2. quæst. 83, art. 1, ad 3.um, etc.

(4) Loc. cit., num. 16. Cfr. Conimbricenses, loc. cit., art. 2.

alteratio habet latitudinem ac successionem, ideoque tempore mensuratur, at generatio substantialis formaliter sumpta, momento peragitur (1).

Utrum dispositiones præparantes, activæ, an vero solum in genere causæ materialis concurrant ad eductionem novæ formæ.

355. **Controvertitur porro,** utrum dispositiones præparantes materiam ad susceptionem novæ formæ active vel effective concurrant ad illius eductionem, an vero solum materialiter vel in genere causæ materialis. Active concurrere indicant Toletus et Conimbricenses, aliique (2). Sed melius videtur dicendum quod solum materialiter concurrant. Quæ est manifesta doctrina S. Thoma (3), Suarezii, Rubii et aliorum (4).

Utrum ultima dispositio ad formam causetur ab ipsa forma.

356. **Est etiam hic quædam controversia** inter Philosophos relate ad ultimam dispositionem, quæ materiam ad novæ formæ receptionem disponit, et hujusmodi formam. Controvertitur nempe, quomodo se habeat altera respectu alterius. Nam Thomistæ putant, ultimam dispositionem ad formam causari a forma, tamquam proprietatem ab ea dimanantem in genere causæ efficientis, eamdemque vicissim esse causam formæ, illamque præcedere in genere causæ materialis seu dispositivæ, quæ materiam præparet ad formæ receptionem. Hæc tamen doctrina rejicienda videtur cum communissima Nostratum sententia ex dictis in *Ontologia* contra mutuam prioritatem etiam in diverso genere causæ physicæ (5). Et ratio breviter est, quia si dispositio respectu formæ, v. g. calor respectu formæ ignis educendæ, sit materialis causa, in signo priori ad illam jam intelligi debet disponens actualiter materiam. Ergo vicissim pro priori ad formam, materia calorem recipit, quo ad formam præparetur. Atqui impossibile est in materia esse calorem pro priori ad ejus causam efficientem. Ergo si calor,

(1) Cardin. Tolet. *de Gener. et Corrupt.*, lib. 1, quæst. 5, ubi hæ aliæque præterea differentiæ fusius evolvuntur.

(2) Tolet. *(de Gener. et Corrupt.*, lib. 1, quæst. 7); Conimbric. ibid. cap. 4, quæst. 18, art. 3).

(3) S. Thom. 1. 2. quæst. 85, art. 1, ad 4.um; *de Verit.*, quæst. 28, art. 7; et art. 8 ad 5.um eorum, quæ in contrarium objiciebantur.

(4) Suarez *(Metaph.*, disp. 14, sect. 3, num. 31), Rubius *(de Gener. et Corrupt.*, cap. 2, tract. 3, quæst. 9).

(5) Vide *Ontologia*, num. 437, pag. 1202 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ac generatim dispositio, intelligitur pro priori ad formam, non dependet ab illa in genere causæ efficientis tamquam proprietas a nova forma dimanans, quemadmodum contendunt Thomistæ (1). Dicendum itaque est accidentia, quæ disponunt materiam ad novæ formæ receptionem, neque in ipso generationis instanti effici a forma vel per emanationem aut resultantiam, sed effici ab agente extrinseco pro priori ad formam: alioquin non possent materiam prævie disponere. Supposita autem probabili sententia tenente accidentia, quæ materiam ad formam præparant, eadem numero in novo composito permanere, dici potest illa post formæ introductionem ab eadem dimanare vel effici *per modum* conservationis. Sicut enim ipsa forma nova semel educta exigit sui conservationem, quamdiu non adest contraria exigentia robustior, scilicet ob contrariam actionem causarum naturalium; ita eadem forma exigit habere illa accidentia tamquam ornamenta et perfectiones sibi consentaneas ac naturaliter debitas. Et ob eamdem causam ultimæ dispositiones vel accidentia materiam ad formæ eductionem ultimo præparantia, non quidem in signo priori, in quo formam præeunt, sed in signo posteriori ad formæ introductionem, denominari possunt ejusdem proprietates (2).

357. Propositio 3.ª **Corpora non generant novam substantiam, quin veterem corrumpant. Hinc manavit effatum illud:** Generatio unius corruptio alterius, et vicissim.

Corpora non generant novam substantiam, quin veterem corrumpant.

Probatur experientia ipsa et inductione, quia nunquam videmus novum gigni corpus, nisi pereat aliquod aliud. Ratio vero est, quia sicut materia non potest naturaliter esse sine forma, ita nec potest plures simul formas habere. Atqui eatenus corpora novam substantiam generant, quatenus in materiam agendo novam ex ejus potentia educunt formam. Ergo eo ipso quod novum corpus generant, necesse est, ut forma, quæ in eadem materia præcedebat, esse desinat, atque adeo prius corpus corrumpatur. Porro corruptio hæc potest explicari in genere causæ formalis ex naturali

(1) Vide Lossada (*Physic.* tract. 2, disp. 4, cap. 4).

(2) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 3, num. 11 et 12); et Lossada (*Physicor.* loc. nup. cit. cap. 3, num. 10, 11).

repugnantia plurium formarum substantialium in eodem corpore: mox enim, videbimus, corruptionem aut desitionem formæ non posse fieri per positivam actionem vel efficientiam. Cum enim naturaliter nequeant duæ formæ substantiales idem subjectum actuare, si actio, quam corpus aliquod circa aliud exercet, certam formam in hoc naturaliter exigit introducere, Deus nisi miraculum patrare velit, concurret profecto cum causa secunda ad eductionem novæ formæ, et consequenter desinet priorem conservare (1). Quare habebitur generatio unius et corruptio alterius (2). Quamvis autem actio corporis duo hæc obtineat, non tamen eodem pacto tendit ad illa. Generationem nempe *per se* intendit natura tamquam positivum bonum, ad quod actio naturalis corporum dirigitur; corruptionem vero nonnisi per accidens, quia est malum quoddam et non *esse* rei (3). Agens ergo naturale non potest intendere corruptionem unius, nisi quatenus intendit generationem alterius, quæ sine prioris corruptione stare nequit (4). *Agens*, inquam, *naturale*, quia agens liberum, a quo pendet conservatio alicujus actus, potest cessare ab ejus conservatione, quin intendat positionem alterius actus oppositi et incompossibilis. Sic actum amoris vel cognitionis libere eliciens, cessat ab eo, etiamsi non ponat actum contrarium.

Ita tamen, ut generationem intendat per se, corruptionem vero solum per accidens.

Explicandum porro est axioma istud, ne perperam intelligatur. Et 1.º quidem sensus illius non est generationem unius esse formaliter et identice corruptionem alterius. Ratio in promptu est, quia generatio importat mutationem positivam, nempe a *non esse* ad *esse*, corruptio autem mutationem negativam, ab *esse* ad *non esse*. Atqui mutationes hujusmodi

Declaratur axioma: Generatio unius corruptio alterius.

(1) Vide P. Oviedo (*Physic.* controv. 8, punct. 3, paragr. 2, num. 16).

(2) Hoc axioma sæpe repetit Aristoteles. Vide v. g. lib. 1 *de Gener. et Corrupt.*, cap. 4, text. 17; *Physicor.* lib. 3, cap. 8, text. 73, *Metaphys.* lib. 12, cap. 2, text. 7.

(3) Vide S. Thom., lib. 3.º *Contr. Gent.* cap. 6, in solut. 3.ª objectionis.

(4) Videndi sunt de hac re Conimbricenses (*de Gener. et Corrupt.* lib. 1, cap. 3 et 4, quæst. 16, art. 4 et 5), Rubius (Ibid., quæst. 2), Complutenses (Ibid. disp. 3, quæst. 3). Vide etiam superius scripta, num. 126, *Objic.* 5.ª; et *Ontolog.* num. 161, pag. 465 seqq.

nequeunt esse unum idemque sive realiter sive formaliter. Ergo corruptio certissime differt a generatione. Rem præclare declarat S. Thomas: *Corruptio et generatio, quamvis semper conjungantur, non tamen sunt idem per se, sed per accidens; quod patet ex earum terminis, ex quibus motus et mutationes specificantur: terminus enim generationis est forma, quia est mutatio ad esse; terminus vero corruptionis est privatio, quia est mutatio ad non esse. Forma autem unius et privatio alterius, ut forma ignis et privatio aeris, sunt quidem idem subjecto, sed differunt ratione: et ideo etiam illud, quod corrumpit, et generat, non ex eodem habet, quod generat, et corrumpit; sed ex eo quod formam suam inducit, generat, et sic in quantum ens, generat; ex eo autem quod forma sua necessario conjungitur privationi alterius formæ, corrumpit* (1).

2.° Axioma illud facit *velut sensum causalem:* quasi diceretur: *Generatio unius est corruptio alterius*, id est, generatio unius secum fert alterius corruptionem, et econtra. 3.° Quod porro axiomatis veritatem attinet, distinguendum est inter generationem substantialem et accidentalem. Si agatur de substantiali, ea saltem prout fit a causis naturalibus, absque ulla exceptione semper annexam habet corruptionem. Quia naturales causæ non generant, nisi agendo circa alia corpora prius existentia in suo *esse* completo, et activitate sua inducendo novam formam in illis. Atqui nequeunt novam formam inducere, nisi corrumpendo, ac destruendo veterem. Ergo in generatione, saltem prout a causis naturalibus peragitur, aristotelicum axioma nullam patitur exceptionem. Dixi: *saltem prout a causis naturalibus peragitur;* quia si in primo instanti creationis materiæ concedatur, generari compositum educta forma de potentia talis materiæ, generatio hujusmodi certe nullam corruptionem comitem haberet. Cæterum illi, qui plures formas subordinatas in eodem composito ponunt, negant axioma istud locum habere in generatione, quæ fit per introductionem formæ perfectioris, cui alia præcedens imperfectior subordinetur. At vero corruptio substantialis naturaliter loquendo semper habet conjunctam generationem novæ substantiæ, quia materia nunquam potest naturaliter esse

(1) S. Thom., 2.° dist. 34, quæst. 1, art. 2, ad $\frac{2}{5}$.um.

absque forma. 4.° Si jam sermo sit de accidentali generatione, axioma verum non habet in eductione formarum contrario carentium. Sic illuminatio seu generatio lucis nihil corrumpit: et simili modo actiones intentionales corruptione carent. In accidentibus etiam contrarium habentibus, si neutrum illorum de necessitate insit subjecto, nec medium, qualia sunt v. g. virtus et vitium in homine, generatio unius non implicat necessario corruptionem alterius. Et ob similem rationem potest dari corruptio accidentis absque novæ formæ accidentalis generatione. Quare aristotelicum axioma in sua universalitate sumptum respicit solum generationem et corruptionem substantialem.

Quædam objectiones solvuntur.

Dices. 1.°, in morte hominis deficere istud principium; quia cum forma ejus sit immortalis non perit, ac proinde productio formæ cadavericæ non importat corruptionem prioris formæ. E converso cum homo alimentum in suam substantiam convertit, datur corruptio formæ alimenti absque novæ formæ generatione; quia nimirum materia illius informatur anima rationali, quæ prius aderat in homine. 2.° Species sacramentales non continent substantiam panis et vinis. Et nihilominus cum eæ ad eum statum ac dispositiones perducuntur, sub quibus si adesset vere substantia, corrumperetur, ut nova generaretur substantia, datur de facto etiam ejusmodi generatio; in qua proinde verum non habet, quod generatio novæ substantiæ sit corruptio præcedentis.

Resp. ad 1.um Generatio et corruptio possunt dici vel respectu formæ vel respectu compositi. Si denominentur respectu formæ dumtaxat, axioma patitur exceptionem in objectis exemplis; minime autem, si denominatio sumatur, ut rectius sumenda est, per ordinem ad compositum, nam compositum est, quod proprie ac per se generatur. Cadaver enim non generatur, nisi corrupto humano composito; itemque corrupto alimento nova pars substantialis integralis compositi generatur per nutritionem atque augmentationem. 2.um autem quod objiciebatur, nihil probat contra nostram assertionem, quia ibi adest miraculum (1). Cæterum sicut

(1) Vide de his egregie disputantes Toletum (*de Gener. et Corrupt.* lib. 1, quæst. 3), Rubium (ibid. cap. 3 et 4, tract. 1, quæst. 3), Conimbricenses (ibid. quæst. 17). Cfr. Complutenses (*de Gener. et Corrupt.* disp. 3, quest. 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terminus *qui* generationis per se ac proprie est compositum, ita e converso terminus *qui* corruptionis est *non esse* compositi, terminus autem *quo* est *non esse* formæ vel certe unionis. Unde etiam dicitur, composita per se corrumpi, formas vero corrumpi solum per accidens, videlicet corrupto composito, quod ipsa formaliter constituit.

Cur compositum dicatur per se corrumpi, formæ vero per accidens.

Definitio corruptionis ac discrimen ab annihilatione.

Verum de hac re plura occurrere posunt dubia, quæ commodius in sequenti articulo declaranda reservamus. Interea nota corruptionem opponi generationi, ac proprie sumptam definiri desitionem rei remanente subjecto; quæ proinde differt ab annihilatione, quæ est desitio rei non remanente subjecto, vel desitio rei in purum nihilum, et opponitur creationi.

358. PROPOSITIO 4.ª **Universa corporum generatim activitas comprehendit præter localem motum alterationem, generationem, corruptionem, et conversionem mixtionemque.**

Universa corporum activitas præter motum localem comprehendit alterationem, generationem, corruptionem, conversionem et mixtionem.

Hæc propositio non est nisi corollarium eorum, quæ in hoc et in præcedenti capite disputata sunt. Sane ostendimus activitatem corporum non contineri motu dumtaxat locali, sed attribuendas illis esse præterea actiones alias, et primo quidem eas, quæ terminum habent accidentalem, ac designantur nomine alterationis. Unde ex tribus illis speciebus motus, quos superius descripsimus, duæ, nempe alteratio et motus localis, ab omnibus generatim corporibus causari in aliis possunt: tertia vero, augmentatio, propria est dumtaxat viventium, ut videndum est in *Psychologia*. Sed præterea convenit etiam corporibus generatio et corruptio substantialis, quæ prout contingunt ex activitate causarum naturalium, substantialem mutationem implicant, prima quidem a *non esse* ad *esse*, altera e converso ab *esse* ad *non esse* (1).

Describitur conversio.

Conversio porro, quæ etiam corporibus asserenda est, non continet activitatem aliquam a superioribus distinctam. Quemadmodum enim in *Ontologia* notavimus (2),

(1) Plura de generationis et corruptionis ratione videri possunt apud Lossada et veteres auctores.

(2) Num. 246, pag. 701.

conversio est mutatio vel transitus unius rei in aliam, vel ab uno termino positivo ad alium positivum, seu ab *esse* ad *esse*, ut v. g. mutatio ligni in cineres. Quare duplicem mutationem importat, alteram negativam seu corruptivam, qua desinat res, quæ prius erat, v. g. lignum; alteram positivam vel generativam, qua res nova, v. g. cinis, fiat. Unde etiam duplicem terminum *a quo* habet, ac duplicem *ad quem:* nempe terminum positivum *a quo* corruptionis, v. g. *esse* ac formam ligni, et terminum negativum *a quo* novæ generationis, *non esse* cineris; itemque terminum positivum *ad quem* generationis, formam et *esse* cineris, et terminum negativum *ad quem* corruptionis, *non esse* ligni. In usu tamen loquendi ad solos terminos positivos attenditur, et sic dicitur lignum converti, vel mutari in cineres, aquam in vinum, cibum in substantiam aliti, etc. Cum itaque corporea non generent novas substantias, nisi agendo in alia corpora, eaque alterando et corrumpendo ita, ut generatio unius sit corruptio alterius, plane sequitur corporeas generationes rationem conversionis habere. Quare conversio non est sola generatio, nec sola corruptio, sed utramque continet. Cujusque porro conversionis termini dupliciter accipiuntur, *ut formales* et *ut totales*. Termini formales sunt illi, secundum quos præcise fit conversio, nempe forma vetus, quæ recedit, et forma nova, quæ advenit; totales autem sunt res ipsæ adæquate sumptæ, quarum alia in aliam transit. Sic in conversione ligni in cineres termini formales sunt forma ligni et cineris, totales autem lignum ipsum et cinis: et in Sma. Eucharistia termini formales sunt substantia integra panis et vini et Christus Dominus; totales autem aggregatum ex substantia panis et vini cum suis accidentibus et aggregatum ex venerando Corpore Christi Domini et accidentibus eucharisticis.

Termini conversionis accipi possunt ut formales et ut totales.

Conversio potest esse vel accidentalis vel substantialis, prout versetur inter extrema, quæ sint accidentia, ut inter album et nigrum, vel substantiæ, ut inter lignum et cineres. Dividi etiam potest in formalem et materialem ac totalem. Formalis est ea, in qua uni formæ succedit alia sub eadem materia, qualis est conversio ligni in cinerem: materialis

Conversio substantialis et accidentalis.

formalis, materialis ac totalis vel

transubstantiatio.

foret, si eadem forma divinitus transiret ab una in aliam materiam: totalis demum, in qua tota rei substantia transit in aliam, quæ propterea vocatur *transsubstantiatio*, ejusque exemplum extat in Sma. Eucharistia.

Variæ conditiones ad conversionem requisitæ primo.

Variæ requiruntur ad conversionem conditiones. *Prima est*, ut id, quod convertitur, desinat esse: aliis vocibus, requiritur desitio termini *a quo*, saltem secundum complexum et unionem subjecti cum forma. Patet, quia si conversio est transitus unius rei in aliam, oportet, ut res prior jam non sit: secus enim si adhuc permaneat, proprie nequit dici fieri aliam. Non tamen requiritur necessario, ut forma termini totalis *a quo* desinat esse, dummodo unio ejus ad materiam abrumpatur; unde in morte hominis datur conversio ejus in cadaver, quamvis anima non intereat, sed superstes sit dissolutioni unionis animæ cum materia. *Secunda* est, ut terminus *ad quem* accipiat *esse* de novo, vel certe modum novum essendi, saltem secundum complexum, ut dicebamus de termino *a quo*. Si enim terminus *ad quem* jam prius eodem modo existebat, nihil causæ erit, cur terminus a quo potius in illum, quam in quemlibet alium mutari et converti dicendus sit. Præterea «cum conversio non sit pura desitio rei vel annihilatio, cumque non fiat per solam subtractionem concursus causæ agentis, sed per influxum positivum illius, atque adeo per actionem; consequens est, ut tendat in rem, aliquid ei conferendo», nempe vel *esse* vel certe novum modum essendi (1). Non autem præcise requiritur, ut forma, quæ sit terminus *ad quem*, de novo fiat; et ideo in nutritione hominis vera datur conversio, quamvis terminus formalis ejus non sit forma de novo producta, sed eadem anima hominis jam prius existens et materiam informans. Dixi terminum *ad quem* in conversione debere accipere *novum esse*, vel certe novum modum essendi: controvertitur enim inter Doctores, utrum ad veri nomini conversionem requiratur, ut terminus *ad quem* accipiat *esse de novo*. Ac difficultas fit propter transsubstantiationem, cujus terminus *ad quem* est Corpus Christi Domini jam prius existens in cælo. Affirmant

secunda.

(1) Conimbricenses, *de Gener. et Corrupt.*, cap. 4, quæst. 11, art. 1

Suarez, Hurtadus, Arriaga, Quiros (1) et alii: qui consequenter putant transsubstantiationem esse actionem de genere suo productivam Corporis Christi. Negant communius alii, ut Vazquez, Turrianus, Valentia, Cardin. Lugo, Conimbricenses, Oviedus, Soarez Lusitanus (2), et alii post Halensem, Scotum, Richardum, Ockam, Capreolum et Paludanum (3). Hi dicunt transsubstantiationem esse actionem constitutivam Corporis Christi sub speciebus, quod proinde accipit novum modum essendi per alligationem ac dependentiam a speciebus sacramentalibus: quamquam Card. Lugo non vult hujusmodi actionem vocare *adductivam*, «tum quia adductio, inquit, solum terminatur ad præsentiam localem, quæ non sufficit ad conversionem istam, quæ sit in ordine ad substandum accidentibus; tum etiam quia adductio sonat Corpus Christi venire per motum localem successivum, transeundo per medium; quod falsum est». Quare inter desitionem termini *a quo* et positionem termini *ad quem* discrimen esse docet Lugo: «nam terminus *a quo* est, qui denominatur conversus, et per consequens desinens in alium; atque adeo ex parte ejus requiritur desitio simpliciter. At vero terminus *ad quem* solum denominatur per conversionem succedens termino *a quo;* ad hoc autem non est necesse, quod de novo incipiat habere *esse*, sed ad summum quod incipiat esse in illo munere, in quo succedit termino *a quo*» (4). Verum hæc relinquantur Theologis. *Tertia* conversionis *conditio est*, ut adsit connexio quædam ac dependentia inter desitionem termini *a quo* et successionem termini *ad quem*, ita ut ille desinat, ut hic subsequatur, quin sufficiat desitionem unius mere

tertio.

(1) Suarez *(de Eucharist.*, disp. 50). Hurtadus *(de Gener. et Corrupt.*, disp. 1, sect. 4), Arriaga *(de Gener. et Corrupt.*, disp. 1, sect. 3, subsect. 2), Quiros *(Opus. Philos.*, trac. 5, disp. 70, sect. 2, num. 17 seqq.).

(2) Vazquez *(de Eucharist.*, disp. 181, cap. 6), Turrian. *(Opus. theolog.*, opusc. 14, disp. 1), Valent. *(de Eucharist.*, disp. 6, quæst. 3, punct. 7), Lugo *(de Eucharist.*, disp. 7, sect. 6; sect. 1, num. 15), Conimbricenses (loc. nup. cit.), Oviedus *(de Gener. et Corrupt.*, controv. 2, punct. 5, num. 10, 11 seqq.), Suarez lusitanus *(de Gener. et Corrup.*, disp. 1, sect. 3, num. 45 seqq.).

(3) Apud Suarez *(de Eucharist.*, disp. 50, sect. 2, num. 11).

(4) Lugo (loc. cit., sect. 1, num. 15).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

concomitanter se habere cum positione alterius. Idque nomen ipsum *conversionis* sonare videtur; ex communi enim hominum intelligentia, unum transire in aliud, non est unum desinere esse, quando aliud incipit: alioquin si nunc aqua pereat, et vinum creetur, dicetur aquam converti in vinum, quod est ridiculum (1). *Quarta conditio* est, ut in conversione adsit aliquid commune, quod idem perseveret sub utroque termino, et in ordine ad quod uterque terminus repugnet. Ratio est, quia eo ipso quod unum convertatur in aliud, dicitur unum fieri ex alio, et unum terminum formalem succedere alteri, et poni loco alterius, et supplere vicem illius. Supplere autem debet esse in ordine ad aliquod tertium, cui deset terminus *a quo*, et cui advenit terminus *ad quem* in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium circa quod idem munus exerceret terminus adveniens, et ratione cujus successionis dicitur hoc secundum esse, quod erat primum...» (2). Et sic videmus in omnibus conversionibus naturalibus; nam in accidentalibus remanet substantia eadem sub utroque termino accidentali, et in substantialibus materia prima, quæ successive transit ab una forma substantiali in aliam. At in Sanctissima Eucharistia sub iisdem accidentibus versatur, ac demonstratur prius panis ac vini substantia, mox Corpus Domini nostri Jesu Christi ex efficacitate verborum consecrationis. Verum hactenus de his: plura dabunt veteres auctores, ac nominatim ii, quos superius laudavimus.

quarta.

De mixtione denique nihil remanet hic addendum, cum alibi satis probata et descripta maneat (3).

(1) Utrum autem connexio hæc debeat esse physica et ex natura rei, an vero sufficiat connexio extrinseca ex fine et intentione operantis, nolentis ponere unum nisi destruendo aliud, vide, si vis, apud veteres Doctores.

(2) Lugo loc. cit. sect. 1, num. 8, ubi plura require.

(3) Vide supra, num. 135 seqq., a pag. 474; et num. 147, pag. 553.

ARTICULUS III.

Enodantur quædam dubia circa præcedentem materiam.

Quæ hactenus disputata sunt de corporea activitate, dubitationes quasdam excitare in mente possunt, quas operæ pretium esse existimo ad materiæ complementum, breviter discutere. Et primo quidem dubitatur

§ 1.—UTRUM CORRUPTIO, QUÆ IN GENERATIONE NOVÆ SUBSTANTIÆ INTERVENIT, NATURALIS DICENDA SIT.

Utrum corruptio, quæ in novæ substantiæ generatione intervenit, naturalis dicenda sit.

359. Ad solutionem quæstionis notandum est, primo naturale sumi posse trifariam: α) prout opponitur artificiali et supernaturali: β) prout importat appetitum et inclinationem naturalem, quo pacto materiæ naturalis est forma aliqua: γ) pro eo quod consentaneum est rei, vel naturam ejus sequitur, utcumque se ad illam habeat. Notandum deinde, corruptionem posse comparari vel cum materia, quæ est ejus subjectum vel cum forma et composito, quæ sunt terminus *a quo*. Itaque sumpta voce in primo sensu, certum est corruptionem esse naturalem. Si vero secundo modo sumatur naturale, corruptio est naturalis respectu materiæ, non tamen respectu formæ nec respectu compositi. Primum patet, quia materia naturaliter appetit quamlibet formam, quia ex se non habet minorem proportionem cum una, quam cum alia. Ergo habens unam, potest naturaliter recipere aliam, atque adeo appetere illam. Sed non potest ullo modo recipere nec appetere aliam nisi corrupta priori. Ergo corruptio formæ naturalis est materiæ ex inclinatione et appetitu materiæ. Alterum etiam probatur. Quia corruptio tendit per se ad non *esse* formæ et compositi. Atqui nihil inclinatur ad non *esse* sui, sed potius appetit naturaliter esse et conservationem suæ existentiæ, nam *esse* est bonum rei, malum vero *non esse*. Denique sumendo naturale in tertia significatione pro eo, quod sequitur naturam alicujus, vel est consentaneum ei, corruptio naturalis dicenda est tum relate ad compositum, tum relate ad formam, tum relate ad materiam. *Relate ad compositum;* quia compositum coalescit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

concomitanter se habere cum positione alterius. Idque nomen ipsum *conversionis* sonare videtur; ex communi enim hominum intelligentia, unum transire in aliud, non est unum desinere esse, quando aliud incipit: alioquin si nunc aqua pereat, et vinum creetur, dicetur aquam converti in vinum, quod est ridiculum (1). *Quarta conditio* est, ut in conversione adsit aliquid commune, quod idem perseveret sub utroque termino, et in ordine ad quod uterque terminus repugnet. Ratio est, quia eo ipso quod unum convertatur in aliud, dicitur unum fieri ex alio, et unum terminum formalem succedere alteri, et poni loco alterius, et supplere vicem illius. Supplere autem debet esse in ordine ad aliquod tertium, cui deset terminus *a quo*, et cui advenit terminus *ad quem* in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium circa quod idem munus exerceret terminus adveniens, et ratione cujus successionis dicitur hoc secundum esse, quod erat primum...» (2). Et sic videmus in omnibus conversionibus naturalibus; nam in accidentalibus remanet substantia eadem sub utroque termino accidentali, et in substantialibus materia prima, quæ successive transit ab una forma substantiali in aliam. At in Sanctissima Eucharistia sub iisdem accidentibus versatur, ac demonstratur prius panis ac vini substantia, mox Corpus Domini nostri Jesu Christi ex efficacitate verborum consecrationis. Verum hactenus de his: plura dabunt veteres auctores, ac nominatim ii, quos superius laudavimus.

quarta.

De mixtione denique nihil remanet hic addendum, cum alibi satis probata et descripta maneat (3).

(1) Utrum autem connexio hæc debeat esse physica et ex natura rei, an vero sufficiat connexio extrinseca ex fine et intentione operantis, nolentis ponere unum nisi destruendo aliud, vide, si vis, apud veteres Doctores.

(2) Lugo loc. cit. sect. 1, num. 8, ubi plura require.

(3) Vide supra, num. 135 seqq., a pag. 474; et num. 147, pag. 553.

ARTICULUS III.

Enodantur quædam dubia circa præcedentem materiam.

Quæ hactenus disputata sunt de corporea activitate, dubitationes quasdam excitare in mente possunt, quas operæ pretium esse existimo ad materiæ complementum, breviter discutere. Et primo quidem dubitatur

§ 1.—UTRUM CORRUPTIO, QUÆ IN GENERATIONE NOVÆ SUBSTANTIÆ INTERVENIT, NATURALIS DICENDA SIT.

Utrum corruptio, quæ in novæ substantiæ generatione intervenit, naturalis dicenda sit.

359. Ad solutionem quæstionis notandum est, primo naturale sumi posse trifariam: α) prout opponitur artificiali et supernaturali: β) prout importat appetitum et inclinationem naturalem, quo pacto materiæ naturalis est forma aliqua: γ) pro eo quod consentaneum est rei, vel naturam ejus sequitur, utcumque se ad illam habeat. Notandum deinde, corruptionem posse comparari vel cum materia, quæ est ejus subjectum vel cum forma et composito, quæ sunt terminus *a quo*. Itaque sumpta voce in primo sensu, certum est corruptionem esse naturalem. Si vero secundo modo sumatur naturale, corruptio est naturalis respectu materiæ, non tamen respectu formæ nec respectu compositi. Primum patet, quia materia naturaliter appetit quamlibet formam, quia ex se non habet minorem proportionem cum una, quam cum alia. Ergo habens unam, potest naturaliter recipere aliam, atque adeo appetere illam. Sed non potest ullo modo recipere nec appetere aliam nisi corrupta priori. Ergo corruptio formæ naturalis est materiæ ex inclinatione et appetitu materiæ. Alterum etiam probatur. Quia corruptio tendit per se ad non *esse* formæ et compositi. Atqui nihil inclinatur ad non *esse* sui, sed potius appetit naturaliter esse et conservationem suæ existentiæ, nam *esse* est bonum rei, malum vero *non esse*. Denique sumendo naturale in tertia significatione pro eo, quod sequitur naturam alicujus, vel est consentaneum ei, corruptio naturalis dicenda est tum relate ad compositum, tum relate ad formam, tum relate ad materiam. *Relate ad compositum;* quia compositum coalescit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex unione materiæ ac formæ. Atqui hæc unio natura sua dissolubilis est, nam obnoxia est actioni causarum naturalium, cui sæpe nequit resistere. Hoc pacto homo dicitur et est corruptibilis, et mors eidem est naturalis et ingenita, sicut et cæteris viventibus, tum quia componuntur ex materia contrariorum susceptiva, tum quia formæ, ut materiam actuent, certas requirunt dispositiones, quas facile amittere possunt ex actione naturalium causarum, et quibus amissis servare jam amplius unionem suam cum materia nequeunt. Unde etiam patet, quomodo corruptio sit naturalis *relate ad formam*, nempe materialem, nam forma immaterialis est prorsus incorruptibilis. Quia formæ eductæ de potentia materiæ, non possunt extra materiam subsistere, sed egent unione cum illa, ut sint. Ergo si unio hæc dissolvi potest naturaliter, formæ ipsæ naturaliter corruptibiles dicendæ sunt. Denique *respectu quoque materiæ* corruptio naturalis est. Quia materia potest ex se ac natura sua recipere quaslibet formas substantiales cujuslibet speciei. Atqui naturaliter impossibile est unam recipere sine alterius expulsione compositique corruptione. Ergo etiam ex propria natura materia est subjectum corruptionis, sicut et generationis, atque adeo corruptio nequit ei non esse naturalis (1). Secundo dubitatur

§ II.—Utrum corruptio fiat per veram efficientiam et actionem (2).

Utrum corruptio sit actio quædam positiva et efficientia.

360. Ut res melius declaretur, nota corruptionem duobus modis accidere posse: primo, quia *non esse* unius rei consequitur ex *esse* alterius, ut v. g. corruptio ligni ex generatione ignis vel cineris. Secundo, quia res absolute privatur suo *esse* quasi immediate absque generatione alterius, sicut corrumpitur, vel desinit esse lumen in aëre per absentiam solis aut alius corporis luminosi. Hoc supposito; sit

(1) Vide de his S. Thom. (1. 2. quæst. 85, art. 6; de Malo, quæst. 5, art. 5), Rubium (loc. cit. quæst. 1), Conimbricenses (loc. cit. quæst. 16, art. 3), Complutenses (loc. cit. quæst. 2), Joannem a S. Thoma (*Physic.* secund. part. quæst. 2, art. 3) apud quos de his require.

(2) Quæ ad hujus dubii resolutionem dicentur, brevi compendio exhibent ea, quæ fusius et egregie tradit Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 11.

Assertio 1.a **Corruptionem ac desitionem rei nunquam fieri per efficientiam propriam et positivam, nisi quatenus carentia alicujus esse consequitur ad effectionem seu positionem alterius esse.**

Corruptio nunquam fit per propriam et positivam efficientiam, nisi quatenus consequitur effectionem alterius rei.

Nam positiva efficientia fit solum per positivam actionem: actio enim et efficientia unum idemque sunt, sicut agens et efficiens. Atqui actio positiva immediate ac per se non tendit ad *non esse;* siquidem realis ac positivæ actionis terminus realis et ipse sit ac positivus, oportet; *non esse* autem non est quidpiam reale ac positivum, sed negativum ac purum nihil in rerum natura. Ergo si quid per actionem positivam corrumpitur, ideo id fieri dicendum est, quia per illam aliquid efficitur, quod incompossibile est cum *esse*, quod destruitur. «Est ergo in universum verum per efficientiam positivam nihil immediate destrui, sed solum consequenter ad aliud *esse*, quod per actionem fit: quæ consecutio fundatur in aliqua repugnantia talium rerum».

Assertio 2.a **Quando alicujus rei desitio non consequitur ad positivam effectionem alterius, sed per se sola fit, non fit per efficientiam propriam, sed per carentiam efficientiæ.**

Quando corruptio ac desitio rei non consequitur effectionem alterius rei, fit non per actionem propriam, sed per actionis carentiam.

Hoc principium sequitur ex precedente, quia actio positiva non est, nisi ad aliquod *esse* positivum. Ergo dum nullum *esse* communicatur, non potest actio positiva intervenire. In hoc autem genere desitionis et corruptionis nullum *esse* communicatur, sed solum aufertur. Ergo non potest fieri per veram actionem: ergo necessario fieri debet per carentiam actionis, quia non potest intervenire alius modus causalitatis, qui ad efficientem causam pertineat».

Ex quibus sequitur 1.° *In omni corruptione seu amissione alicujus esse realis intervenire aliquam mutationem, non vero semper intervenire aliquam actionem.* Nam mutatur res, quando aliter se habet, quam prius. Atqui quando v. g. aër, qui illuminatus erat, remoto corpore luminoso, fit tenebrosus, aliter procul dubio se habet; et nihilominus mutatio ista non fit per veram actionem, ut constat ex secunda assertione. Ergo in omni corruptione semper quidem intervenit mutatio,

In omni corruptione intervenit mutatio non tamen semper actio.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non tamen semper intervenit positiva, atque adeo veri nominis actio.

Quotiescumque in corruptione rei locum habet positiva actio, hæc non potest esse actio creativa, sed educitiva ex præsupposito subjecto.

Sequitur 2.° *Quoties corruptio vel desitio rei fit per actionem positivam, quæ ex se habeat consequenter causare talem corruptionem, actio ejusmodi necessario est ex præsupposito subjecto.* Ratio est, quia corruptio aut desito non fit ex vi actionis physicæ ac positivæ, nisi quia illud *esse*, quod per eam fit, habet naturalem repugnantiam cum *esse*, quod destruitur. Hæc autem repugnantia naturalis esse non potest, nisi in ordine ad idem commune subjectum, quod maneat sub utroque termino: quia inter res subsistentes et nullum habentes ordinem ad subjectum, non potest esse naturalis repugnantia, ob quam in rerum natura simul esse non possint. Ergo necesse est, ut talis actio sit ex præsupposito subjecto.

Annihilatio non potest fieri per positivam actionem.

Sequitur 3.° *Annihilationem propriam fieri non posse a Deo per positivam actionem.* «Quia annihilatio nihil rei relinquit, quod possit esse subjectum actionis. Item quia vel actio fit in subjecto, et sic non destruit illud, et consequenter non efficit annihilationem: vel fit sine subjecto, et sic nihil per illam fieri potest, quod repugnet toti *esse* alterius rei. Ergo nihil per talem actionem potest annihilari».

Quotiescumque in corruptione corporis intervenit actio positiva, una tantum simplex actio datur, et duæ mutationes.

Sequitur 4.° *Quotiescumque fit corruptio aut desitio per positivam actionem, ut accidit cum novum esse generatur, una dumtaxat simplex actio intervenit, ac duæ partiales mutationes, positiva una, altera privativa.* Nam ut superius explicuimus, trifariam potest aliquid mutari: primo a forma in carentiam ejus, et tunc fit mutatio privativa, nulla vero intervenit actio, per se loquendo, sed solum carentia actionis conservativæ. Secundo mutatur aliquid ex pura privatione in formam, ut ex tenebroso in lucidum; ac tunc sicut una intervenit actio, ita etiam una simplex mutatio positiva. Tertio contingit aliquid mutari ex una forma in aliam, ut cum ex ligno fit ignis. Et tunc una simplex intervenit actio, qua educitur vel unitur forma, quæ de novo introducitur in tali subjecto, nam ad expellendam aliam nulla alia actio est necessaria, ut diximus; mutatio vero duplex fit, quia subjectum illud duplici titulo aliter se habet, scilicet et carendo forma, quam prius habeat, et eam accipiendo, qua carebat.

«Quæ duæ mutationes adeo distinctæ sunt, ut reipsa interdum separentur... Item una est generatio, altera est corruptio, substantialis vel accidentalis, vel interdum una est intensio et altera remissio: denique una est positiva, altera privativa. Unde quantum inter se differunt unius formæ informatio et alterius privatio, tantum inter se differunt illæ mutationes. Possunt autem illæ mutationes partiales dici, quia physico modo componunt unum integrum transitum ab uno termino positivo in alium, qui... appellatur conversio unius rei in aliam» (1). Unde etiam S. Thomas docet utramque hanc mutationem efficere unum motum physicum (2). Ex quibus omnibus colligitur,

Causæ corruptionis: efficiens,

Quid dicendum sit de causis corruptionis. Corruptio formaliter sumpta, cum sit merum non *esse*, nullam habet causam *immediate* efficientem, nisi talis vocetur in sensu negativo et improprio illa, quæ cessat a conservatione rei. Plerumque tamen, nempe cum corruptio consequitur ex productione alterius *esse*, dici potest habere causam efficientem mediate, illam videlicet quæ formam efficit pereunti contrariam. Habet etiam causam efficientem moralem, nimirum exactivam directe et immediate, quotiescumque una res corrumpitur, vel desinit ad exigentiam alterius: quo pacto una forma exigit expulsionem alterius, et generatim unum contrarium exigit contrarii sui expulsionem ab eodem subjecto. Hæc tamen exigentia, quæ habetur in nova forma ad alterius expulsionem, non importat ullam physicam operationem vel efficientiam unius formæ ad corruptionem contrariæ peragendam, sed solum formalem repugnantiam (3): quare etiam prædicta exigentia dici solet corruptionis causa formalis extrinseca. Causa materialis corruptionis est subjectum, a quo forma expellitur. Ac demum causa finalis, saltem dum corruptio non provenit a causa secunda libera, semper est bonum novi compositi (4). Præterea dubitatur,

materialis, finalis.

(1) Suarez, loc. cit.
(2) Vide S. Thom., *de Verit.*, quæst. 28, art. 1.
(3) Vide Suarezium, loc. nup. cit. num. 9, 10.
(4) Vide Lossada *(de Gener. et Corrupt.* disp. 2, cap. 1, num 10).

§ III.—Utrum generatio unius et corruptio alterius habeant inter se aliquem ordinem prioris et posterioris.

Utrum inter generationem et corruptionem sit aliquis ordo prioritatis.

361. Hujus dubii solutio utilis est etiam ad Theologiam, ac nominatim ad illam controversiam, in qua quæritur, utra sit prior, gratiæne infusio, an peccati remissio, vel an inter has ordo aliquis intercedat. Primum itaque revocanda in memoriam est ex *Ontologia* prioritas temporis et naturæ. Hic enim non dubitatur de temporis prioritate. Nam «certum est generationem et corruptionem esse in eodem instanti, cum nec forma præcedens expulsa sit ante instans generationis, nec forma subsequens introducta: si enim esset expulsa ante instans generationis, daretur materia sine forma, quia ante instans generationis non est nova forma introducta. Ergo si ante illud sit præcedens expulsa, sequitur tempore aliquo dari materiam sine ulla forma. Veritas ergo est, in eodem instanti introductam esse novam formam, et expulsam antiquam. Et cum introductio novæ sit generatio, et expulsio antiquæ corruptio, in eodem instanti erunt corruptio et generatio» (1). Ad rem Angelicus: *Expulsio formæ dicit terminum motus illius, qui est ad corruptionem ordinatus; et introductio formæ dicit similiter terminum motus illius, qui præcedit generationem, quia tam generatio quam corruptio sunt terminus motus. Omne autem, quod movetur, quando est in termino motus, disponitur secundum illud, ad quod motus ordinatur: et ideo cum motus corruptionis tendat in non esse, generationis vero ad esse, quando forma introducitur, forma est; quando autem expellitur, non est. Et quia introduci dicitur forma, quando primo est, expelli autem, quando primo non est; non potest esse materia sine forma hac vel illa: et ideo* **simul est ibi expulsio unius formæ et introductio alterius** (2). Quæstio ergo solum versatur circa prioritatem naturæ. Et quia *omnis prioritas secundum ordinem naturæ aliquo modo reducitur ad ordinem causæ et causati*, tota controversia pendet ex ordine causalitatis, quæ intercedat inter generationem et corruptionem. Est ergo multorum sententia, generationem

Dubium non est de prioritate temporis,

sed naturæ.

Veriæ sententiæ:

(1) Rubius, *de Generat. et corrupt.* loc. cit. quæst. 5, num. 99.

(2) S. Thomas, 4.o dist. 17, quæst. 1, art. 1, solut. 2.m

quidem in genere causæ formalis priorem esse corruptione, hanc vero in nullo genere priorem esse illa. Alii autem apud Rubium et Complutenses (1), existimant introductionem quidem novæ formæ, quæ est generatio, esse priorem expulsione veteris, quæ est corruptio, ex parte causæ efficientis, et in genere tum causæ formalis, tum finalis; corruptionem tamem esse priorem ex parte materiæ, et quodammodo in genere causæ materialis. Eademque est doctrina Aquinatis (2): qui mutuum istum generationis et corruptionis ordinem sic exponit: *Recessus a termino et accessus ad terminum dupliciter considerari possunt: uno modo ex* parte mobilis (subjecti vel materiæ), *et sic naturaliter recessus a termino* (corruptio) *præcedit accessum ad terminum* (generationem); *prius enim est in subjecto mobili oppositum, quod abjicitur, et postmodum est id, quod per motum assequitur mobile. Sed ex parte agentis est e converso: agens enim per formam, quæ in eo præexistit, agit ad removendum contrarium; sicut sol per suam lucem agit ad removendum tenebras; et ideo ex parte solis prius est illuminare, quam tenebras removere, ex parte autem aëris illuminandi prius est purgari a tenebris, quam consequi lumen ordine naturæ, quamvis utramque sit simul tempore* (3). Quam doctrinam plenius evolvit P. Antonius Rubius in hæc verba: «Notandum est generationem et corruptionem posse considerari ex parte agentis et ex parte passi» vel materiæ: «et primo modo consideratæ sumuntur per modum actionis, secundo vero modo per modum passionis... Non tamen sunt comparandæ, ut considerantur ex parte agentis, ad seipsas, ut considerantur ex parte materiæ: neque hoc modo potest esse in eis ordo prioris et posterioris, quia agens et materia continent diversa genera causarum; et ideo non habent ordinem prioris et posterioris, nisi in quantum causæ possunt esse sibi invicem causæ... Solum ergo comparari possunt, ut se tenent ex parte agentis inter sese, et ut se tenent ex parte passi inter sese: quo pacto possunt habere ordinem prioris

(1) Rub. (ibid. quæst. 5, num. 101), Complutens. *de Gener. et Corrupt.* disp. 3, quæst. 5, num. 38).

(2) Vide S. Thom., 4.o dist. 17, quæst. 1, art. 4, solut. 1. Cfr. *de Veritate*, quæst. 28, art. 7; 1, 2, quæst. 113, art. 8.

(3) S. Thom. 1. 2, quæst. 113, art. 8, ad 1.um

et posterioris. Sed ut considerantur ex parte agentis, generatio vocatur introductio novæ formæ, quia agens intendit formam introducere ad generationem compositi; corruptio vero vocatur expulsio formæ præcedentis, quia agens per introductionem activam novæ formæ, active etiam dicitur expellere præcedentem. Sed ut se tenent ex parte materiæ, generatio dicitur receptio novæ formæ, corruptio vero purgatio vel emundatio a forma præcedente, sive passiva expulsio ejusdem formæ præcedentis. Integra vero ratio generationis utrumque includit, nempe introductionem formæ in materiam, et receptionem ejusdem formæ in eadem materia, ut ex se est manifestum: et integra ratio corruptionis includit activam expulsionem formæ præcedentis a materia, et purgationem ejusdem materiæ ab opposita forma sive passivam expulsionem ejus. Itaque hæc sententia sic explicata duo asserit: primum est, generatio ut se tenet ex parte efficientis, prior natura est corruptione: secundum, ut se tenet ex parte materiæ, posterior; et ideo in genere causæ efficientis et absolute prior, sed in genere causæ materialis posterior, quod est esse secundum quid posteriorem» (1).

Judicium Auctoris.

Circa hanc controversiam dicendum videtur, primo quidem in genere causæ finalis, priorem esse generationem corruptione; nam quemadmodum superius dictum est, corruptio non potest esse primo et per se intenta, sed tantum secundario et per accidens, *quia*, ut iterum verba S. Thomæ repetamus, *natura principaliter intendit introductionem formæ, et ad hanc ordinat expulsionem omnis ejus, cum quo stare non potest formæ intentio*. Deinde in genere etiam causæ efficientis prior est generatio. Quia corruptio veteris formæ non datur nisi ad exigentiam novæ, ut satis ex dictis innotescit. Sed illud, ad cujus exigentiam aliud evenit, est prius eo. Et probatur: quia exigentia est prior termino exigentiæ et causa moralis illius. Præterea agens per introductionem novæ formæ operatur ad prioris expulsionem; illud autem, quo mediante agens operatur, est eo prius aliquo modo. Hinc etiam concluditur, generationem priorem esse corruptione etiam in genere formalis causæ, quia corruptio non adest,

(1) Rubius (loc. cit. quæst. 2, num. 101, 102).

nisi quia agens formam novam educit incompossibilem cum priori: quare recessus veteris formæ dependet ex novæ positione, et non vicissim. Unde etiam dici solet corruptionem vel expulsionem formæ veteris esse effectum formalem secundarium novæ formæ. Valde autem dubium est, utrum corruptio præcedat generationem in genere causæ materialis. Et quod nequeat stricta prioritate naturæ præcedere, colligitur ex alibi asserta et probata repugnantia mutuæ prioritatis vel causalitatis, sive in eodem, sive in diverso genere causæ.

Probabis cum Rubio corruptionem præcedere natura in genere causæ materialis. Etenim generatio ex parte materiæ dicit receptionem novæ formæ, et corruptio purgationem ab antiqua. Sed prius est ex parte materiæ purgari a forma opposita, quam novam recipere, ut patet exemplo solis, superius adducti ex S. Thoma, itemque exemplo æris aperientis fenestram, et per eam ingredientis cubiculum: «nam ex parte ipsiusmet æris prius est ingressio activa, quam apertio fenestræ, cum fenestra aperiatur effective ab ingressu æris, sed ex parte ejusdem fenestræ prius est eam aperiri, quam ærem ingredi, quia fenestra nonnisi aperta locum ingrediendi præbet æri» (1) Præterea materia non recipit formam, nisi quatenus est apta et disposita atque expedita ad eam recipiendam. Atqui materia non est apta et expedita ad recipiendam formam, nisi per purgationem ab opposita forma utpote quæ naturaliter impedit receptionem novæ. Ergo ex parte materiæ prius natura est purgatio a priori forma seu corruptio, quam novæ receptio vel generatio. Atque id est, quod S. Thomas in locis citatis docet, corruptionem se habere tamquam impedimenti remotionem, atque adeo dispositionem necessariam ad generationem (2).

Hæc tamen rem minime evincunt: non enim probant dari in corruptione veram prioritatem naturæ. Sane quod primum attinet, expulsio formæ nullam habet causalitatem, sed tantum est effectus secundarius introductionis formæ novæ. Quare videtur improprie dici causa materialis respectu generationis vel introductionis formæ alterius, cum potius

(1) Rubius, loc. cit. num. 102.

(2) Vide Auctores superius citatos, et P. Cosmum Alamanni, *Summ. philos.*, secunda secundæ partis, quæst. 35, art. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sit remotio cujusdam impedimenti non tam antecedens, quam subsequens vel concomitans. Vel si quis est ordo aut prioritas, magis est secundum considerationem nostram, quam secundum veram causalitatem. Nec vero hanc omnino probat primum exemplum lucis ac tenebrarum. Cum enim lux ac tenebræ immediate ac formaliter sese excludant, ut lux et non lux; purgatio sive ablatio tenebrarum est ipsa formalis positio lucis, nec potest proinde inter hæc ordo realis existere. Exponi ergo haud absurde potest forte S. Thomas de ordine naturæ improprio et secundum nostrum concipiendi modum imperfectum, quatenus tenebras apprehendimus instar cujusdam impedimenti positivi, quod prius removeri debeat, quam lux ingrediatur. Vel si vis dicere esse reapse impedimentum, certe est impedimentum auferibile ipsa formali lucis positione, nec est aliter auferibile; ac proinde non potest ullam veri nominis prioritatem et causalitatem exercere respectu illuminationis. Idem dicito de altero exemplo apertionis fenestræ. Nam apertio fenestræ si compararetur ad introductionem lucis, est quidem remotio cujusdam impedimenti simpliciter antecedens ordine naturæ, nullo autem modo est effectus introductionis lucis; sed sic non esset exemplum ad rem, quia hic adsunt duæ actiones distinctæ, apertio nempe fenestræ et illuminatio. At vero aliter se res habet in apertione fenestræ per ventum relate ad ingressum ejusdem venti. Sic enim apertio quidem est effective ab ære impellente, tamen ille aer, *ut impellens et efficiens*, nullo modo est effectus ipsius apertionis in genere causæ materialis; quia aer impellens non efficit illum motum fenestræ, ut introductus jam in locum ejus, sed ut contingens et imprimens illi impetum, quod facit prius tempore vel instante, quam in locum fenestræ introducatur, et fenestra ipsa e loco suo moveatur. Et ita respectu illius efficientiæ nulla est causalitas materialis in effectu ejus. Quod si consideretur aer ut jam occupans locum fenestræ, quæ aperitur, sic non est causa effectiva apertionis, sed formalis, per formalem nimirum incompossibilitatem illorum duorum corporum in eodem spatio. Et secundum hanc rationem, si est mutua causalitas inter apertionem fenestræ et introductionem aeris, pertinet ad materialem et formalem, non ad efficientem: et idem

judicium de illa ferendum est, quod de introductione unius formæ et alterius expulsione (1).

Nec magis urget alterum argumentum, ex eo petitum, quod materia nequeat formam recipere, nisi quatenus est apta et expedita ad eam recipiendam. Id enim concedimus; est autem materia expedita et apta per ultimam dispositionem positivam, quæ ab agente introducitur: ultra quam nihil aliud *prævium* requiritur. Verum est, quod forma vetus ratione suæ incompossibilitatis cum nova, sit quoddam impedimentum, ac debeat recedere. Verum ejusmodi impedimentum est de genere illorum, quæ nonnisi ipsa formali formæ novæ introductione removentur, ac proinde purgatio a veteri forma nequit habere veram rationem causæ materialis. Denique dubitatur.

§ IV.—UTRUM IN CORRUPTIONE SUBSTANTIALI FIAT RESOLUTIO USQUE AD MATERIAM PRIMAM.

Utrum cum substantia corrumpitur, materia ejus spolietur omnibus suis accidentibus simul cum forma substantiali.

362. Hæc est una ex celeberrimis hac in re quæstionibus, ejusque sensus aliis verbis est, utrum cum substantia corrumpitur, alia nova generata, spolietur omnibus suis accidentibus simul cum forma substantiali, vel utrum omnia illius accidentia pereant ita, ut de priori corpore solum remaneat materia prima. Nec disceptatio est de accidentibus, quæ cum veteri forma connectebantur sive tamquam modi sive tamquam proprietates ejusdem, hæc enim omnia planum est, pereunte forma, perire debere: sed de illis aliis, quæ *communia* dicuntur, quæque sicut non habebant necessariam cum priori forma connexionem, ita nec cum nova penitus repugnant. In hac controversia communis est Thomistarum sententia, docens in corruptione substantiali fieri resolutionem usque ad materiam primam (2). Eamdem doctrinam post Halensem,

Sententia Thomistarum;

(1) Ita fere ad verbum Suarez (*Metaphys.* disp. 27, sect. 2, num. 22, 23). Cfr. Losada (*Physic.* tract. 2, disp. 4, cap. 3, num. 14). De Benedictis (*Physic.* lib. 2, quæst. 2, cap. 4 fin.), Mayr (*Philos. perip.* pars. 2.a num. 857).

(2) Vide Joann. a S. Thoma (*Physic.* secund. pars. quæst. 1, artic. 6), Goudin (ibid. disp. unic. quæst. 1, art. 3, paragr. 1), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 49), Complutens. (*de Gener. et Corrupt.* disp. 3 quæst. 6) etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Albertum M., Aegidium, Hervæum et Capreolum (1) amplectuntur e nostra Societate Fonseca, Conimbricenses, Rubius, Cosmus Alamanni et Sylvester Maurus (2). Hujus sententiæ adsertores putant eam omnino traditam esse ab Aristotele et S. Thoma. Altera sententia est communis inter Scotistas (3), et longe communior præcedenti inter Nostrates (4). Eamdemque docuerant e veteribus Avicenna, Averroes, Henricus Gandavensis, Gregorius, Scotus, Gabriel Biel, Ockam et alii (5). Pro hac etiam opinione quædam adducuntur testimonia S. Thomæ. Inter patronos vero hujus alterius sententiæ aliquam reperio differentiam; nam multi assertionem suam ad omnia corpora extendunt, Scotistæ autem, ut videre est apud laudatos Mastrium et Frassen (6), eamdem ad sola viventia corpora restringunt, in cæteris admittunt resolutionem usque ad materiam primam. Quæ sententia sequitur ex aliis eorumdem Scotistarum doctrinis. Cum enim in viventibus admittant præter animam formam corporeitatis, quæ remaneat in cadavere, recedente anima, non possunt in illis immediatam resolutionem usque ad materiam primam agnoscere. In aliis vero eam agnoscunt, quia existimant, ut superius vidimus, cum Thomistis accidentia in

sententia Scotistarum, eaque longe communior inter Nostros.

(1) Apud Conimbricenses, loco mox citando.

(2) Fonseca (*Metaphys.* lib. 8, cap. 1, quæst. 1, sect. 5), Conimbricenses (*de Gener. et Corrupt.* cap. 4. quæst. 18); Rubius (ibid. tract. 3, quæst. 4), Alamanni (*Summa philos.*, secunda secundæ, quæst. 35, art. 7), Mauri (*Quæstion. philos.*, lib. 3, qæst. 17).

(3) Vide Vide Mastrium (*de Gener. et Corrupt.* disp. 5, quæst. 3), Frassen (*de Gener. et Corrupt.* quæst. 4, conclus. 3.ª).

(4) Ita v. g. Suarez (*Metaphys.* disp 14, sect. 3, num. 15 seqq.), Benedictus Pererius (*de Communibus principiis* etc. lib. 5. cap. 18), Toletus (*de Gener. et Cprrupt.* lib. 1, quæst. 6), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 11, quæst. 1, sect. 3). Hurtadus (*de Gener. et corrupt.* disp. 1, sect. 5), Arriaga (*Physic.* disp. 5, sect. 2), Oviedus (*de Gener. et Corrupt.* Controv. 1, punct. 3), Soarez lusitan. (*de Gener. et Corrupt.* disp. 1, sect. 6, parag. 9 et 10), De Benedictis (*Physic.* lib. 4, quæst. 1, cap. 6), Semery (*Trienn. philos.* tom. 3, disp. 1, quæst. 3, art. 3), Antonius Mayr. (*Philos. perip.* part. 2, num. 1439 seqq.), Quiros (*Opus philos.* disp. 70, sect. 1), Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 2, cap. 6).

(5) Apud Conimbricenses, Rubium, etc.

(6) Vide Mastrium (loc. cit. art. 2), et Frassen (loc. cit.,

toto composito recipi. Est enim quæstio præsens connexa cum illa alia superius agitata de subjecto inhæsionis accidentium; si enim subjectum ejusmodi sit totum compositum corporeum, consequens est, ut eo pereunte, debeant quoque perire, quæcumque nonnisi eidem inhærendo existebant.

eligitur, et probatur.

363. **Hæc secunda sententia mihi quoque probabilior videtur**. Probatur autem 1.° experientia ipsa. Nam in cadavere manent eadem quantitas, figura, organizatio, nævi, cicatrices pluraque alia carnis et ossis accidentia. Immo si quis subito moriatur, vel interficiatur, idem durat calor aliquandiu. In corporibus etiam non viventibus pondus saltem idem remanet, ut docent Chimici, et bilance comprobatur: nam in combinationibus pondus mixti corporis æquat summam ponderum corporum elementarium, ac vicissim in chimicis resolutionibus, pondus mixti distribuitur inter eorpora simplicia resultantia. Pondus autem est accidens materiam primam consequens. Atqui experientia sensuum abjicienda non est, donec aut Fides aut ratio efficaci aliquo argumento contrarium persuadeat.

Respondent Thomistæ, relationem sensuum hac in re corrigendam esse; nec accidentia ista, quantumvis ita oculis appareant, esse numero eadem, sed tantum specie, quia nimirum in momento corruptionis alia simillima ejusdem speciei gignuntur.—**Verum responsio ista** parum solida videtur, neque enim manifestissima sensuum experientia respuenda vel corrigenda est absque firmissimis in contrarium argumentis, qualia certe adversariis non suppetunt. Cum potissimum nulla possit apta causa assignari, quæ in corpore novo produceret alia ejusdem speciei accidentia. **Non materia**, quæ activa non est; **non forma nova**, quia ista accidentia, utpote communia et non propria, necessariam cum illa connexionem non habent; nec facile est explicare, cur forma substantialis cadaverica nævos et cicatrices aliaque similia non in omnibus indiscriminatim corporibus reproduceret, sed solum in illis, quæ prius ea gesserant. **Neque etiam accidentia ipsa corporis corrupta** possunt esse novorum istorum, quæ ab adversariis obtruduntur, accidentium causæ; nam illa secundum eos in momento generationis jam non sunt, atque adeo nihil efficere possunt. **Non causæ**

circumstantes, ut per se patet; quia nullæ sunt, quæ virtute tam mira gaudeant accidentia illa, v. g. figuram, organizationem, etc., in cadavere gignendi. **Neque demum agentia universalia**, nam hæc certos effectus non producunt, nisi ad exigentiam subjecti et causarum particularium. Hic autem nec materia prima, nec novum corpus, nec agentia particularia, quæ intervenire possint in hujus generatione, talia accidentia producere exigunt.

Dicunt adversarii passim (1), accidentia ista ideo a causis universalibus produci, quia exiguntur a materia prima, non quidem specificative sumpta, sed prout sigillata per accidentia prioris compositi, dum in momento novæ generationis perirent.—**Verum quid**, quæso, est ista sigillatio, quam accidentia illa in materia reliquerunt? Additne aliquid materiæ, vel non? Si sigillatio nihil addit materiæ primæ, nihil proderit ad determinandam causam universalem ad horum potius, quam aliorum, productionem accidentium. Si quid autem ponit in materiæ prædicta sigillatio, vel illud remanet ex corpore corrupto in alio denuo generato, vel producitur in ipso generationis instanti. Si primum dicas, jam non fiet resolutio usque ad materiam primam. Sin alterum, restat eadem difficultas assignandi causam vel activam vel exactivam talis additamenti, quod cum prædictis accidentibus cadaveris vel alterius corporis corrupti connexionem habeat (2).

Dicent fortasse adversarii sigillationem illam esse connotationem extrinsecam, in eo consistentem, quod materia immediate ante habuerit accidentia similia iis, quæ in cadavere cernimus; cumque nequeat materia subito ad accidentia contraria vel nimis diversas transire, debet in instanti generationis accipere alia præcedentibus similia, quæ deinde pedetentim amittantur.—**Respondetur**, solutionem istam insufficientem esse; tum quia si materia transit ab anima ad formam cadaveris, quæ tam diversa est, non apparet ratio, cur non possit etiam transire ad accidentia diversa, supposito quod amittat in corruptione præcedentia; tum quia sæpe

(1) Vide v. g. Card. Aguirre (loc. cit. sect. 1. num. 12).

(2) Vide Lossada (loc. cit. num. 56); ac lege, si placet, fuse ac nervose de his disserentem (loc. cit. num. 20 seqq.).

de facto ex actione causarum externarum adsunt accidentia plura diversa a præcedentibus in cadaveribus viventium, ut patet v. g. in iis, qui fulmine tacti moriuntur (1).

Prob. 2.° Si canis sursum projectus moveretur, pergeret profecto in suo motu, donec impetus primum impressus, retardante gravitate vel etiam aëris circumstantis affrictu, penitus extingueretur. Atqui in hoc casu habes eumdem motum eumdemque impetum, quæ sunt duo accidentia communia, et in vivo cane et in mortuo. Ergo possunt eadem accidentia corrupti corporis in alio denuo generato permanere.

Dices cum Card. Aguirre (2) motum illum et impulsum canis vivi et mortui, non fore eumdem numero, sed tantum specie, causamque novi motus et impulsus simillimi, in cadavere producti, esse ipsum agens extrinsecum, quod formam cadaveris introduxit.—**Resp.** Equidem induci, ut rem tam miram admittam, non possum, donec evidenti ratione probetur.

Prob. 3.° Quatuor tantum modis desinere potest accidens in rerum natura: primo ad corruptionem subjecti, secundo per introductionem contrarii, tertio per desitionem termini, ut accidit in relativis, quarto demum ad absentiam agentis conservativi, ut, sole recedente, desinit lumen in aëre (3). Atqui accidentia nullo istorum modorum semper ac necessario corrumpuntur, corrupto corpore. Non primo, quia ut superius ostendimus, subjectum inhæsionis accidentium non est totum corpus, sed materia prima: non secundo, quia sæpe forma novi corporis non repugnat accidentibus communibus, de quibus solis loquimur, prioris corporis; immo vero quantitati nihil unquam contrariatur: non tertio, qui est proprius dumtaxat relativorum: non denique quarto, quia accidentia communia non dependebant a forma corrupta in genere causæ efficientis. Ergo nulla est ratio, cur corrupto corpore aliquo, ejus accidentia omnia simul cum forma substantiali perire debeant. Plura si cupis, apud veteres Auctores reperies.

(1) Vide hæc fusius declarata apud Lossada (loc. cit. num. 57, 58).

(2) Loc. cit. sect. 7. num. 36.

(3) Vide Cajetan. super. Opusc. S. Thomæ *de Ente et Essent.* cap. 7, quæst. 17.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mens S. Thomæ

In favorem hujus sententiæ duo solent testimonia produci ex S. Thoma: alterum ex libro quarto *Contra Gentes* capite 81, in quo respondens S. Doctor ad secundam objectionem, scribit post mortem hominis materiam manere *sub eisdem dimensionibus*. Verum puto Aquinatem in eo loco interpretrandum non esse *de identitate numerica*, sed de *specifica;* nam ibidem paulo inferius easdem dimensiones significans sub nomine *corporeitatis* accidentalis, docet eas in nihilum abire in morte hominis: quæ assertio aperte pugnat cum præcedenti, nisi hanc interpretemur de identitate specifica. Alter locus desumitur ex *Summa Theologica*, ubi hæc habentur: *Dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: uno modo sicut via ducens ad perfectionem, alio modo sicut effectus a perfectione procedens:* per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus formæ (1). Verum etiam in contrarium adest alter locus perspicuus, qui nullam patitur benigniorem interpretationem. *Sed dubitatur*, inquit, *utrum eadem passio numero, quæ sit altera pars contrarietatis, possit esse in generato et corrupto, ut supra dictum est.* Et post allatas in utramque partem rationes, sic concludit: *Dicendum ergo est, quod non manet idem numero, sed id quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subjecti, recedente forma, quæ prius erat talis accidentis; et advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem, vel accidentem*, etc. (2)

et Aristotelis

Ex Aristotele quoque solet objici contra stabilitam doctrinam celebris illa definitio generationis a Philosopho tradita: Generatio est *mutatio totius in totum*, nullo sensibili remanente.—Sed satis probabiliter respondent Suarez (3) et alii, nihil posse concludi exinde contra nostram sententiam: integra namque definitio aristotelica hæc est: *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente* ut subjecto eodem. Quæ verba non videntur absolute negare, quod possit remanere aliquid sensibile utcumque, sed quod remaneat *ut idem*

(1) 3. p. quæst. 9. art. ad 2.um
(2) S. Thom. *de Gener. et Corrupt.* lib. 1, lect. 10, paragr. *d.*
(3) Loc. cit. num. 53.

subjectum: id quod satis, puto, verificatur, si non remaneat, ut reapse non remanet, idem compositum substantiale (1).

Quædam difficultates solvuntur.

364. Dices 1.° Si corrupta corporea substantia, non perit ejus v. g. quantitas, sequitur materiam primam stricius uniri huic, quam ipsi formæ substantiali. Atqui hoc absurdum est, tum quia materia cum forma facit magis unum, quam cum quantitate, tum quia partes ad idem prædicamentum spectantes, connaturalius et amicius copulantur, ac proinde difficilius queunt separari.

Respondeo 1.° Instantiam manifestam esse in anima rationali, quæ quamvis faciat cum materia unum per se in humano composito, et unum dumtaxat per accidens cum suis potentiis spiritualibus, nihilominus ab his nunquam, ab illa vero facile ac naturaliter separatur. 2.° Materia quidem unitur cum forma magis stricte, scilicet magis proprie et apte ad constituendum unum, non tamen magis stricte, quatenus hæc vox importare possit permanentiam ac diuturnitatem unionis; aptitudo autem ad faciendum magis unum dijudicanda non est ex diuturnitate unionis, sed ex eo quod unio respiciat extrema ad idem genus vel prædicamentum pertinentia.

Dices 2.° Materia prius recipit formam substantialem, quam accidentia. Nam idem est ordo recipiendi ac respiciendi; materia autem prius respicit formam, priusque ad illam ordinatur. Atqui si accidentia corrupti corporis remanerent, prius in materia reciperentur, quam nova forma. Hinc etiam forma non foret reapse actus primus.—**Resp.** *neg.* Major. Et ad probationem dico, materiam quidem prius respicere formam prioritate dignitatis et intentionis, non tamen prioritate originis et executionis, nam prius per accidentia disponi debet ad formam recipiendam. Simili modo potentia visiva, quamvis prius respiciat ordine intentionis visionem, quam speciem, at prius recipit hanc, quam actum visionis eliciat. Forma ergo substantialis est quidem actus primus dignitate et perfectione atque intentione, quia constituit *esse* specificum

(1) Verum hæc fusius nobis, ad finem jam properantibus, persequi non licet. Videatur Suarez (loc. cit.), et Lossada (loc. cit. num. 65); et in contrarium Complutenses (loc. cit. quæst. 6, num. 53 seqq.), Cardin. Aguirre (loc. cit. sect. 2, num. 17 seqq.).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

corporis; non autem dicenda est actus primus etiam tempore executione, donec probetur ab adversariis (1).

Dices 3.° Accidentia existunt in composito gratia formæ. Ergo hac pereunte, oportet, ut illa quoque pereant.

Resp. *dist.* antec. Aliqua, *conc.*; omnia, *neg.* Nam quantitas non est gratia formæ, sed materiæ gratia, cujus est proprietas. Accidentia etiam, quæ ad novam formam disponunt, hujus, non veteris formæ, quæ corrumpitur, gratia existunt: non ergo est ratio, cur corrupta priori forma, perire debeant. Ut porro propositio nostra vera sit, sufficit, ut vel unum dumtaxat accidens præcedentis corporis perseveret. Illud quoque ab adversariis quæri potest, quoniam accidentia gratia formæ volunt existere in composito; cujusnam formæ gratia produci, et existere debeant in cadavere organa visus, auditus etc., nævi, cicatrices, aliaque id genus accidentia formæ cadavericæ prorsus inutilia? (2). Plura apud priscos Doctores require.

ARTICULUS IV.

An corporeæ substantiæ sola virtute accidentali suos producant effectus.

Status quæstionis.

365. Ad complementum tractationis de corporea activitate, necesse est salebrosam attingere controversiam, in qua multa occurrunt dubia, magnaque inest opinionum varietas. Quoniam corpora agunt, nec solum accidentia, sed substantias quoque vere producunt, oportet consentaneam illis agendi virtutem asserere. Et inesse quidem corporibus virtutes quasdam et activitates accidentales a substantia realiter distinctas, ostendimus precedenti capite. Dubitatur autem, utrum harum accidentalium virtutum efficacitas ad ipsam quoque substantiæ novæ generationem pertingat, an agnoscenda præterea sit aliqua virtus substantialis. Verum ut clarius quæstionis status proponatur, revocanda in primis ex *Ontologia* (3) est distinctio principii agendi *quod* et *quo*, itemque principii *quo* mediati vel radicalis et proximi atque

(1) Cfr. Suarez (loc. cit., num. 56).
(2) Vide Lossada. (loc. cit. num. 66 seqq.)
(3) *Ontolog.* num. 397 pag. 1146.

immediati. Et hic quidem non est controversia de principio *quod* activitatis corporeæ, illud enim semper est suppositum ipsum; sed de principio *quo* seu de virtute, qua corpus agit. Deinde effectus, qui produci possunt a corporibus vel sunt substantiæ vel accidentia; et accidentia vel propria vel communia: actiones demum corporum vel sunt immanentes ac vitales, vel transeuntes et ad extra. Quare cum quæritur, qua virtute corpora suos effectus producunt, posset quæstio institui de omnibus istis actionibus et effectibus. Verum nunc non agimus de actionibus vitalibus, de quibus controversia erit in *Psychologia;* neque etiam de dimanatione proprietatum, respectu cujus jam in *Ontologia* (1) asseruimus substantiæ immediatam activitatem. Jam etiam in *Ontologia* (2) ostendimus cum communiori sententia contra quosdam alios, accidentia communia mutationesve ac modificationes accidentales fieri a suis causis ope dumtaxat virtutum accidentalium. Controversia ergo nunc restringenda est ad activitatem, quam corpora exercent per acciones transeuntes ad producendas alias substantias. Dubitatur videlicet, qua activitate vel virtute substantiæ novæ generentur a corporibus, utrum sola accidentali, an sola substantiali, vel an utraque simul: et sermo est de virtute per modum principii *quo* proximi et immediati, nam omnes fatentur formam substantialem esse principium *quo* saltem remotum, vel radicale, vel mediatum, ac principale.

Varie sententiæ: prima Scotistarum.

Tres sunt in proposita controversia præcipuæ sententiæ: duæ extremæ, tertia media. Scotistæ, ut refert Pontius, cum Subtili Doctore communiter putant productionem substantiæ nullatenus immediate attingi ab accidentibus, sed immediate procedere ab ipsa substantia: quare formam ipsam substantialem habere secum identificatam virtutem aliarum substantiarum effectricem, accidentia vero solum posse materiam disponere, quin ulterius procedant (3). Scotistis

(1) A num. 320, pag. 922, seqq.
(2) *Ontolog.* num. 398, *Quarto dubitatur*..., pag. 1147.
(3) Vide Mastrium (*Physicor.* disp. 7, quæst. 6, art. 2), Pontium (*Physic.* disp. 9, quæst. 2), Frassen (*Physic., de Causa secunda efficiente*, quæst. 2, concl. 1). Cfr. apud Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 2, num. 5).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adstipulati sunt hac in re Durandus et Ockam et quidam alii (1), et e nostris Arriaga et Oviedo (2) et alii. Secunda sententia pariter communis inter Thomistas (3) tenet substantialem formam esse quidem principium *quo* principale et radicale ad producendas alias substantias, quod tamen non attingat per se immediate effectionem earum: quare nullam agnoscit in corporibus virtutem substantialem, vel identificatam cum ipsa forma substantiali; sed adæquatam activitatem illorum decernit esse accidentalem, et a forma dimanantem, quæ proinde substantiæ productionem attingat tanquam virtus et instrumentum formæ substantialis. Hanc tenet etiam S. Thomas (4) ac plures e nostris Auctoribus (5). Tertia denique opinio mediam tenet viam, vult enim adæquatum principium *quo* generationis substantialis exsurgere ex potentiis activis accidentalibus et ex virtute substantiali cum forma identificata; quare formam etiam esse principium proximum et immediatum substantialis

altera Thomistarum.

tertia media.

(1) Apud Rubium, Conimbricenses, et Pontium, et Complutenses.

(2) Arriaga (*Physic.* disp. 11, sect. 2, subsut. 4), Oviedus (*Physic.* Controv. 9, punct. 4). Idem tenent, præter Peynado et Richardum Lynce, etiam Quiros (tract. 3, disp. 57, sect. 2, num. 13), et Hurtado (*Physic.* disp. 9, sect. 5, num. 52). Soarez lusitan. (*Physic.* tract. 2, disp. 6, sec. 1). Mayr. (*Philos. perip.* num. 1094, 1123, 1131).

(3) Vide priscos Thomistas apud Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 2, num. 9 et 14) et Conimbricenses (*Physic.* lib. 2, cap. 7, quæst. 18, art. 3). Vide præterea Joann. a S. Thom. (*Physic.* quæst. 12, artic. 3), Goudin *Physic.* prim. pars. disp. 2, quæst. 4 art. 3), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 15, sect. 2), Complutenses (*Physic.* disp. 10, quæst. 4).

(4) S. Thomas 1 p., quæst. 54, art. 3; quæst. 77, art. 1; 1.a dist. 3. quæst. 4, art. 2, corp. et ad 2.um

(5) Ita nominatim Cardin. Tolet. (*Physic.* lib. 2, quæst. 8), Vazquez (In 1.um part., disp. 189. cap. 3, num. 10), Valentia (In 3.um part., disp. 6, quæst. 3, punct. 2), Pereira (*de Communibus* etc. lib. 8, cap. 13), Rubius (*Physicor.* lib. 2, tract. 4 *de Causa effic.* quæst. 4), Conimbricenses (*Physicor.* lib. 2, cap. 7, quæst. 18, art. 3), Albertinus (*Corollaria seu Quæstiones theolog.... quæ deducuntur ex principiis philosoph. complexis. Secundum princip. philos.*, dubit. 1.a), Sylvester Mauri (*Quæstion. philos.* lib. 2, quæst. 21), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 2, quæst. 3, sect. 4, paragr. 2), Semery (*Trienn. philos.* tom. 3, disp. 3, quæst. 2, art. 1). De Benedictis (*Philos perip.* t. 2, lib. 2, quæst. 4, cap. 4, paragr. 3), etc.

generationis, et per seipsam influere, non autem solum mediis virtutibus accidentalibus. Ita sentiunt cum Eximio Doctore (1) multi ex nostris Auctoribus (2).

366. Propositio 1.a **Accidentibus negandus non est immediatus influxus in substantiam, quo per modum instrumenti generationem illius attingant.**

Accidentibus negari nequit immediatus influxus in substantiam.

Hæc est contra Scotistas et plures Nostratum.

Probatur autem 1.o Possibilis est immediatus influxus accidentis in substantiæ generationem. Atqui si non repugnat ejusmodi influxus, asserendus omnino de facto videtur. Ergo...

Major conceditur a multis adversariis, ac nominatim ab Arriaga et Oviedo. Probatur vero facile; quia præcipua ratio, propter quam repugnaret immediatus influxus accidentis in substantiam, est major hujus præ illo perfectio ac nobilitas. Atqui quamvis repugnet, ut virtus minus perfecta effectum præstantiorem producat tamquam causa principalis, non tamen ut producat tamquam causa instrumentalis. Ergo...

Minor probatur experientia, quia generationes substantiales sæpe contingunt ope activitatum ac virtutum accidentalium, ut constat in igne v. g., qui non comburit, aut ad cineres lignum redigit, nisi operante calore. Quæ experientia et aliæ id genus si probant contra occasionalistas veram activitatem causarum naturalium, non minus probant concursum accidentalium virtutum ad substantiæ novæ generationem.

per modum tantum instrumenti, non causæ principalis.

Cæterum accidentia non possunt attingere immediate substantiæ productionem tamquam principales causæ, sed solum tamquam instrumentales. Quia principalis causa vel est univoca, vel æquivoca: univoca est ejusdem speciei ac rationis cum effectu; æquivoca est illo eminentior ac nobilior. Cum itaque accidentia neque sint ejusdem cum substantia rationis, nec illam excedant in nobilitate, sed longe sint deterioris conditionis; reliquum est, ut non possint principalis causæ dignitatem ac nomen obtinere.

(1) *Metaphys.* disp. 18, sect. 2, num. 15 seqq.

(2) Ita v. g. Lossada (*Physic.* tract. 2, disp. 6, cap. 1 et 7), Compton et alii apud ipsum; itemque P. Bartholomæus Amici (*Physic.* tract. 12, quæst. 10, dub. 3, art. 3, seqq., et art. 7 seqq.).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Quædam difficultates solutæ.

367. **Dices 1.°** Substantia habet adæquatam virtutem secum identificatam ad producendam aliam substantiam. Ergo supervacaneus est influxus accidentium in ejusdem substantiæ generationem.—**Resp.** *neg.* antec., ut statim probabitur in altera propositione.

Dices 2.° Effectivus concursus detegi solet ex similitudine, quam effectus gerit cum sua causa. Atqui in substantia generata nulla est similitudo cum accidentibus. Ergo hæc nequeunt esse causa immediata attingens substantiæ generationem.

Resp. *dist.* Major. Si sermo sit de concursu effectivo causæ principalis, *conc.* Si de concursu causæ instrumentalis, *neg.* *Trans.* Minor, et *dist.* similiter consequens.

Dices 3.° Nec virtus nec potentia materialis potest influere active et immediate in effectum spiritualem. Ergo nec accidens in substantiæ generationem.—**Resp. 1.°** *dist.* antec.: tamquam principalis causa, *conc.*; tamquam instrumentalis, *neg.* ex probabiliori communiorique sententia, docente phantasma instrumentalem præbere concursum in intelligibilis speciei productione: qua de re alibi.—**Resp. 2.°** *trans.* antec., *neg.* conseq. In iis enim aliisque rebus, non est ratiocinandum a priori, abjecta omni experientia. jam vero de potentiis et virtutibus materialibus, v. g. de sensitivis, excepto phantasmate, nulla suppetunt argumenta, quæ suadeant earum concursum activum in actus spirituales. At aliter dicendum est de accidentibus respectu productionis substantiæ.

Dices 4.° Atqui argumentum a nobis allatum ad evincendum concursum ejusmodi immediate effectivum, non est satis idoneum. Sane corpora non generant alia corpora, nisi prout habent quantitatem et ubicationem: et nihilominus nec ubicatio nec quantitas quidpiam efficiunt. Simili modo nec amor nec alius adest voluntatis actus, nisi ad præsentiam cognitionis; quin tamen exinde concludi possit, secundum communiorem sententiam, effectivus cognitionis influxus in actus voluntatis. Ergo ex eo quod generationes substantiarum non contingant, saltem sæpe, nisi ad præsentiam accidentium simul agentium, perperam concluditur immediatus horum in illas influxus effectivus.—**Resp.** *neg.* assert. Ad probationem autem respondeo nullam esse paritatem inter accidentales virtutes et exempla objecta. Ubicatio enim activa

non est, siquidem munus ejus est rem ultimo determinare, ut sit hic potius, quam alibi: atque idem dicendum esse constat de quantitate, ex communi Philosophorum sententia (1). Denique in *Psycologia* afferendæ sunt rationes, ob quas cognitioni negari debet in actum voluntatis immediata causalitas effectiva: quæ certe rationes non militant in accidentalibus virtutibus respectu substantiæ. Nam quod ejusmodi virtutes influant active in substantiæ generationem, saltem disponendo materiam, est res experientia ipsa notissima. inde autem jure concluditur efficientia etiam immediata in ipsam entitatem substantiæ, supposito, quod nulla in hoc adsit repugnantia (2).

Quibusnam accidentibus conveniat activus influxus in substantiæ generationem.

Quæres forte, quibusnam accidentibus conveniat asserta hæc activitas ad subtantiæ generationem. Nam duplex genus distingui potest accidentium: alia sunt in agente externo, quod materiam versans ac varie alterans tandem substantialiter transmutat, novam generando substantiam. Alia sunt ipsæ prævie dispositiones ab externo agente in materia per suam actionem introductæ, quibus illa ad formæ receptionem præparatur. Resque patet exemplo ignis, qui per actionem sui caloris disponit lignum, magis magisque calefaciendo illud, ad hoc ut formam accipiat ignis. Verum jam superius notavimus, dispositiones in materia introductas non se habere in genere causæ efficientis, sed in genere causæ materialis: quare efficientia, quam accidentibus asseruimus in productione novæ substantiæ, intelligenda est de accidentibus causæ ipsius externæ efficientis, non vero de dispositionibus.

368. PROPOSITIO 2.a **Cum argumenta, quibus immediatus ipsius substantiæ influxus probatur, rem penitus non evincant, dicendum probabilius est creatam substantiam novi corporis generationem per se ipsam non attingere, sed mediis dumtaxat qualitatibus, quæ sunt virtus ejus.**

Hæc sententia jam minus frequens est ac incertior, quam præcedens. Eam tamen tuentur omnes Thomistæ cum

(1) Cfr. *Ontolog.* num. 399, pag. 1149.
(2) Vide Lossada loc. cit. cap. 3, num. 26 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Thoma, et magna pars, eaque nobilissima, nostrorum scriptorum, ut vidimus.

Argumenta, quibus immediatus substantiæ influxus in generatione alterius substantiæ probari solet, rem penitus non evincunt.

Prima pars probanda est propositis ac solutis præcipuis adversariorum argumentis. 2) **Primum argumentum** ita se habet. Necesse est profecto admittere in natura virtutem adæquate productivam substantiæ. Atqui virtus ejusmodi non potest esse sola virtus accidentalis. Ergo præter omnem virtutem accidentalem agnoscenda est virtus quædam substantialis cum ipsa forma identificata; ac proinde ipsa substantia vel forma immediate per seipsam simul cum accidentibus generationem novæ substantiæ peragere dicenda est. Minor probatur. Quia virtus adæquate productiva effectus nequit illo esse imperfectior et ignobilior, sicut est profecto accidens ignobilior substantia. Sane virtus adæquate productiva effectus debet totam illius perfectionem continere sive formaliter, sive eminenter, sive æquivalenter. Virtus siquidem ejusmodi communicat effectui totam perfectionem ejus. Quomodo autem communicabit, nisi eam in se habeat? Nemo enim dat, quod non habet. Ergo virtus adæquate productiva substantiæ debet perfectionem specificam illius totam continere sive formaliter, sive eminenter, sive æquivalenter. Atqui accidentia certe nullo istorum modorum continent substantiæ perfectionem. Ergo virtus accidentalis non est adæquata virtus productiva substantiæ. En in tota sua vi, quæ magna est, princeps argumentum Scotistarum (1).

Respondeo *conc.* Major. *neg.* Minor. Ad cujus probation. *neg.* iterum Major., nempe quod virtus adæquate productiva effectus nequeat esse illo imperfectior et ignobilior, si virtus illa sit medium et instrumentum, quo substantia operatur, et ab illa realiter distinctum. Nec probationes ejusdem Majoris videntur omnino rem demonstrare. Nam quamvis verum sit causam debere continere perfectionem effectus sive formaliter, sive eminenter, sive æquivalenter; non tamen æque manifestum est, nec satis probatur ab adversariis, idem dicendum esse de virtute causæ, quæ sit instrumentum naturale ad

(1) Vide hanc rationem apud Lossada (*Physic.* tract. 2, disp. 6, cap. 1, num. 1), Card. Aguirre (loc. cit. disp. 15, sect. 3, num. 27 seqq.), De Benedictis (loc. cit. cap. 4, paragr. 2), etc.

effectum producendum. Nec juvat adversarios axioma illud: *Nemo dat quod non habet.* Quia cum accidentia non sint ipsæ causæ, sed instrumentum et virtus, qua causæ operantur, necesse non est, ut in sua physica entitate contineant totam perfectionem effectus, sicut continere illam debent causæ ipsæ, quæ illis ad agendum utuntur. Quare axioma in causis quidem locum habet, non tamen in earum virtutibus. Ad rem melius percipiendam notare debes, proprium esse instrumenti agere in virtute causæ principalis, et qualitates quidem activæ corporum ita sunt instrumenta, ut sint ipsa eorum virtus natura sua deputata, ut mediis illis operentur. Et consequenter sunt via et medium, quo causæ suas perfectiones effectibus communicant. Hinc necesse non est, ut prædictæ qualitates præcontineant in sua physica entitate perfectiones effectus nisi solum ut *quo*, quod nihil aliud est, quam dicere, quod debeant esse adæquata virtus et instrumentum præcontinentis illas, vel esse virtus proportionata et apta, ut causa suas perfectiones transfundat in effectum. Undenam autem probus, nihil posse esse virtutem proportionatam et medium aptum communicandi perfectiones, quin illas habeat in seipso? Hic est totus cardo controversiæ, et donec id probes, reapse non probas necessitatem influxus alicujus immediati, quem substantia præstet, distincti ab influxu naturalium suarum virtutum vel instrumentorum. Quod porro non sit absolute necessarium, ut instrumentum et virtus ad effectum proportionata in se contineat totam illius perfectionem, duplici exemplo declarari solet: altero ex moralibus, altero ex physicis desumpto. In moralibus procurator venditione, donatione aut alio contractus genere transfert dominium, quod non habet, nec requirit in se habere; quia non agit nomine suo, sed nomine alterius dominium habentis, et ope illius in alium transferentis. In physicis vero in ipsa actione, qua effectus producitur: quæ quantumvis debeat esse proportionata effectui, quia tamen non est id *quod* agit, sed id *quo* agens agit, et via ad terminum, non continet æqualem cum effectu perfectionem, ut est apud omnes in confesso. Itaque quod actio in actu secundo, id ipsum præstat virtus in actu primo: utraque enim se habet ut *quo*, altera per modum actus secundi, altera per

modum potentiæ ac virtutis. Quia tamen neutra principaliter agit, quod est agere ut mensuram perfectionum effectus, cui scilicet absolute actio tribuatur, neutra effectum sibi, sed alteri commensurat, neutra debet æqualem effectui perfectionem in se continere (1). Et ex iis præoccupata manent, quæ Lossada et alii contra istam solutionem congerunt: non enim probant id, quod est cardo controversiæ ac perennis hac in re fons discordiarum.

Secundum argumentum Scotistarum. Quando accidens dicitur producere substantiam non suo, sed substantiæ nomine ac virtute, vel significatur illud ultra suam virtutem accidentalem accipere aliquam aliam specialem a substantia virtutem, vel non. Si nihil accipit, remanet explicandum, quomodo virtus pure accidentalis sit adæquata virtus producens substantiam. Si accipit, vel illa est accidentalis, vel substantialis: si accidentalis, redit eadem difficultas; si substantialis jam conceditur influxus immediatus substantiæ per virtutem substantialem secum identificatam (2).

Resp. *conc.* Major., et eligo alterum membrum, nempe accidens non accipere a substantia ullam ulteriorem virtutem præter seipsum, quia ipsum est virtus a natura indita substantiæ ad operandum. Jam autem satis explicatum est, quomodo ista virtus possit esse adæquata ad substantiam generandam, quamvis non contineat in sua physica entitate totam ejus perfectionem: neque id satis impugnatum, vel absurde dici demonstratum adhuc est ab adversariis. Itaque notant plures Auctores, quando accidentia dicuntur producere substantiam *in virtute causæ principalis*, formulam istam loquendi accipiendam esse *intransitive*, nempe non quasi accidentia præter virtutem secum identificatam accipiant novam aliquam altiorem virtutem vel influxum a substantia, sed quia ipsa accidentia in seipsis sunt virtus effectiva substantiæ.

Quo sensu accidentia dicantur producere substantiam in virtute causæ principalis.

Instabis 1.º Causa, quæ ab intrinseco et ex natura sua producit effectum aliquem, non est instrumentalis, sed

(1) Vide de Benedictis (loc. nup. cit., *Ut respondeam, noto...*) Cfr. Rhodes (loc. cit., paragr. 2 in respons. ad 1.um argum.), et alii passim.

(2) Cfr. Lossada (loc. cit. num. 6), Cardin. Aguirre (loc. cit. sect. 3, num. 29).

principalis. Sed si accidens est ipsa substantiæ virtus a natura indita et deputata ad operandum, jam est causa ab intrinseco et ex natura sua operans. Ergo ex nostra solutione sequitur accidentia substantiæ converti in ipsam causam principalem.—**Resp.** *dist.* Major. Si sit æqualis vel majoris perfectionis, quam effectus, et agat virtute sua propria, *conc.* Si agat ex virtute alterius vel tamquam virtus illius, et sit minoris perfectionis, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg. conseq.*

Instabis 2.º Ad naturam instrumenti spectat, ut sit causa partialis et inadæquata, ac proinde virtus ejus confortari, et compleri debeat virtute causæ principalis. Atqui a nobis sola virtus accidentium dicitur esse adæquata virtus creata ad producendam substantiam. Ergo virtus accidentium in nostra sententia, perperam dicitur esse instrumentalis.—**Respondeo.** Accidentiam, cum secundum nos sint instrumenta conjuncta et naturalia substantiæ, supponunt ac requirunt causam principalem, quæ est ipsa substantia: quare ipsa sola non sunt causa totalis et adæquata. Nihilominus quia sunt ipsa virtus causæ principalis substantiæ, necesse non est, ut novum complementum virtutis a substantia accipiant. Quod ergo dici solet, instrumentum ex se habere virtutem inadæquatam, ideoque complendum esse per altiorem causæ principalis virtutem, intelligi debet, non de instrumentis, quæ sunt ipsa virtus agendi causæ principalis, sed de aliis, qualia sunt instrumenta artis, et generatim differunt supposito, habentque aliqualem ex se activitatem contradistinctam a virtute causæ principalis. Sicut enim hæc ipsa instrumenta, postquam jam acceperunt superiorem efficacitatem a causa principali, nihil jam amplius requirunt præter divinum concursum, quia jam suum nacta sunt complementum, ita etiam instrumenta, quæ natura sua sunt ipsa virtus causæ principalis, nihil amplius desiderare debent ex parte illius. Sicut etiam ob eamdem rationem ejusmodi instrumenta non indigent ulteriori elevatione causæ principalis, quia jam ex propria natura et unione cum causa principali, a qua jugiter fluunt vel dimanant, jam sunt elevata.

Tertium argumentum. «Dum ignis comburit stupam, calor ignis agentis producit in passo calorem sibi æqualem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illum scilicet, qui resultat in primo instanti velut proprietas formæ genitæ, quique juxta Thomistas producitur a generante. Ergo nequit in eodem instanti producere formam ignis. Ergo hæc a substantia ignis agentis gignitur. Prob. primum conseq. Nulla virtus in eodem instanti, in quo producit effectum sibi adæquatam, potest producere alium, præsertim superiorem; cum certum sit per effectum adæquatum exhauriri totam virtutem activam. Sed calor in passo productus, est effectus adæquatus calori agenti, cum sit illi prorsus æqualis quoad speciem et intensionem, ab eoque tamquam virtute univoca proveniat. Ergo calor ignis agentis nequit in eodem instanti producere formam ignis» (1).—**Resp.** 1.° argumentum hoc retorqueri posse in ipsum auctorem, et generatim in omnes, qui accidentibus tribuunt immediatum influxum in substantiæ generationem. Ipsis enim pariter explicandum est, quomodo calor in eodem instanti, in quo totam suam virtutem impendit in producendo calore sibi æquali, possit immediate influere in eductionem formæ substantialis. Itaque argumentum istud jure solum fieri potest a Scotistis ac cæteris scriptoribus, qui negant per actionem accidentium attingi substantiæ generationem.—**Resp.** 2.° Secundum nostram sententiam calorem in passo productum ab igne generante, non esse hujus effectum adæquatum, quia cum sit virtus igni natura indita ad agendum, quidquid agere naturaliter potest, adæquatus effectus ejus comprehendere debet etiam ipsam novam formam substantialem. Plura vide, si lubet, apud priscos Auctores superius laudatos.

Substantia immediate per seipsam non operatur.

Secunda pars: *probabilius dicendum est, substantiam immediate per seipsam novæ substantiæ generationem non attingere*. Quamquam controversia hæc mihi satis dubia sit; posito tamen quod nulla ostendatur repugnantia in excludendo omni substantiæ immediato influxu in formæ substantialis eductionem, libentius adducor, ut hanc sententiam amplectar, 1.° propter auctoritatem S. Thomæ aliorumque gravissimorum virorum, qui eamdem tenuerunt. 2.° Quia nisi hæc admittatur doctrina, difficilius explicatur, quomodo

(1) Lossada, loc. cit. cap. 1, num. 15.

viventia sint vere causæ aliorum intra eamdem speciem individuorum. Quæ enim generant per semen, planum est, quod non agant immediate, sed medio semine, quod profecto neque est animatum, nec tam perfectum, quam novum vivens generandum, sed longe deterioris conditionis. Immo vero viventia sæpe generantur, aut certe generari possunt, cum jam amplius non existunt parentes, a quibus semina vel ova emissa sunt, ut exploratum est in plantis, volucribus, etc. Quomodo hæc explicabis in contraria sententia? Quomodo parentes per suam substantiam generare possunt, quando jam non sunt, vel quando jam non agunt? Et quomodo ex semine, nasci potest id, cujus certe perfectiones nec formaliter, nec eminenter, nec equivalenter continet semen? Si ponamus principium, quod superius assumpsimus, videlicet semen esse instrumentum continens virtutem parentum, atque adeo parentes agere medio semine tamquam sua virtute, ad novum individuum ejusdem speciei generandum naturaliter deputata, egregie omnia explicantur cum S. Thoma, ut suo loco videndum est in *Psychologia*. Qui vero doctrinam istam aspernantur, ad cœlorum nescio quos influxus confugiunt, vel etiam Deum solum faciunt auctorem et causam formarum vel animarum novorum viventium, qui recursus ad primam causam in actionibus, quæ solius Dei propriæ non sunt, qualis certe non est actio generativa, videtur Philosopho, quantum fieri potest, vitandus omnino esse. Verum de his fusius in *Psychologia* disputandi locus erit. 3.° Secundum hanc sententiam explicatur etiam absque novo miraculo, quomodo accidentia eucharistica easdem chimicas affinitas retineant, eosdemque producant naturales effectus, et cum corrumpuntur, iisdem combinationibus locum præbeant, ac si ipsa panis et vini substantia remaneret. Si dixeris accidentia eucharistica continere virtutem panis et vini, nullo negotio res tota declaratur. Si aliam tenueris sententiam, necesse est, ut ad Deum confugias, qui miraculose suppleat activatem et influxum, quem ipsa substantia, si adesset, exhiberet ad consentaneos effectus obtinendos.

Fateor hæc argumenta non penitus convincere; me tamen movent, ut sententiam S. Thomæ cæteris anteponam. Solent

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam a Thomistis hic alla adjici argumenta a priori ex eo desumpta, quod repugnet, substantiam per seipsam immediate quidpiam agere. Ea tamen mihi satis incerta videntur, quæque forte faciliorem patiuntur solutionem; ideo illa hic omitto, curiosum lectorem ad veteres Doctores remittendo (1).

ARTICULUS V.

De variis modis, quibus res incipiunt, ac desinunt, ac de terminis magnitudinis et parvitatis.

369. Duæ restant quæstiones, quæ variis in locis *naturalis Philosophiæ* tractari possent, ac tractabantur a veteribus, quæ quia nec sunt alienæ ab hac materia de corporum generatione et corruptione, nec hactenus tractatæ a nobis sunt, breviter jam attingere oportet, in summam et compendium revocatis iis, quæ fusiori calamo Sholastici disputabant (2).

§ I.—De modis quibus res incipere ac desinere possunt.

Quid inceptio et desitio et quotuplex modus quærent res generatio incipere ac desinere

Inceptio significat initium durationis, desitio autem finem durationis rei: ac duplex distinguitur modus inceptionis ac desitionis rerum: *intrinsecus* et *extrinsecus*. Tunc dicitur aliquid incipere esse intrinsece, quando incipit per primum sui *esse;* vel quando de re incipiente esse, licet dicere: *Nunc est, et immediate ante non erat;* vel quando datur instans, in quo res ita primo est, ut immediate ante illud non fuerit. Tunc e converso res incipere dicitur extrinsece, cum incipit per ultimum sui *non esse;* seu quando dicere de illa licet: *Nunc non est, sed immediate post erit;* vel quando datur

(1) Vide nominatim Cardin. Aguirre, (loc. cit. sect. 2), Joann. a S. Thoma (loc. cit. art. 2), Complutenses (loc. cit. quæst. 4), Goudin (loc. cit.)

(2) Videri possunt de hac materia Conimbricenses *(Physic.* lib. 8, cap 8, quæst. 2), Rubius *(Physicor.* lib. 6, tractat. *de modo incipiendi rerum)*, Benedict. Pererius *(de communibus...* lib. 14, cap. 9), Toletus *(Physic.* lib. 6, quæs. 4), Complutenses *(Physic.* disp. 26), Cardin. Aguirre *(Physic.* disp. 38), Joann. a S. Thoma *(Physic.* quæst. 21), etc.

instans, in quo quamvis res nondum sit, tamen immediate post illud erit. Tunc porro dicitur res desinere intrinsece, quando desinit per ultimum sui *esse;* vel quando potest de illa dici: *Nunc est, et immediate post non erit;* seu cum datur instans, in quo ita est res, ut immediate post illud jam futura non sit. Tunc denique res dicitur desinere esse extrinsece, quando desinit per primum sui *non esse;* seu quando dici de illa potest: *Modo res illa non est, et immediate antea erat;* seu quando datur instans, in quo res jam non est, ita tamen ut immediate ante fuerit. Itaque inceptio intrinseca est instans, quod est primum *esse* rei; ac desitio intrinseca est ultimum *esse* rei. Et similiter inceptio extrinseca est ultimum *non esse* rei, desitio vero extrinseca est ejus primum *non esse*. Dicuntur porro priores modi intrinseci, quia *esse* primum rei et *esse* ultimum sunt eidem intrinseca, vel quia in ejusmodi instanti primo et ultimo res vere est. Ob oppositam rationem alii modi dicuntur extrinseci, quia nec ultimum instans nec primum sui *non esse* possunt rei esse aliquid intrinsecum ad ejus entitatem pertinens. Ex quo etiam patet non posse plures alios excogitari modos inceptionis ac desitionis præter duos assignatos: nam quidquid incipit aut desinit, necessario vel est, quando incipit aut desinit, vel non est. Si est, incipit et desinet intrinsece; si non est, incipit ac desinit extrinsece (1).

Distinguuntur genera rerum, quæ esse incipiunt aut desinunt.

Jam res, quæ incipiunt ac designunt esse, aliæ sunt permanentes, ut lapis, aliæ successivæ, ut motus ac tempus; quædam producuntur motu strictissime dicto, ut calor; quædam sine tali motu, ut formæ substantiales, quæ in instanti educuntur de potentia materiæ; multæ contrarium habent in subjecto, resistens ipsarum productioni, ut calor habet contrarium frigus in aqua, aliæ contrarium non habent, ut lumen in aëre. Quæritur itaque, quonam pacto res diversæ incipiant, ac desinant; nempe quomodo se habeant instantia, quibus utrinque clauditur duratio rei; vel utrum et quænam res sint jam reapse in illo instanti, in quo

(1) Quidam tamen pauci auctores apud De Benedictis *(Physic.* lib. 3, quæst. 6, cap. 8) tertium incipiendi modum invexerunt, qui sit immediate ante instans, communiter ab aliis rejectum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

incipere dicuntur esse; si enim sunt, illud instans est primum sui *esse*, ideoque incipiunt intrinsece, si autem nondum sunt in illo instanti, sed immediate post, illud est ultimum sui *non esse*, et consequenter habent modum inceptionis extrinsecum. Et similiter quæritur, utrum et quænam res sint adhuc in illo instanti, in quo dicuntur esse; nam si sunt, illud instans est ultimum sui *esse*, ac proinde desinunt intrinsece; si vero jam non sunt, illud instans est primum sui *non esse*, habentque modum desitionis extrinsecum.

370. Propositio 1.a **Res successivæ, ut motus ac tempus, non incipiunt per primum sui *esse*, sed per ultimum sui *non esse*; nec desinunt per ultimum sui *esse*, sed per primum sui *non esse*.**

Res successivæ non incipiunt, nec desinunt intrinsece, sed extrinsece: nempe incipiunt per ultimum sui non ere, ac desinunt per primum sui non esse.

Probatur. Quia res successivæ, quales sunt motus et tempus, habent *esse* successivum secundum prius et posterius, quin possint ullæ assignari partes ulterius indivisibiles, prout ostensum est, cum de continui compositione disputaretur. Atqui successio prioris et posterioris non potest esse in instanti indivisibili; secus enim esset prius et posterius simul. Ergo in momento, in quo res successivæ, ut motus et tempus, incipiunt, nequit dici: *Nunc est motus vel tempus, et immediate ante non erat*, sed potius: *Nunc non est, et immediate post hoc instans erit*. Et pari modo in momento, in quo desinit motus vel tempus, non est verum dicere: *Nunc est, et immediate post non erit;* sed potius: *Jam non est, et immediate ante fuit*. Itaque res successivæ nec incipiunt per primum sui *esse*, sed per ultimum sui *non esse;* nec desinunt per ultimum sui *esse*, sed per primum sui *non esse*.

Dices. Si verum est dicere initio rei succesivæ: *Nunc non est, immediate post erit*, ideoque dicitur incipere extrinsece: ergo immediate post verum erit dicere: *Nunc est*, ac proinde tunc potest incipere intrinsece res successiva, quia tunc verum erit dicere: *Nunc est, et immediate ante non erat*. Simili modo si in fine verum est dicere: *Nunc non est res successiva, et immediate ante fuit*, ideoque dicitur desinere extrinsece: ergo immediate ante vere dici potuit: *Nunc est, et immediate post non erit;* et tunc recte dici poterit desinere intrinsece.

Respondeo, hæc dici non posse, supposita sententia Aristotelis circa continui compositionem; quia nec immediate ante, nec immediate post instans assignari potest aliud instans indivisibile, sed pars sine fine divisibilis. Ergo in successivis nec immediate post ultimum instans sui non *esse*, nec immediate ante primum sui *non esse*, possibile est assignare ullum instans intrinsece spectans ad eorum *esse*.

Hæc, ut vides, supponunt illam sententiam, quæ tuetur continuum, sive permanens sive successivum, non constare ex indivisibilibus, sed ex partibus sine fine divisibilibus, e quibus proinde omnes, quotquot assignari queunt, sint et ipsæ extensæ et continuæ, ac proinde semper ulterius divisibiles. Qui ponunt motum ac tempus ex solis indivisibilibus constare, contendunt hæc incipere per primum sui *esse*, ac desinere per ultimum *sui esse*, non quidem quoad totum suum *esse*, sed quoad partem, ita ut verum sit dicere in principio: *Nunc est quoad primam sui partem, et immediate ante non fuit;* itemque in fine: *Nunc est quoad ultimam partem, et immediate post erit*. Concedunt nihilominus, quod dici possit motum ac tempus incipere ac desinere extrinsece, quia cum tempus coalescat in eorum sententia ex indivisibilibus, in instanti immediate præcedente instans, in quo prima pars motus vel temporis existit, verum est dicere: *Nunc non est, immediate post erit;* et similiter in instanti immediate sequente instans, in quo ultima pars existit, vere dici potest: *Nunc non est, immediate ante fuit* (1).

Quies eumdem modum incipiendi ac desinendi habet, ac entia successiva.

Quæ vero de successivis dicta sunt, extendi quoque solent ad quietem, in sensu proprio ac privativo sumptam. Quies namque accipi potest et negative pro *non motu*, et privative ac proprie pro motus privatione. Et negative quidem sumpta eodem modo incipit, et desinit, ac indivisibilia motus ac temporis, de quibus statim dicetur: quia in quocumque instanti et in quocumque *mutato esse* motus, mobile dicitur quiescere negative et improprie, quia verum est in eis non moveri, et propterea quies negative sumpta potest dici incipere, ac desinere intrinsece, sicut dicetur de ipsis indivisibilibus

(1) Ita inter alios Soarez lusitanus, *Physic.* tract. 3, disp. 2, sect. 2, paragr. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

motus. At vero quies proprie sumpta cum sit privatio motus, nempe negatio motus in subjecto apto et in tempore a natura constituto, eodem modo, ac ipse motus, intelligitur postulare successionem. Quia cum in instanti non possit esse capacitas ad motum successivum, nec potest esse quies per modum privationis; et consequenter quies privativa eumdem cum motu ac successivis modum incipiendi ac desinendi habeat, necesse est (1).

371. Propositio 2.ª **Indivisibilia continuorum, v. g. motus ac temporis, incipiunt per primum sui *esse*, ac desinunt per ultimum sui *esse*.**

Indivisibilia continuorum incipiunt per primum ac desinunt per ultimum sui esse.

Probatur. Quia indivisibilia partibus carent, et totum suum *esse* simul habent: quare dum incipiunt, vere de illis dici potest: *Nunc est*, et *immediate ante non fuit:* quod est ea incipere per primum sui *esse*. Et similiter dum desinunt verum est dicere: *Nunc est, et immediate post non erit* (2).

372. Propositio 3.ª **Qualitates materiales, quæ cum motu ac successione fiunt, si *in fieri* et absolute vel indeterminate considerentur, incipiunt per ultimum sui *non esse*, ac desinunt per primum *non esse*; si autem *in facto esse* considerentur, ac determinate vel secundum certum gradum, incipiunt per primum, ac desinunt per ultimum sui *esse*.**

In primis explicandus est sensus propositionis. Qualitas potest induci in corpus cum vel sine motu stricte sumpto; nempe instantanee, ut v. g. lumen, quod inducitur in subjectum proximum ad corpus illuminans, vel successive, ut calor. Et hic solum est sermo de qualitate, quæ inducatur cum motu ac successione. Verum hæ ipsæ qualitates, quæ cum motu ac successione inducuntur, possunt sumi vel absolute et indeterminate, videlicet vel quia non determinatur ullus certus gradus intensionis in qualitate, quæ subjecto

(1) Vide Rubium (loc. cit. num. 90, 91), Conimbricenses (loc. cit. art. 2), Joannem a S. Thoma (loc. cit. art. 21), Complutenses (ibid. quæst. 5.ª)

(2) Vide Rubium (loc. cit. num. 92, 93), Complutenses (loc. cit. quæst. 1), Joann. a S. Thom. (loc. nup. cit.)

acquiratur, vel si gradus quidem qualitatis determinetur, portio tamen subjecti, in quam ea inducitur, indeterminata est; vel determinate ac secundum certum gradum qualitatis, puta caloris octo, decem, etc., graduum, et in subjecto unius metri, vel ulnæ, etc. Itaque

Qualitates, quæ cum motu et successione fiunt, si in ipso earum *fieri* et indeterminate considerentur, incipiunt per ultimum, ac desinunt per primum sui *non esse*:

Prima pars propositionis dicit qualitates, quæ cum motu ac successione fiunt, si in ipso earum *fieri* et indeterminate considerentur, incipere per ultimum, ac desinere per primum sui *non esse*. Et ratio est, quia *fieri* harum qualitatum successionem importat, et similiter ipsæ qualitates ita indeterminate sumptæ. Ergo necesse est, ut incipiant ac desinant, sicut res successionem ac motum habentes, ita nempe ut incipiant per ultimum, ac desinant per primum *sui non esse*.

si autem *in facto esse* ac determinate spectentur, incipiunt per primum,

Probatur secunda pars quoad inceptionem. Quia in facto *esse* jam qualitas est in certo ac determinato gradu, v. g. calor ut duo. Quia ergo qualitas ejusmodi habet suum *esse* fixum et indivisibile, necesse est, ut incipiat per primum et desinat per ultimum sui *esse*. Sane si v. g. calor ut duo non inciperet, per primum sui *esse*, inciperet per ultimum sui *non esse*. Atqui hoc est impossibile. Nam si sic inciperet, daretur instans, in quo v. g. tota hæc pars aquæ non est calida ut duo, sed erit immediate post. Atqui hoc dici nequit. Nam vel in eo instanti desideratur aliquid ad perficiendum calorem ut duo, vel nihil. Si nihil, jam tunc tota illa subjecti pars erit calida ut duo; quod est contra hypothesin. Si vero desideratur aliquid; cum id non possit esse indivisibile, quia indivisibile additum non facit majus, erit utique divisibile. Sed si divisibile est, prius inducetur medietas ejus, quam totum. Quare post illud momentum dabitur quoddam aliud, in quo tota illa pars non erit calida ut duo: ideoque punctum illud temporis antea designatum non erit ultimum *non esse* caloris ut duo in parte illa determinata. Ergo non recte dicitur qualitatem in *facto esse* ac determinate sumptam incipere per ultimum sui *non esse*.

ac desinunt per ultimum sui esse.

Probatur eadem secunda pars quoad desitionem. Sit calor ut duo in aliquo subjecto. Quoniam agimus de qualitatibus, quæ per motum et cum motu incipiunt, ac desinunt; in instanti, quod est ultimum *non esse* motus contrarii,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verum est dicere: *Nunc est in subjecto tota latitudo caloris ut duo, et immediate post non erit jam tota*, quia aliquid per motum contrarium abjicitur. Ergo calor ut duo desinit per ultimum sui *esse* (1).

373. PROPOSITIO 4.A **Substantiæ, quæ generantur, et corrumpuntur incipiunt per primum sui esse, ac desinunt per primum non esse.**

Substantiæ, quæ generantur, et corrumpuntur, incipiunt per primum sui *esse*,

Prima pars probatur primo: nam generatio substantialis est mutatio, quæ momento peragitur, tum quia substantialis forma gradus non habet, ideoque stat intensive in indivisibili; tum quia formalis ipsa eductio formæ substantialis contrarium non habet, siquidem omnis contrarietas ac resistentia, ex parte subjecti se tenens, superata penitus supponenda est per dispositiones prævie introductas. Atqui quæcumque momento indivisibili peraguntur, ex superius dictis per primum sui *esse* incipiunt. Ergo generatio substantialis incipit per primum sui *esse*, et consequenter etiam ipsa substantia, quæ est terminus ejus; nam actio instantanea est simul cum termino ejus. Nec solum formæ substantiales, sed etiam ultimæ dispositiones ad eas requisitæ, dicuntur incipere per primum sui *esse*, tum quia simul sunt, tum quia habent gradum fixum ac certum, quem natura subtantiæ generandæ postulabat; ac proinde, ex dictis in præcedenti propositione, per primum sui *esse* debent incipere.

sed desinunt per primum non *esse*.

Secunda pars etiam probatur. Generatio unius est corruptio alterius. Ergo cum substantia, quæ generatur, incipiat per primum sui *esse*, necesse est dicere eamdem, cum corrumpitur, desinere per primum sui *non esse*.—**Prob. conseq.** si non desineret per primum *non esse*, desineret per ultimum sui *esse:* quare in illo instanti adhuc essent, et immediate post non essent. Jam forma nova in nullo instanti, in quo adhuc existit præcedens, potest actu existere, nisi velimus duas simul formas contrarias in eodem subjecto esse. Ergo forma nova debet immediate post ultimum illud præcedentis

(1) Vide Conimbricenses (loc. cit. art. 3 et 4), Complutenses (loc. cit. quæst. 2), Joann. a S. Thom. (loc. cit. art. 2). etc., apud quos vide plura de his.

formæ produci. Quæro nunc, vel illud immediate sequens ultimum instans intrinsecum *esse* formæ præcedentis est etiam instans indivisibile vel tempus. Instans indivisibile non potest esse; alioquin duo instantia essent sibi immediata. Nec potest esse tempus, quia jam ostensum est in prima parte, formas substantiales, quæ generantur, per primum sui *esse* incipere; ergo nec possunt incipere in tempore, siquidem tempus et quæ tempore fiunt, nequeunt incipere per primum sui *esse*, sed per ultimum *non esse*, ut in prima propositione probatum fuit. Ergo formæ, quæ corrumpuntur, nequeunt desinere per ultimum *esse* (1).

Dices 1.° Forma substantialis habet *esse* consistens in indivisibili. Ergo necesse est, ut desinat per ultimum sui *esse;* tum quia ita generatim dicendum est de omnibus, quæ *esse* indivisibile habent, ut colligitur ex probatione secundæ propositionis; tum quia si desineret per primum sui *non esse*, desineret in tempore, atque adeo divisibiliter.

Respondeo, formam substantialem, cum corrumpitur, ad generationem novi corporis non posse intrinsece vel per ultimum *esse* desinere, non quod gradus habeat in se, vel successive pereat, sed quia forma nova incipit per primum sui *esse*. Nam cum una forma desinit ad introductionem alterius, ea generatim regula servatur, ut si forma introducenda incipiat per ultimum sui *non esse*, forma corrumpenda desinat per ultimum sui *esse*. Ratio primi est, quia secus in aliquo instanti duæ formæ simul essent in eodem subjecto. Nam idem est instans generationis unius et corruptionis alterius: in illo ergo instanti de nova forma verum est dicere: *Nunc est, et immediate ante non fuit;* quia debet incipere per primum sui *esse*. Atqui si forma vetus desinit per ultimum sui *esse*, licet quoque de illa in eodem instanti dicere. *Nunc est, et immediate post non erit.* Ergo utraque vere existit in illo instanti. Ratio vero secundi est, quia alioquin materia in aliquo instanti nulla forma informaretur. Nam si nova forma incipit per ultimum sui *non esse*, licet in

(1) Vide Conimbricenses (loc. cit. art. 5), Complutenses (loc. cit. quæst. 3), Joann. a S. Thoma (loc. cit. art. 1), Pererium, (*de Communibus*, lib. 14, cap. 9, prop. 4.ª et 5.ª).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ultimo illo instanti dicere: *Nunc non est, et immediate post erit.* Si autem forma vetus in eo casu desinit per primum *non esse;* in hoc primo instanti *non esse*, quod coincidit cum ultimo *non esse* formæ novæ, quia in eodem instanti generatur unum, et corrumpitur aliud, in hoc, inquam, primo instanti non *esse* verum erit dicere de veteri forma: *Nunc non est, et immediate ante fuit.* In illo ergo instanti nec est forma nova nec vetus in materia, quod naturaliter fieri nequit.

Dices 2.° Diximus superius generationem esse priorem corruptione. Quomodo ergo possunt esse in eodem instanti?

Respondeo non esse permiscendam prioritatem et simultatem naturæ cum prioritate ac simultate durationis. Generationem diximus esse corruptione priorem natura, non durationc, quia duratione sunt simul.

374. Propositio 5.ª **Res, quæ proprie creantur et proprie ad nihilum revocari queunt, quales sunt angeli et animæ rationales, saltem connaturaliter incipiunt per primum sui *esse*, ac desinunt per primum sui *non esse*.**

Res quæ proprie creantur, et desinant per annihilationem, saltem connaturaliter incipiunt per primum sui esse.

Prima pars satis communis est (1), et probatur, tum quia creatio est actio momentanea omnique carens successione, ut jam alias docuimus; tum quia substantiæ quoque spirituales creatione productæ simplicissimæ sunt ac penitus indivisibiles. Ergo debent incipere, saltem connaturaliter, instar indivisibilium, nempe per primum sui *esse;* quia totum suum *esse* simul habent, ideoque cum incipiunt, licet de illis vere dicere: *Nunc est, et immediate ante non fuit.* Ob hanc rationem solet communiter dici mundum incepisse per primum sui *esse;* quia fieri non potuit nisi creatione, quantum attinet primam ejus molitionem.

quare mundus incepit per primum sui esse.

Eadem tamen substantiæ videntur desinere per primum sui non esse.

Secunda pars magis est dubia; teneturque a Rubio, Ferrariensi, Conimbricensibus et Joanne a S. Thoma (2), contra Sotum, Toletum Aguirre et Complutenses (3), qui substantias

(1) Vide apud Rubium (loc. cit. num. 102).

(2) Locis citatis.

(3) Vide Sotum *(Super lib. 6 Physicor.* quæst. 3, *conclus.* 6.ª) Complutens. (loc. cit. quæst. 4), Toletum *(Physicor.* lib. 6, quæst. 4, conclus. 4), Cordin. Aguirre *(Physic.* disp. 38, sect. 3).

incorruptibiles arbitrantur desinere per ultimum *sui esse*. Cæterum sensus propositionis hujus in utravis sententia non absolutus est, sed conditionalis. Nam in sensu absoluto sumpta falsum supponeret, videlicet quod prædictæ substantiæ naturaliter desinere possint; sunt enim incorruptibiles natura sua, nec in nihilum a Deo redigentur. Assertio itaque intelligenda est conditionate, ita nempe ut enuntiet, substantias incorruptibiles, *si quando in nihilum redigerentur*, desituras eo modo esse. Et ratio est, quia prædictæ substantiæ nequeunt interire nisi annihilatione; annihilatio autem non est actio positiva, sed suspensio concursus, quo res creata et conservata fuerat. «Hic autem cum modo indivisibili detur, ejus suspensio connaturaliter fit in instanti, sicut creatio in instanti fit. Si autem suspenditur concursus in instanti, in eodem instanti intrinseco desinit creatura. Neque enim potest suspenso concursu in eo instanti durare, et immediate post desinere: atque adeo erit verum dicere in illo instanti: *Nunc non est creatura, et immediate ante erat;* hoc autem est desinere per primum *non esse*, quia tunc primo non est. Si autem desineret per ultimum *esse*, esset verum dicere. *Nunc est, et immediate post non erit;* atque adeo esset verum dicere: *Sine concursu Dei in hoc instanti creatura est, et immediate post ablatum concursum non erit*» (1). Itaque ratio, qua nituntur adversarii ad asserendum istis substantiis modum desinendi per ultimum sui *esse*, scilicet indivisibilitas earum, quæ postulat, ut fiant, et pereant momento, ac totæ simul; ob peculiarem ac negativum modum, quo desinunt, videtur rem non evincere.

Dixi in propositione substantias, quæ proprie creantur et non *nisi* annihilatione desinere possunt, *saltem connaturaliter* loquendo incipere per primum *esse*, ac desinere per primum *non esse*. Nam disputatur inter Auctores, utrum per omnipotentiam Dei et modo minus naturali possint prædictæ substantiæ aut incipere per ultimum sui *non esse*, aut desinere per ultimum sui *esse*. Alii enim, ut Ferrariensis et Vallesius apud Rubium (2) putant adeo necessario istas substantias

(1) Joannes a S. Thoma (loc. cit. art. 1, *Secunda regula*).

(2) Loc. cit., num. 204.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

desinere per primum *non esse*, ut nequeant aliter desinere: alii, ut ipsemet Rubius et Vazquez (1), negant vel per absolutam Dei potentiam posse illas incipere per ultimum sui *non esse:* alii denique, ut Sotus, Conimbricenses, Joannes a S. Thoma, Cardin. Aguirre et Complutenses (2), putant, spectata Dei omnipotentia, posse hujusmodi entia utrovis modo et incipere et desinere. Hæc altera sententia probabilior videtur; ut autem in recto sensu intelligatur, nota dupliciter dici posse rem aliquam incipere per ultimum *non esse:* «uno modo ita, ut ejus effectio *mensuretur tempore*, et ad ejus fluxum naturamque secundum alias et alias partes sese accommodet: altero, ut existat quidem ejus productio, dum tempus fluit, et tamen nec producatur successive, nec tempore mensuretur, sed tota simul efficiatur, et in se tota simul atque impartibiliter existat» (3). Docent ergo hi auctores, quamvis substantiæ prædictæ connaturaliter incipiant per primum sui *esse*, non tamen penitus repugnare, ut etiam incipiant, per ultimum sui *non esse* altero ex assignatis modis. Et ratio est, quia licet substantiæ prædictæ debeant incipere modo indivisibili, atque adeo in instanti, at illud instans, in quo incipiunt, est instans angelicum. Jam vero sicut substantia ipsa angeli vel animæ, quantumvis simplex et indivisibilis in se, potest tamen præsentiam suam exhibere spatio divisibili, et cõexistere tempori; ita etiam non repugnat quod talis substantia incipiat non solum in instanti, quod correspondeat instanti nostri temporis, sed etiam immediate post, seu in instanti, quod nostro tempori correspondeat. Tunc autem inciperet in tempore, seu cõexistendo tempori nostro, quamvis semper indivisibili modo, et non commensurata tempori per partes, quibus caret penitus, ac proinde inciperet per ultimum sui *non*

(1) Rubius (loc. cit. num. 268), Vazquez (In 1.am part., disp. 229, cap. 10).

(2) Sotus (*Super lib. 6.um Physicor.* quæst. 3, conclus. 6), Conimbricenses (loc. cit. art. 6), Joannes a S. Thoma (loc. cit. art. 1, *Quod si inquiras*, et *Secunda regula*), Aguirre (loc. cit.) et Complutenses (loc. cit).

(3) Conimbricenses (loc. cit). Cfr. Joann a S. Thoma (loc. cit. *Quod si inquiras*).

esse. Simili modo posset Deus, ut rem in nihilum redigeret, suspendere suum concursum, non in instanti nostro, sed immediate post, quia re vera immediate post quodlibet instans temporis nostri libere continuaret illum, et consequenter libere posset illum suspendere. Atqui si Deus immediate post instans nostri temporis suspenderet concursum, res desineret per ultimum sui *esse;* quia in tali præcise instanti verum foret dicere: *Nunc res est, et immediate post non erit:* quod est desinere per ultimum sui *esse*. Ergo saltem spectata divina potentia, potest substantia, quæ sola creatione produci, solave annihilatione perire posset, incipere per ultimum sui non *esse*, ac desinere per ultimum sui *esse*. De inceptione ac desitione qualitatum et actuum spiritualium quid dicendum sit, facile ex dictis decerni poterit. Itaque hæc nobis delibasse sufficiat. Plura reperies apud veteres Doctores, apud quos etiam difficultates contra stabilitas assertiones videri possunt.

§ II.—DE TERMINIS MAGNITUDINIS ET PARVITATIS RERUM NATURALIUM (1).

Quid sit et quotuplex terminus magnitudinis et parvitatis.

375. Terminus magnitudinis vel parvitatis in rebus naturalibus intelligitur maximum et minimum, quod attingere illæ possunt. Duplex distinguitur: *intrinsecus* et *extrinsecus*. Terminus magnitudinis intrinsecus vocatur etiam *maximum quod sic*, et est ille, sub quo res esse potest ita, ut sub majori esse non possit: v. g. si homo possit attingere magnitudinem septem cubitorum, non tamen excedere, septimus cubitus erit terminus magnitudinis intrinsecus hominis vel *maximum quod sic*. Terminus extrinsecus magnitudinis, quod a veteribus dicebatur *minimum quod non*, est ille, sub quo res esse non potest, quamvis sub quolibet minori possit: ut octavus cubitus pro hominis statura, supposito quod ille sit minima mensura, quam nequeat attingere. Terminus

(1) Videantur Conimbricenses (*Physicor.* lib. 1, cap. 4, quæst. 1), Rubius (Ibid. tract. *de Terminis rerum*, quæst. 1.a et 2.a), Pererius (*de communibus* etc. lib. 10, cap. 22, 23), Toletus (Ibid. cap. 4, quæst. 9 et 10), Complutenses (*Physicor.* disp. 27), Joannes a S. Thoma (*Physic.* quæst. 8, art. 1), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 28, sect. 4 et 5), Sylvester Mauri (*Quæst. philos.* lib. 2, quæst. 31).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

parvitatis intrinsecus, seu *minimum quod sic*, est ille, sub quo res esse potest, sed non sub minori, ut si anima humana non possit introduci in materia minori, quam duorum decimetrorum, possit tamen in ea, erit *minimum quod sic*. Terminus parvitatis extrinsecus vel *maximum quod non*, est ille, sub quo res non potest esse, licet possit esse sub majori: sic si semipalmus foret minima ex mensuris sub quibus non posset esse homo, esset *maximum quod non* respectu illius.

Status quæstionis.

Vocibus declaratis, illud notandum venit, res naturales respectu divinæ omnipotentiæ nullum terminum habere sive in infinito magnitudinis sive in infinito parvitatis, nempe punctum indivisibile; quorum utrumque repugnare probabilius supra docuimus. Nam potest Deus, spectata sua absoluta virtute, data quacumque magnitudine aliam majorem ac majorem, et similiter minorem ac minorem in infinitum producere. Cum ergo disputatur, utrum admittendus sit in rebus naturalibus terminus aliquis magnitudinis et parvitatis, quem transgredi non liceat, quæstio procedit secundum cursum naturalis ordinis. In quo etiam, si solum factum attendatur, nulla est difficultas: quandoquidem certum est de facto inter corpora omnia naturæ aliquod esse omnium maximum et aliquod minimum, quamvis a nobis nequeat determinari. Dubium ergo est de possibili secundum ordinem naturæ, an videlicet res naturales cujuslibet speciei petant determinatam magnitudinem versus maximum et minimum, ita ut nec sub minori nec sub majori esse possint. Neque vero resolutio est æque communis inter Doctores circa corpora viventia et circa non viventia.

Quid dicendum de viventibus ea communi opinione.

Circa viventia est communissima opinio tenens præfinitos illis esse terminos intrinsecos magnitudinis et parvitatis tum quoad generationem, tum quoad augmentationem et conservationem in statu connaturali, ita ut nec sub minori nec sub majori possint generari aut conservari (1). Probarique posset

(1) Ita S. Thomas (*Physicor.* lib. 1 lect. 9, paragr. *fi*; 2.a *de Anim.* lect. 8 fin.; 2.o dist. 14, quæst. 1, art. 1 ad 4.um; 1 p. quæst. 7, art. 3, etc.) cum Aristot. (1.o *Physicor.* cap. 4 text. 36; et *de Anima* lib. 2, text. 41, lib. 4 *de Generat. animal* cap. 4; *Politicor.* lib. 7, cap. 4),

primo inductione et experientia. Nam quamvis individua ejusdem speciei variam habere videmus magnitudinem, ea tamen varietas intra limites aliquos continetur. Neque enim homo vel molem montis attingit, vel usque ad formicæ corpusculum contrahitur: idemque judicium ferendum est de aliis etiam viventium speciebus. Probatur etiam ratione: *et primo quoad generationem;* quia forma viventium producitur per certas ac limitatas causas et in gradu certo ac determinato, ideoque in instanti ac more permanentium entitatum, secundum ea quæ superius scripta sunt de inceptione formarum substantialium. Ergo exigit certas ac determinatas dispositiones et certam ac determinatam quantitatem, infra quam vel supra quam fieri nequeat. Tum quia si infra quamlibet determinate assignabilem quantitatem forma viventium produci posset, inciperet per ultimum sui *non esse;* tum quia experientia ipsa videtur ostendere viventia non generari in quavis sive exigua, sive magna mole. Sumatur ergo ea magnitudo, in qua certe non possit vivens aliquod generari naturaliter, et minuatur continue, donec perveniatur ad eam mensuram, in qua soleat generari. Profecto in ea imminutione reperitur aliqua magnitudo, sub qua generari potuit vivens, cum non posset sub majori. Ergo erit ille terminus magnitudinis intrinsecus. Simili modo si sumatur tam parva quantitas, sub qua non possit vivens generari, et continuo augeatur; venietur ad aliquam magnitudinem, sub qua possit generari, cum nequeat sub minori: quæ proinde intrinsecus terminus erit parvitatis.

Probatur etiam eadem doctrina quoad augmentum et conservationem: quia viventium augmentatio fit, non per aggenerationem vel *juxta-positionem* partium, sed per *intus-sumptionem* alimenti et conversionem in propriam substantiam:

et veteribus Commentatoribus; et Scotus (2.a dist. 2, quæst. 9), Capreolus (2.o dist. 19, quæst. 2 art. 3), Cajetan. (1.am part. quæst. 7, art. 3), Rubius (*Physicor.* lib. 1, cap. 4, quæst. 1), Conimbricenses (ibid. quæst. 1, art. 2), Benedictus Pererius (*de communibus* etc. lib. 10, cap. 23, propos. 3), Toletus (ibid. quæst. 9, tertia conclus.), Complutenses (*Physic.* disp. 27, quæst. 2), Joannes a S. Thoma (*Physicor.* quæst. 8, art. 2), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 38, sect. 4), Mastrius (*Physic.* disp. 9, quæst. 3. art. 2), Mauri (*Quæst. philos.*, lib. 2, quæst. 31).

hæ porro operationes fiunt ope potentiarum ac virtutum naturalium, quæ cum sint limitatæ perfectionis, et agendo repatiantur, non possunt augmentum viventis in infinitum protrahere, sed paulisper fatiscunt, et infirmiores redduntur. Præterea corpora omnia viventium organica sunt. At partes organicæ nec possunt in quavis magnitudine apte inter se componi, nec functiones suas exercere. Quare nec etiam compositum ex talibus partibus potest quamcumque molis magnitudinem vel parvitatem admittere (1).

Quid dicendum de non viventibus;

Et hæc quidem de viventibus. Quod attinet corpora non viventia, in eo conveniunt plurimi, quod habeant saltem extrinsecum terminum et magnitudinis et parvitatis, quia nec possunt generari in puncto aliquo indivisibili materiæ, nec in mole actu infinita. Ex quo sequitur corpora non viventia necessario habere pro termino extrinseco parvitatis saltem punctum indivisibile, ac pro termino magnitudinis infinitam quantitatem. Multi etiam consentiunt opinantes, corpora non viventia terminum intrinsecum magnitudinis, saltem ex sese ac natura sua, non habere in ordine ad aggenerationem et incrementum. Probantque suam sententiam exemplo ignis, qui ex se non postulat certam magnitudinem; immo si plura et plura in infinitum ligna apponerentur, in

in quo conveniant AA. communius,

(1) Difficultates contra istam doctrinam videri possunt apud Conimbricenses (loc. cit. art. 3) et alios AA. Ex qua etiam plures colligunt, non viventia solum, sed cadaveratiam intrinsecum magnitudinis et parvitatis terminum habere. Et ratio est, quia cadaver nequit esse majus aut minus, quam corpus vivum. Ergo si corpus vivum habet intrinsecos terminos magnitudinis et parvitatis, eosdem etiam debet habere cadaver. Vide Arriaga (*de Gener.* disp. 2, num. 55), Suarez lusitanum (*de Gener. et corrupt.* disp. 2, sect. 2, num. 206), Conimbricenses (loc. cit. art. 4).

Alii, ut Joannes a S. Thoma et Card. Aguirre (loc. cit), notant, quamvis viventia quoad suam generationem et conservationem intrinsecos habeant terminos magnitudinis et parvitatis, in via tamen corruptionis non posse habere nisi extrinsecos dumtaxat: quia nimirum si haberent terminos intrinsecos sive magnitudinis sive parvitatis, quoniam immediate post illos deberent corrumpi, in motu quo ultimum illum terminum assequerentur, verum esset dicere: *Nunc est vivens, et immediate post non erit*. Quare viventia illa desinerent per ultimum sui esse: quod est contra superius dicta de modo desitionis entium generabilium et corruptibilium.

infinitum cresceret. Idemque dici potest de aqua, aëre aliisque corporibus. Quare si de facto corpora omnia non viventia terminum habent magnitudinis, id non contingit per se et ex interna eorum natura vel exigentia, sed per accidens vel ex defectu aliquo extrinseco. Et ita videtur probabilius dicendum cum gravissimis Auctoribus (1), immo et cum ipso S. Thoma et Aristotele (2), qui, licet repugnantibus Complutensibus (3), id videntur diserte docere. *Ignis* enim *augmentum*, inquit Philosophus, *in infinitum est, quousque fuerit combustibile*. Et S. Thomas: *Manifestum est... quod ignis augmentum non est usque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia combustibilis inveniatur* (4). Multi autem, qui in hoc conveniunt, scinduntur in diversas opiniones relate ad terminum intrinsecum magnitudinis *in ordine ad generationem et primam corporum non viventium productionem*. Nam Thomistæ (5) cum S. Thoma (6) putant corpora non viventia ex vi suæ generationis et formæ determinatum et intrinsecum habere magnitudinis terminum, quem nequeant naturaliter excedere. In cujus doctrinæ fulcimentum ea solet ex S. Doctore afferri probatio: *Nam omne corpus naturale aliquam formam substantialem habet determinatam. Cum igitur ad formam substantialem consequantur accidentia, necesse est, quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia; inter quæ est quantitas. Unde omne corpus naturale habet determinatam quantitatem et in majus et in minus* (7). Alii vero multi scriptores negant corporibus non viventibus esse præfinitum ullum intrinsecum terminum magnitudinis etiam in

et in quo discrepent, sive relate ad terminos magnitudinis,

(1) Tales sunt, ut alios omittam, Albertus M. (*de Anim.* lib. 2 tract. 2. cap. 4), Scotus (2.° dist. 2. quæst. 9), Toletus (1.° *Physicor.* quæst. 9, conclus. 4). Conimbricenses (Ibid. quæst. 1, art. 4), Rubius (ibid. quæst. 2, num. 89), Cardin. Aguirre (loc. cit. sect. 5, num. 30). Joannes a S. Thoma. (loc. cit. quæst. 8, art. 2, *conclus. 2.ª*).

(2) Aristot. (*de Anim.* lib. 2, text. 41), S. Thom. (ibid. lect. 8, fin).

(3) *Physicor.* disp. 27, quæst. 2, num. 6, 14, 15.

(4) Loc. cit. Cfr. Joannes a S. Thoma, et Cardin. Aguirre.

(5) Vide Joannem a S. Thoma, Cardin. Aguirre, Complutenses aliosque apud ipsos.

(6) Loc. nuper citat. *de Anima*; et 1 p. quæst. 7, art. 3, etc.

(7) S. Thom. 1 p. quæst. 7, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sua generatione primaque productione (1). Probantque ex eo quod quamvis determinata forma substantialis determinatas postulet perfectiones quoad speciem, non tamen quoad extensionem, magnitudinem et quantitatem; hæc enim sequitur materiam, nec ulla proinde determinata moles postulatur per se a natura formæ corporisve non viventis. Unde nec etiam urgere possunt hic argumenta, quibus superius probatum est corporibus viventibus inesse præscriptos certos magnitudinis terminos intrinsecos, quos præterire nequeant. Qua de re plura dabunt auctores superius laudati.

atve relate ad terminos parvitatis.

Denique relate ad terminos parvitatis eadem vel forte major est opinionum dissensio. Thomistæ cum S. Thoma (2), quamvis concedant corpus mathematicum posse in infinitum dividi, quin possit unquam deveniri ad minimum aliquid ulterius indivisibile, negant tamen idem dici posse de corpore naturali, quia in eo est forma naturalis, quæ non potest in quacumque quantitate conservari. Cum Thomistis sentit hac in re etiam Toletus (3). Scotistæ vero, quos sequuntur Rubius et alii auctores nuper citati, nullum agnoscunt in non viventibus intrinsecum terminum parvitatis. Rationes pro utravis opinione videri possunt apud veteres auctores: non enim tanti rem esse puto momenti, quæ diutius nos tenere debeat.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM CORPOREIS QUALITATIBUS IN SPECIE.

Præcipuas corporum qualitates ac proprietates ad naturalium scientiarum cultores spectat enucleatius describere.

(1) Ita Mastrius (*Physic.* disp. 9, quæst. 3, art. 1), et Pontius (*Physic.* lib. 6, disp. 18, quæst. ult., num. 61), et apud eum Scotistæ, quos sequuntur Conimbricenses (loc. cit. art. 4, 2.a assertio), Rubius (loc. cit. quæst. 2), Soarez Iusitanus (loc. cit. num. 109), Amicus (*Physic.* tract. 16, quæst. 2), et alii.

(2) 1 p. quæst. 7, art. 3, 2.a dist. 14, quæst. 1, art. 1, ad 4.um; dist. 30, quæst. 2, art. 2; 1.a *Physicor.* lect. 9.

(3) Loc. cit., *conclus.* 5.a

Easque solent illi fere revocare ad *divisibilitatem*, *impenetrabilitatem*, *mobilitatem*, *porositatem*, *dilatabilitatem* et *raritatem* ac *densitatem compressibilitatemque*, *elasticitatem* et *attractionem*, quæ multiplex distingui potest, *affinitatem*, *tenacitatem*, *duritiem*, *fragilitatem* et quasdam alias, quibus adde *figuram*. De quarum nonnullis plura in antecessum variis in locis dicta sunt: cæteris autem omissis, tres dumtaxat breviter tractandas assumpsimus ad materiæ hujus complementum, videlicet *figuram*, *gravitatem et densitatem ac raritatem*. (1).

ARTICULUS I.

De corporum figura.

Quid figura: distinguitur modaliter a quantitate

376. Figura, ut norunt omnes, est terminatio quantitatis; consistit enim in modo quodam, quo moles ac dimensiones corporeæ terminantur (2). Nullum corpus est sine aliqua figura: ex quo tamen non licet concludere figuram idem prorsus esse cum corporea mole vel quantitate. Quamvis enim nullum corpus sit sine *aliqua* figura; nihilominus exploratum est corpus nullam penitus determinatam essentialiter vindicare figuram, sed absque ulla sui mutatione diversas sæpe induere formas. Id patet in liquidis corporibus, quæ varias recipiunt figuras secundum internam vasis, in quod infunduntur, superficiem: idem quoque cernitur in solidis, quæ si mollia sint, manuque tractari queant, ut cera, in diversas finguntur formas. Atqui si eadem physice materiæ moles diversis figurari formis potest, impossibile est figuram unum idemque re esse cum materia vel quantitate figurata. Simili argumentandi genere conclusimus alibi realem distinctionem rei a sua ubicatione, et corporis a situ, et causæ ab actione. Distinctio porro figuræ a re figurata modalis est dumtaxat; neque enim est ulla neccessitas fingendi majorem; et in figuram egregie quadrare potest ratio definitioque modi, quam in *Ontologia* satis explicuimus (3).

(1) Nihil etiam hic speciatim dicimus de elasticitate, quia pro nostro instituto sufficere putamus ea, quæ superius scripta sunt, pag. 1127.

(2) Vide S. Thom. *Physicor.* lib. 7, lect. 5, paragr. *c.*

(3) *Ontolog.* num. 120, pag. 370 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ubi etiam scripsimus figuram esse unam e speciebus qualitatis (1).

Utrum figura sit proprietas corporis.

Hinc jam facile solvi potest illa quæstio, utrum, figura sit proprietas aliqua, corpus quantum consequens. Qua in re distinctione opus est corporum animatorum ab inanimatis. Animata certe vindicant naturaliter proprias figuras secundum varias eorumdem species et genera, ut experientia et inductione compertum est, magisque declarabitur, Deo favente, in *Psychologia*. Quare figura viventium, quamvis sit modus dimensionum, est proprietas quædam consequens animam vel formam substantialem eorumdem, ex cujus interna exigentia procedit, ut singulæ viventium species varias in corpore præ se ferant species. Cum enim materia et quantitas sit ejusdem speciei in omnibus, non potest ex se variam terminationem postulare, atque adeo necesse est illam ad omnis specificæ varietatis fontem, formam substantialem, adscribere: quamobrem figura in viventibus est egregium indicium ad specificam substantiæ diversitatem discernendam (2). E converso in corporibus inanimatis *generatim loquendo* non apparet internum principium certam postulans figuram, saltem secundum externam superficiem. Id demonstrat eadem experientia in primis in omnibus liquidis et aëriformibus corporibus, quorum forma prorsus dependet a causis externis. Solida etiam passim cernuntur indiscriminatim se habere respectu cujuslibet figuræ, ut eamdem queant corpora diversarum specierum ac generum, ac diversam ejusdem speciei corpora induere: unde etiam si quando per actionem causarum externarum deformantur, aut aliter figurantur, nunquam pristinam resumere formam nituntur, si elastica excipias, quæ si pressione, tractione, flexione vel torsione deformentur, cessante externo impedimento priorem figuram resumunt. Possunt nihilominus corpora inanimata in quibusdam adjunctis certam in contextu suæ extensionis conformationem assumere: videlicet docent naturalium scientiarum periti, maximam corporum

Figura in viventibus est indicium ad cognoscendam eorum speciem.

(1) *Ontolog.*, num. 327, pag. 642.

(2) Lege S. Thomam, *Physicor.* lib. 7, lect. 5, paragr. *d*; 2.a dist. 16, quæst. 1, art. 1.

partem, cum a statu liquido et aëriformi ad solidum lento gradu remotisque perturbationum causis transeunt, certas quasdam formas in suis partibus polyhedricas induere: corpora vero sic constituta nomen accepere *crystallorum*. Formæ hujusmodi crystallinæ magnam quidem præ se ferunt varietatem; omnes tamen revocari possunt ad aliquem ex sex typis primigeniis, unde cæteræ derivantur, quasi varia ejusdem familiæ cognationisve membra, quæ communis cujusdam stirpis præ se ferunt lineamenta: singulæ autem series crystallorum ad eumdem typum pertinentium, vocantur a Chimicis *systemata crystallina*. Quæ aliter ab aliis recensentur, atque ordinantur, sunt tamen hæc: systema *regulare* vel *cubicum;* systema *prismaticum rectum cum basi quadrata;* systema *prismaticum rectum cum basi rectangulari;* systema *rhombohedricum vel hexagonale;* systema *prismaticum obliquum cum basi rhomboidali*, vel *clinorhombicum;* systema *prismaticum obliquum cum basi parallelogrammatica*, seu systema *triclinicum* vel *anorthicum* vel *asymmetricum* (1).

Quid de crystallis dicendum.

Formæ istæ crystallorum diversæ plane videntur demonstrare diversitatem corporum specificam et realitatem interni alicujus principii, unde varietas illa typorum vel formarum intra eumdem typum promanet: eædemque egregie declarantur, admisso scholastico systemate circa essentialem corporum constitutionem. Sane si corpora essentialiter coalescunt ex duplici principio, materia et forma, optime intelligitur variam, pro formæ substantialis, atque adeo essentiæ corporeæ, varietate, conformationem crystallinam diversam existere debere. Dices forte diversitatem crystallorum explicari posse vel ex diversitate molecularis attractionis, vel certe ex diversitate figuræ geometricæ in moleculis diversorum corporum: hinc enim varii crystallorum typi efflorescere poterunt. Verum in primis ipsa diversitas molecularis attractionis sine aliquo interno principio eam exigente non satis explicatur. Cur enim corpora in iisdem adjunctis externis variam exercent attractionem molecularem secundum specificam

Internum principium diversarum formarum crystallinarum agnoscendum est.

(1) Vide passim Chimicos, ac nominatim Nacquet (*Principes de Chimie*, 1.ère partie, *Cristallographie*), Schützenberger (*Traité de Chimie générale*, tom. 1, liv. 1.er chap. 3), qui fuse ista describit.

eorumdem rationem, nisi quia id propria cujusque essentia postulat? Ergo licet varius modus, attractionis et cohæsionis inter moleculas possit intervenire in efformandis crystallis tamquam causa proxima et instrumentalis, altior tamen ac principalis causa, a qua hic ipse modus varius attractionis requiratur, agnoscenda est. Idipsum dic de diversitate figuræ: nam quamvis verum sit, ex vario numero ac dispositione particularum diversi typi formæque geometricæ varias resultare posse figuras, explicandum tamen semper remanet, cur diversorum corporum particulæ diversa constanter donentur figura; id vero explicari sufficienter nunquam poterit per solas causas externas, nullo admisso interno principio, quod illam diversitatem reposcat. Verum hæc fusius persequi necesse non est post superius scripta in aliis similibus materiis.

ARTICULUS II.

De attractione et gravitate.

Quid attractio.

377. Attractio sumpta in actu primo est ea proprietas, qua unum corpus in altero excitat motum versus se: sic magnes habet proprietatem ad se trahendi ferrum, et succinum vel electrum, si paululum affricentur, paleas et quædam alia corpora levia attrahit. Et quamvis in aliis non pateat ejusmodi proprietas attractiva; sed Physici docent, ac certis probant experimentis omnia corpora supra terram posita se invicem attrahere secundum ratas ac definitas leges. Nec solum inter corpora supra terram posita, sed inter cœlestia corpora attractio exercetur, ac per eam motus siderei explicantur ab Astronomis sub nomine *gravitationis*. Veteres quidem scriptores, ut sidereorum motuum rationem redderent, alii cœlos animatos dixere, alii ad angelos assistentes confugerunt, a quibus astra circum terram perpetuo moverentur; verum hæ opiniones jam a longo tempore, potissimum post Isaacum Newton, antiquatæ penitus jacent, et motus terræ ac cæterorum planetarum explicantur per æquum temperamentum duplicis vis, *centripetæ* ac *tangentialis*, quarum prima a communi eorum centro, sole, ad se attrahuntur, altera vero ad motum rectilineum secundum directionem *tangentis* impelluntur: talium namque virium si semel apta

Omnia corpora se invicem attrahunt.

temperatio atque æquilibrium supponatur, eædem, quibus systema planetare in suis elipticis motibus circa solem regitur, leges sponte pullulare deberent. Verum hæc Astronomis evolvenda relinquamus, dicamusque pauca quædam de gravitate.

Quid gravitas.

Gravitas est ea proprietas, qua inferiora hæc corpora versus terram tendunt, et urgentur; unde si extra telluris superficiem in aere posita sint, nullumque obsit impedimentum, versus illam magno impetu ruunt; si quid autem medium obstet, quanto possunt nisu vincere obstacula conantur. Corpora omnia, quæ vel sunt in terra vel eamdem circumdant, gravia sunt; quare gravitas proprietas generalis est eorumdem. Nec vero in contrarium objicias corpora quædam *levia*, quæ non deorsum, sed sursum potius ferri cernuntur, ut fumus in aere, lignum in aqua et ipsum ferrum in mercurio: id enim non ideo accidit, quia ejusmodi corpora non attrahantur versus terram, sed quia minus valide attrahuntur, quam illa alia corpora, quibus hæc immerguntur, et circumdantur. Illud porro est valde notandum discrimen inter attractionem gravitatis et actiones causarum et agentium naturalium, quod illa neque etiam objecto obstaculo retardetur. Sol certe non illuminat, nec ignis calefacit corpora, quæ interpositu aliorum corporum interjectuque separantur, et occultantur; at gravia æque attrahuntur versus terram, sive medium aliud corpus objiciatur, sive non objiciatur. Alia discrimina quæ inter gravitationem vel actionem gravitatis et aliarum naturalium causarum intercedunt, inferius notabuntur.

Corpora omnia gravia sunt.

Discrimen inter actionem attractivam gravitatis et alias causarum naturalium actiones.

Et hæc quidem, quæ fusius videri possunt descripta apud scientiarum physicarum tractatores, certa et explorata sunt; illud autem in dubium et controversiam adducitur, quænam existat in natura istius attractionis causa vel principium activum: motus iste gravium versus terram, debeturne terræ an vero corporibus ipsis, quæ tanto impetu in illam ruunt, an denique alicui alteri externæ causæ, quæ motum illum suo impulsu gignat. Et similis quæstio generatim institui potest in omni alia attractione; exerceturne illa a corpore, versus quod fertur corpus aliud, an vero ab ipso corpore, quod versus primum movetur, vel ab aliqua distincta causa: aliis vocibus dubitatur, utrum corpus, quod ex gravitate vel

Quodnam sit principium efficiens attractionis et motus gravium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex generali lege attractionis corporeæ movetur versus aliud, *ab eo* active *attrahatur*, an vero potius *seipsum moveat* versus illud, vel an denique ex alterius invisibilis causæ externæ impulsu. Si primum velis adstruere, admittenda est in terra, et generatim in cæteris corporibus, vis et proprietas trahendi ad se alia corpora; et gravitas, quatenus denotat tendentiam corporum, ut versus terram moveantur, nullam activam potentiam in iis importat, sed solam passivam capacitatem, ut attrahantur; sin alterum eligas, gravitas est qualitas et potentia activa corporum versus aliud tendentium, a qua intrinsecus urgentur ad motum; si denique tertium malis statuere, assignanda erit causa illa, in qua resideat potentia determinans in corporibus prædictos motus.

Sententia communis veterum Philosophorum fuse describitur.

Veteres Philosophi communissime existimabant gravitatem esse qualitatem corporibus ipsis, quæ versus terram feruntur, inhærentem, qualitatem videlidet non deprimis, sed de secundis seu de illis, quæ ex vario aliarum temperamento procedunt. Ut vero eorum sententia plene intelligatur, notandum est, usque ad Copernicum, immo et usque ad recentiora tempora, percrebuisse illam falsam existimationem, secundum quam terram et reliqua cælestia corpora in immensa quadam capacissimaque sphæra ita inclusa putabantur, ut terra centrum illius immota teneret, reliqua circum terram annuis diurnisque gyris volverentur. Corpora porro sublunaria dividebant in elementa et mixta, ut jam alias docuimus: elementa vero quatuor dumtaxat agnoscebant, terram, aquam, aërem, ignem; quæ vicissim in *gravia* et *levia* distinguebant. *Grave*, inquit Aristoteles, est, *quod ferri natum est ad* medium, (seu centrum sphæræ), *leve autem quod a medio ferri aptum est. Gravissimum id, quod omnibus substat, quæ deorsum feruntur; levissimum vero, quod omnibus supereminet, quæ sursum feruntur* (1). Ex qua doctrina gravitas definiri solebat: *principium motus deorsum vel ad medium*, id est versus centrum sphæræ, atque adeo etiam versus centrum ipsius terræ, quæ medium illius tenere putabatur. E converso levitas definiebatur *principium motus*

(1) Vide Aristot. *de Cælo et Mundo*., lib. 1, cap. 3, text. 17. Cfr. lib. 4, cap. 4. text. 26.

sursum vel a medio. Gravitas et levitas dividebatur in *absolutam* vel simpliciter talem et respectivam. Gravitas absoluta et simpliciter talis dicebatur illa, quæ absolute et nulla facta cum aliis comparatione rem denominat gravem: quo pacto gravis est terra; gravitas respectiva est illa, quæ solum denominat rem gravem relate ad alias; et hoc modo aër putabatur gravis respectu ignis, et aqua respectu utriusque. E converso absolute ac simpliciter levis existimabatur solus ignis, aqua vero solum respectu terræ, et aër utriusque respectu. Hinc etiam cuique elemento suam propriam assignabant veteres Aristotelici regionem vel locum, quasi connaturalem sedem, quam innate appeteret, quamque etiam *sphæram elementorum* dixere: videlicet terram utpote omnium elementorum gravissimam, collocatam voluerunt in infimo loco, aquam vero supra terram, mox aërem, priora duo elementa circumfluentem, ac demum ignem in concavo lunæ; quamvis Pythagorici ignem in terræ centro reponerent, et ipsi etiam Peripatetici disputarent, num ignis, ille, quem falso putabant in concavo lunæ ardere, foret ignis ejusdem speciei, ac inferior hic noster ignis. Præterea quatuor elementa dividebant Aristotelici in gravia et levia; graves dicebant terram et aquam, illam quidem absolute ac simpliciter, hanc solum respective gravem; leves autem aërem et ignem, hunc simpliciter, illum respective. Mixta vero corpora, quæ ex varia elementorum istorum temperie coalescere putabant veteres Philosophi, eo esse graviora vel leviora decernebant, quo magis minusve unius vel alterius naturam participarent. Ex quibus pronum erat, ut concluderent motus elementorum versus proprias sedes ac loca naturales esse, violentos autem motus prioribus contrarios: disputabantque, utrum gravia cum proprium locum essent assecuta, adhuc *gravitarent*, vel niterentur deorsum ita, ut aër et aqua terram premerent, itemque partes inferiores ejusdem elementi a superioribus premerentur; et e converso utrum levia *levitarent*. Atque hæc omnia historice dumtaxat descripta sunt, legique possunt fusius exposita apud priscos Auctores (1).

(1) Vide Aristot. (loc. cit.), et S. Thom. (ibidem); Conimbricenses (in libr. 4.us *de Cælo et Mundo*. cap. 4 seqq. quæst. 1.a et 2.a), Rubium (*de Cœl. et Mund.* lib. 3, cap. 8, quæst. 2, et lib. 4,

Quæ cum ita sint, facile intelliges, cur Peripatetici docerent gravitatem esse principium corporibus ipsis intrinsecum: cum enim ad motus naturæ prorsus consentaneos et ad sedem propriam et connaturalem assequendam inclinare censeretur, non poterat non intrinsecum principium importare. Cæterum quoniam duplex distinguitur principium, *quo* et *quod* (1); principium *quo* motus gravium deorsum, seu gravitatem, Peripatetici communissime contra quosdam paucos volebant esse qualitatem realiter a corpore distinctam et veram proprietatem ab ejus natura dimanantem. At circa principium *quod*, seu motorem vel suppositum efficiens talem motum, duæ celebres extabant sententiæ: prima Scotistarum, opinantium ipsum corpus grave, quod movetur, esse principium ejusmodi, quod proinde vere seipsum moveret (2): altera S. Thomæ (3) ac Thomistarum (4) ac plurimorum Nostratum (5), qui e converso arbitrabantur motus

quæst. 1.a et 2.a), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 58, sect. 2), Rhodes (*Philos. peripat.*, lib. 2, disp. 9., Mastrium, de Benedictis, Soarez lusitanum, Lossada, Mayr aliosque in tractatibus propriis *de Elementis*, et Roselli (*Summ. philosoph.* tom. 2, quæst. 16), et alios.

Horum autem quædam capita doctrinæ a quibusdam posteriorum sæculorum Scholasticis in dubium revocata, immo et diserte impugnata sunt. Sic negarunt ignis locum esse in concavo lunæ Quiros (*Curs. Philos.* disp. 74, sect. 11, Soarez lusitanus (*de Gener. et Corrupt.* disp. 4, sect. 4, num. 456), Pontius (*Integer Philos. Cursus*, disp. 5, quæst. 7), Arriaga (*de Gener. et Corrupt.* disp. 4, sect. 5), Lossada (*de Elementis*, num. 30), Mayr (*Philos. perip.*, 3.a part. num. 325). Itemque non solum aërem, quemadmodum plures alii quoque concedebant, verum ipsum etiam ignem gravem esse docuerunt De Benedictis (*Philos. perip.* tom. 3, lib. 6. quæst. 3, cap. 4) Mayr. (loc. cit. num. 324), Lossada (loc. cit. num. 37).

(1) Vide *Ontolog.* num. 307, pag. 1146.

(2) Vide Mastrium, *de Cœlo*, disp. 3, quæst. 2, num. 23, 30 seqq.

(3) S. Thom. (1 p. quæst. 18, art. 2 ad 2.um; 1.a *Contr. Gent.* cap. 97; *Physicor.* lib. 8, lect. 8) cum Aristot. (*Physicor.* lib. 8, text. 33, cap. 4).

(4) Vide Capreolum (2.a dist. 6. art. 3), Cajetanum (In 1.um part. quæst. 18, art. 1), Ferrariensem (In lib. 1.um *Contr. Gent.* cap. 97; et *Physicor.* lib. 8 quæst. 9), Soncinatem (*Metaphys.* lib. 9. quæst. 7), Sotum (*Physicor.* lib. 8, quæst. 3), Joannem a S. Thoma (*Physic.*, quæst. 23 art. 1), Complutenses (*Physic.* disp. 28, quæst. 2), etc.

(5) Vide Suarez (disp. 18 *Metaphys.* sect. 7 a num. 21), Fonseca (*Metaphys.*, lib. 5, cap. 4, quæst. 2, sect. 7), Conimbricenses (*Physic.*

gravium esse refundendos tamquam in principium *quod* in ipsum generantem, qui gravitatem simul cum natura corporibus contulerat. Idque hac ratione probabant: Qui dat *esse*, debet etiam dare quidquid ad naturalem ac debitam dispositionem rei jam inde a primo existentiæ instanti spectat: secus enim causæ naturales in necessariis deficerent. Atqui ad naturalem ac debitam dispositionem gravium jam inde ab eorum existentia, et quamdiudurantu, pertinet, quod sint in infimo loco. Ergo generans debet eis simul cum natura tribuere præsentiam in eo loco, vel tale principium, vi cujus ad locum illum, quotiescumque inde, quavis demum causa vel impedimento, violenter discesserit, cessante tali externo impedimento, moveantur. Quare non solum gravitas, sed ipse quoque motus gravitatis deorsum in causam efficientem corporis gravis refundendus est tanquam in principium *quod*. Et simili modo ratiocinabantur iidem Philosophi de levitate ac motu levium sursum.

Sententia Physicorum,

Hæc tamen doctrina post Copernicum, Keplerum, Galileum aliosque impugnari ac deseri cepta est a physicæ rei tractatoribus, qui nova in medium ad motus gravium explicandos systemata produxerunt: quæ omnia in eo conveniunt, quod principium proximum motus deorsum non in ipso corpore gravi, quod movetur, sed in causa aliqua externa reponant. Primo enim quidam, inter quos Keplerus, Gilbertus et Gassendius a nonnullis (1) recensentur, motum gravium tribuerunt magnetismo terræ vel virtuti cuidam magneticæ, cujus ope a terra attraherentur; hanc enim concipiebant velut ingentem magnetem, qui emissis undique effluviis ad se corpora traheret et alliceret (2); «ad eum modum, inquit Roselli, quo jam pridem Plutarchus (3)

sive veterum, Gassendi,

lib. 8, cap. 4, quæst. 1), Rubium (Ibid. lib. 8, cap. 4, quæst. 2), Toletum (*Physicor.* lib. 2, quæst. 21, etc. etc.

(1) Vide Rhodes (lib. 2, disp. 9. quæst. 1, sect. 2, paragr. 1, *Dico primo*), De Benedictis (tom. 3. lib. 6. quæst. 3, cap. 2), Mayr. (*Philos. perip.* 3.a part. num. 287), Roselli (*Summ. philos.* tom. 2, quæst. 16, art. 1).

(2) Vide Gassendium (*in Animadv. de Physiol. Epic.*, pag. 314 et 464, et in *Physic.* sect. 1, lib. 6. cap. 5; et in Epist. *de motu impresso a motore translato*) apud Roselli (loc. cit.).

(3) Plutarchus in *Quæst. Platon.* cap. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dixerat magnetem emissis effluviis trahere ferrum». Quemadmodum enim magnes ab una facie vel polo attrahit ferrum, ab altero repellit, haud aliter terra gravia quidem ad se rapit, levia rejicit mediis illis effluviis, quæ propterea fingebant Gassendius et ejus asseclæ hamata et uncinata, ut corpora extra terram in alto posita per poros et cavitates quasi per totidem ansas apprehenderent, atque ad illam pertraherent: quæ commenta videntur ex Democriti et Epicuri doctrina manasse, ac dudum descripta reliquerat Lucretius sexto libro sui operis. Cartesius pro Gassendianis effluviis particularum terrestrium posuit particulas subtiliores secundi elementi seu materiæ cœlestis, ex qua nempe sidedera conflata fuerant. Cum nullum admitteret vacuum nec vacui possibilitatem, statuit omnia spatia oppleta esse materia, sive crassiori ac terrena, sive subtiliori ac cælesti, ita ut non possit quidpiam ascendere, quin aliud in ejus locum descendat, ac vicissim. Jam materia subtilior ac cœlestis permeat poros cæterorum corporum, cum iis sese permiscens, ac natura sua sursum ascendere nititur. Et quia plures poros habet aër, quam corpora solida, plus etiam materiæ cœlestis in se continet, quam illa, et consequenter etiam aër ob majorem istam cœlestis materiæ vim, quam in se continet, vehementius urgebitur ad ascendendum, quam quælibet corpora solida. Ergo si quod corpus solidum versetur extra terram in aëre, debebit versus illam ruere; cum enim aër circumstans vehementius urgeatur ad occupandas superiores regiones, nec possit illas occupare nisi descendente corpore solido, necesse est, ut hoc cedat loco, et in terram ruat; fere sicut cum miscentur liquores diversæ densitatis, oportet, ut densiores in imum demittantur, levioris cæteris innatent (1). Sic ergo ex mente Cartesii motus gravitatis debentur, non virtuti alicui vel principio insito, sed turbinibus materiæ cœlestis, sursum ascendere, secumque alia corpora, quæ penitus pervadit, asportare nitentis.

Cartesii aliorumque.

Posterioribus temporibus in locum cœlestis materiæ a Cartesio invectæ, suffectum est fluidum subtilissimum, sive

sive recentiorum.

(1) Vide Cartes., *Princip.* part. 4, num. 23. Cfr. num. 19 seqq., num. 24 seqq.

æther, sive materia quædam *ultramundana*, sive aliquod aliud, spatia cælestia, immo et corpora omnia per poros permeans, cujus undulationibus ac motibus corpora abripiantur, ac versus terram urgeantur. Sic rem explicarunt inter alios Huyghens, Du-Hamelius, Leibnitzius (1), et Newton (2), Nicolaus Fatius, Le Sage, Lamé, Daguin, Challis, G. Thomson, Secchi et Moigno, quorum sententiæ singillatim expositæ videri possunt apud Joann. Antonium Zanon, Vincentium Liverani et Stallo (3). Hi tamen scr ptores, ut leges attractionis corporeæ, certa inductione compertas, explicent, alias et alias fingunt hypotheses circa naturam motus atque energiam illius subtilissimi fluidi, quas non possumus hic minutatim recensere. Alii enim ad undulationes longitudinales ætheris, spatia et interstitia omnia replentis, alii ad diversam pressionem ejusdem, alii ad vortices vel turbines æthereos, alii ad conflictus æthereorum atomorum cum materia ponderabili, ex quibus illa versus alia corpora trudatur, et impellatur, confugiunt, omnino prout quisque arbitratur necessarium esse ad phænomenorum legumque, quibus gravitas et attractio corporea regitur, reddendam rationem. Omnes istæ sententiæ, ut vides, motum gravitatis adscribunt causæ vel principio distincto et a corpore ipso, quod movetur, et ab alio, versus quod movetur.

Sententia aliorum recentiorum.

Postrema restat exponenda sententia gravissimorum scriptorum recentiorum, qui attractionis principium proximum *quo* existimant esse qualitatem seu virtutem, quæ resideat non in corpore ipso, quod movetur versus aliud, sed in illo alio, versus quod movetur. Videlicet statuunt in corporibus agnoscendam esse virtutem, non qua sese sponte ad alia transferant, sed qua alia ad sese attrahant: quare ideo gravia

(1) Apud Roselli, *Summ. philos.* tom. 2, quæst. 16, art. 2, num. 593.

(2) Qui tamen non semper eodem modo gravitatis causam declaravit. Vide Zanon (*Analisi delle ipotesi fisiche*, num. 15).

(3) Zanon (opere nup. cit., num. 18, 27, 36, 37, 65 seqq.), Liverani (*Sui principi supremi* etc. num. 261 seqq.), Stallo (*La Matière et la Physique moderne*, chap. 5) Hæ porro sententiæ similes sunt illi, quam dudum retulerat ex Aristotele S. Thomas (*de Cælo et Mundo*, lib. 1, lect. 18 initio).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deorsum ruunt, quia a terra ad se attrahuntur. Itaque neque *gravitatio* corporum versus centrum, neque generatim mutua quorumlibet corporum attractio est re vera motus immanens, sed extrinsecus ab alio motore impressus. Quoniam autem actio in distans repugnat, corpora distantia exercere attractionem nequeunt, nisi per medium interjectum agendo in alia corpora eaque ad motum determinando. Hoc pacto rem declarant inter alios Rev. D. Rubbini (1), et cl. Zanon (2). Paululum ab hisce recessisse videtur cl. Van der Aa, qui studio forte veteres Philosophos eam recentioribus conciliandi permotus, ad attractionem explicandam plura requirit: «α) qualitatem in corpore attrahendo, qua disponatur ad appropinquationis motus versus aliud corpus, β) actionem attrahentis in attractum per medium aliquod, passionem attracti seu receptionem in eo actionis attrahentis seu nisus, δ) motum attracti versus attrahens, orientem *ex attracti qualitate nunc in actum excitata*. Hinc sequitur tribuendum fore motum attracti ejus *qualitati prædisponenti ut causæ proximæ*, cæteris ut causis remotis vel ut conditionibus» (3). Unde etiam probare contendit phænomena attractionis specialis et gravitationem universalem explicanda *potissimum* esse per *qualitatem corporis attracti*. Eamdem doctrinam videtur tenere cl. Liverani (4), ac prius præformaverat P. Joannes M. Cornoldi (5).

378. Propositio 1.a **Motus gravium et generalis corporum attractio explicari nequit per effluvia Gassendiana, nec per turbines motusque ullius materiæ ab ipso corpore, quod attrahitur, et ab alio, versus quod attrahitur, distinctæ.**

Motus gravium explicari nequit per effluvia Gassendiana.

Prima pars non multis eget, ut probetur. Nam α) supponit effluvia terrestria esse hamata et uncinata, corpora vero ansulis annulisque prædita esse, per quos apprehendantur, ac versus terram attrahantur: quo nihil magis

(1) *Lezioni elementari di Fisica*, lez. 3, num. 5, 13.
(2) Oper. cit. num. 67.
(3) Van der Aa, *Cosmolog.*, propos. 36, *Status quæstionis*.
(4) Oper. et loc. cit.
(5) *Lezioni di Filosofia*, lez. 33, pag. 190. firenze 1872.

gratuitum magisve ridiculum fingi potuit. β) Deinde interrogare licet, curnam effluvia illa ascendant, donec corpora gravia inveniant, et tunc illico quasi præda potiti remeare gestiant ad terram, unde fuerant emissa. γ) Præterea explicari nequit in Gasendiano commento, cur motus gravium uniformiter acceleret, quo magis terræ appropinquant.

nec per turbines cartesianos, nec cæteris modis a recentioribus excogitatis.

Secunda pars est contra Cartesium et cæteros, attractionem medio motu et impulsibus externi fluidi explicantes. 1.° cartesiani turbines vel vortices ætheris gratis conficti sunt. 2.° Omnes istæ hypotheses fere materiam discretam, et non continuam, falso supponunt, quemadmodum alias ostensum est. 3.° Intelligi nequit, multoque minus rationibus probari, quomodo atomi ætheris libere penetrent quaquaversus materiam corporum ponderabile, eamque semper linea recta impellant versus centrum terræ vel massæ, et quomodo tam ordinate et composite peragantur motus vel turbines vel undulationes vel conflictus ætheris, ut uniformi acceleratione corpora impellant ad terram. 4.° Multo minus explicari potest, quomodo in hisce conflictibus atomorum ætherearum cum corpore energia earum nunquam extinguatur, sed semper conservetur perenniter, prout necesse est ad phænomenum constantissimæ attractionis declarandum. Haud equidem ignoro plures inventas esse hypotheses sive atomorum perfecte elasticarum, sive etiam non elasticarum quæ aliis præsidiis juvarentur, ut amissam in conflictu vim et energiam totam recuperarent (1): sed omnes minus idoneæ repertæ sunt, etiam fatentibus ipsis naturalium scientiarum peritis (2). 4.° Accedit, quod actio attractionis corporeæ

(1) Vide Rev. Jos. Rubbini (in opusc. *Calore e movimento*, paragr. III seqq. et paragr. XI et XII), cl. Liverani (*Sui principî supremi* cap. 27 a num. 69. et cap. 28). Cfr. Stallo (oper. cit. chap. 4).

(2) «La frivolité de la théorie de la Sage, inquit Stallo, est manifestée de la façon la plus frappante par Clerk Maxwell qui l'éprouve par le principe de la conservation de l'énergie. Si les corpuscules ultramondains heurtant les corps sensibles sont parfaitement élastiques et rebondissent avec la même vitesse qu'ils avaient en s'approchant, ils emporteront leur énergie avec eux dans les régions ultramondaines». Dans ce cas «les corpuscules rebondissant du corps dans une direction donnée quelconque seront en même nombre et auront la même vitesse que ceux qui sont empêchés d'aller dans

procul distat ab actionibus aliis physicis, quæ ope ætheris exercentur, aut propagantur. Nam in primis α) velocitas attractionis, si fidem habeamus peritissimis harum rerum viris est longe rapidior, quam velocitas ipsius lucis (1). β) Deinde actio attractiva, secus ac reliquæ actiones, in ipsa corpora interpositu aliorum corporum separata exercetur. γ) Reliquæ actiones obnoxiæ sunt reflexioni et refractioni, et componi invicem queunt, dum medio æthere transmittuntur; at vero attractio nihil horum patitur, sed semper integra pergit recta via, quasi nullum aliud corpus medium interesset. γ) Demum attractio, contra ac fieri videmus in aliis actionibus, independens est a natura et contextu corporum, circa quæ exercetur (2).

---

cette direction parce qu'ils sont réfléchis par le corps, quels que soient la forme et le nombre des corps qui sont dans le champ». Stallo (oper. cit. chap. 5, parg. 43). Cfr. el. (Zanon oper. cit., num. 65, pag. 228, 229).

(1) «Quando le azioni attrattive, inquit cl. Liverani ex Hirnio, impiegassero tempo in propagarsi, questo, secondo Laplace e Pontécoulant, sarebbe infinitamente breve: cioè si propagherebbero con una velocità 100 milioni di volte superiore a quella, con cui si propagano i raggi luminosi. Liverani, oper. et loc. cit. num. 264, pag. 468.

(2) Audi J. B. Stallo. «Il y a... un manque complet d' analogie, sous ce rapport, entre l' action de la pesanteur et les autres modes connus de l' action physique qui sont rapportés à des ondulations de l' éther, tels que la lumière, la chaleur rayonnante et l' électricité qui toutes se propagent avec une vitesse définie. De plus, comme M. Taylor l' a observé, d' autres traits de la gravitation font naitre la presomption qu' elle est d' une nature essentiellement différente de celle des autres formes de l' action rayonnante. L' action de la pesanteur n' est nullement susceptible d'être interrompue par l'interposition d'un obstacle, ou, comme l'a dit Jevons, «tous les corps y sont, pour ainsi dire, absolument transparents», sa direction est en ligne droite entre les centres des masses qui s'attirent aux formes de cohésion, capillarité, affinité chimique et attraction électrique ou magnétique, elle est incapable d'épuisement, ou plutôt de saturation, tout corps attirant un autre corps quelconque proportionellement à sa masse; elle est tout à fait indépendante de la nature du volume, ou de la structure des corps entre lesquels elle se manifeste, et son énergie est invariable, incessante et inépuisable.» Stallo, oper. cit., chap. 5, pag. 41.

379. PROPOSITIO 2.a **Motus gravium et attractio corporea non procedit ex principio aliquo vel qualitate activa ipsi corpori, quod versus aliud fertur, insita, prout veteres Scholastici arbitrabantur.**

Motus gravium et attractio corporea nequit explicari per vim ipsis corporibus, quæ moventur, insitam.

Probatur 1.° Sententia veterum Scholasticorum α) supponit terram esse centrum attractionis corporum gravium, propterea quod ipsa medium spatii cælestis occupare censeretur; itemque supponit locum ac sedem propriam, connaturalem ac debitam corporibus gravibus, esse terram vel centrum ejus, quod coincidat cum centro spatii cælestis. β) Et nisi id supponatur, videtur non posse prædicta sententia sustineri. Atqui suppositum istud communi jam calculo et a philosophis et naturalium scientiarum tractatoribus reprobatur, et rejiciendum esse ostenditur. Ergo...

Minor probatione non indiget.

Major quoad primam partem α) constat tum ex præmissa superius peripateticæ sententiæ expositione, tum etiam ratione. Quia hoc fere modo argumentabantur Doctores illi ad asserendum gravibus principium intrinsecum sui motus deorsum, quemadmodum jam superius innuimus: «Unicuique rei debetur naturalis proprietas, et præterea virtus eam reparandi, si forte ab extrinseco ea violenter spolietur. Locus autem deorsum proprius est, ac naturaliter debitus gravi. Debuit ergo grave a natura instrui viribus, quibus possit locum suum reparare, si quando ab eo removeatur» (1). Ubi plane vides supponi id, quod in Majoris prima parte dixeramus.

Probatur ergo Major quoad alteram partem β). Si terræ centrum non sit propria sedes ac locus gravium, ratio non est, cur ex ipso naturæ impetu debeant eo ferri, sed plane indifferenter se habebunt, quantum est de se, sive ad eum sive ad quemlibet alium. Sicut generatim omne ens indifferenter se habet ad eas affectiones et accidentia, quæ non necessario connectuntur, nec vindicantur ab ejus natura. Atqui nullum ens habet insitum naturaliter principium eorum motuum et affectionum, ad quæ

---

(1) De Benedictis, loc. cit. lib. 6, quæst. 3, cap. 2, paragr. 1 fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

indifferenter se habet. Ergo si terræ centrum non est naturalis locus debitus gravibus, non recte assignatur eis intrinseca et connaturalis virtus ac principium sui motus deorsum.

Prob. 2.° propositio. Admissa falsitate prædicti suppositi, cui sententia veterum innitebatur, si gravibus asseritur intrinsecum principium, quo se versus terram moveant, motus ejusmodi vitalis dicendus esset. Atqui hoc absurdum est. Ergo...

Prob. Major. Motus immanens, qui non tendat ad recuperandum statum vel dispositionem connaturalem, a quo subjectum violenter fuerit remotum, sed qui supposito statu connaturali, ulteriorem aliquem terminum vel perfectionem subjecto acquirit, est motus vitalis, proprius dumtaxat viventium, prout communissima tenet Scholasticorum sententia, uberiusque declarandum in *Psychologia* erit. Atqui talis est motus gravium, si ab interno eorumdem principio procedit. Cum enim terræ centrum non sit locus connaturalis gravibus, motus eorum deorsum reapse non tendit ad assequendum statum sibi natura debitum; sicut tendunt v. g. elastica, cum per pressionem, torsionem vel tractionem ab externa causa provenientem, consentaneam suis moleculis dispositionem invita amiserint. Ideo S. Thomas (1), aliique Scholastici, cum sibi contra communem conceptum vitæ objicerent exemplum corporum gravium, quæ videntur seipsa movere, videlicet ex interno gravitatis principio versus terram ferri; eam aptabant responsionem, corpora, licet ab interno principio sibi inherente se moverent deorsum, non tamen vivere, quia motus ejusmodi ad recipiendum statum ac dispositionem connaturalem, nempe debitum situm locumve in terra diriguntur. Quoniam ergo ratio hæc falsa postmodum deprehensa est, non possumus gravibus principium intrinsecum sui motus tribuere, nisi velimus simul etiam vitales operationes in illis agnoscere.

Dices 1.° Etiamsi tribuatur gravibus principium internum sui motus, necesse non erit vitam quoque illis asserere, si dicatur cum veteribus Thomistis contra Scotistas, ut superius innuimus, motum corporum deorsum tribuendum

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 18, art. 1, ad 2.um

esse ipsi generanti vel causæ illorum efficienti, tamquam principio *quod;* tunc enim motus ille non esset proprie immanens dicendus.—**Respondeo**, admissa ea veterum doctrina, quæ tenet motum gravium esse naturalem ac debitum illis, quia nempe terra est eorumdem locus ac domicilium proprium, recte quidem refundi motum hujusmodi in causam efficientem gravium; nam ipse generans jure merito dicitur causa tum naturæ et existentiæ, tum proprietatum et dispositionum connaturalium, quæ debentur illi. Si autem doctrina illa falsa est, motus gravium deorsum non magis tribuenda est ipsi causæ illorum efficienti, quam hæc mea scriptio patri meo.

Dices 2.° ex sententia præclari P. Van der Aa, ad hoc ut corpora ex interno principio gravitatis moveantur, prius requiri excitationem extrinsecus advenientem, quam nisi prius in se recipiant, non possunt seipsa movere.—**Respondeo.** Si corpus vel ex sola sua insita virtute, vel certe potissimum ex ea moveatur, quamvis indigeat extrinsecus accepta excitatione vel determinatione, non desinet motus illius esse vitalis: quemadmodum non desinit intellectio vel sensatio esse actus vitalis, quamvis indigeat specie vel determinatione se tenente ex parte objecti.

Prob. 3.° Attractio *corporum* non solum exercetur versus terram motu, qui dicitur gravitatis, sed etiam inter ipsa corpora terrestria, quemadmodum probant Physici certis experimentis. Id quod videtur ostendere attractionem gravium versus terram non esse nisi casum particularem generalis attractionis, qua corpora omnia, alia versus alia, feruntur. Atqui attractio generalis corporum non peragitur, ex eo quod singula corpora *seipsa* ex interno principio immanenter moveant versus alia, sed ex eo quod se invicem attrahant. Ergo corpora etiam gravia ideo in terram ruere dicenda sunt, quia ab illa attrahuntur, non vero quia ipsa *tendunt* ad illam.

Minor probatur ex illa lege attractionis corporeæ, secundum quam *intensitas attractionis corporis cujuslibet est suæ massæ proportionalis.* Unde secundum hanc legem idem corpus ad eamdem distantiam vehementius fertur versus aliud corpus majoris, quam minoris massæ. Atqui hoc phænomenum facile explicatur, si ponamus attraccionis motum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deberi, virtuti vel qualitati, qua unum corpus ab alio trahatur; nequit autem explicari, si motus ille peragatur ex interno principio vel virtute, qua corpus *seipsum* moveat, vel *vadat* versus aliud. Quomodo enim idem corpus cum eadem virtute interna motiva *se fert* majori intensitate erga corpora majora et densiora? Præterea si datur attractio generatim inter omnia corpora, undenam vel quomodo determinantur singula illa, ut versus unum dumtaxat, aliis omnibus relictis, tendant?

Dices forte, ad mentem ejusdem cl. P. Van der Aa, id provenire ex actione vel excitatione ab externis corporibus proveniente.—**Verum** excitatio vel actio ab omnibus indiscriminatim corporibus procedit et in corpore attracto recipitur: qua ergo occulta sympathia fit, ut licet quodvis corpus ab omnibus aliis, saltem ab iis, quæ ad justam distantiam posita sunt, ad motum alliciatur, versus unum eorum dumtaxat se moveat?—**Repones** corpus versus illud tandem moveri, a quo prævalentem excitationem determinationemve recipit.—**Atqui, equidem inquam**, id manifesto indicio esse videtur, ab externis corporibus non qualemcumque excitationem imprimi, sed determinationem activam, quæ vera causa efficiens attractionis dicenda est. Sane in agentibus naturæ ad distinguendum verum influxum causalem a mera conditione, illud solet a Philosophis probabilissimum criterium adhiberi, eam rem habendam esse veram alicujus effectus causam, cum qua effectus ita servat proportionem, ut ea sola variata, licet cætera omnia eadem permaneant, varietur ipsamet entitas vel gradus perfectionis in objecto (1). Si ergo idem corpus cum omnibus suis virtutibus ac proprietatibus in eadem distantia a variis aliis positum, vehementius aut minus vehementer omnino pro majori aut minori massa illorum attrahitur, signum est eum motum atractionis, non ipsi corpori, quod movetur, sed illi, versus quod movetur, tamquam causæ vere efficienti tribuendam esse.

Probatur 4.° Ex ea lege, secundum quam compertum atque exploratum est motum gravium constanter accelerare in singulis temporis unitatibus vel mensuris ita, ut spatia

(1) *Cfr.* dicta in *Ontolog.* num. 382, pag. 1086.

quæ percurrunt servent inter se proportionem numerorum imparium, 1, 3, 5, 7, 9, etc. Atqui si motus gravium provenit ex insita quadam virtute ipsorum, phænomenum istud explicari nequit. Nam virtus insita et naturalis semper eadem est, et eamdem semper exerit, quantum est de se, activitatem: id plane cernis in igne, qui quia comburit ex interna virtute, quamdiu idem ignis perseveret, eadem efficacitate comburit. Contrarium omnino manifeste intuemur in gravium attractione. Quæ probatio eo magis urget, quo certius est corpora ab alto ruentia, majora et majora in via offendere ad descensum et accelerationem obstacula ex aëris interpositu, qui majorem pressionem densitatemve habet in inferioribus, quam in superioribus stratis. Unde in maximas angustias redacti sunt Scholastici, ad phænomenum istud accelerationis gravium explicandum, ut videre est apud Conimbricenses (1) et alios veteres scriptores (2). Non diffitebor Doctores illos omisisse vel non considerasse opinionem nostram, quam in sequenti propositione tuebimur, et apud eosdem eam præ cæteris ad phænomenum istud declarandum, invaluisse doctrinam, quæ causam uniformis accelerationis in ipso interno principio gravitatis reponeret; putabant enim *produci per motum in gravi* semper *majorem ac majorem impetum* usque ad terminum accelerationis, qui proinde impetus motum ipsum accelerare faceret. Verum hæc opinatio in primis contra se habet instantiam superius factam ignis et reliquarum causarum naturalium, quarum virtutes naturales non augescunt exercitio: quia sunt proprietates a natura necessario manantes, atque adeo jam inde ab initio habent totam suam perfectionem, quam naturaliter possunt habere. Deinde intelligi nequit, quomodo per motum ipsum localem, qui certe non est principium activum, ut superius notaveramus, impetus augescere valeat. Præterea si motus habet ejusmodi efficacitatem, cur motus projectorum

(1) Conimbricenses (*de Cœlo et Mundo* lib. 2, cap. 6, quæst. 1).
(2) Vide Rhodes (lib. 2, disp. 9, quæst. 2, sect. 3, paragr. 1), De Benedictis (t. 3, lib. 6, quæst. 3, cap. 3), Mayr (oper. cit. part. 3, num. 580 seqq.) Cardin. Ptolomæum (*Physic. generalis*, dissert. 15, sect. 2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam non auget impetum prius ab externo agente impressum? Dices forte motum gravium deorsum esse naturalem, sursum autem violentum.—Atqui hoc ipsum principium communiter admissum a veteribus, aperte supponit terræ centrum esse locum ac dispositionem naturalem corporum gravium, quod suppositum si falsum est, ut falsum esse communi jam calculo comprobatur, necesse est, ut idipsum, quod tali supposito innititur, falsum habendum sit.

Prob. 5.° Denique doctrina ista excluditur quodam phænomeno apud Physicos certissimo et explorato: atque inde nova eaque validissima probatio ad propositionem istam confirmandam repeti potest. Docent nempe Physici ex certa experientia directionem motus gravium, cum prope adest moles aliqua grandior vel magnus mons, versus illum deviare. Atqui hujus phænomeni vix ulla reddi ratio potest, si motus gravitatis ab insito principio procedat. Itaque censeo veterum sententiam circa principium corporeæ attractionis causamque gravitatis in præsenti scientiarum statu sustineri non posse.

380. Propositio 3.ª **Principium activum motus gravium, et generatim corporeæ attractionis, in externo corpore, versus quod corpus aliquod fertur, ac movetur, reponendum est (1).**

Principium motus gravium et attractionis corporeæ in externo corpore, versus quod corpus aliquod fertur, reponendum est.

Prob. 1.° per exclusionem aliarum sententiarum. Nam causa motus ejusmodi vel est corpus attrahens, vel corpus attractum, vel fluidum aliquod medium: nemo enim, puto, ad rem istam declarandam ad Deum vel angelos confugiet. Atqui nequit dici secundum, nec tertium, ut in præcedentibus propositionibus ostensum est. Ergo primum eligere oportet.

Prob. 2.° Sententia hæc lucidissimam reddit phænomenorum ac legum, quibus attractio corporea regitur, rationem: nullaque alia præterea, ut jam vidimus. Ergo hæc præ cæteris omnibus amplectenda est.

(1) Hanc sententiam sequuntur nobilissimi scriptores recentiores, quos postremo loco recensueram, et forte ad eam revocari posset, detractis materialisticis commentis, opinio veterum Physicorum, qui attractionem corporum instar attractionis cujusdam magneticæ declaratam volebant.

Prob. antec. Doctrina ista α) declarat egregie, cur intensitas attractionis proportionem servet cum massa corporis attrahentis. Nam si attractio peragitur ope virtutis, quæ in singulis partibus corporis attrahentis sita sit, planum est, quo major massa ejusdem existat, eo validiorem esse debere attractionem. β) Explicat pariter, cur intensitas attractionis in quolibet corpore servet proportionem inversam cum quadrato distantiarum. Et ratio est, quia virtus corporis attrahentis non exercetur in corpus distans nisi per medium interjacens, nec in unum dumtaxat corpus exercetur, sed in omnia prorsus circunstantia et in ipsum medium. Supponatur ergo corpus attrahens, quasi esset punctum; nam ea Mechanicorum doctrina est, sphæram uniformi virtute attrahendi per totum suum volumen præditam, attractionem eo modo peragere, ac si partes illius essent omnes in centrum coactæ. Itaque si ex attrahente corpore, quasi ex punto describi fingamus duas superficies sphericas, alteram cum radio 1, alteram cum duplo majori 2; eadem virtus et actio corporis attrahentis, quæ exercetur circa partes in superficie minoris sphæræ contentas, eadem ipsissima similiter exercetur circa partes omnes positas in superficie majoris sphæræ. Jam superficies unius sphæræ est quater major, quam superficies alterius sphæræ cum radio duplo minori generatæ, et novies major, quam superficies radi triplo minoris, et ita porro; ex illo nempe Geometriæ theoremate, secundum quod superficies duarum sphærarum sunt proportionales quadratis radiorum. Hinc sequitur in superficie majori contineri numerum partium ejusdem dimensionis quater, novies, etc., majorem, quam in alia superficie radii duplo, triplo, etc., minoris. Si ergo una eademque virtus et actio ex corpore attrahente, quasi ex centro, diffundatur in alias et alias sphæras majores, quoniam in majoribus dispertienda et distribuenda est circa superficies latiores ac latiores secundum quadrata radiorum, videlicet distantiæ corporis attrahentis a corporibus attrahendis, oportet ut in latiori superficie magisque distanti a centro attractionis, intensitas minor ac minor esse debeat secundum quadrata radiorum vel distantiarum. Nempe intensitas attractionis in quolibet corpore respectu ejusdem massæ inversam servat proportionem

cum quadrato distantiarum (1). γ) Tertio non minus facile explicatur constans acceleratio corporum versus terram ruentium. Si enim ponatur in corpore attrahente virtus et qualitas jugiter agens in corpus attractum, actio ejusmodi continuata neccessario debebit accelerare motum ejusdem; quia in eodem corpore, in iisdem adjunctis constituto, motus proportionem servare debet cum impulsu et virtute: si ergo terra jugem virtutem motivam imprimit gravibus, ea trahendo ad se, motus non poterit non constanter accelerare, quia vis terræ attractiva singulis instantibus agit, vel potius actionem suam novis impulsibus iterat. δ) Denique simili modo aliorum quoque phænomenorum egregia redditur ratio; intelligitur videlicet actionem gravitatis minus validam in æquatore, validiorem esse in polis. Ut enim nunc omittam vim centrifugam, actioni gravitatis contrariam, nullam esse in polis, summam in æquatore; radius terræ brevior est in polis, ac proinde minor distantia superficiei a centro terræ. Quare attractio terrestris, utpote quæ exercetur quasi vis attractiva terræ tota in centro collecta delitesceret, validior esse debebit in polis, quam in æquatore. Intelligitur denique, directionem gravitatis in corpore ruente deviare debere, si prope stet mons ingentis molis. Quia nempe tum corpus grave duabus simul viribus attractionis sollicitatur, terræ ac montis: cum ergo nequeat simul directionem sequi, quam utraque hæc causa postulat, resultantem sequatur, oportet. Deviato ejusmodi, cum nulla prope reperitur grandior moles, sentiri atque animadverti non potest; quia quamvis omnia corpora, sive magna sive parva, pro sua quodque efficacitate ac virtute, attractionem circa alia indiscriminatim exerceant, verum attractio parvarum molium præ terræ attractione tam exigua est tamque infirma, ut nequeat vim illius perturbari nisi in levissimo gradu, qui oculorum, immo et mentis ac rationis, aciem penitus effugiat.

Prob. 3.° Confirmari etiam ex eo potest propositio, quod nisi hanc teneamus sententiam, vel ad inanes illas et gratuitas recentiorum hypotheses confugiamus; explicari non possit, quomodo generalis attractio corporum et motus

(1) Cfr. Rubbini, *Lezioni elementari di Fisica*, lez. 3, num. 3.

gravium non sint actus vitales; quemadmodum superius declaratum manet.

Dices. Causa immediata motus in attractione excogitabilis esset vel extrinseca corpori attracto vel intrinseca. Et extrinseca quidem foret α) aut Deus, β) aut spiritus, γ) aut agens corporale; intrinseca vero, vel δ) esset talis, ex qua motus non posset sequi, nisi prævie recepta actione aliqua ex attrahente, vel ε) talis, ex qua posset etiam motus dari absque ulla ejusmodi determinatione. Atqui nequit esse α) Deus, nec β) spiritus, quia quæ per causas materiales fieri queunt, non est dicendum fieri a Deo solo vel a spiritibus: nec γ) agens corporale, quia corporale agens extrinsecum non movet nisi per impulsum mechanicum; attractionis autem motus nequit ad impulsum mechanicum reduci: nec dinique δ) potest esse causa immediata motus attractionis virtus vel qualitas intrinseca corpori attracto, quæ moveat absque ulla determinatione illi a corpore attrahente impressa; quia secus nulla esset ratio, cur versus unum potius, quam versus aliud moveretur. Ergo concludendum est causam immediatam attractionis sitam esse in qualitate corpori attracto insita, quæ tamen nequeat in actum secundum transire, nisi accepta prius determinatione aliqua ex corpore ipso attrahente. En totam argumentationem cl. Patris Van der Aa.

Resp. conc. Majorem argumenti, et eligo primum membrum; jam enim probavimus attractionem non esse actionem immanentem, sed transeuntem, ejusque causam esse non Deum, nec spiritus angelicos, sed corpora ipsa, versus quæ corpus attractum fertur, quæ propterea recte vocantur *attrahentia*. Nec obstat ratio, quæ contra objicitur, nempe quod tunc attractio foret motus effectus per *impulsum mechanicum*. Quid enim alium hæc vox in hac materia, ubi sermo est de principio motus pure localis, significare valeat præter *impulsum extrinsecus acceptum*, atque adeo præter impulsum, cujus effectus futurus sit motus quidam *non naturalis* in propia hujus vocis acceptione, vel *non consequens ex positiva rei propensione et exigentia*, equidem non video. Jam vero attractionem esse motum ejusmodi, ac proinde causam agnoscere, non ingenitam quamdam virtutem ac propensionem corpori attracto inhærentem, sed impulsum extrinsecus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impressum, abunde, ni vehementer fallor, probatum manet in superioribus, nec contrarium probat ullo argumento præclarus scriptor. Donec ergo solidi aliquid in medium afferatur, quo errorem nostrum dedoceamur, omnino tenendum esse putamus, attractionem deberi tamquam principio proximo *impulsui mechanico* in sensu explicato, actioni videlicet extrinsecus provenienti, quamvis proprie nomen *impulsus* videtur magis significare virtutem, qua motus a tergo imprimitur.

Quare cæteris *concessis* vel *transmissis: negamus* membrum γ) Minoris, ejusque probationem.

Describitur indoles virtutis et actionis attractivæ.

381. Quæ cum ita sint, haud operosum erit indolem et ingenium virtutis et actionis attractivæ describere. Virtus ista est 1.° qualitas quædam communiter reperta in omnibus corporibus, proportionem servans cum massa cujuslibet. 2.° non determinat ad motum corpus ipsum, in quo est, sed alia: unde non est principium actionis immanentis, sed transeuntis, et in hoc sequitur indolem aliarum activitatum corporearum, quæ non operantur in subjectum, cui insunt, sed in aliud: sicut ignis v. g. non comburit se, sed alia. 3.° Quoniam actio in distans repugnat, virtus attractiva nequit corpus procul dissitum attrahere, nisi agendo in illud per medium interpositum, fere sicut ignis et aliæ causæ naturales nequeunt attingere virtute sua corpus distans, nisi diffundendo actionem per medium (1). Hunc modum attractionis agnoverunt Scholastici in magnete, ferrum attrahente, cujus attractionis principium proximum, contra quorumdam aliter sentientium opinionem, reponebant in qualitate quadam magnetis propria. Hac præditus virtute magnes agit in ferrum per medium aërem, et imprimit illi qualitatem motivam. Virtutem istam magneti asseruit non uno in loco S. Thomas (2), et communiter Scholastici: quod pariter censuerunt de succino vel electro etc. (3). Ita ergo

(1) Cfr. *Ontolog.* num. 402, 403, pag. 1157 seqq.

(2) Vide v. g. *de Verit.*, quæst. 5, art. 10, o 5.um; quæst. *de Anim.*, art. 1 vers. fin.; 4.° dist. 33, quæst. 1, art. 1 initio; 3.° *Contr. Gent.* cap. 92. *Consequitur autem* etc.

(3) Vide Conimbricenses (*Physicor.* lib. 7, cap. 2, quæst. 1, art. 3). Suarez (disp. 18 *Metaphys.*, sect. 8, num. 36-38), Rhodes (lib. 2, disp. 10, *quæst.* 1, sect. 5, paragr. 1), etc.

per analogiam ad attractionem magneticam possumus dicere corpora omnia communiter prædita esse virtute quadam vel qualitate aliorum motiva vel tractiva, quam exercent immediate in corpora, quæ contingunt, hisque mediis ad alia et alia diffundendo suam actionem: terminus porro formalis hujus actionis tractivæ est, qualitas quædam quæ corpori attracto imprimitur, et illico motum ejus determinat versus illud, unde talis actio processerat. Quæ quidem qualitas occulta est sensibus, verum tum ex probatis hactenus, tum ex disputatis de causa motus projectorum probabilissima, puto, argumentatione colligitur. Non est proinde necesse discrimen statuere inter magnetem et reliqua corpora in modo attrahendi, sed tantum in termino attractionis; quia magnetica est quasi electiva, et solum exercetur circa certum genus corporum; quare speciem quamdam præ se fert affinitatum chimicarum, quæ non existunt in corporibus indiscriminatim respectu omnium, sed respectu aliquorum dumtaxat corporum. Attractio vero generalis, ut notum est ex Physicorum experimentis, inter omnia corpora exercetur; atque ita exercetur, ut corpora ipsa solida pervadat, ac transiliat, et sic ea quoque attingat, quæ a corpore attrahente interjectu alterius separata sunt. 4.° Quamobrem id, quod superius docuimus de corporibus projectis, ea nempe moveri propter qualitatem (*impetum* vel *nisum* vocant) eis a motore impressam, idipsum de corporibus attractis et gravibus dicendum est, non enim ad motum determinantur, nisi accepta ex attrahente qualitate quadam, quæ principium est illius motus: quidquid sit de nomine, quo qualitas ejusmodi appellanda sit. 5.° Ex quibus omnibus illud, ni vehementer fallor, consequitur, motum gravium non posse dici *naturalem* in proprio sensu vocis, quatenus nempe ista vox denotat id, quod debitum est vel consentaneum positivæ inclinationi rei. Veteres quidem ita sentiebant, nec aliter sentire poterant, cum existimarent gravitatem esse principium internum inclinans ad motum deorsum (1). Unde motum gravium opponebant projectis, quæ moventur quidem, sed ex impulsu extrinsecus accepto, ideoque non naturaliter, immo vero quæ sursum projiciuntur,

Discrimen inter attractionem magneticam et generalem corporum attractionem.

Motus gravium versus terram non est naturalis in proprio sensu vocis.

(2) Vide v. g. S. Thom., *de Verit.*, quæst. 22, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nec motus projecturum proprie dici potest violentus.

putabantur moveri *violenter*, id est contra naturalem inclinationem, qua versus terram urgentur. At si vera sunt, quæ in superioribus adstruebamus, motus gravium deorsum non magis naturalis dicendus est, quam motus projectorum, nec vicissim hic illo violentior; quia uterque est ab impetu extrinsecus impresso, cum omne corpus sit perfectissime *iners*, seu incapax *se localiter movendi* absque determinatione ac virtute, ab externa causa præter exigentiam suæ naturæ sibi communicata.

ARTICULUS III.

De raritate ac densitate.

Quid rarum ac densum.

382. Hæc quoque una ex iis quæstionibus est, quæ jam inde ab antiquissimis temporibus non parum sapientium vexaverunt ingenia, inque diversas distraxere sententias. Ut ex Philosopho desumitur (1), *densum... et rarum in hoc differunt, quod in raro parum est de materia sub magnis dimensionibus, et in denso multum sub parvis* (2); ubi magnas et parvas dimensiones intellige spatium, quasi dicatur rarum id quod in magno spatio habet parum materiæ, ac vicissim densum. Parum autem et multum materiæ, intelligitur respective ad spatium; unde si eadem materia majus incipiat occupare spatium, quam prius, rarefit, si autem minus, densatur. Hanc rari densique descriptionem communissime amplectuntur Philosophi, quamvis non eodem modo explicent pro varietate opinionum circa rarefactionis et condensationis phænomena. Raritas est *forma denominans* rarum, vel sub magnis dimensionibus habens parum materiæ; ac densitas, *forma denominans densum*, nempe sub parvis dimensionibus habens multum materiæ. Actio, per quam materia rarescit, vel magnas dimensiones acquirit, dicitur rarefactio, quasi motus ad raritatem: ut cum in machina pneumatica expellitur maxima pars aëris; quæ remanet, rarefacta est, quia cum prius solam portionem campanæ occuparet, nunc per totam diffunditur, ac proinde majores dimensiones comparavit. E

raritas ac densitas.

rarefactio

(1) Aristot., *Physicor.* lib. 4, cap. 9, text. 84.
(2) S. Thom. 2.ª dist. 30, quæst. 2, art. 1 corp. initio.

converso actio, per quam materia constipatur, vel in minores dimensiones cogitur, nomen habet condensationis, quæ est motus ad densitatem. Causæ efficientes rarefactionem variæ possunt esse, in quibus notissimus est calor; sicut e converso corpora frigore densantur, et etiam aliis mediis mechanicis.

et condensatio.

Quod dentur corpora densa et rara, itemque rarefactio et condensatio, ac proinde etiam raritas ac densitas; constat experientia quotidiana. In quo tamen hæc consistant, *hoc opus, hic labor est*. Facile convenit inter Auctores, materiam cum rarefit, non acquirere novam entitatem substantialem suæ speciei, nec deperdere aliquid de veteri, cum condensatur. Et ratio est, quia rarefactio et condensatio ab omnibus habentur ut mutationes quædam accidentales. Si autem fierent per acquisitionem atque amissionem entitatis alicujus substantialis, forent mutationes quædam substantiales. Sane si rarefactio fieret per acquisitionem entitatis substantialis, vel tota substantia materiæ rarefactæ foret de novo acquisita, vel solum pars. Atqui utrumque repugnat; primum quidem, quia tunc rarefactio esset generatio substantialis; alterum vero, quia esset nutritio quædam vel augmentatio, quod est contra communem omnium sensum. Et simili modo condensatio foret corruptio substantialis. Si ergo rarefactio et condensatio non est substantialis mutatio, sed tantum accidentalis, quid est ejus terminus ad quem? vel quid est illud, quod corporibus advenit vel recedit, cum rarefiunt vel condensantur? vel quænam est formalis causa horum phænomenorum?

Dantur corpora densa et rara, eademque et rarefiunt, et condensantur.

Difficultas explicandi phænomena.

Condensatio et rarefactio non fit acquirendo et perdendo substantiam.

Prima sententia quorumdam veterum ponebat condensationem fieri per compenetrationem partium corporis, rarefactionem autem per expenetrationem earumdem. Hæc tamen doctrina communiter rejicitur, nec refutationem moretur; quia falsum supponit, corpora nempe posse naturaliter compenetrari.

Variæ sententiæ: prima

rejicitur:

Secunda sententia tenet rarefactionem fieri per acquisitionem novæ quantitatis, condensationem autem per veteris amissionem. Id porro dupliciter reperio propugnatum esse. Nam Gotifredus, Marsilius, Pomponatius et quidam alii (1)

secunda quoque

(1) Apud Rubium (*de Gener. et Corrupt.* lib. 1, cap. 5, quæst. 1, num. 126), et Masttium (*de Gener et Corrupt.* disp. 4, quæst. 3, num. 19).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

putant in rarefactione totam priorem quantitatem corrumpi, ac novam produci mojorem illa; et similiter in condensatione, loco prioris novam subrogari minorem. Alii vero multo communius volunt in rarefactione nihil veteris quantitatis deperdi, sed tantum novam partem acquiri, quæ priori adjungatur; et in condensatione pariter partem dumtaxat amitti, reliqua permanente. Hanc rei declarationem sequuntur complures Scotistæ (1), Hervæus et Buridanus (2), quibus accedit Cardin. Toletus (3); et pro eadem etiam laudari satis communiter solet Scotus, quamvis neget Mastrius (4), eam fuisse doctrinam Subtilis Doctoris. Hæc tamen opinio frequentissime deseritur ab auctoribus aliarum scholarum (5), quibus etiam adstipulatur Bartholomæus Mastrius. Rationem autem afferre difficile non est. In primis enim et inutile prorsus et contra omnem experientiam est, quod tota penitus quantitas prior destruatur, in rarefactione, et condensatione, inque illius locum alia nova gignatur, sive major, sive minor. In his enim phænomenis solum videmus corpus sub majoribus vel sub minoribus dimensionibus constitui, vel ad majus minusve spatium alligari, quin alia cernatur mutatio. Præterea cum, ex superius probatis, reliqua accidentia substantiæ inhæreant media quantitate, hac destructa, deberent illa quoque destrui. Atqui tamen passim experientia monstrat nullam in aliis accidentibus mutationem contingere cum corpora rarefiunt, vel addensantur. Præterea nullæ assignari possunt causæ

rejicitur

(1) Apud Mastrium (ibid).

(2) Apud Rubium (loc. cit. num. 127).

(3) *Physicor.* lib. 4, quæst. 11.ª vers. fin.

(4) Loc. nuper cit. num. 20.

(5) Vide v. g. Arist. (*Physicor.* lib. 4, text 84. cap. 9), S. Thomas (4.ª *Physicor.* lect. 14 parag. *j.*), Durand (1.ª dist. 17, quæst. 7, num. 22 et 2.ª dist. 18, quæst. 1), Capreol. (2.ª dist. 19, quæst. 2, art. 3), Soncinas (*Metaphys.* lib. 8, quæst. 27), Rubium (loc. cit. num. 128), Conimbricenses (*de Gener et Corrupt.* lib. 1, cap. 5, quæst. 17), Hurtadum (*de Gener et Corrupt.* disp. 4, sect. 2), Joann a S. Thoma (*Physic.* 2.ª part. quæst. 7, art. 1), Complutens. *de Gener et Corrupt.* disp. 7, quæst. 2), Rhodes (*Phylos perip.* lib. 2, disp. 10, quæst. 2, sect. 5, paragr. 2), Alemanni (*Summ. philos.*. secunda secundæ, quæst. 36, art. 2), Cardin. Aguirre (*Phys.* disp. 55, sect. 1) etc. etc.

efficientes, quæ priorem quantitatem destruerent, ut per se patet, nec finales. Ut enim ex alibi disputatis colligitur, causæ naturales non corrumpunt priores formas, nisi quia novas inducunt cum illis incompossibiles. Atqui majores vel minores dimensiones rei, occupatio amplioris vel angustioris spatii profecto incompossibilis non est cum tota præcedenti quantitate corporis rarefacti vel condensati. Ergo falsum omnino est, eam penitus corrumpi, novamque produci in hisce phænomenis.

Simili modo excluditur aliorum sententia, qui rarefactionem et condensationem explicare nituntur per productionem et amissionem partialis quantitatis. Nam pars illa quantitatis, quæ in rarefactione gigneretur, ubinam, quæso, reciperetur? Non in nova entitate substantiali ejusdem speciei, quæ producta fuisset: jam enim superius prænotatum reliquimus in rarefactione nullam hujusmodi substantialis entitatis productionem intervenire. Ergo reciperetur in veteri substantia. Atqui nova quantitas nequit in prævie existenti substantia subjectari, nisi hæc saltem partialiter duplici quantitate informetur, veteri nempe ac nova, et nisi consequenter duplex illa quantitas compenetretur: quorum utrumque impossibile est. Ergo neque etiam sustineri potest rarefactionem fieri per productionem atque additionem novæ partis quantitatis. E converso si condensatio fieret per corruptionem partis quantitatis, quoniam substantia corporis addensati manet eadem, nequit pars quantitatis corrumpi, quin vel aliqua substantiæ portio quantitate spolietur, vel quantitas partialis ad totam substantiam informandam extendatur: quorum neutrum admitti potest. Non primum, quia quantitas est accidens necessario consequens materiam, quæ proinde naturaliter nequit sua proprietate privari: non alterum, quia si in condensatione non evenit alia mutatio intrinseca præter destructionem partialis quantitatis, reliqua quantitas adhuc remanens naturaliter perget informare illam dumtaxat substantiæ portionem, quam prius informabat: quomodo ergo poterit excurrere ad totam informandam? Quod si quis dicat eo sensu admitti posse phænomena hæc fieri per additionem novæ vel per subtractionem partialis quantitatis veteris, quatenus rarefactio eveniat per introductionem materiæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alicujus extraneæ, quæ cum sua quantitate per poros sese insinuet corporis rarefacti, condensatio autem per expulsionem talis alicujus materiæ; nova quædam inducitur opinio, quam jam expendimus. Est ergo

tertia etiam sententia

Tertia sententia, quæ contendit corpus rarum esse illud, in quo sint plures, vel certe majores, vacuitates vel cavernulæ ac pori, qualis est v. g. spongia; densum autem illud, in quo paucæ, vel minores, sint ejusmodi vacuitates aut pori. Quare corpora rarescunt, vel condensantur, prout pori vel interstitia ejusmodi vel dilatantur, vel contrahuntur. Ita rem explicant atomistæ post Democritum et Leucippum (1), quorum vestigia secuti sunt Gassendius, Magnanus alique. Huc etiam revoca opinionem quorumdam Scholasticorum (2), quæ placuit etiam Cartesio (3), existimantium corpora rarefieri per ingressum subtiliorum corpusculorum intra poros, et vicissim condensationem per eorumdem expulsionem. Nam cum poros vel interstitia intra materiam vacua, saltem penitus, non esse vel ipsa experientia demonstret, ea repleri dicenda sunt aëre vel æthere, vel alia materia. Unde si spatiola illa interatomica in rarefactione augescant, vel dilatentur, consonum videtur, inquiunt, ut novæ particulæ subingrediantur ad occupandum vacuum, fere sicut spongia aqua sese in illius poros insinuante, angetur, et rarescit; vel e converso in condensatione pars corporis subtilioris, quæ poros occupabat, extrudatur. Sic ergo corpus rarius erit, quod plus corpusculorum extraneorum habet intra poros suæ materiæ, qui proinde magis erunt dilatati; et e converso densius, quod minus habet de corpusculis illis. Hæc

(1) Vide apud Aristot. (*Physicor.* lib. 4, cap. 6, text. 52, 55; et cap. 9, text. 79). Cfr. S. Thom. (ibid. lect. 9, paragr. *c* et *f*, et lect. 14 ab initio).

(2) Inter quos recensentur Ockam (opusc. *de Eucharist.*), Gabriel (in Canon., lect. 45), Arriaga (*Physic.* disp. 16, sect. 9, subsect. 2), Oviedus (*de Gener. et Corrupt.* controv. 7, punct. 5), Suarez lusitanus (*de Gener. et Corrupt.* disp. 3, sect. 7, paragr. 3), Peinadus (*de Gener. et Corrupt.* tract. 2, disp. 7, num. 7), Pontius (*de Gener. et Corrupt.* disp. 4, quæst. ultim., concls. 5.ª, num. 47), Ulloa (*Philos. natur.* disp. 1, num. 141), Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 1, cap. 4, num. 75).

(3) Des Cartes, *Princip.*, 2.ª part. num. 6, 7.

sententia communiter arrisit recentioribus atomistis, secundum quos corporea quælibet moles non est nisi conglobatio quædam atomorum, penitus inter se spatiolis interpositis discretarum, quæ athmosphæra ætheris undique convolvantur. Unde distinguunt in corpore volumen reale ab interatomico, et ex summa utriusque docent coalescere volumen, quod vocant *apparens* seu illud, quod extrinsecus cernitur, quia est volumen tum massæ vel realitatis corporeæ, tum etiam spatiolorum interatomicorum, prout jam alias explicuimus (1). Et volumen quidem reale contendunt nunquam alterari, sed semper idem manere, volumen autem interatomicum, atque adeo etiam volumen totale *apparens*, augescere in rarefactione, et diminui in condensatione. Cæterum plures atomistæ in spatiis interatomicis admittunt dari etiam interstitia quædam vere vacua, seu omnis prorsus materiæ, sive ponderabilis sive imponderabilis, expertia, quemadmodum superius vidimus (2).

rejicitur:

Adversus istam doctrinam insurgunt communissi ne Scholastici, tum veteres tum recentiores, ita tamen ut quædam capita non vereantur ultro concedere. In primis concedunt dari poros in corporibus, quamvis non tales, qui omnem penitus de medio tollant continuitatem; jam enim satis probatum manet admittendum esse in natura, non solum in atomis indivisibilibus, sed etiam in grandioribus molibus, continuum saltem imperfectum. Secundo concedunt eo modo, quem docent atomistæ, fieri posse *aliquam* rarefactionem et condensationem, *impropriam* nempe; negant tamen *omnem* rarefactionem et condensationem ita peragi, quia præter impropiam alia propria admittenda est, quæ mutationem voluminis realis importet, prout inferius explicabitur (3). Adversus atomisticam ergo phænomenorum istorum declarationem, dicimus 1.° dari posse rarefactionem absque corpusculorum intussusceptione, quam veteres adstruebant.

(1) Vide supra num. 225, pag. 832.

(2) Num. 253, pag. 954.

(3) Duas hasce rarefactiones et condensationes, propriam et impropriam, distinctas habes apud Toletum (*Physicor.* lib. 4, quæst. 11, non procul ab initio), et apud Rhodes (loc. cit. lib. 2, disp. 10, quæst. 2, sect. 5, paragr. 3), et apud alios veteres ac recentiores.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
GENERAL DE BIBLIOTECAS

Idque manifeste probatur ex machinæ pneumaticæ experimentis: constat enim hujus ope machinæ rarefactionem aëris obtineri, extrahendo aërem, quin alia in ejus locum substituatur materia intra campanam. Unde e converso si post ita rarefactum aërem aliud corpus aëriforme subtilius intra campanam induceres, aër ille procul dubio condensaretur, et quidem modo prorsus contrario illi, quem Cartesius et alii auctores superius citati docuerunt. 2.° Valeat etiam contra atomistas tum veteres tum recentiores factum pluribus experimentis comprobatum *compressibilitatis* ac *dilatabilitatis*, quæ maxima est in corporibus aëriformibus. Certum est ejusmodi corpora posse vi externæ pressionis ad spatium decies, vigesies, immo et centies minus contrahi; sicut e converso et virtute caloris et ope machinæ pneumaticæ ita rarefiunt, ut spatium longe majus occupent. Illud porro mirandum est, quod corpora ejusmodi nec cum tantopere pressione condensantur, particulas suas vel atomos compenetratas habeant, compenetratio namque naturaliter repugnat; nec vicissim cum rarescunt, vel dilatantur, signa amissæ continuitatis, saltem imperfectæ, præ se ferant, quemadmodum ex Physicorum ipsorum testimonio notatum suo loco reliquimus. Atqui si reale volumen corporeæ materiæ in seipso nequit alterari, et propterea solum impropriæ rarefactiones et condensationes dantur, id prorsus incredibile est: intelligi videlicet nequit quomodo particulæ corpoream massam conflantes, si ad tantum spatium extendantur, non penitus dissipentur, abrupta, qua prius inter se copulatæ tenebantur, cohæsione. Experire, utrum possis quatuor partes unius palmi, quæ se tangant vel unitæ sint, ad spatium centies vel millies majus replendum determinare, quin amplissima invicem intercapedine separentur, quamdiu volumen illorum in seipso pro portione non excrescat, sed idem semper remaneat. Nisi velis partes corporis, cum rarefactio evenit, absque ulla intrinseca sua mutatione, præsentes fieri posse majori spatio. Id autem vel inducit corporis replicationem, vel renovat continuum virtuale punctaque *inflata* vel *turgida*, quæ alias exclusa sunt. 3.° Qui rarefactiones et condensationes dumtaxat improprias agnoscere volunt, vel ponunt poros et interstitia penitus vacua, vel æthere aut alia materia repleta.

Si primum eligas, ut omittam nunc quæ superius contra vacui disseminati vel interatomici existentiam disputavimus (1), quomodo explicabis actiones mutuas particularum corporearum et comunicationem caloris, luminis, etc., ab una in alias per totam massam, quin illico tenearis ponere actionem in distans? Sin alterum tibi magis arrideat, de ipso æthere poros replente quæram, quomodo rarefiat, et condensetur. Vel enim est continuus, vel discretus. Si continuus, non poterit rarefieri et condensari eo modo, quem docent atomistæ, quin suam amittat continuitatem, aut penetrationem suarum partium admittant. Si autem discretus est, vel rarefactione continuitatem amisit, vel replendus et commiscendus vicissim est alio subtiliore corpore, et sic abibimus in infinitum; vel iterum explicandum est adversariis, quomodo per ætherem poris penitus vacuis disseminatum, possint omnis generis activitates communicari, quin admitatur actio in distans.

Dices, actionem in distans vitari posse, quamvis ponatur vacuum inter atomos et particulas sive ætheris sive materiæ ponderabilis, si nimirum ponantur illæ in motu; nam si moveantur, confligent inter se, ac mox resilient, et sic dum tangunt se in mutuo conflictu, poterunt agere, et actiones ab aliis in alias transmittere, quin sit necesse admittere actionem in distans.—**Verum in primis** motus isti atomorum obtruduntur absque *ulla ratione* tamquam nova hypothesis ad aliam sua infirmitate fatiscentem hypothesim fulciendam. Deinde motus ejusmodi pugnant cum alibi adstructa extensionis continuitate: nec possunt sat idoneæ causæ illorum sive gignendorum sive conservandorum assignari. Sane particulæ atomive corporeæ vel sunt rigidæ vel elasticæ. Si sint rigidæ, non resilient, nec proinde motus conservari poterunt; si autem sint elasticæ, deformari poterunt, ac variari secundum volumen, id enim elasticorum corporum inter se confligentium proprium est. Verum itaque non erit id, quod atomistæ tamquam firmum fundamentum assumunt, volumen reale corporis alterari non posse (2).

(1) Vide supra num. 253, pag. 953 seqq.

(2) Cfr. Cornoldi *Lezioni di Filosofia*, lez. 37, pag. 222 seqq. Firenze, 1872), cl. Van der Aa (*Cosmolog.*, propos. 20).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quarta sententia

Quarta sententia tenet rarefactionem et condensationem terminari ad *Ubi* vel ad majorem minoremve præsentiam localem vel extensionem actualem. Quod ut intelligas revoca in mentem ex alibi probatis, aliud esse corporis quantitatem et aliud actualem extensionem partium ejus: quare potest esse quantum corpus sine actuali extensione, prout est Corpus Domini in Eucharistia. Actualis ergo extensio importat in partibus corporis ubicationes distinctas secundum naturalem exigentiam quantitatis. Dicit ergo hæc sententia corpora eatenus rarefieri, quatenus sub eadem massa et quantitate majorem extensionem actualem acquirit in sua ipsa realitate vel massa, ita ut latiorem ubicationem habeat; et e converso eatenus corpora condensari, quatenus sub eadem massa et quantitate ad minorem extensionem localem contrahuntur, vel minori spatio præsentia fiunt. Unde manifestum est hujus opinionis a præcentibus discrimen; in hac enim agnoscitur corpus rarefactum majorem, condensatum minorem extensionem actualem et ubicationem assequi absque ullo novæ quantitatis augmento vel diminutione, et absque ulla extraneorum corpusculorum intussusceptione vel expulsione. Hanc tribuit suo tempore Rubius recentioribus non paucis (1); eaque, prout explicetur, potest continere veram doctrinam mox exponendam, vel ab eadem recedere. Verum namque est in rarefactione et condensatione localem corporis præsentiam, atque adeo actualem extensionem variare; corpus enim cum rarescit, majorem nanciscitur extensionem vel volumen, et sic majus occupat spatium, quam prius, secus vero cum condensatur. Nihilominus verum simul est, si apte velimus argumentari, aliquam agnoscendam esse in corporis quantitate immutationem, propter quam vindicet majorem minoremve habere localem extensionem, majorique vel minori spatio præsentiam exhibere. Si enim corpus corporisque quantitas eodem modo se habet semper, sive cum rarescit sive cum addensatur, quo demum pacto fieri potest, ut modo majorem, modo minorem extensionem et ubicationem acquirat, nisi confugiamus ad corpuscula extraneæ materiæ vel ad meram dilatationem et contractionem

expenditur

(1) Vide Rubium (loc. cit. num. 147).

pororum, quæ in antecessum exclusa manent? Itaque si quarta ista opinatio non excludat intrinsecam materiæ mutationem, quæ radix sit majoris minorisve extensionis et ubicationis, facile revocatur ad veram sententiam. Si autem vel excludat illam materiæ corporeæ mutationem, vel rarefactionem et condensationem *formaliter* reponat in prædicto augmento vel diminutione extensionis ac præsentiæ localis, rejicienda est; quia ejusmodi augmentum vel diminutio præsupponit aliquid natura prius, a quo tamquam a causa proxima procedat illa extensionis et localis præsentiæ variatio. Accedit, quod raritas et densitas, saltem per divinam potentiam, separari potest ab extensione actuali in ordine ad locum. Ergo nequit in hæc formaliter consistere. Antecedens probatur; quia in Corpore Christi Domini sub eucharisticis accidentibus, quædam sunt partes rariores, quædam densiores, est enim verum corpus naturale cum suis omnibus partibus, iisque convenienti temperamento instructis. Atqui tamen Corpus Domini non habet in Eucharistia localem extensionem. Ergo raritas et densitas formaliter non consistunt in certa aliqua extensione locali (1).

Quinta sententia

Postrema sententia est longe communior apud Scholasticos, docetque densitatem ac raritatem esse qualitates a cæteris distinctas, easque pertinentes ad tertium genus qualitatis, saltem ut multis videtur (2): quæ materiam corpoream disponant, et afficiant, ut exigat minorem vel majorem localem extensionem et ubicationem. Unde rarefactionem et condensationem esse veros motus alterationis per se tendentes ac terminatos ad ejusmodi qualitates, non secus ac calefactio v. g. est motus ad calorem (3). Hæc videtur expressa

(1) Plura vide apud Rubium *(de Gener. et Corrup.* lib. 1, cap. 5, tract. de *rarefact.*, quæst. 2, a num. 147), Complutenses *(de Gener. et Corrupt.* disp. 7, quæst. 2), Joann. a S. Thoma *(de Gener. et Corrupt.*, quæst. 7, art. 1, *Dico 2.°)*.

(2) Ita v. g. censet S. Thomas mox citandus, et Conimbricenses, ac Joannes a S. Thoma.

(3) Ita sentiunt quidam PP. et Albertus M., Capreolus, Argentinas, Durandus apud Rubium (loc. cit. num. 147), Soncinas *(Metaphys.* lib. 8, quæst. 27), Conimbricenses *(de Gener. et Corrupt.* lib. 1, cap. 5, quæst. 17, Rubius (loc. cit. a num. 148), Fonseca *(Metaphys.* lib 5, cap. 13, quæst. 1, sect. 4, ad 2.um), Suarez *(Metaphys.* disp.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

doctrina Aristotelis et S. Thomæ *Quare et molis, quæ cadit sub sensum, magnitudo et parvitas tenditur, non quod res ulla ad materiam accedat, sed quoniam in materia utriusque inest facultas. Idem itaque est rarum et densum, et una eorum materia* (1). S. Thomas vero hæc scripsit. *Probat... Philosopus in 4.° Physicorum, quod sicut aliquid fit albius non superaddito alio albo, sed per intensionem albedinis præexistentis, in quantum scilicet subjectum reducitur in actum perfectioris albedinis; ita etiam potest fieri aliquid majus absque additione alicujus corporis, magnitudinem habentis, per hoc quod materia, quæ prius erat sub parvis dimensionibus, postea sit facta sub majoribus. Nam idem est subjectum magnitudini et parvitati, sicut et albi et nigri* (id est albedini et nigredini). **Et hoc manifeste apparet in rarefactione.** *Rarefactio autem contingit, non solum transmutata specie,* (quando nempe eadem materia per successionem formarum transit ab una specie corporis in aliam), *sed etiam eadem specie manente, sicut si aër rarefiat, vel condensetur. Dicendum est autem, quod talis transmutatio non* **potest proprie dici augmentum, sed alteratio: fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum,** *scilicet rari et densi* (2). Et alibi: **Rarum et densum** *sunt quædam qualitates consequentes corpora, ex hoc quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus; sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantiæ. Et ideo sicut subtracta substantia, divina virtute conservantur accidentia; ita subtracta materia, divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes, sicut rarum et densum* (3). Secundum hanc ergo sententiam quantitas quidem exigit extensionem localem, non tamen hanc vel illam determinate, sed eam, quæ in primis consentanea est formæ

declaratur.

42, sect. 5, num. 17). Cosmus Alamanni (*Summa Philos.*, secunda secundæ, quæst. 37, art. 1), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 55, sect. 3), Complutenses (loc. cit. quæst. 2), Joannes a S. Thoma (loc. nuper citat.) et alii tum veteres tum recentiores, quos supra (num. 225, pag. 833) recensuimus agentes de continui realitate.

(1) Aristot. (*Physicor.* lib. 4 cap. 9, text. 84). Cfr. S. Thom. (ibid., lect. 14, paragr. *3*).

(2) S. Thom., *de Gener. et Corrut.* lib. 1, lect. 14, parag. *c*.

(3) S. Thom. 3 p. quæst. 77, art. 2 ad 3.um Quæ vero ex Aristotele et S. Thoma depromuntur loca in speciem opposita, explicata videri possunt a apud Cosmum Alamanni, Joannem a S. Thoma et alios.

substantiali et ipsi etiam statui corporis; videmus enim corpora pro specifica varietate et statu, sive solido, sive liquido, sive aëriformi, esse alia aliis densiora vel rariora: quare aliis qualitatem raritatis, aliis densitatis, vel si mavis, omnibus qualitatem quamdam a corporis natura fluentem inesse dicendum est, secundum quam sint magis minusve rara, id est, latiorem minusve latam extensionem localem vel ubicationem pro eadem massa vel realitate materiæ vindicent. Nam quantitas sicut præcisæ ex se formaliter non est *tanta* in actu secundo, v. g. palmaris vel uncialis, sed *tanta* redditur formaliter per ubicationem vel præsentiam localem exhibitam v. g. spatio unius palmi vel unciæ, ita etiam non est *tanta* secundum exigentiam in actu primo, nisi prout affecta certa qualitate vel temperamento raritatis aut densitas. Verbo, materia solum ex sua quantitate non est determinata ad certam ubicationem vel extensionem localem, sed ea determinatio procedit ex speciali qualitate a forma substantiali fluente. At nativa cujusque qualitas raritatis vel densitatis potest mox per causas externas, v. g., calore, frigore, etc., *alterari* saltem usque ad certum limitem, augendo vel imminuendo prædictam qualitatem: quod cum fit, corpora dicuntur rarescere vel addensari, et propterea rarefactio et condensatio dicuntur *alterationes*, quia tendunt vel ad gignendam qualitatem raritatis vel densitatis, vel certe ad augendam: et propterea etiam rarefactio definitur motus ad raritatem, et condensatio motus ad densitatem (1). Et hæc est rarefactio et condensatio proprie dicta, quia per eam ipsa materia vel massa corporis in se alterata majus minusve spatium occupat, et hoc pacto extensionem localem et volumen ipsum suum reale mutat: unde sic egregie secundum hanc doctrinam intelliguntur superius datæ rari densique descriptiones: vere enim sic rarum esse concipitur, *quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus*, quia materia eadem determinatur ad occupandum majus spatium, quam si non

(1) Cfr. De Benedictis (tom. 3, lib. 6, quæst. 1, cap. 4 paragr. 1), Mayr (*Philos. perip.* parte 3.ª, num. 429), Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 1, cap. 4, num. 64), Suarez (disp. 40 *Metaphys.* sect. 4, num. 29, Conimbricenses (loc. cit. quæst. 17, art. 6, ad 5.um).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esset rara vel rarefacta; et e converso densum est, *quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Et intelligitur etiam, quomodo possit eadem corporis realitas modo majorem, modo minorem spatii latitudinem occupare absque replicatione vel compenetratione.

Verum prout jam superius innuimus, concedunt Scholastici præter hanc rarefactionem condensationemque propriam, dari etiam aliam impropriam et apparentem, quæ vulgo solet sæpe nomina ista sortiri, potissimum in corporibus valde porosis. Ita licet spongia in seipsa vel in sua massa non immutetur, si tamen intra sinum suorum pororum admittat multum aërem, rarefacta videbitur ac dilatata.

ex probatur.

Equidem doctrinam et sententiam istam reor omnino amplectendam esse. Ea vero probanda est 1.° per exclusionem aliarum. Nam confutatæ manent aliæ opiniones hactenus excogitatæ ad phænomena rarefactionis et condensationis explicanda. Nulla autem aptior occurrit, quam hæc, quæ tot tantorumque Doctorum nobilitatur nomine et auctoritate. Immo vero ex disputatis contra tertiam sententiam sequitur non posse admitti solam impropriam et apparentem rarefactionem, sed propriam aliquam agnoscendam esse. Propria vero rarefactio et condensatio, ut rem apte declaret, talis esse debet qualem nuper descripsimus. 2.° Hac constituta doctrina potest reddi ratio multorum phænomenorum. α) Explicatur, quomodo calor dilatet, frigus corpora contrahat: plane enim intelligitur, quod calor possit activitate sua massam ipsam corpoream ita immutare, ut tribuat exigentiam majoris extensionis actualis et ubicationis. β) Intelligitur, quomodo eadem materia diversam habeat densitatem in statu solido, liquido et aëriformi; itemque quomodo quin amittat suam continuitatem, saltem imperfectam, et quin præbeat signa illa interstitiorum, quæ massam penitus discretam efficerent, prout gratis asserunt Physici, nihilominus maximam præ se ferat varietatem voluminis et actualis extensionis. γ) Intelligitur, quomodo eædem causæ, quæ corpora dilatari comprimive faciant, possint etiam eorumdem statum immutare. δ) Intelligitur, quomodo possint lumen, calor, sonus per corpora propagari, quin ponantur illa penitus discreta, vel æthere quaquaversus circumdata, quemadmodum vellent Physici.

Nihil enim vetat, quominus naturales causæ gignant in corporeis particulis succesivas rarefactiones et condensationes per totam massam, ex quibus satis concipitur existere posse vibrationes et undulationes, quales in phænomenorum illorum propagatione cernuntur. ε) Aliunde vero nihil apparet, quod repugnantiam istius doctrinæ demonstret. 3.° Haud equidem ignoro ægre a quibusdam concipi, quomodo eadem specifice ac numerice massa materiæ possit modo ad majorem, modo ad minorem præsentiam localem determinari, unde ipsum reale corporis volumen mutetur. Verum ex iis, quæ in ipsa hujus sententiæ descriptione innuimus, satis quisque persuaderi potest, haud esse impossibile rem istam aliquo modo mente comprehendere. Si enim quantitas ex sese formaliter non determinat latitudinem præsentiæ localis, nec ex sese importat actualem extensionem, sed eam habet ex modo diversæ partium ubicationis superaddito, facile etiam concipitur posse determinationem hujus vel alterius determinatæ ubicationis provenire ab aliqua speciali qualitate raritatis vel densitatis, eamque posse etiam ex influxu externarum causarum variari, sicut aliæ quoque corporeæ qualitates solent simili modo interdum mutationem aliquam pati. Nec desunt etiam exempla entitatum realum, quæ ad præsentiam spatio modo latiori, modo minus lato exhibendam determinantur. Sic anima rationalis, (et etiam anima brutorum in illorum sententia, qui eam penitus indivisibilem arbitrantur), cum sit forma corporis, debet totum illud informare, ac præsens esse toti spatio, quod corpus occupat: unde sequitur crescente aut decrescente corpore, latiorem minusve latam fore ubicationem animæ. Ad hunc ergo modum intelligere licet, posse eamdem materiæ massam ad majus minusve spatium occupandum determinari ex peculiari aliqua sibi inhærente qualitate.

Dices, explicationem istam videri recidere in doctrinam *punctorum inflatorum*, quæ tamen nos ipsi alibi exclusimus.

Respondeo *neg.* assertum. Puncta enim illa sunt entitates quædam simplices et inextensæ, divisibile spatium occupantes, invehunturque a suis patronis ad declarandam realitatem et compositionem continui. Nos vero nihil ejusmodi admittimus, sed tantum ponimus, quantitatem vi cujusdam

qualitatis, qua afficitur, posse majorem minoremve ubicationem habere.

Difficultates, quæ contra doctrinam istam urgentur, videri possunt apud veteres ejusdem patronos superius laudatos (1); jam enim ultra modum excrevit volumen istud, cui finem tandem imponere necesse est, gratiis Deo actis, Patri luminum, a quo est *omnem datum optimum et omne donum perfectum* (2).

(1) Vide nominatim P. De Benedictis (loc. cit. paragr. 2), Mayr (loc. cit. a num. 428). Cfr. Lossada (loc. cit. num. 65-68, collat. cum num. 81).

(2) *Jacob.* cap. 1, v. 17.

INDEX RERUM.

(NUMERUS PAGINAM DESIGNAT).

Accidentia utrum active influant in productionem substantiæ 1233: an sint tota virtus effectiva corporis 1235: seqq.: quibusnam accidentibus conveniat activus influxus in substantiæ productionem 1235: quatuor modis corrumpi possunt 1227.

Actioni et passioni cur detur nomen motus 1006: actio et passio utrum et quomodo distinguantur a motu 1021 seqq.: actiones a motu locali distinctæ admittendæ sunt 1169.

Activitates corporeæ 1118, utrum a motu distinguantur 1119 seqq. Et vide vocem *Qualitas*: activitas corporum secundum atomistas 515, 516: utrum activitas corporum re distinguatur a substantia 1140 seqq.: variæ corporum activitates 1130 et 1192: ex sententia Physicorum et atomistarum omnis corporea activitas ad purum motum localem revocatur 515 et 1163: quæ sententia excluditur a Scholasticis 1167 seqq.: activitas et actio corporum est quidem cum locali motu conjuncta 1168; falsum tamen est, omnem corpoream activitatem ad vim loco-motricem revocandam esse 1169 et 1177 seqq.: negant communiter atomistæ corporibus activitatem novas corporeas substantias gignendi 1192; asserunt communi pariter consensu Scholastici, quorum sententia probatur 1193 seqq. et 1195 seqq: universa corporum activitas comprehendit præter localem motum alterationem, generationem, corruptionem, mixtionem, conversionem 1208 seqq.: utrum activitas corporum tota sit accidentalis, an vero corpora seipsis aliquid immediate operentur 1230 seqq.: quibusnam accidentibus conveniat activus influxus in substantiæ generationem 1235.

Actus perfectus et imperfectus quid 1003: actus potentiarum intellectualium et sensitivarum cur non sint proprie et stricte motus 1006.

Æternitatis discrimen a tempore 1082: quid æternitas participata 1083 in nota: utrum mundus potuerit creari ab æterno. Vide vocem *Mundus*.

Ævi discrimen a tempore 1082: æviternæ substantiæ secundum se nec sunt in tempore, nec tempore mensurantur 1112; possunt tamen mensurari secundum aliquas actiones 1113.

Affinitas corporum est elective 452: nequit recte explicari in atomistarum sententia 528.

Alteratio proprie dicta quid sit 1037; alterationis acceptiones variæ 1038: alteratio strictissime sumpta, ejusque species 1039: alteratio stricta solum terminatur ad tertium genus qualitatis 1040: alterationis motus potest

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS